UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Theologia Moralis Universa

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1725

urn:nbn:de:hbz:466:1-39911

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



...levem auferen-
...do, quamvis sciant ab aliis rem le-
...vem vel gravem jam ...blaram
...

no enim hos respectu hominis valde
divitis ...
... impe-
... gravem,
... admittet
... guam

Ad usum F. Odilonis Professi in Abdinghoff.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Monasterii Abdinghofensis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


DESUPER
Stich fecit.

# THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA,

## Ad Mentem præcipuorum Theologorum

& Canoniſtarum, inſertis ſuo loco Propoſitionibus à S. Sede Apoſtolica noviſſimè damnatis concinnata,

ET

## *Per Caſus Practicos Expoſita*

*AB ADMODUM*


## R.D.F. LEONARDO JANSEN,

Ordinis Præmonſtratenſis, Eccleſiæ Knechtſtedenſis Canonico Presbytero, pro temp. Priore, & Caſuum Profeſſore.



Liber Monasterii intra Abdinghoff Paderbornæ.



*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*

Apud SERVATIUM NOETHEN Bibliopolam;

*Superiorum permiſſu & Privilegio S. Cæſ. Majeſtatis ſpeciali.*

ANNO M. DCC. XXV.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



*Reverendissimo Amplissimóque Viro*
*ac Domino,*

# D. ARNOLDO BREWER,

Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ Knechtstedensis ABBATI dignissimo, ejusdemque Ordinis per Circarias Westphaliæ, Iveldiæ, Wadegotiæ Visitatori Generali, Domino ac Superiori meo observandissimo.

Reverendissime & Amplissime Domine,

Domine PRÆLATE gratiosissime &c.

OPusculum hoc Theologicum sub Tuis auspiciis ante quindecim ferè annos à me cœptum, nunc successivo labore per omnes Tractatus Morales completum, antequam lucem videat, gratiosis Reverendissimæ Dignitatis Tuæ oculis se videndum, legendum, censurandúmque exhibet, séque totum quantulum est, subjicit, dedicat, consecrátque, ut inde accipiat assistentiam, unde cepit ortûs sui confidentiam: enim verò hic meus qualiscunque labor Tibi Trino eóque justissimo debetur titulo, titulo gratitudinis, quà benefactori ac studiorum meorum promotori singulari; titulo amoris filialis, quà Patri & Superiori amantissimo; titulo scientiæ, quam

non tantùm ex purioribus SS. Theologiæ & ſacrorum Canonum rivulis Tibi ipſi abundanter aſſuxiſti, ſed & in Tuos quà informando, quà ſumptus indefeſsè ſubminiſtrando uberrimè transfudiſti. Parces quod nullo encomio virtutes Tuas perſtringam, poſſem enim præter eximiam ſcientiam in Te ſuſtollere indefeſſum diſciplinæ zelum, ſingularem rerum tractandarum dexteritatem, invictum in rebus difficillimis ac penè deſperatis animum; poſſem monſtrare Eccleſiam novo à Te ſplendore exornatam, Monaſterium variis ædificiis illuſtratum, proventibus auctum; & quod Tibi præ aliis cordi fuit, ſtudium Theologiæ & Sacrorum Canonum mediante Tuâ vigilantiâ & induſtriâ in Tuis laudabiliſſimè conſociatum, & à tempore regiminis Tui irremiſsè continuatum &c. At ſuperſedeo laudibus; ſolo allidi & pedibus proteri illæ dedicatoriæ litteræ merentur, in quibus nil penè invenire eſt quàm mercenaria præconia, & adulationum lenocinia: talibus abſtineo, nolo eſſe palpo, nolo haberi meritorum Tuorum tinea, nolo dici aculeata apis ungens & pungens, laudans & lædens, nam & Tua me retrahit modeſtia; nôſti bonarum mentium eſſe, malle laude digna facere, quàm laudari, quocirca vacua ſunt hæc Tuâ laude ſcripta, ſed non vacuus gratâ memoriâ animus, in quo ſubmiſſiſſimè ſubſcribor

Reverendiſſimæ & Ampl. D. Tuæ

Obſequentiſſimus filius
F. L. JANSEN.

Ad

# Ad Lectorem amicum.

*Ecce habes amice Lector totam Theologiam Moralem per Casus non fictos aut Metaphysicos, sed practicos expositam, idque stylo simplici & claro, methodo tam docentibus quàm discentibus perfacili, præmissis enim explicatisque principiis generalibus subjungitur practica eorundem ad Casus particulares applicatio, insertis suo loco Propositionibus à sacrâ Sede condemnatis, ut doctrinam sanam ab erroneâ & noxiâ faciliùs secernere valeas: nolim esse prolixior, ne opus ad nauseam Lectoris excresceret; nec æquo brevior, ne vel obscuritas sensum everteret, vel deesset quod scientiæ avidior desiderare posset: si erraverit stylus, benevolentiâ connivebis; si typus, menda stilendo corriges; si authoritas allegata fuerit prolixior, utique non improbabis, nam studio fuit quæsita, moralis enim doctrina non proprio, sed alieno comprobanda erat testimonio. Vale & fruere.*

# LICENTIA

## *Illustriss. & Reverendissimi D. Generalis Sacri Ordinis Præmonstratensis.*

NOs F. CLAUDIUS HONORATUS LUCAS Præmonstrati ABBAS, & totius S. Ordinis Generalis, præviis licentiâ Prælati proprii & approbatione Censoris ac examine quorundam Doctorum Theologorum concedimus licentiam typis mandandi manuscriptum R. P. LEONARDI JANSEN, cui titulus est : *Theologia Moralis universa per Casus practicos exposita.* Dat. Præmonstrati 4. Jan. 1725.

# LICENTIA

## *Reverendissimi Domini Abbatis Knechtstadiensis.*

NOs ARNOLDUS BREWER Cœnobii Knechtstedensis, Sacri & Canonici Ordinis Præmonstratensis divinâ permissione ABBAS, & Circariarum Westphaliæ, Wadegotiæ atque Iveldiæ Visitator Generalis, concedimus facultatem & licentiam, ut Casus practici Reverendi & Religiosi Patris LEONARDI JANSEN, Professi Monasterii Nostri Knechtstedensis, & Prioris ad S. Catharinam Tremoniæ typis evulgentur. Dat. in Abbatiâ Nostrâ Knechtstadiensi die 21. Februarii 1725.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# APPROBATIO DOCTORUM.

THEOLOGIA MORALIS universa per Casus practicos expositа, Authore A. R. D. F. LEONARDO JANSEN Ordinis Præmonstratensis, Ecclesiæ Knechstedensis Canonico Presbytero, p. t. Priore, & Casuum Professore, à nobis infrascriptis in almâ Universitate Colonienſi Ss. Theologiæ Doctoribus, & Professoribus publicis, & ordinariis perlecta, & examinata nihil habet aut fidei, aut bonis moribus adversum; ac præterea ob doctrinæ, quam continet, perspicuitatem, & soliditatem Theologiæ Candidatis instruendis utilis, aliisque quibus animarum cura incumbit, informandis, ac dirigendis idonea est. Proinde digna, quæ typi beneficio in lucem prodeat. Ita censemus Coloniæ 17. Augusti 1725.

JOANNES SUTGEN S. Theologiæ Doctor ac Professor publicus & ordinarius, Parochialis Ecclesiæ ad SS. Apostolos Pastor, ejusdemque Perinsignis, nec non Archi-Diaconalis ad Mariæ Gradus Collegiatarum Ecclesiarum Colonienſium Canonicus respectivè Capitularis m. pp.

ANDREAS ESSER Societatis JESU, Ss. Theologiæ Doctor ac Professor publicus, & ordinarius m. pp.

# CENSURA ORDINARII.

THEOLOGIA MORALIS per A. R. D. F. LEONARDUM JANSEN Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ Knechstedensis Canonicum Presbyterum ac p. t. Priorem citra omnem Fidei ac morum errorem, animarum Curatorum ac Theologiæ Candidatorum gratiâ per Casus practicos nervosè exposita typi beneficio publicanda censetur. Datum Colon. 25. Aug. 1725.

JO. GEORG. MOLITORIS Ss. Theol. Doctor, Perillustris S. Gereonis Canon. Sereniſſimi Principis Electoris Colonienſis Consiliarius Ecclesiasticus, Ejusdemque per Civitatem ac Archi-Diœcesin Colonienſem Librorum Censor ordinarius m. pp.

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

CAROLUS VI. Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Universis, quòd, cùm Nobis Noster, Sacrique Romani Imperii fidelis dilectus SERVATIUS NOETHEN Bibliopola Colonienſis humillimè exponi curârit, quem in modum P. LEONARDI JANSEN Theologiam Moralem prælo committere resolverit, vereatur autem, ne æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantium impendii & laboris sui fructu frustretur; Ideóque Nobis demissè supplicârit, quatenus ejus indemnitati Privilegio Nostro Cæsareo succurrere Clementissimè dignaremur; Nos submissæ pariter ac æquæ ejus petitioni annuendum censuerimus. Ac proinde Authoritate Nostrâ Cæsareâ omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuscunque rem Librariam seu negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus & interdicimus, ne quis supra nominatam Theologiam Moralem sub hoc alióve titulo per quinquennium ab hodierno die computandum intrà Sacri Romani Imperii, & Regnorum, Ditionumque Nostrarum hæreditariarum fines recudere, vel aliis recudendam dare, aliorsumve impressam apportare citra præfati Impetrantis, ejusdemque hæredum ac successorum voluntatem & assensum in scriptis obtentum ausit vel præsumat. Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc Nostrum seu Interdictum violare, contemnereve præsumpserit, eum non solùm ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperàm quippe recusis seu apportatis (quæ dictus SERVATIUS NOETHEN sive propriâ authoritate, sive Magistratûs illius loci auxilio sibi vendicare poterit) de facto privandum, sed & decem Marcarum auri puri pœnâ ærario seu Fisco Nostro Cæsareo, & parti læsæ ex æquo pendendâ, omni spe veniæ sublatâ, mulctandum decernimus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperiatur, & ejus quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris, & Sacri Romani Imperii Regnorumque & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, tàm Ecclesiasticis quàm sæcularibus, cujuscunque status, gradûs, dignitatis aut ordinis fuerint, præsertim verò iis, qui in Magistratu existentes, vel suo, vel Superiorum suorum loco jus justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere aut transgredi patiantur; sed si quos contumaces repererint, constitutâ à Nobis mulctâ eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem, prædictamque pœnam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostrâ subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna, die decimâ sextâ Aprilis, Anno Millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Regnorum Nostrorum Romani decimo quarto, Hispanicorum vigesimo secundo, Hungarici & Bohemici verò pariter decimo quarto.

CAROLUS m. pp.

(L.S.)

*Vt. Frid. Carl. Comes de Schönborn m. pp.*

*J. v. Mayeck de Waldstatten m. pp.*

MO.

# MONITUM GENERALE.

CUm propter absentiam Authoris, & manuum in describendo Exemplari diversitatem varii errores substantiales in hanc Editionem irrepserint, hinc omnino necessarium fuit Catalogum eorum, quæ emendanda, addenda vel omittenda sint, præfigere, ne alioquin Lectores in errorem inducantur.

## ERRORES SUBSTANTIALES EX PARTE PRIMA.

| Pag. | Col. | Lin. | |
|---|---|---|---|
| 17 | 2 | 30 | improbabilius, *lege* probabilius. |
| 19 | 1 | 36 | *dele* con-forte. |
| 24 | 1 | 31 | licerè, *lege* liberè. |
| 25 | 1 | 17 | delectatus. *lege* delectatur. |
| 27 | 2 | 28 | *post* lex, *adde* positiva. |
| 41 | 2 | 39 | absint, *lege* adsint. |
| 71 | 1 | 19 | non bibatur, *dele* non. |
| 81 | 1 | 35 | *dele* Ave Maria. |
| 90 | 2 | 17 | *Ante* non licet, *adde* regulariter. |
| 98 | 1 | 9 | creatura, *lege* creata. |
| 109 | 1 | 9 | succurre, *lege* succurrere. |
| Eâd. | 2 | 14 | *dele* suspicandi de te malè. |
| 124 | 1 | 1 | venerari, *lege* venari. |
| 147 | 1 | 14 | invalidè, *lege* validè. |
| 148 | 1 | 13 | ante Religiosi S. J. *adde* aliqui. |
| 168 | 1 | 30 | *post* pro, *adde* nunc. |
| 179 | 2 | 24 | *post* honestus, *adde*, & opulentus. |
| 181 | 2 | 5 | indicium, *lege* individuum. |
| 182 | 1 | 23 | medium, *lege* Medicum. |
| 196 | 2 | 10 | communicatio, *lege* excommunicatio. |
| 203 | 2 | 13 | dignatur, *lege* dicatur. |
| 228 | 1 | 8 | extrinsecum, *lege* intrinsecum. |
| Eâd. | 1 | 18 | *post* extrinsecus, *adde*, tam. |
| 235 | 2 | 19 | pecuniam, *lege* penuriam. |
| 244 | 1 | 30 | vel, *lege* sed. |
| Eâd. | 2 | 12 | jacta, *lege* jactura. |
| 272 | 1 | 30 | *post* acceptare, *adde* nolit. |
| 291 | 1 | 23 | *post* constare, *adde* non. |
| 297 | 1 | 33 | *post* infantes *adde* masculi. |
| 298 | 1 | 5 | *post* furioso, *adde* non. |
| 302 | 1 | 17 | *post* materia, *adde* aliqua. |
| 307 | 2 | 28 | debitori, *lege* donatori. |
| 313 | 1 | 25 | *post* das, *dele* comma, & *pone post* mutuò. |
| Eâd. | 2 | 32 | *pro* quam, *lege* vel. |
| 429 | 1 | 21 | sunt invalida, *lege* non sunt. |
| 430 | 2 | 25 | legatoris, *lege* legislatoris. |
| 461 | 2 | antep. | *post* grave, *adde* onus. |
| 462 | 1 | 9 | restitut, *lege* restitutione. |
| 466 | 2 | 8 | commodo, *lege* incommodo. |
| 549 | 2 | 29 | observantur, *lege* reservantur. |
| 552 | 2 | 32 | Cathedrali, *lege* Metropolitanâ. |

## ERRORES SUBSTANTIALES PARTIS SECUNDÆ.

| Pag. | Col. | Lin. | |
|---|---|---|---|
| 3 | 2 | 26 | contritio, *lege* detestatio. |
| 13 | 1 | 23 | consecrans, *lege* celebrans. |
| Eâd. | 1 | 30 | consecravi, *lege* celebravi. |
| 21 | 2 | 1 | imperfectiora, *lege* perfectiora. |
| 42 | 2 | antepen. | foret grande sacrilegium, *lege* videtur indecens. |
| 63 | 2 | 28 | Satisfactorius, *lege* impetratorius |
| 72 | 1 | 21 | consecrata, *lege* exsecrata. |
| 79 | 2 | 30 | *dele*, si Venerabile sit expositum, non opus est Cruce. |
| 85 | 2 | 16 | qui negligit Evangelium usque ad Epistolam, *lege*, qui negligit Epistolam usque ad Evangelium inclusivè. |
| 90 | 2 | 30 | quia illi labores non uniuntur, nec constituunt &c. *lege* vel non uniuntur, vel non constituunt &c. |
| 95 | 2 | 21 | remittitur peccatum, *lege*, mortale. |
| 116 | 2 | 5 | duobus, *lege* dubiis. |
| 124 | 1 | 4 | involuntaria, *lege* voluntaria. |
| 145 | 2 | 18 | si iverit, *lege*, si non iverit. |
| 150 | 1 | penult. | proditorem, *lege*, proditionem. |
| 173 | 2 | 34 | fuitæ Moniali, *lege*, ei quæ fuit Monialis. |
| 222 | 2 | 9 | licita, *lege* illicita. |
| 240 | 1 | 34 | non validatur, *lege* validatur. |
| 249 | 2 | 28 | copulam, *lege* seminationem. |
| 282 | 1 | 35 | Justum, *lege* injustum. |

ERRO-

# ERRORES TYPOGRAPHICI
## EX PARTE PRIMA.

| Pag. | Col. | Lin. | |
|---|---|---|---|
| 29 | 2 | 38 | trigintia, *lege* triginta. |
| 85 | 2 | antep. | impeteret, *lege* impetret. |
| 104 | 1 | 20 | malium, *lege* malum. |
| 105 | 1 | 10 | probabilii, *lege* probabili. |
| 121 | 1 | 10 | objoctum, *lege* objectum. |
| 137 | 2 | 36 | *dele* rei. |
| 141 | 1 | 12 | corruptiones, *lege* corruptionis. |
| 155 | 1 | 35 | compententem, *lege* competentem. |
| 163 | 2 | 33 | nominc ommunitatis, *lege* nomine communitatis. |
| 164 | 1 | 8 | age, *lege* ag- |
| Eâd. | 2 | 12 | veddità, *lege* reddità. |
| 184 | 1 | 20 | cum, *lege* eum. |
| 187 | 1 | 12 | mauu, *lege* manu. |
| 188 | 2 | 32 | in injuriis, *lege* injuriis. |
| 191 | 1 | 33 | oma, 30ma. |
| 206 | 1 | 16 | rec, *lege* nec. |
| 212 | 2 | 4 | furo, *lege* furto. |
| 232 | 1 | 17 | acceptæ, *lege* accepta. |
| 233 | 1 | 27 | valeant, *lege* valeat. |
| 241 | 1 | 5 | ægri, *lege* agri. |
| 274 | 2 | 21 | civili, *lege* civile. |
| 285 | 1 | 17 | alien, *lege* alienum. |
| 293 | 2 | 26 | circumpectionem, *lege* circumspectionem. |
| 331 | 1 | 23 | recipiat, *lege* recipiet. |
| 341 | 1 | 17 | ubi, *lege* ibi. |
| 342 | 2 | 10 | ferat, *lege* ferant. |
| 368 | 1 | 18 | & fringere, *lege* effringere. |
| 387 | 2 | ult. | mentò, *lege* meritò. |
| 388 | 2 | 5 | circamstantias, *lege* circumstantias. |
| Eâd. | 2 | 6 | ant, *lege* aut. |
| 411 | 2 | 20 | *dele* comma, & ut. |
| 413 | 1 | 8 | In differentia, *lege* indifferentia. |
| 414 | 1 | 20 | ignorantiæ, *lege* ignoratæ. |
| 426 | 2 | 10 | præsumens, *lege* præsumeris. |
| 428 | 1 | 7 | coperandum *lege* cooperandum. |
| 449 | 2 | 8 | exemprorum, *lege* exemptorum. |
| 453 | 1 | 15 | epekeiam, *lege* epikeiam. |
| 459 | 1 | 26 | quia, *lege* quæ. |
| 468 | 2 | 16 | volans, *lege* volens. |
| 476 | 1 | 29 | *dele* prævenire. |
| 481 | 2 | 6 | unuam, *lege* unam. |
| 482 | 1 | 2 | quia, *lege* qui. |
| Eâd. | 1 | 26 | alibi, *lege* aliò. |
| Eâd. | 1 | 30 | patrias, *lege* patria. |
| 483 | 1 | 15 | quuibus *lege* quibus. |
| 486 | 2 | 28 | lassentur, *lege* lassantur. |
| 488 | 1 | 8 | probibendi, *lege* prohibendi. |
| 492 | 2 | 28 | Tuchus *lege* Tuschus. |
| 494 | 2 | 1 | quamis *lege* quamvis. |
| 510 | 1 | 17 | colligatori, *lege* collitigatori. |
| 512 | 2 | 13 | *post* consanguinei, *dele* comma. |
| 544 | 1 | 32 | prævaleat, *lege* prævalent. |
| 550 | 1 | 5 | acceptâ, *lege* acceptatâ. |
| Eâd. | 1 | 29 | ciciniâ, *lege* vicinia. |
| Eâd. | 2 | 28 | Pontificâ, *lege* Pontificia. |
| 551 | 2 | 13 | Pontificiales, *lege* Pontificales. |
| 553 | 2 | 11 | electores, *lege* electores. |
| Eâd. | 2 | 16 | præcistæ, *lege* precistæ. |
| 557 | 2 | 25 | extingendo, *lege* extinguendo. |
| 563 | 2 | 32 | imcomposibilis, *lege* incomposibilis. |
| 568 | 1 | 39 | etsi, *lege* & si. |
| Eâd. | 1 | 41 | *post* frequentent, *adde* comma. |

## ERRATA TYPOGRAPHICA PARTIS SECUNDÆ.

| Pag. | Col. | Lin. | |
|---|---|---|---|
| 5 | 2 | 32 | Bapzo, *lege* Baptizo. |
| 26 | 1 | 21 | lectu, *lege* lecto. |
| 61 | 1 | 17 | *post* patriæ, *adde* num. 9. |
| 82 | 1 | 16 | obtutum, *lege* objectum. |
| 92 | 1 | 17 | farmacopæi, *lege* pharmacopæi. |
| Eâd. | 1 | 27 | potuerent, *lege* potuerunt. |
| 95 | 1 | 20 | susceptum, *lege* suscepto. |
| 157 | 2 | 28 | exspiret, *lege* exspirat. |
| 189 | 2 | 26 | invalidâssat, *lege* invalidâsset. |
| 204 | 1 | 22 | omittendum, *lege* emittendum. |
| 218 | 2 | 29 | vitrius *lege* vitricus. |
| 238 | 1 | 13 | sperandi, *lege* separandi. |
| 241 | 1 | 13 | disponendæ, *lege* disponenda. |
| Eâd. | 2 | 1 | tamen, *lege* tum. |
| 245 | 1 | 23 | vel 39. *lege* vel 30. |
| Eâd. | 2 | 9 | impedimento, *lege* impedimenta. |
| 280 | 2 | 10 | Cardin. *adde* de Luca. |

EX

# INDEX CASUUM PARTIS PRIMÆ.

EX

# TRACTATU DE CONSCIENTIA,

SEU

Regula interna Actuum humanorum.


CASUS I.

DE Conscientia in genere; & in specie, de vin- & invincibiliter erronea. Pag. 1.

CASUS II.

De Conscientia Dubia. - - - P. 7.

CASUS III.

De Conscientia Probabili. - - - 13.

CASUS IV.

De Conscientia Perplexa & Scrupulosa. 23.

DE REGULA EXTERNA ACTUUM HUMANORUM, SIVE DE LEGIBUS.

CASUS V.

De Essentia & proprietatibus Legum. - - - - 27.

CASUS VI.

De subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur. - - 36.

EX TRACTATU DE PECCATIS.

CASUS VII.

De natura, divisione, & specifica distinctione peccatorum. 42.

CASUS VIII.

De distinctione peccatorum numerica. - - 46.

CASUS IV.

De morosis delectationibus, desideriis, aliisque pravis affectibus. 49.




CASUS

CASUS X.

De peccato mortali & veniali. - - - Pag. 54.

CASUS XI.

De peccatis capitalibus in genere, & de Superbia, Avaritia, Luxuria in specie. 58.

CASUS XII.

De Invidia, Gula, Ira, Acedia. - - - 67.

## EX TRACTATU
## DE FIDE SPE ET CHARITATE.

CASUS XIII.

De natura, divisione, & necessitate Fidei. - - 75.

CASUS XIV.

De præcepto in- & externo Fidei, & de vitiis Fidei oppositis. 81.

CASUS XV.

De Spe Theologica, & vitiis eidem oppositis. - - 92

CASUS XVI.

De Charitate Theologica, ejusque obligatione, & vitiis oppositis. 96.

CASUS XVII.

De Charitate, prout obligante ad Eleëmosynam. - - 102.

CASUS XVIII.

De Charitate, prout obligante ad correctionem & denuntiationem fraternam 106

CASUS XIX.

De Charitate, prout prohibente scandalum. - - 109.

CASUS XX.

De actione, à qua quis abstinere debet, ut evitet scandalum; item de cooperatoribus ad peccatum alienum. - - - 113.

## EX TRACTATU
## DE JURE ET JUSTITIA.

CASUS XXI.

De natura & divisione Juris & Justitiæ. - - - 119.

CASUS XXII.

De modis acquirendi rerum Dominium. - - 122.

CASUS XXIII.

De modo acquirendi Dominium per Præscriptionem. - 129.

CASUS XXIV.
De Dominio Clericorum. - - - 141.
CASUS XXV.
De Dominio, seu potius paupertate Religiosorum in particulari. 147.
CASUS XXVI.
De Dominio Communitatis Religiosæ, & dispositione Superiorum Officialium & Beneficiatorum. - - - - 153.
CASUS XXVII.
De injustitia, & in specie de illegali circa tributa, gabellas &c. 157.
CASUS XXVIII.
De injustitia distributiva. - - - 161.
CASUS XXIX.
De Furto. - - - - 164.
CASUS XXX.
De furtis Conjugum. - - - 170.
CASUS XXXI.
De furtis filiorum, servorum &c. 173.
CASUS XXXII.
De causis à furto excusantibus. - - - 176.
CASUS XXXIII.
De injustitia in bonis corporis, & speciatim de occisione sui & innocentis. 181.
CASUS XXXIV.
Qualiter liceat occidere malefactores, & injustos aggressores? 188.
CASUS XXXV.
De Bello & Duello. - - - 193.
CASUS XXXVI.
De injuriis in bonis famæ & honoris. - - 198.

# EX TRACTATU DE RESTITUTIONE.

CASUS XXXVII.
De natura Restitutionis, & ejus radice ex injusta damnificatione. 205.
CASUS XXXVIII.
De concausis vel cooperatoribus ad injustam damnificationem, & de ordine restitutionis inter eos servando. - - - 213.
CASUS XXXIX.
De impediente alterius bonum. - - - 222.

CASUS XL.

De radice Restitutionis ex re accepta, & in specie de possessore malæ, vel dubiæ fidei. - - - - - 225.

CASUS XLI.

De possessore bonæ fidei, & restitutione fructuum. - - 233.

CASUS XLII.

De Restitutione in bonis animæ & corporis. - - - 242.

CASUS XLIII.

De Restitutione ex stupro & adulterio. - - - 250.

CASUS XLIV.

De Restitutione famæ & honoris. - - - 257.

CASUS XLV.

De circumstantiis Restitutionis, & in specie cui, quo tempore, & loco restitutio fieri debeat? - - - 263.

CASUS XLVI.

De ordine Restitutionis servando inter creditores. - - 272.

CASUS XLVII.

De causis à Restitutione excusantibus. - - - 276.

# EX TRACTATU DE CONTRACTIBUS.

CASUS XLVIII.

De natura Contractuum in genere, & conditionibus iis apponi solitis. 287.

CASUS XLIX.

De Contractu inito ex errore, & metu. - - - 292.

CASUS L.

De iis, qui contrahere possunt; item de materia Contractuum, & juramento Contractibus apponi solito. - - 297.

CASUS LI.

De Promissione. - - - - 301.

CASUS LII.

De Donatione. - - - - 305.

CASUS LIII.

De Commodato, Precario, Depositio. - - - 308.

CASUS LIV.

De Mutuo, & Usura. - - - - 311.

CASUS LV.
De Emptione, & Venditione. - - 323.
CASUS LVI.
De Contractu Censûs. - - - 339.
CASUS LVII.
De Cambio, Locato, & Conducto. - - 339.
CASUS LVIII.
De Emphyheusi, Feudo & Libello. - - 345.
CASUS LIX.
De Sponsione, & Ludo. - - - 348.
CASUS LX.
De Contractu Societatis, Assecuratione, Fidejussione, Pignore, Hypotheca. 353.
CASUS LXI.
De Testamentis, & ultimis Voluntatibus. - - 357.

## EX TRACTATU

## DE JUDICIIS.

CASUS LXII. - - 363.

## EX TRACTATU

## DE RELIGIONE.

CASUS LXIII.
De Statu Religioso, ejus essentia & proprietatibus. - - 369.
CASUS LXIV.
De obligatione Religiosorum. De Claustura. De ejectis, fugitivis, apostatis, aut habitum deponentibus. - - - 377.
CASUS LXV.
De Religione, prout est Virtus, & de Vitiis eidem oppositis; & in specie de Superstitione, Divinatione, Magia. - - 384.
CASUS LXVI.
De Simonia. - - - - 393.
CASUS LXVII.
De Juramento. - - - 413.
CASUS LXVIII.
De essentia & materia Voti. - - - 422.
CASUS LXIX.
De obligatione Voti. - - - 430.

CASUS LXX.
De cessatione & irritatione Voti. - - - 440.
CASUS LXXI.
De Voti dispensatione, & commutatione. - - 447.
CASUS LXXII.
De Horis Canonicis. - - - 457.
CASUS LXXIII.
Quomodo Horæ sint recitandæ. - - - 468.
CASUS LXXIV.
De Jejunio Ecclesiastico. - - - 478.
CASUS LXXV.
De causis excusantibus à jejunio. - - - 483.

## EX TRACTATU DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

CASUS LXXVI.
De naturâ, proprietate, & divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum. 489.
CASUS LXXVII.
De Jure Patronatûs. - - - 496.
CASUS LXXVIII.
De Institutionibus. - - - 503.
CASUS LXXIX.
De Electione, & iis, qui eligere possint. - - 513.
CASUS LXXX.
De Ecclesia vacante, & persona ad eam eligenda. - - 519.
CASUS LXXXI.
De Postulatione Prælatorum. - - - 528.
CASUS LXXXII.
De Electionis ordine & forma. - - - 532.
CASUS LXXXIII.
De Consensu, Confirmatione, & Electione Electi. - - 541.
CASUS LXXXIV.
De Beneficiis Papæ per Concordata Germaniæ, & aliter reservatis. 545.
CASUS LXXXV.
De surrogandis collitigantibus; de Annali & triennali Possessione, & aliis ad Beneficium litigiosum pertinentibus. - - 555.
CASUS LXXXVI.
De Renuntiationibus seu Resignationibus Beneficiorum. - - 558.
CASUS LXXXVII.
De Residentia Clericorum. - - - 564.

# INDEX CASUUM PARTIS II.

## EX TRACTATU DE SACRAMENTIS.


CASUS LXXXVIII.

De Essentia, Materia, Forma, Ministro, & Effectu Sacramentorum in genere. - - - Pag. 1.

CASUS LXXXIX.

De Baptismo. - - - 16.

CASUS XC.

De Sacramento Confirmationis. - - 27.

CASUS XCI.

De ejus natura, Materia, Forma. - - - 29.

CASUS XCII.

De Ministro, Subjecto, & necessitate Eucharistiæ, eorumque dispositione. 37.

CASUS XCIII.

De Eucharistia, ùt est Sacrificium. - - - 53.

CASUS XCIV.

De tempore & loco, & cæteris ad Missam requisitis. - - 67.

CASUS XCV.

De obligatione Missam audiendi, & abstinendi à servilibus. 81.

### De Sacramento Pœnitentiæ.

CASUS XCVI.

De ejus necessitate, materia proxima, dolore & proposito. 93.

CASUS XCVII.

De materia remota, & integritate Confessionis. - - 104.

CASUS XCVIII.

De Forma Absolutionis, ejusque Ministro. - - - 129.

CASUS XCIX.

De Jurisdictione, & Approbatione Confessarii. - - 139.

CASUS C.

De obligatione sigilli Sacramentalis. - - - 148.

CASUS CI.

De Satisfactione Sacramentali. - - - 153.

CASUS CII.

De Satisfactione per Indulgentias, & Jubilæum. - - 156.


CASUS

CASUS CIII.
De Sacramentis Extremæ Unctionis & Ordinis. - - 161.

## EX TRACTATU DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CASUS CIV.
De Sponsalibus. - - - - 167.
CASUS CV.
De Matrimonii Essentia, Indissolubilitate &c. - - 181.
CASUS CVI.
De Proclamationibus, Benedictione, & Impedimentis Matrimonii in genere. 196.
CASUS CVII.
De Impedimento Erroris, Conditionis, Voti, Cognationis, Affinitatis. 207.
CASUS CVIII.
De Impedimento Criminis, & Disparis Cultûs. - - 219.
CASUS CIX.
De Vi, Ligamine, Publica Honestate. - - - 222.
CASUS CX.
De Impedimentis Clandestinitatis, Impotentia, & Raptu. - - 230.
CASUS CXI.
De modo revalidandi Matrimonium invalidum, & petenda dispensatione. 239.
CASUS CXII.
De Usu Matrimonii. - - - - 247.

## EX TRACTATU DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

CASUS CXIII. - - 253.
CASUS CXIV.
De Excommunicationis materia, divisione, & ejus effectibus. 259.
CASUS CXV.
De Excommunicationibus reservatis. - - - 264.
CASUS CXVI.
De Suspensione, Interdicto, & Absolutione à Censuris. - - 272.
CASUS CXVII.
De Irregularitate. - - - - - 280.



EX

EX

# TRACTATU DE CONSCIENTIA,

SEU

Regula interna actuum humanorum

## CASUS I.

### De Conscientia in genere; & in specie, de vin- & invincibiliter erronea.

A *Bellius pastor studiorum incurius*, 10. *putat quaslibet distractiones sub officio Missæ esse mortale, nihilominus sæpe distrahitur, ibid.* 11. *Varias cogitationes admittit, nesciens, an sint graviter, an venialiter malæ, iisque ex post omnino assuefactus sine remorsu conscientiæ inhæret.* 12. *Jejunium sæpe promulgat, dum non est præceptum, dum autem est, sæpe obliviscitur.* 13. *Laborantes ignorantiâ fidei, præceptorum Dei, & Ecclesiæ, item putantes se non esse obligatos ad dimittendas occasiones proximas, ad ignoscendum inimico, ad explicanda peccata merè interna non admonet, eò quòd credat eos monitioni non esse parituros.* Pro resolutione examinabitur 1. Quid sit conscientia speculativa, practica. 2. Vera & falsa. 3. Vincibilis & invincibilis, ethicè & physicè recta. 4. An necessariò sit certa. 5. An obliget erronea. 6. An actus ex ea secutus sit moraliter bonus. 7. An detur ignorantia invincibilis in materia juris naturalis. 8. Quid de conscientia vincibiliter erronea.

QUÆRES I. Quid, & quotuplex sit conscientia? 1.

R. Conscientia est dictamen practicum intellectûs, dictans, quid hìc & nunc licitè & honestè fieri possit, debeat, aut non debeat: est communis. *Dicitur* 1. Dictamen intellectûs, & non voluntatis, ùt vult *Durand.* quia conscientia est quasi scientia vel judicium de honestate vel inhonestate actûs, scire autem & judicare indubiè ad intellectum pertinet. *Dicitur* 2. Dictamen practicum, hoc est, immediatè dirigens operationem hìc & nunc ponendam; nam conscientia *speculativa*, seu remotè practica non est propriè conscientia, neque immediatè versatur circa actionem hìc & nunc ponendam, sed in genere dicit quid sit, vel non sit licitum, præceptum, vel non præceptum: v. g. omni die festo est obligatio audiendi Missam; conscientia autem propriè talis, seu dicta-

dictamen *practicè practicum* dicit: tibi non impedito hoc die audiendum est Sacrum. ℟. 2. Utraque tam speculativa quàm practica dividitur in veram & falsam, rectam & erroneam, dubiam & perplexam, probabilem, certam, & scrupulosam. Conscientia *vera* est, quæ dictat esse licitum vel illicitum, quod revera tale est. *Falsa* seu erronea, quæ illicitum dicit esse licitum, vel è contra: potest autem contingere, quod conscientia speculativa sit certa, practica verò falsa, vel dubia, ùt si intellectus dicat: Christiani in die Paschatis tenentur audire Sacrum, & inde inferat, ergo etiam ego infirmus. Vel è contra conscientia speculativa sit falsa, & practica certa, ùt si ex hoc quod erroneè judicem nullum in vigilia S. Matthæi obligari ad jejunium, inferam, etiam me infirmũ non obligari. 3. Conscientia *erronea* iterum est duplex, alia vocatur *vincibilis*, quæ scilicet adhibitâ morali diligentiâ (id est tali, quam homines prudentes in re alicujus momenti adhibere solẽt) vinci & deponi potest; alia *invincibilis*, quæ sic deponi non potest: itẽ conscientia recta alia est solùm *recta physicè*, & idem est quod vera seu conformis objecto; vel etiam est *recta ethicè*, seu conformis appetitui recto, hoc est parato implere omnem Dei legem, quamvis à parte rei sit falsa, v. g. si aliquis de hostiâ à sacerdote post consecrationem elevatâ temerè dicat: hæc hostia non est consecrata, ideoque nec adoranda, hæc conscientia, ex supposito quod sacerdos non sit validè ordinatus, est vera seu physicè recta, non tamen est recta ethicè seu conformis appetitui recto, utpote temeraria; è contra si de eâdem hostiâ dicas: hæc hostia est consecrata ideoque adoranda, habebis conscientiam ethicè, non physicè rectam. De conscientia dubia, probabili, perplexa & scrupulosa dicetur in sequent.

QUÆR. II. An, & qualiter conscientia debeat esse certa? 4.

℟. Conscientia practicè practica, seu dictamen ultimum debet esse ad minus moraliter certum, vel saltem excludere omnem formidinem de oppositо. Est cõmunis cum *D. Th. quodl.* 8. *a.* 13. O. ubi dicit ad conscientiam requiri, ut *in nullam dubitationem adducatur*, & Ratio est, quia si ultimum dictamen non excludat omnem formidinem, posset quis meritò dubitare de honestate actûs, ideoque voluntas ageret cum dubio practico, seu consentiret in actum, quem cognoscit forsan esse inhonestum, ideoque exponeret se periculo formaliter peccandi, & virtualiter contemneret legem: idem dicendum, si dictamen ultimum tantùm niteretur motivo probabili cognito ùt tali: motivum enim probabile est fallibile, hoc ipso autem quod quis cognoscat motivum suum esse fallibile, cognoscit actum, quem hìc & nunc ponit, fortè esse inhonestum; ideóque aget cum dubio practico. Econtra si conscientia in se quidem sit tantùm probabilis, bonâ autem fide credatur esse certa, sufficiet ad regulandum actum honestum, quia excluditur omnis dubitatio & formido de inhonestate

ſtate actûs; ſi enim actus invincibiliter erroneus habitus pro vero ſufficiat ad actum honeſtum, vel ſaltem ad excludendum peccatum, cur non ſufficiat conſcientia merè probabilis, quæ bonâ fide habetur pro certa ?

5. QUÆR. III. Qualiter obliget conſcientia ?

R. Conſcientia non tantùm recta, ſed & invincibiliter erronea præcipiens vel prohibens obligat ad ſui ſequelam, ita ut agens contra conſcientiam contrahat eam malitiæ ſpeciem, quam conſcientia dictabat eſſe vitandam, ùt ſi judices te obligari ad mentiendum v. g. ex charitate proximi, non mentiendo peccas contra charitatem: ſi falsò judices hanc pecuniam eſſe alienam & ideo reſtituendam, peccas contra juſtitiam ſi non reſtituas; & ſic de aliis. Eſt communis cum *S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. Bonav. in 2. diſt. 39. a. 1. q. 4.* quia, *quod non eſt ex fide* (ſeu ſecundùm conſcientiam) *peccatum eſt. Rom. 14.* ideoque *c. litteras* de reſtitutione dicitur, *quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam.* & Ratio eſt, quod conſcientia ſit intrinſeca & immediata regula actuum humanorum, adeo quidem, ut actus conformis conſcientiæ etiam invincibiliter erroneæ non tantùm careat omni culpâ, ſed etiam ſit poſitivè honeſtus & moraliter bonus eâ bonitate, ſub qua obligabat conſcientia, ideoque in poſito caſu mendacium erit actus imperatus à charitate, ùt habet communiſſima apud *Teril. in reg. honeſt. moral. q. 3. Sporer hic n. 18.* Ratio eſt, quod actus humanus ſumat bonitatem & malitiam ab objecto, non ſecundùm ſe, ſeu prout eſt à parte rei, ſed ùt cognito & propoſito per intellectum, ergo ſi mendacium invincibiliter proponatur ùt bonum & obligatorium ex charitate, voluntas illud amplectens exercebit actum charitatis, & per conſequens non ſolũ durante conſcientiâ erroneâ, ſed & cognito errore licitum erit delectari de ejuſmodi actu, non ſecundùm ſe prout eſt intrinſecè malus, ſed in quantùm bene & honeſtè factus eſt ex errore invincibili.

6. *Dices* 1. Actus moraliter bonus debet procedere ex ratione rectâ, ſed judicium erroneum non eſt ratio recta, ergo. 2. Actus intrinſecè malus ex nullâ circumſtantia poteſt fieri bonus, atqui mendacium eſt intrinſecè malum, ergo nec ex circumſtantiâ erroris invincibilis poteſt fieri bonum aut licitum. 3. Neque actus voluntatis imperans mendacium poteſt eſſe bonus, quia actus voluntatis ſpecificantur ab objecto, atqui objectum ſeu mendacium manet intrinſecè malum, ergo. 4. Si mendacium hoc caſu eſt moraliter bonum, ergo eſt à Deo ùt authore, ſed abſurdum eſt Deum eſſe authorem mendacii. *Nec dicas* ejuſmodi mendacium eſſe à Deo permittente, non approbante; *nam* quod Deus præcipit, hoc non purè permittit, ſed approbat ſeu intendit ut fiat, atqui tali caſu mendacium à Deo præcipitur, quia ſi omittatur, peccatur contra legem charitatis, quæ eſt lex Dei, ergo. 5. Etiamſi judicem invincibiliter aliquod

objectum esse revelatum, si tamen à parte rei revelatum non sit, non habeo actum fidei divinæ, ergo à pari, quamvis invincibiliter judicem mendacium esse licitum, quia tamen mendacium revera manet intrinsecè malum, voluntas mentiendi non erit bona sed mala. 6. Saltem actus imperans est ex objecto malus; pro objecto enim imperato habet mendacium, quod manet intrinsecè malum, ergo actus imperans est simpliciter malus: bonum enim est ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu. R. *ad* 1. Actus moraliter bonus debet procedere ex ratione semper rectâ physicè seu conformi objecto N. rectâ ethicè seu moraliter, C. *Ad* 2. Actus intrinsecè malus non potest ex circumstantia erroris fieri intrinsecè bonus, C. non potest fieri bonus extrinsecè & denominativè, N. mendacium manet intrinsecè & materialiter malum, denominatur tamen bonum ab actu imperante, qui non tendit in malitiam mendacii, quam non cognoscit, sed in bonum charitatis, à quo movetur. *Ad* 3. Actus voluntatis non specificantur ab objecto secundùm se, sed ùt repræsentato per intellectum, ergo si nulla in objecto repræsentetur malitia, sed sola bonitas, actus non erit malus, sed bonus. *Ad* 4. Mendacium in casu posito est tantùm extrinsecè & denominativè bonum, intrinsecè verò malum, ideoque à Deo approbari simpliciter & præcipi non potest, sed Deus tantùm præcipit legem charitatis, ex qua operans per errorem invincibiliter subsumit; sed non possum hìc servare legem charitatis sine mendacio? quem errorem Deus permittit. *Ad* 5. N. C. Motivum fidei est authoritas Dei per revelationem reipsa existentem interposita, ùt habet communis Theologorum; motivum voluntatis est bonitas repræsentata per intellectum, etsi à parte rei non insit objecto. *Ad* 6. Actus imperans habet pro objecto malum cognitum ùt tale, N. cognitum sub ratione boni, C. ideoque est simpliciter bonus, quia nec partem malitiæ cognoscit.

QUÆR. IV. An detur conscientia invincibiliter erronea in materiâ juris naturalis? 7.

R. Quoad universalissima juris naturæ principia, & conclusiones inde clarè & immediatè deductas non potest dari ignorantia vel error invincibilis, saltem ad longum tempus: ejusmodi enim principia cuilibet ratione utenti statim ipso naturæ lumine innotescunt; ùt: *declina à malo & fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: cuiquè tribuendum est suum* &c. Ea verò quæ per difficiles discursus ex his principiis deducuntur, etiam à doctissimis ignorari possunt, v. g. an census germanicus sit licitus: an liceat occidere injustum invasorem pudicitiæ vel bonorum temporalium: an injustè damnatus ad venenum possit illud proprio ori ingerere; hæc & similia sæpe inter integras scholas controvertuntur, & re diligentissimè discussâ, nescitur pro qua parte stet veritas, an non igitur hæc ignorantia est invincibilis? quid dicam de rudibus, qui nec stu-

dus-

duerunt nec instructi sunt? *V. D. Th. 1. 2. q. 94. a. 6. & q. 100. a. 1. Viva Opusc. 1. Q. 3. a. 6.*

8. QUÆR. V. An & qualiter obliget conscientia vincibiliter erronea?

R. Conscientia vincibiliter erronea, quâ quis v. g. putat sibi esse pejerandum ad liberandum proximum, non obligat ad sui sequelam, sed est peccatum agere cum ea & contra eam, ideoque debet deponi inquirendo veritatem, quia est vincibilis, ùt supponitur, & agere contra conscientiam seu non pejerare, esset agere id, quod judicatur esse malum, & contra charitatem proximi; agere autem cum conscientia esset pejerare in illis circumstantiis, in quibus inquirendo veritatem poterat scire perjurium esse illicitum..... Qualiter autem monendus sit pœnitens in conscientiâ erroneâ constitutus, dicam suis locis; hìc sufficiat, quod peccans ex conscientia vincibiliter erronea semper sit monendus, peccat enim formaliter: Item ante absolutionem semper monendus est errans vel ignorans necessaria necessitate medii vel substantialia Sacramenti Pœnitentiæ, ùt si quis putet se non obligatum ad relinquendas occasiones proximas, ad ignoscendum inimico, talis enim non haberet propositum efficax, eò quod voluntariè vellet permanere in actuali peccato vel periculo peccandi formaliter: de cætero errans invincibiliter non est necessariò monendus, nisi quando est spes fructûs, & sine gravi incommodo moneri potest. *Vid. cas. 18. n. 3.* His præmissis, ad casum

9.

R. 1. Pastor tenetur sub mortali habere vel saltem intra breve tempus acquirere scientiam ad officium pastorale necessariam, aut beneficium resignare; qui enim obligatur ad finem, etiam obligatur ad media ordinaria & necessaria. 2. Judicans omnes distractiones esse mortale, sive hoc fiat ex errore vincibili, sive invincibili, peccat mortaliter quoties voluntariè distrahitur, quia agit contra conscientiam graviter obligantem; si verò involuntariè distrahatur, non peccat, quamvis distractiones involuntarias putet esse mortale, quia non sunt liberæ, omne enim peccatum essentialiter est liberum. 3. Quod varias cogitationes admittat nesciens an sint graviter vel venialiter malæ, tripliciter intelligi potest, nam 1. si admittat cum ea animi comparatione, ut sit paratus eas admittere, sive sint, sive non sint mortale, semper peccat mortaliter; si verò admittat eas nolens considerare an sint mortale, vel veniale, ne teneatur abstinere ab objecto delectabili, aut ne fiat scrupulosus, denuo peccat mortaliter, quia cùm nolit inquirere an illæ cogitationes sint mortaliter malæ, & tamen iis voluntariè inhæreat, exponit se periculo peccati mortalis, & per consequens mortaliter peccat: si verò cognoscat illas cogitationes quidem esse malas, sed omnino præscindat, an sint mortaliter, an venialiter malæ, ùt præ-

10.

11.

ſcindunt quandoque rudes pejerantes, contumelias vel detractiones proferentes &c. probabilius videtur non peccare mortaliter, quia non apprehendit malitiam mortalem nec obligationem ulteriùs inquirendi, ùt ſuppono; peccat autem venialiter, quia ad veniale ſufficit cognoſcere malitiam quamcunque, *Sporer c. 1. num. 17.* In praxi tamen videtur hoc rarò contingere, vel enim voluntas fortiter refugit tale objectum, & tum ſignum eſt quod intellectus apprehenderit malitiam mortalem; vel leviter refugit, & ſignum eſt apprehenſam eſſe malitiam levem. 4. Quod autem iſtis 12.
cogitationibus aſſuefactus inhæreat ſine remorſu conſcientiæ, iterum duplicem habet ſenſum: vel enim ſignificat, quod nullum omnino habuerit actum intellectûs, quo cognoſcat, has cogitationes eſſe prohibitas; jam clarum eſt, quod non peccet, quia non advertit malitiam; ſi verò ſignificet, quod non habeat judicium ſenſibile quod cauſet actualem anxietatem & timorem, habeat tamen aliquod judicium tenue & imperceptibile, quale habet per ſectus Cytharœdus etiã imperceptibiliter ſe reflectens ad regulas artis, ac plerumque etiam peccatores conſuetudinarii, certum eſt quod peccetur juxta qualitatem materiæ aut finis. 5. Parochiani 13.
inſtructi has cogitationes non eſſe aperiendas in confeſſione, ſi ſint rudes, & bonâ fide putent ſe à Parocho bene inſtructos, laborant conſcientiâ invincibiliter erroneâ, & non peccant illas in confeſſione omittendo; ſi verò ſint docti & dubitent, an Parochus hìc & nunc erret, tenentur apud alios veritatem ulteriùs inquirere. 6. Parochus promulgans ſuis jejunium, quando non eſt, peccat, quia injuſtè imponit ſubditis onus, ad quod non obligantur: nec obſtat quod hoc fiat ex errore, nam hic error eſt vincibilis, cùm inſpiciendo calendarium facilè tolli potuiſſet; parochiani tamen, qui Parocho promulganti credunt eſſe jejunium, peccant contra conſcientiam peccato intemperantiæ, ſi non jejunent. Reliqua ſatis conſtant ex dictis.

CASUS

# CASUS II.

## De Conscientia dubia.

*BAldus variis angitur dubiis, 1. Quoties argumenta fidei pro & contra excutit, putat se dubitasse in fide. 2. Et ignorat quid sit dubium juris & facti. 3. Quale peccatum sit agere cum conscientia dubia. 4. An in dubio Juris & facti semper teneatur sequi tutiora. 5. 6. 7. An in dubio extra materiam justitiæ melior sit conditio possidentis. 8. Quæ pars possideat. 9. Dubitat an lex existat, an sit promulgata, vel abrogata; an hæc vel illa consuetudo habeat vim legis; an votum emiserit, vel voto emisso satisfecerit; an Horas recitaverit, an cum debita intentione; an dispensatio vel absolutio à censuris sit valida. 10. An culpabiliter occiderit. 11. Percussit hominem dubitans an esset Clericus. 12. An mortale admiserit, vel admissum sit legitimè confessus. 13. An habeat ætatem necessariam ad jejunium & sacros Ordines. 14. An per sonitum duodecimæ nocturnæ dies jejunii transierit, & carnes comedere possit, vel econtra. 15. An mediam noctem cœnando excesserit, ideoque altero die nequeat celebrare. 16. An voverit sub mortali, an veniali, an calicem aureum vel argenteum, num ante vel post pubertatem.* Pro resolut.

QUÆR. 1. Quid & quotuplex sit dubium?

R. 1. Dubium est suspensio intellectûs non potentis se determinare pro alterutrâ parte contradictionis, adeoque dubium non est propriè apprehensio utriusque partis oppositæ, aliàs enim in rebus fidei pro & contra inquirens dubitaret voluntariè in fide, quod nemo dicit, neque est necessariò judicium de insufficientiâ & incertitudine motivi. *Teril. reg. 50. num. 6.* Si intellectus sit suspensus ex defectu sufficientis motivi, dicitur dubius negativè; si sit suspensus ex eo, quod utrimque habeat gravia, sed æqualia motiva, dicetur dubius positivè. 1.

2. Dubium aliud est Juris, aliud facti. *Juris* est, quando dubitatur de licentia actionis, de obligatione legis, aut consuetudinis, vel etiam, ut plures volunt, de valore actûs. *Dubium facti* est, quando dubitatur de aliis quàm de his, v. g. an aliquid sit factum, an Horæ recitatæ, an recta intentio adhibita, an peccatum admissum, an lex violata, an votum emissum &c. Utrumque dubium potest esse vel practicum vel speculativum: si dubites in genere, an hæc vel illa lex obliget, habes dubium 2.

juris

juris ſpeculativum; ſi dubites an certa lex te hìc & nunc obliget, habes dubium juris practicum.

3. QUÆR. II. An & qualiter peccet qui agit cum conſcientia dubia?

R. Qui agit cum conſcientia practicè dubia, hoc eſt, qui non habet dictamen ultimum certum vel ſaltem excludens omnem prudentem formidinem, ne actio hìc & nunc ponenda fortè ſit illicita, peccat illo genere peccati, de quo dubitat. Ratio eſt, quia talis ſic eſt conſtitutus, ut virtualiter dicat, quamvis dubitem an hæc vel illa actio mihi ſit prohibita, tamen volo eam facere, ideoque quantùm eſt in ſe, contemnit legem: quod ſi dubium practicum oriatur ex dubio ſpeculativo, v. g. dubitas an hodie tenearis jejunare, eo quod dubites an hodie jejunium ſit præceptum, debes primò diligenter inquirere in præceptum, inſpiciendo calendarium, interrogando alios: ſi adhibitâ ſufficienti diligentiâ præceptum nullum reperias, poteris te reſolvere pro libertate, ùt ſtatim dicam, nec tunc agis ex conſcientiâ dubiâ, ſed ex practicè certâ, v. g. hac: *Lex invincibiliter ignorata non obligat, hæc lex, ſi fortè eſt, ignoratur à me invincibiliter, ergo.*

4. QUÆR. III. An & qualiter in dubio, quod poſt diligens examen reſolvere non poſſum, tenear ſequi quod eſt tutius? tutius autem hîc vocatur, quod magis removet à periculo omnis peccati etiam materialis: ſic ſi dubites an hodie obligeris jejunare, tutius eſt jejunare, quia ſi jejunes, ne quidem peccas materialiter; ſi verò non jejunes, potes peccare ſaltem materialiter, quia jejunium fortè eſt præceptum.

R. Cum communi contra *Wendrochium, Jul. Mercorum, Vinc. Baron.* & paucos alios, in dubio non ſemper eſſe obligationem ad partem tutiorem. *Probatur* 1. Quia ipſa Eccleſia diſpenſat in Matrimonio rato contra ſententiam tutiorem *S. Bonavent. & Scoti*, item in votis ſolennibus contra tutiorem *D. Th.* 2. Miles dubius de juſtitia belli poteſt bellare juxta *c. quid culpat. 23. q. 1.* cùm tamen non bellare eſſet tutius. 3. In dubio an ager, quem bonâ fide teneo, ſit meus, non teneor eum dimittere, etſi hoc foret tutius: item in dubio, an actus à Superiore præceptus ſit licitus, poſſum obedire, quamvis tutius eſſet deprecari. 4. *Alexander VII.* damnavit hanc 3. propoſit: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*, ſed probabiliſſima ſæpe eſt minus tuta, qualis eſt v. g. ea, quâ communiter docetur non eſſe obligationem ſtatim pœnitendi, cùm tamen ſtatim pœnitere ſit tutius. 5. Certum eſt, quod tutò & prudenter ſequar ſententiam communem, ſed quod non ſit obligatio in dubio ſemper ſequendi tutiora, eſt communis & ferè omnium ſententia contra paucos, ùt videre eſt apud *Teril. hic q. 22. Moya de opin. prob. q. 6. §. 2. & 3. & alios q. ſeq.* citandos, ergo. 6. Lex ſemper ſequendi

quendi tutiora esset onus intolerabile, quia ne quidem liceret sequi sententiam probabiliorem contra legem, quæ rationes non tantùm probant pro dubio facti, ùt aliqui volunt, sed etiam pro dubio juris, quando agitur de obligatione legis, ùt patet consideranti, & dubium de existentiâ legis vel voti, est dubium facti, ergo tunc saltem non erit obligatio sequendi tutiora. Deinde certum est, quod lex non sufficienter promulgata & invincibiliter ignorata non obliget, sed lex sequendi semper tutiora in dubio juris non est sufficienter promulgata, cùm Doctissimi post studiosissimam inquisitionem eam existere negent, ergo. Jam dicta intellige de dubio negativo, nam in dubio positivo, in quo habetur grave motivum pro utraque contradictionis parte, possum eligere quamlibet partem etiam minus probabilem, exceptis quibusdam materiis, in quibus ne quidem probabilior, sed semper tutior sequenda est, ut dicam *Cas. seq.* Dum vero Canones & SS. Patres volunt in dubiis tutiora esse sequenda, vel loquuntur de dubio practico, aut de certis tantùm materiis, vel id tantùm astruunt per modum convenientiæ, non per modum regulæ universaliter obligantis.

5. QUÆR. IV. An axioma juris: *in dubio melior est conditio possidentis*, non tantùm teneat in materia justitiæ, ùt fatentur fere omnes, sed etiam in materia aliarum virtutum?

℟. Affirmativè. *Henriq. Suar. Filliut. Martinez to. 1. moral. c. 1. q. 9. n. 3. Sanch. l. 1. mor. c. 10. Tamb. Sporer n. 75.* & plures apud *La Croix lib. 1. n. 502. Salas p. 2. t. 8. d. un. sect. 18. n. 166. Mezger de consc. disp. 12. a. 3. n. 10. Moya cit. q. 5. n. 18. Viva opusc. 2. q. 3. a. 4.* Ratio est 1. Quia ideo in materia juris prævalet bonæ fidei possessor, quia ipsa possessio in dubio est aliqua præeminentia, ob quam possessor non debet privari re, nisi probetur esse non sua; item possessor est quasi reus, & alter, qui petit, est actor, in dubio autem favendum est reo secundum *Reg. jur. 154. ff. de reg. jur.* atqui in materia aliarum virtutum libertas, quæ juxta *Reg. 122. ff. de reg. jur.* omnibus rebus est favorabilior, etiam sæpiùs est in possessione contra legem, aut lex contra libertatem: sic in materia Religionis, si dubitem, an voverim, non obligor voto; ècontra in materia obedientiæ si dubitem, an lex Superioris sit justa, subditus tenetur obedire; in dubio, an valeat matrimonium bonâ fide jam contractum, teneor reddere debitum, ut habet *communissima*, sed non potest horum dari alia ratio, quàm quòd libertas, Superior, & matrimonium sint in possessione sui juris, ergo. *Si dicas* cum *Fagn. in c. ne innitaris à n. 190.* possessio est tantùm circa res, quarum potest haberi dominium, sed res, quarum potest haberi dominium, pertinent ad materiam justitiæ, ergo. *Deinde*, ideo in materia justitiæ melior est conditio possidentis, quia in dubio possessor præsumitur esse verus dominus, atqui præsumptio veri dominii non tenet in materia aliarum virtutum, ergo. *Contra est*, etiam

homo est suo modo dominus & possessor libertatis & innocentiæ, nam dicitur quis dominus & possessor agri, beneficii, honoris, quamdiu nullum obstat factum, jura, leges, quæ dominium vel possessionem istam infirment, tenet quippe hæc omnia tanquam sua, si non corporis, saltem animi jurisque adminiculo suffultus, cur non ergo quis dici posset dominus & possessor innocentiæ & libertatis, quando illa nullo contrario facto vel jure infirmantur, siquidem illa penes se habet jure naturæ contradita, ergo sicut in dubio est præsumptio pro possidente agrum, sic & in dubio an sit lex, est præsumptio pro libertate possidente, sive illam libertatis possessionem voces veram, sive minus strictè talem; sicut in criminalibus tamdiu est præsumptio pro Rei innocentiâ, quamdiu non probatur nocens, sive illam præsumptionem voces possessionem innocentiæ, sive non, est cavillatio de nomine, & in dubio favendum esse possessori, est æquitatis naturalis, quæ tam in-quàm extra materiam ju-
6. stitiæ locum habere debet. 2. Illud est in possessione & præeminentiâ, pro quo est præsumptio juris, sed in dubio an existat lex, votum, juramentum &c. præsumptio est pro libertate, nam libertas ante dubium de lege erat certa, contra certam autem libertatem non prævalet lex dubia, & existentia legis vel voti est quid facti, quod non præsumitur. 3. In dubio possum retinere agrum bonâ fide possessum, etsi sit periculum materialis injustitiæ, ergo quando libertas est in possessione, possum stare pro libertate cum periculo peccandi materialiter contra legem; non enim est minor obligatio vitandi periculum peccati contra justitiam, quàm contra alias virtutes.

*Dices.* In materia justitiæ lis est inter hominem & hominem, in materia aliarum virtutum lis est inter hominem, & legem Dei, ergo meritò favendum est Deo, sicut in dubio favetur Ecclesiæ, matrimonio, doti & aliis causis piis. *Contra est*, in materia justitiæ etiam lis est de lege Dei, quæ præcipit, non retinere rem alienam invito domino; & tamen in dubio possessor eam retinere potest cum periculo materialis injustitiæ, ergo in materia aliarum virtutum etiam stari potest pro libertate possidente cum periculo peccandi materialiter contra legem. Quod in dubio favendum sit causæ piæ, habetur ex lege positivâ Ecclesiæ, quod verò in dubio semper sit eligendum tutius seu standum pro lege contra libertatem, nullâ lege probari potest.

*Instabis* 1. In dubio obediendum 7.
est Superiori, Deus est omnium superior & est in possessione juris præcipiendi. 2. Lex naturalis & divina est æterna, ergo antecedit & possidet contra libertatem humanam. R. 1. *Retorquendo.* Lex justitiæ est naturalis & divina, ergo in dubio tenetur possessor Deo obedire, & agrum restituere; item lex justitiæ est æterna & prior, ergo possidet contra possessorem agri. R. 2. In dubio, an sit vel non sit lex, obediendum est Superiori N. in dubio, an lex jam existens sit

justa

justa, obediendum est superiori C. nam tunc lex est in possessione & non aliàs. *Ad* 2. Lex naturalis & divina existens & sufficienter promulgata est in possessione contra libertatem C. non existens aut non sufficienter promulgata, ideoque inculpabiliter ignorata, veluti hæc, est in possessione contra libertatem N. Idem adversarii coguntur respondere de possessore in materia justitiæ, in quam præcipua eorum argumenta evidenter retorqueri possunt.

8. QUÆR. V. Quæ pars sit in possessione?

R. Illa est in possessione, pro qua est præsumptio juris, seu quæ onus probandi in aliam rejicit. Pro illa autem est præsumptio, quæ vel est certa, vel est prior, vel saltem magis favorabilis dubitanti: v. g. dubitas post diligens examen de existentia legis, voti aut juramenti vel de essentiali constitutivo legis, putà an lex sit promulgata, usu recepta, an consuetudo habeat vim legis, non obligaris voto, lege, aut consuetudine, quia libertas est in possessione, nam ante dubium de lege vel voto certò eras liber à lege & voto, ergo tibi probari debet, quòd existat lex vel votum, neque certa libertas tollitur per legem dubiam. Econtra si certus sis existere legem, votum, vel juramentum, & dubites, an lex cesset, an voto satisfeceris, vel ab eo sufficienter excusatus sis, possessio est pro lege, voto, aut juramento, quia lex, votum, juramentum sunt certa, solutio autem & excusatio incerta, & dubia; debito autem certo non satisfit per solutionem vel excusationem incertam. *Suar. de leg. l. 6. c. 8. n. 7.*

9. QUÆR. VI. Quid in dubio facti?

R. Observanda est regula apud omnes recepta teste *Laym. l. 1. t. 1. c. 5. n. 30. Factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet. leg. in bello §. facta ff. de captivis.* Si tamen principale factum sit certum, & dubitetur tantùm de accessorio, quod de jure faciendum erat, vel fieri solet, tale accessorium præsumitur: v. g. orâsti horas, audivisti Missam, explêsti pœnitentiam, sed dubitas, an cum debita in- & attentione; es confessus, & dubitas, an cum sufficienti examine vel proposito, in his omnibus accessorium præsumitur, & generaliter quando omnia externa in confessione, oratione, promissione & similibus posita sunt, actus interni in dubio præsumuntur, etiam ex hoc capite, quia in dubio standum est pro valore actûs, ideoque dispensatio, absolutio à censuris vel reservatis in dubio censentur valida, & hæc præsumptio fortior est quàm possessio legis contrariæ. *Dian. p. 4. t. 3. res. 45. & 46.* 10. Si ipsum factum principale sit dubium, hoc ipsum nunquam præsumitur, excepto solo dubio commissi homicidii, in quo dubitans censetur irregularis in foro tam inquàm externo, sic enim statuitur *in c. significâsti & c. penult. de homic.*

11. QUÆR. VII. Quæ hùc ulteriùs pro praxi deducenda?

R. Seqq. 1. Si percussisti hominem, quem timebas esse clericum, si ex post adhibitâ diligentiâ non possis rescire, an sit clericus vel laicus, in

animo quidem es sacrilegus, non tamen quoad incurrendam excommunicationem: item suscepisti sacros Ordines cum dubio de sufficientia ætatis, teneris quidem abstinere ab usu Ordinum, usque dum ætatem certè consecutus fueris, non tamen es suspensus, nisi constet tibi revera ætatem legitimam defuisse, quia delicta consummata & inde consequens pœna in dubio præsumi non debent, *odia enim restringi, favores convenit ampliari.*

12. *reg.* 1. *jur. in 6.* 2. Si dubites, an admiseris mortale, & per consequens, an tenearis illud confiteri, ex communi sententiâ & maximè propter authoritatem antiquorum ferè omnium teneris confiteri, quamvis oppositum etiam sit probabile, eò quòd delicta non præsumantur, & in dubio absolvendus sit reus vel maximè tunc, quando crimen ne quidem probabiliter

13. probari potest. *Vid. cas. 97. n. 23.* 3. In dubio, an quis expleverit annum vigesimum primum, si post accuratam inquisitionem dubium vincere non possit, non tenetur jejunare, quia libertas est in possessione, & mutatio ætatis, quæ est aliquid facti, non præsumitur, ideóque in tali dubio Sub-

14. diaconatum suscipere non poterit. 4. In dubio, an dies jejunii per sonitum duodecimæ nocturnæ transierit, non potes comedere carnes, quia dies jejunii est in possessione, certum enim est, diem jejunii extitisse, & incertum est, an transierit; è contra, si dubites, an dies jejunii cœperit, possessio est pro die libero, & mutatio temporis est quid facti, quod non præsumitur. 15.

5. Sacerdos, qui dubitat, an mediam noctem cænando excesserit, juxta *Laym. n. 36.* potest altero die etiam ex sola devotione celebrare, eò quòd pia mater Ecclesia non sit censenda tam strictè obligare in dubio: ego id verum judico, si adsit aliqua causa celebrandi, etsi non omnino gravis. 6. 16.

Si vovisti & dubites, an sub veniali, an sub mortali, an calicem aureum, an argenteum, an religionem in genere, an in specie, & generaliter, si dubites de modo contractæ obligationis, tutò præsumitur id, quod minus est & favorabilius, nisi sit præsumptio fortior in oppositum. 7. In dubio, an votum emissum sit in pubertate, potest pater vel tutor illud irritare, tum quia mutatio ætatis non præsumitur, tum quia Superior in dubio non est spoliandus suo jure & authoritate. Plura alia dubia circa leges *V. cas. 5. n. 18.* circa restitut. *cas. 38. n. 18.* circa vota *cas. 68. q. 3 cas. 69. q. 2.*

# CASUS III.

## De Conſcientia probabili.

CAto *Theologus interrogatus* 1. *Quid ſit opinio probabilis in - & extrinſecè.* 2. *Quoad ſe, & quoad nos; tenuiter, certò & probabiliter probabilis.* 3. *An ex hoc ſit verè probabilis, quòd doceatur ab uno Recentiore.* 4. *An una opinio poſſit eſſe alterâ probabilior vel æquè probabilis.* 5. *Quæ vocetur tutior.* 6. *An liceat ſequi tenuiter, dubiè vel probabiliter probabilem.* 7. *An liceat ſequi minùs tutam circa valorem Sacramenti, aut in periculo realis damni.* 8. *An minùs probabilem ſequi poſſit Judex.* 9. *Advocatus.* 10. *An Medici, Chirurgi.* 11. *An ſaltem id liceat in aliis materiis.* 12. *An Superior poſſit præcipere ſecundùm ſententiam minùs probabilem, & an ſubditus teneatur obedire.* 13. *& ſeqq. Qualiter hìc ſolvenda oppoſita.* 18. *An liceat ſequi ſententiam à Sede Pontificiâ cenſuratam.* 19. *An alienam contra propriam.* 20. *An ſubditus contra propriam teneatur obedire.* 21. *An ſecundùm alienam liceat conſulere in privatis & publicis.* 22. *An liceat ſequi hanc & oppoſitam.* Pro meliori terminorum & caſûs intelligentia:

1. *Suppono ſequentia.* 1. Opinio eſt judicium incertum nitens motivo de ſe fallibili, vel infallibili apprehenſo ùt fallibili: alia autem eſt probabilis, alia improbabilis. *Probabilis* dicitur, quæ nititur motivo abſolutè & ſimpliciter gravi, id eſt, apto movere hominem prudentem & doctum ad aſſenſum, perpenſis etiam accuratè motivis oppoſitis, ideóque aſſentiens tali motivo non temerè ſed prudenter aſſentitur. *Improbabilis* eſt, quæ non nititur tali motivo. 2. Probabilitas alia dicitur opinioni *intrinſeca*, quæ ſcilicet petitur ex veritate ipſi rei intrinſeca; alia eſt *extrinſeca*, quæ petitur ab authoritate Doctorum ita ſentientium, hæc authoritas non facit veram probabilitatem, niſi quatenus præſumitur fundari in rationibus intrinſecis verè gravibus. 3. Alia opinio dicitur 2.
probabilis *quoad ſe*, quæ à parte rei pro ſe habet grave motivum, licèt fortè à nobis non cognoſcatur; alia probabilis *quoad nos*, quæ à nobis invincibiliter judicatur habere grave motivum, quamvis fortè non habeat, & hæc iterum dividitur in certò, & probabiliter tantùm probabilem, in dubiè & tenuiter probabilem. *Certò probabilis* eſt, cujus probabilitas nobis certò abſque formidine oppoſiti innoteſcit. *Probabiliter probabilis*, cujus probabilitas nobis tantùm probabiliter innoteſcit, ſic ſententia, quam ſcio doceri à D. Thoma & ejus ſchola, eſt mihi certò probabilis, ſi autem ab uno homine fide digno dicatur mihi, illam doceri à ſchola Thomiſtica, erit mihi tantùm probabiliter probabilis, quia authoritas unius non fa-

cit certitudinem: opinio est *dubiè probabilis*, si dubitetur, an habeat motivum grave; est *tenuiter probabilis*, si pro se habeat leve fundamentum non sufficiens movere hominem prudentem ad assensum. 4. Non ideo propositio est probabilis, quòd doceatur 3. ab uno Authore etiam impresso, uti certum est ex propos. 27. damnata ab Alexandro VII. *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet rejectam esse à Sede Apostolicâ tanquam improbabilem*, idque vel maximè, si doceat contra communem, nam quamvis authoritas unius viri docti secundùm se possit esse gravis, non tamen est talis, prout opponitur communi sensui aliorum, pariter proborum & in arte peritorum, nisi novam & gravem adferat rationem ab aliis non inventam, nec facilè solubilem, idque præcipuè in materiâ ab aliis non ventilatâ, ùt bene notat *Mezger sup. a. 2. n. 7.* Rudiores tamen in dubiis & obscuris tutò sequi possunt consilium Confessarii, Superioris vel alterius viri, de quo est communis opinio, quòd sit probus & intelligens, quia foret onus nimiùm grave, si ejusmodi homines tenerentur plurium sibi fortè contrariantium opiniones exquirere.

4. 5. Aliquæ propositiones sunt æquè probabiles, ita ut intellectum, quantùm est ex se, æquè fortiter alliciant ad assensum: aliquando una ex oppositis est probabilior, quæ scilicet magis fortiter ad assensum allicit, non tamen necessitat intellectum, quia est incerta & inevidens, ac pro opposito etiam est motivum grave. *Reiffenstuel in Theol. mor. tr. 1. dist. 3. n. 43.* An verò intellectus in concursu motivi æquè vel magis probabilis possit directè assentiri minùs, vel æquè probabili, non facit ad praxin, nec opus est ad formandam conscientiam practicè certam, sed ad hoc sufficit, quòd intellectus reflexè judicet stare pro utraque parte motivum grave, adeóque se prudenter & non temerè sequi posse utramque. Vide tamen, si lubet, *Teril. sup. Mezger. a. 5. La Croix à n. 398.*

6. Illa opinio hìc vocatur tutior, quæ 5. stat pro lege, ideóque removet à periculo etiam materialiter peccandi, unde patet, minùs probabilem posse esse magis tutam, qualis v.g. est hæc: statim est pœnitendum, in tali casu licitum esse sequi sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris, omnes concedunt, & ad oculum patet, quis enim dicet me peccare statim pœnitendo, quamvis fortè sit longè probabilius, quòd non sit obligatio statim pœnitendi. His præsuppositis famosissima simul & intricatissima est quæstio inter Theologos de usu conscientiæ seu sententiæ probabilis, aliis contendentibus semper tutiora vel saltem probabiliora sequenda esse; aliis è contra affirmantibus ad fundandam conscientiam practicè certam sufficere quamvis opinionem verè probabilem etiam minus tutam. Itaque

*Dico* 1. Non est licitum sequi 6. contra legem sententiam tenuiter, dubiè aut probabiliter tantùm probabilem, est *communis*: Ratio est, quia non possum in ea fundare conscientiam

tiam practicè certam, conscientia enim practica foret hæc vel similis, quod ago ex motivo gravi, ago prudenter & licitè, sed sequens sententiam tenuiter, dubiè, vel probabiliter probabilem, ago ex motivo gravi, ergo. Ubi vides *minorem* vel esse falsam, vel tantùm probabilem, ideóque & conclusio practica, quæ partem sequitur debiliorem, vel erit falsa, vel ad summum probabilis, non autem certa.

7. *Dico* 2. Quando agitur de valore Sacramenti, saltem circa conditionem ab Ecclesia non supplebilem, non licet sequi probabilem aut etiam probabiliorem, sed necessariò eligenda est tutior: v. g. est probabile, vel etiam probabilius aquam rosaceam esse verè aquam naturalem, attamen non licet eam adhibere in Baptismo, si aqua certò naturalis haberi possit: Ratio est, quòd illa probabilitas facere non possit, ut aqua rosacea sit certò sufficiens ad valorem Baptismi, ideóque Baptismus sine causa exponeretur periculo nullitatis, quod est contra reverentiam Sacramenti & charitatem proximi, qui fortè privatur Sacramento, ideóque Alexander VII. meritò damnavit propos. 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore.* Idem tenet in omni casu, in quo est periculum realis damni, ut, si sit probabile in via esse latrones, non possum citra necessitatem prudenter viam illam eligere; non possum è tecto projicere lapidem, si probabile sit transire hominem: quia illud damnum reale non removetur per judicium etiam prudentissimum: aliud est, si agatur de sola licentia vel honestate alicujus actionis; tunc enim probabilitas causat errorem invincibilem & conscientiam practicè certam, & per consequens removet omne periculum peccandi formaliter, ùt mox dicetur. *Dixi* 1. Saltem circa conditionem ab Ecclesia non supplebilem; nam si conditio sit supplebilis ab Ecclesiâ veluti jurisdictio in Sacerdote, an tunc locum habeat usus sententiæ probabilis, dicam *cas. 99. n. 6.* *Dixi* 2. Si aqua naturalis haberi possit, nam in necessitate, quando materia certò haberi non potest, debet sub conditione adhiberi materia probabilis, necessitas enim & salus proximi tunc excusant ab omni irreverentia.

*Dico* 3. Judex in civilibus non 8. potest ferre sententiam juxta minus probabilem, uti iterum certum est ex propos. 2. ab Innoc. XI. damnata: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Ratio est 1. Quòd judex ex officio debeat judicare secundùm merita causæ, & tanquam lanx viva propendere in eam partem, in qua est majus rationum pondus, atqui pro parte probabiliore sunt majora merita, seu majus pondus rationum, ergo. 2. Judex admittit pernicioſum mendacium, si pro minus probabili pronunciet, illámque dicat esse victricem, quæ est victa, illam esse potiorem, quæ est inferior. 3. Hæc est præsumpta Reipublicæ judicem consti-

ſtituentis voluntas, conſenſus populorum & tacitum pactum litigantium, qui hâc conditione ſua jura & fortunas ſententiæ judicis committunt, non ut pro ſuo arbitrio tanquam dominus, ſed tanquam æquus judex juxta allegata & probata cauſam decidat, hinc etiamſi jura partium forent æqualia, adhuc non liceret judici pro libitu parti, cui voluerit, cauſam adjudicare, id enim probant rationes allegatæ, nec ſervaretur æqualitas, ſed committeretur evidens acceptio perſonarum, & judex perniciosè mentiretur pronunciando unam cauſam eſſe alterâ potiorem, igitur in tali caſu obligabitur vel rem litigioſam divendere, vel partes ad compoſitionem inducere. *Suar. Laym. Bannez 2.2 q. 63. a. 4.*

9. Aliud eſt de advocato, nam ſicut ipſe cliens habet jus judici ſua motiva, etſi minùs probabilia, per ſe exponendi, ſic & per advocatum, nec hoc eſt, ùt aliqui volunt, judici ſuadere, ut pronunciet pro cauſa minus probabili, ſed tantùm eſt petere, ut judex pronunciet juxta merita cauſæ, quæ quamvis ex judicio advocati videantur minora pro ſuo cliente, judici tamen fortè videbuntur majora. *Dixi*: in causâ civili, nam in causâ criminali poteſt & debet judex amplecti cauſam minus probabilem faventem reo, quia in criminalibus requiruntur probationes luce meridianâ clariores, quales non ſunt, quamdiu pro innocentia Rei ſtat probabilitas.

10. *Dico* 4. Etiam medici & chirurgi obligantur in conſcientia adhibere media certa relictis incertis, probabiliora relictis minus probabilibus: Ratio ſumitur tum ex charitate proximi, qui ſine causâ exponi non debet periculo gravis damni corporalis; tum ex chirurgi & medici officio & quaſi contractu, ægroti enim eâ conditione ſe permittunt medico & chirurgo, ùt ſubveniant ſecuriori & meliori modo, ſi enim ſcirent eundem uſurum mediis incertis relictis certis & tutioribus, ejus operâ non uterentur. Hæc intellige, ſi media certa & probabiliora habeant, aliàs enim ſatius eſt adhibere medium probabile & incertum, quàm nullum, imò ſi mors ſit quaſi moraliter certa, & tantùm habeatur medium, de quo dubitetur, an ſit ob- vel profuturum, adhuc licitum erit illud adhibere, quia probabilis ſpes vitæ præferenda eſt periculo accelerandi mortem abſque eo veroſimillimè ſubſecuturam, *Sanch. Laym. n. 15.*

11. *Dico* 5. In quæſtione de honeſtate actionis licitum eſt ſequi ſententiam minus probabilem, etiam in concurſu probabilioris & tutioris. *Medina, Lopez, Bannez, Joannes à S. Th. Salon. Pontius, Reding, Salmant. in 1. 2. t. 11. d. 7. dub 2. Paſq. Dian. Caramuel fund. 11. Reiffenſt. n. 53.* & plurimi apud *Teril. hic q 22. Moya ſup. Sporer c. 1. àn. 31. Platel. p. 2. n. 151. Mezger to. 2. d. 14. La Croix l. 1. n. 269.* contra *Mercorum, Contenſ. Vincent. Baron. Elizalde, Gonzales &c. Probatur* 1. Ideo adverſarii negant licere uſum ſententiæ minus probabilis & minus tutæ, quia putant in ſententia vel judicio probabili non poſſe fundari conſcientiam practicè certam, ſed hæc poteſt

test in eâ fundari. *Probatur min.* Nam, quamvis judicium speculativum, quo dico: pingere non est servile, sit tantùm probabile, attamen judicium reflexum, seu conclusio practica est certa, ùt patet in hoc syllogismo: quod non temerè sed prudenter judico mihi esse licitum, hoc licet; sed prudenter & non temerè judico esse licitum pingere die festo, ergo mihi licet pingere die festo. *Major* est certa, quia ex prudenti judicio intellectûs sequitur prudens electio voluntatis, quæ utpote potentia cœca ab intellectu regulari debet, & peccatum essentialiter est imprudens & temerarium, ergo non potest sequi ex judicio prudenti. *Minor* etiam est certa, quia supponitur esse probabile, quòd liceat pingere, ideóque pro eo stat motivum grave, judicium autem nitens motivo gravi non potest esse temerarium, temerarium enim necessariò nititur motivo levi, & in hoc distinguitur opinio tenuiter vel probabiliter probabilis à certò probabili, quòd hæc nitatur motivo certò gravi, aliæ autem motivo vel levi vel tantùm probabiliter gravi. 2. Possum inopinione æquè probabili vel probabiliori non obstante ejus incertitudine speculativâ fundare conscientiam practicè certam, ùt fatentur plerique adversarii, & ex eo patet, quòd aliàs nulla sententia D. Th. vel Scoti etiam probabilissima contra legem esset tuta in praxi, quod repugnat propositioni tertiæ damnatæ ab Alex. VII. ergo & in opinione minùs probabili, quia utraque nititur motivo gravi, quamvis incerto. 3. Non semper teneor sequi *tutiorem*, ùt monstravi *n.* 11. & certè si tutior semper sequenda esset, non possem sequi ullam sententiam D. Th. etiam probabiliorem contra legem, v. g. quòd circumstantiæ notabiliter aggravantes in confessione non sint necessariò exprimendæ, ùt docet *in 4. dist. 16. q. 3. a.* 2. neque teneor sequi *probabiliorem*, nam non teneor semper facere quod est prudentius, sed sufficit facere quod est simpliciter prudens. 4. Si est obligatio sequendi tutiorem aut probabiliorem, ergo peccarunt mortaliter SS. Pontifices dispensando in votis solennibus contra tutiorem & secundùm adversarios etiam probabiliorem D. Th. item in matrimonio rato contra tutiorem & probabiliorem seu probabilissimam (ut ait *Sanch.*) *S. Bonav.* & Scotistarum sententiam, consequens autem asserere videtur temerarium. Pontifices verò ità dispensasse constat ex probatissimis Authoribus, quos refert *Baron.* ad annum 1041. 5. *C. laudabilem de frig. & malef.* permittitur conjugibus frigidis tentatio copulæ usque ad triennium, cum tamen post copulam per biennium frustra tentatam longè improbabilius sit esse impedimentum impotentiæ, & tutius foret abstinere ob periculum pollutionis. 6. Sequeretur quod nec Superior posset præcipere, nec subditus obedire secundùm sententiam minus probabilem, quia secundùm adversarios non potest in ea fundari conscientia practicè tuta vel certa, consequens autem est contra communem fidelium sensum & bonum commune, quod requirit 12

quirit ut subditi in dubiis multò magis in probabilibus Superiori obediant, ne detur occasio eludendi Superiorum præcepta. Et satis constat *ex C. quid culpatur caus. 23. q. 1.* ubi *S. Aug.* dicit subditum posse militare ita jubente etiam Rege sacrilego, si certum non sit esse bellum iniquum, quamvis autem sit probabilius bellum esse iniquum, tamen hoc non est certum, ergo. Accedit, quod præceptum Superioris ejusque authoritas sit certa, excusatio autem incerta. 7. In dubio an existat lex, libertas est in possessione, & existentia legis utpote aliquid facti in dubio non præsumitur, ut probavi *Cas. præc.* atqui est dubium & quidem positivum an existat lex obligans ad sequenda semper probabiliora, & tutiora, cum sententia adversariorum non sit certa, ut clarum est ex suprapositis argumentis. Aut certè si existeret talis lex, tamen non esset sufficienter promulgata, quia post exactissimam inquisitionem plerique & doctissimi eam non agnoscunt, & publicatio tanquam aliquid facti iterum in dubio non præsumitur, maximè si ipsa lex sit dubia. *Nec dicas.* Hanc legem esse naturalem & divinam ideoque non indigere promulgatione. *Contra est* saltem indiget sufficiente notitiâ, quæ hîc non est, ideoque invincibiliter ignoratur, cum post sufficientem inquisitionem ex gravibus motivis judicetur non existere. 8. Juxta pleroscque adversarios licitè operor ex probabiliore, sed mihi probabilius est quod relictâ tutiore & probabiliore possim sequi minus probabilem, nam experientiâ mihi certum est intellectum meum magis trahi à motivis hujus sententiæ & pro hac stare majorem authoritatem, quam pro opposita, ergo.

*Obji.* 1. Operans vel pingens die festo ex sententia minus probabili non habet judicium certum de honestate operationis, cum probabilius sit quod pingere die festo sit illicitum, ergo aget cum dubio practico. *Confirmatur* 1. Judicium practicum seu reflexum fundatur in judicio directo, ergo si judicium directum sit incertum, etiam practicum erit tale. 2. Non obstante illo judicio reflexo manet probabilius quod non liceat pingere, ergo judicium practicum quod pingere sit licitum, non est certum. 3. Judicium minus probabile est magis difforme quam conforme legi æternæ, quia probabilius est existere legem, ut supponitur, ergo tale judicium non potest esse regula actûs honesti. 4. Sequens sententiam minus probabilem si erret, errat culpabiliter, quia prævidet periculum errandi, illudque evitare posset sequendo tutiorem. R. 1. *Retorquendo.* Etiam operans ex sententia probabiliore non habet judicium certum de honestate operationis, cum maneat probabile oppositum, sicut igitur respondes sufficere quod judicium ultimum reflexum sit certum, quamvis directum seu speculativum maneat incertum, sic & ego dico sufficere quod judicium ultimum seu practicum sit certum, quamvis speculativum 13.

vum sit incertum & minus probabile. Ad primam confirmationem iterum *retorq.* Judicium practicum fundatur in directo, ergo si judicium directum sit tantum probabilius & non certum, etiam conscientia practica erit talis. R. 2. *Disting. maj.* Judicium practicum fundatur in judicio directo tanquam objecto affirmato existere, *C.* Tanquam in præmissâ. *N.* Syllogismus practicus seu conscientialis est v. g. hic : quod prudenter judico mihi licere, hoc licet, sed prudenter, hoc est ex gravi & probabili motivo judico mihi licere pingere. Ergo &c. ubi vides omnes præmissas esse certas, & minor non dicit directè quod liceat pingere, sed dicit id prudenter & ex gravi motivo judicari, quod certum est, per consequens & conclusio seu dictamen ultimum erit certum. *Ad 2. Confirmat.* distinguo *ant.* manet probabilius ex principiis directis seu speculativis quod non liceat pingere *C.* ex principiis reflexis, *N.* Idem tenet in sequela probabilioris ; cujus oppositum manet speculativè probabile, quamvis judicium practicum dicant esse certum. *Ad 3. dist. C.* Ergo judicium probabile non potest esse regula ultima, & immediata honestatis *C.* hæc enim debet esse certa. Non potest esse regula mediata *N.* Idem est de judicio probabiliore, quod pariter est incertum & forte con-forte difforme legi æternæ, ideoque non potest esse regula immediata operationis honestæ. *Ad 4.* Iterum *retorq.* qui sequitur probabiliorem contra legem, scit illam esse incertam, adeoque se posse errare, & errorem vitare eligendo tutius, ergo si erret, errat vincibiliter. R. 2. *N. Ass.* Nam post diligentem inquisitionem ignoratur lex, & prudenter judicatur non esse, ergo si erret, errat ex ignorantia invincibili ; nec est obligatio semper eligendi tutius, ut sæpius jam dictum est.

*Inst.* 1. Si ex hoc quod aliquid sit probabiliter licitum, intellectus posset practicè certò inferre, hoc licet, ergo ex hoc quod aliquid sit probabilius illicitum, intellectus certò inferre poterit hoc esse illicitum, sed qui certo potest judicare aliquid esse illicitum, non est in ignorantia invincibili legis prohibentis, cum eam certò cognoscere possit, ergo. R. *N. seq. Non* est malignantis naturæ & negat ex ullo motivo posse judicari licitum quod probabilius est illicitum, hoc autem falsum est, cum possit judicari licitum ex motivo probabili, quamvis ex motivo probabiliore judicetur esse illicitum. 14.

*Inst.* 2. Si ille bene agit qui agit probabiliter honestum, ergo ille malè agit qui agit probabiliter inhonestum. R. 1. Ergo male agit qui sequitur probabiliorem, quia agit probabiliter inhonestum. R. 2. *N. C.* Nam non obstante quod aliquid vi judicii speculativi judicetur probabiliter esse inhonestum, attamen vi judicii reflexi & practici certò judicatur honestum. Neque enim hæc judicia habent idem objectum, ideoque unum potest esse certum, alterum tantum probabile, ut patet ex dictis.

*Inst.* 3. Probabilitas est æqualiter indifferens ad verum & falsum, ergo qui eam sequitur, non curat veritatem, & æquivalenter dicit, volo pingere die festo sive sit, sive non sit licitum. *Confirm.* Talis non habet pro regula legem æternam, quia potest errare, operans autem secundùm legem æternam errare non potest. R. 1. Etiam major probabilitas est indifferens ad verum & falsum, & tamen prudenter eam sequor. R. 2. Om. Ant. N. C. Diligenter inquisivit in legem prohibentem pingere & eam non reperit, ideoque resolvit sibi licitum esse pingere. *Ad* 2. Etiam sequens secundùm probabiliorem potest errare, ergo & hic non habebit pro regula legem æternam, ideoque dico habere pro regulâ saltem legem æternam permittentem, si forte erret, quia errat invincibiliter.

15. *Obj.* II. Sic se habet minus verum ad intellectum sicut minus bonum ad voluntatem, sed minus bonum in comparatione majoris boni non movet voluntatem, ergo nec minus verum in concursu majoris movet intellectum. Ecce *Achillem* adversariorum. *Confirm.* Intellectus est potentia necessaria, ideoque sicut bilanx necessariò propendet in illam partem, pro qua est majus pondus, sic intellectus necessariò in illam, pro qua est majus verum, ergo non potest assentiri objecto minus probabili in concursu probabilioris. R. 1. Posse concedi totum, quia argumentum ad summum probat quod intellectus in concursu probabilioris non possit directè assentiri minus probabili, tanquam vero, neque hoc requiritur, sed sufficit, quod intellectus possit reflexè judicare pro sententia minus probabili esse motivum grave, ideoque voluntatem prudenter eam sequi posse. 2. Sicut voluntas potest eligere minus bonum, si aliunde accedat nova bonitas, sic intellectus in rebus obscuris & probabilibus non necessitatur, sed accedente imperio voluntatis potest assentiri minus probabili; si enim intellectus ex imperio voluntatis possit temerè dissentire vel dubitare de objecto fidei, non obstante majori credibilitate imò morali certitudine in oppositum, cur non assentiri minus probabili? *Ad confirmationem* sicut bilanx potest inclinare in minus pondus, si ab extrinseco accedat impulsus v. g. digiti vel novum pondus, sic intellectus potest assentiri minus probabili accedente impulsu voluntatis.

*Inst.* Sicut voluntas non movetur nisi à solo bono tanquam objecto suo formali, sic intellectus à solo vero; atqui per imperium voluntatis minus probabile non fit magis verum, ergo. 2. Major probabilitas elidit minorem. Si enim tres dicant se Petrum vidisse in Ecclesiâ, & alii duo dicant se eundem eodem tempore vidisse alibi, non possum prudenter assentiri duobus. R. *Ad* 1. *dist.* Intellectus movetur a solo vero evidenter vel probabiliter apparente, C. semper evidenter apparente, N. Intellectus necessitatur à sola veritate evidenter apparente in obscuris & probabilibus subest imperio voluntatis, quæ facere potest ut intellectus 16.

firmiùs

firmiùs assentiatur objecto quam mereatur pondus rationum, ut certum est ex propositione 19. damnata ab Innoc. XI. *Voluntas non potest efficere ut assensus in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Cur ergo non possit facere voluntas ut intellectus assentiatur motivo minus probabili? *Ad* 2. Major probabilitas elidit minorem quando motiva sunt plane similia, sicut in allato casu C. si motiva sint dissimilia, & directè non opposita, ut plerumque contingit in controversiis moralibus & dubiis juris. N. Constat enim experientiâ quod intellectus consideratis motivis utriusque partis sæpè fluctuet vel saltem assentiatur cum formidine, formido autem oritur ex virtute motivi oppositi, ergo evidens est quod motivum oppositum non sit elisum, aut totam vim movendi amiserit.

17. *Obji.* III. Varias paritates ut 1. imprudenter bibo vinum quod probabilius est veneno infectum. 2. Imprudenter adhibeo medicinam minus probabilem & rutam si aliam habere possim. 3. Imprudenter jaculor in objectum quod probabilius est homo. 4. Imprudenter me ingero occasioni in qua sexies sum lapsus, quinquies non sum lapsus, ergo imprudenter sequor sententiam minus probabilem. R. *N. C.* In adductis exemplis ubique agitur de damno vel periculo reali, quod æqualiter sequitur, sive error meus sit vincibilis sive invincibilis, neque meum judicium probabile facit me securum, quod vinum non sit infectum, quod medicina non sit nocitura, quod objectum in quod jaculor, non sit homo &c. ergo imprudenter me vel alium exponerem tali periculo; è contra suppositâ probabilitate & ignorantiâ invincibili legis sum securus me non peccare formaliter. *Ad* 4. Specialiter dico quamvis in tali occasione ipse lapsus v. g. fornicatio non sit certa, ipsum tamen periculum fornicandi seu peccandi formaliter est certum, cui proîn sine peccato me exponere non possum.

*Inst.* Imprudenter ago illud ex quo Deus probabilius offendetur. Item minister principis imprudenter facit ea quæ probabilius judicat adversari mandato principis, ergo & imprudenter sequor minus probabilem. R. *Ad* 1. N. C. Ex dictamine practico certus sum Deum non offendi per usum sententiæ minus probabilis. *Ad* 2. *Omiss. ant.* N. C. Minister regulariter potest se verbo vel scripto certificare super voluntate principis vel specialiter se obligavit ad diligentiam exquisitissimam, quod si taliter se non obligavit neque rescire possit voluntatem principis, etiam licitè agere poterit quod minus probabiliter judicat non adversari voluntati principis. --- Ex dictis pro praxi.

*Deduces seqq.* 1. Non licet sequi sententiam à Sede Pontificia censuratam, quamvis antehac fuisset probabilissima, quia per censuram amisit probabilitatem practicam; si dubium sit an sit censurata, adhuc eam sequi non licet, quia est tantum dubiè probabilis. 188. 2. Confessarius & quivis alius 189.

potest sequi sententiam alienam, quam cognoscit esse probabilem, etsi suam judicet esse probabiliorem & simpliciter veram. *Nav. man. c. 26. num. 4. Laym. c. 5. Thom. Sanch. in decal. c. 19. num. 14. & DD. cit. n. 11.* Ratio est, quia hoc ipso quod cognoscat alienam esse probabilem, cognoscit pro ea esse grave motivum, ideoque se eam prudenter sequi posse, hinc si pœnitens nitatur sententiâ verè probabili v. g. quod circumstantiæ aggravantes non sint necessario explicandæ, quod hic vel ille contractus sit licitus, confessarius non tantum potest, sed & tenetur eum absolvere contra sententiam propriam sibi probabiliorem, quia pœnitens est bene dispositus, & post explicata peccata habet jus ad absolutionem, & confessarius, ut Judex debet pronunciare secundùm allegata, & probata pœnitentis, non secundùm privatam suam opinionem. *Joan. à S. Th. dis. 12. a. 6. La Croix num. 445. Sporer num. 47. Reiffenst. num. 55.* 3. Subditus tenetur obedire Superiori secundùm minus probabilem præcipienti, quia tenetur semper obedire, quando licitè potest, sed potest licitè obedire accommodando se minus probabili, idque exigit bonum commune & authoritas Superioris quæ est in possessione præcipiendi, ergo. Imo quilibet obligatur ex charitate sequi sententiam minus probabilem, si per eam commodè possit impedire grave malum v. g. peccatum in se vel in proximo, ideoque si confessarius advertat sententias rigidiores pœnitenti esse periculosas ob nimios v. g. scrupulos vel pusillanimitatem, oportet ut eum dirigat secundùm benigniores; si vero declinet in noxias laxitates, dirigendus est secundùm rigidiores. 20.

4. Non tantum licitè sequor alienam probabilem, sed etiam alteri secundùm eam licitè suadeo vel saltem expono licitum ejus usum: Ratio est, quia ego ipse licitè eam sequor & etiam consulens eam licitè sequi potest, ergo eandem ipsi licitè suadeo, non enim magis teneor alienam conscientiam curare quam propriam. *Laym. sup. Mezger a. 9. num. 3.* Excipe nisi quis consulatur in negotiis publicis, v. g. an bellum vel tributum sit justum; tunc enim consiliarii tenentur suadere probabiliora, idque exigit bonum commune & recta ratio, & ipsi tunc sunt quasi judices inter Principem & subditos: est *communis* cum *Sporer n. 43.* Ut autem Princeps tuto sequi possit mentem suorum consiliariorum, oportet 1. ut sepositio omni humano affectu elegerit tales quos judicabat rei gnaros, probos & incorruptibiles, 2. ut iisdem relinquat plenam libertatem edicendi veritatem, etsi ingratam Principi; tunc enim & non aliàs eorum consilium etiam contra propriam opinionem tutò sequitur: Ratio est, quod ejusmodi sint magis intelligentes quam ipse Princeps, & facilius sit unum errare quam plures. 5. Rudiores in dubiis & obscuris tutò sequi possunt consilium confessarii Superioris vel alterius viri de quo est communis opinio quod sit probus & intelligens, quia foret onus nimium grave si ejusmodi homines tenerentur 21.

plurium

plurium sibi forte contrariantium opi-
22. niones exquirere. 6. Probabilius non licet sequi hanc & oppositam probabilem, si inde una lex certo violaretur v.g. auditâ die Jovis duodecimâ noctis in uno horologio non potest Clericus prudenter judicare se esse deobligatum à Completorio, & simul judicare se posse protrahere cœnam in carnibus; quia scilicet necdum audita est duodecima in altero horologio; nam quamvis duo horologia communiter bene directa sint quasi duo testes probabiles, tamen utrumque simul sequi non possum: quia certè infringo unam legem; si enim primum fallat, pecco non orando Completorium; si secundùm, pecco comedendo carnes. Similiter in testamento non solenni non possum prudenter judicare illud esse validum, & sic retinere hæreditatem, & ex altera parte resolvere non esse validum ut non teneat exsolvere legata; certo enim læderem unius jus, vel enim testamentum est invalidum, & lædo jus illius cui hæreditas debetur ab intestato; vel est validum, & lædo jus quod legatarii habent ad legata. Si bonâ fide jam adiissem hæreditatem non cogitans de probabilitate sententiæ oppositæ, possem juxta plures uti sententiâ oppositâ, & resolvere me non teneri ad solvenda legata, quia sum possessor bonæ fidei, & jam forte jus unius læsum est, & est probabile legatarios nullum habere jus, nihilominus probabilius videtur quod adhuc tenear solvere legata, vel dimittere hæreditatem, alioquin adhuc certò violabo vel jus hæredis ab intestato retinendo hæreditatem, vel jus legatariorum legata non extradendo.

# CASUS IV.

## De Conscientiâ perplexa & scrupulosâ.

*Deodata religiosa multa judicat esse peccata quæ non sunt 4. super delicto consororis interrogata, timet delictum occultum fateri, ne detrahat; etiam timet negare ne mentiatur 1. & quia etiam multum angitur super vita præterita, se scrupulosam judicat, & in omnibus utitur privilegiis scrupulosorum 5. peccata de quibus non est omnino certa, non confitetur; consororibus invidere & de iisdem malè loqui vanos scrupulos æstimat. De confessionibus in juventute factis multum anxia de his tanquam scrupulosa à confessario non auditur ibid., & sæpè non absoluta quamvis multa dubia afferat, ad communionem mittitur, 3. postea in multis verè scrupulosa, timet se peccare quoties confessario non inclinat, omnes libe-*

*liberius secum loquentes de luxuria habet suspectos, in omnibus putat se egisse eum dubio, circa cogitationes impuras nunquam potest se resolvere; varios exquirit confessarios, nulli tamen nisi proprio judicio acquiescit* 6. Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid sit, & qualiter obliget conscientia perplexa?

R. Conscientia perplexa est dictamen quo intellectus judicat inesse peccatum utrique opposito, quorum tamen unum necessariò fieri debet v. g. putas te peccare peccato mendacii, & inobedientiæ, si Superiori te interroganti crimen occultum proximi non reveles, è contra si reveles putas te peccare peccato detractionis. Item putas te peccare, si die festo negligas Missam, & etiam si auditâ Missâ negligas ægrotum. Primum tunc remedium est ut si possis, perplexitatem deponas, exquirendo aliorum consilia, consulendo libros, &c. Si enim possis deponere, & non deponas, peccas contra conscientiam agendo quodcunque ex oppositis, quia perplexitas est tibi voluntaria; si vero perplexitatem deponere non possis, elige quod minus malum videtur, & si mala videantur æqualia, elige quod vis & non peccabis, quia non agis licerè.

2. QUÆR. II. Quid sit scrupulus & quæ ejus radix?

R. 1. Conscientia scrupulosa seu scrupulus est inanis apprehensio peccati, ubi non est, & hinc ortus timor atque anxietas: dicitur *apprehensio*, non judicium aut dubium, quia qui judicat vel practicè dubitat aliquid esse peccatum, & tamen illud facit, peccat contra conscientiam. Econtra scrupulosus licitè agit contra scrupulum, dummodo ut talem cognoscat, & contemnat. 2. Radix extrinseca scrupulorum est tentatio diaboli aut etiam permissio divina ut anima magis purificetur, & in timore Dei solidetur. Radix intrinseca est ignorantia, superbia, & pertinacia intellectûs nolentis prudentum consilio acquiescere, immoderatus timor omnis ictius, quod habet speciem peccati, pusillanimitas, melancholia &c.

3. QUÆR. III. Quæ sint signa & remedia scrupulorum?

R. 1. Signa scrupulositatis sunt, si quis sæpius cum inanibus dubiis redeat, si accepto prudentis consilio non acquiescat, si anxietates internas ridiculis motibus, & gestibus prodat, concutiendo v. g. caput, suspirando, frontem signando &c. Si eandem actionem anxiè nunc intermittat, nunc repetat &c.

R. 2. Generalia scrupulorum remedia sunt 1 fervens oratio ad Deum juxta illud 2. Paralip. c. 20. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc habemus solum residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Et præcipuè eligere & constanter servare confessarium probum & expertum ejusque consilio contra quævis trepidantis propriæ rationis argumenta cæcè obtemperare, & pro certò credere non tantum se tutò in omnibus confessarium sequi posse, sed & debere, ne sequendo proprium judicium se conjiciat in periculum corporis & animæ; oportet autem ut confessarius in dandis consiliis

siliis sit resolutus & cordatus, ne dum ipse anxiè procedit, in scrupuloso anxietates augeat, vel diffidentiam causet, nec permittat ut pœnitens secum vel cum aliis multum de scrupulis loquatur, sed potius eas tanquam nugas & ineptias blandè deridendo, sermonem abscindat; & si præter scrupulos nil adferat, sine absolutione ad communionem mittat. 3. Scrupulo se insinuanti in primis initiis aditum occludat cogitationes ad alia divertendo; si pergat molestare, eundem contemnat & audacter contra eum agat. 4. Sæpè recogitet bonitatem & amabilitatem Dei, *qui non vult mortem peccatoris, nec delectatus in ejus perditione; sentiat de Domino in bonitate*, & cum scrupulosis non conversetur. 5. In dubiis resolvat se pro libertate, nec judicet aliquid esse mortale aut se in mortale consensisse, nisi id certò deprehendat, nec confiteatur ea quæ sunt dubia aut scrupulosa, sed tantum ea quæ manifestè peccata esse noverit, nec propterea exponit se periculo, tum quia potest & debet sequi regulas à suo confessario vel homine docto præscriptas; tum quia cum tanto suo damno & periculo hærendi in perpetua anxietate, non tenetur in majorem certitudinem inquirere. Ita quoad rem omnes. *Ad casum.*

4. R. 1. Deodata judicans aliqua esse peccata quæ non sunt, non habet scrupulum, sed judicium erroneum, contra quod si agat, peccat contra conscientiam, graviter vel leviter, prout judicat se peccare, quam ob causam imprudenter se judicat scrupulosam, quia etiam laxissimis conscientiis contingit habere judicia erronea, scrupulus autem non est judicium, sed apprehensio & timor peccati ubi non est, ut patet ex dictis. 2. Ipsius Deodatæ non erat judicare de propria scrupulositate, cum etiam viri prudentissimi sæpè in rebus propriis cæcutiant, sed oportebat eam desuper audire judicium hominis probi & intelligentis, hinc malâ fide utitur privilegiis scrupulosorum: non enim hoc omnibus licet, ideoque si non habeat rationes probabiles se peccata dubia vel non admisisse vel esse confessam, tenetur ea confiteri juxta dicta *Cas.* 2. 3. Quod invidiam & detractionem æstimet inanes scrupulos, est conscientia vincibiliter erronea, ideo enim hoc habet pro scrupulis, quia se temerè judicavit scrupulosam; deinde invidia & detractio ex lumine naturali cognoscuntur esse mala, ideoque eorum malitia vix invincibiliter ignorari potest. 4. Nec ex hoc præcisè judicanda est scrupulosa quod multum angatur de vita præterita; sæpè enim homines, præsertim qui fuerunt laxioris vitæ, meritò anguntur & dubitant, an ex pudore, malitia, aut negligentiâ culpabili aliqua peccata in confessione omiserint; an cum seriò dolore & proposito ad confessionem accesserint, occasiones proximas removere, inimicis ignoscere, ablata restituere parati fuerint &c. Hinc malè super his à confessario non auditur, non enim potest judicari scrupulosa nisi aliquoties fuerit audita, & experientiâ constet illam inanibus dubiis & anxietatibus

bus divexari ; aut si dubia sint quodammodo fundata, pro quietandâ semel pro semper conscientia ad confessionem generalem erit disponenda. 5. Verè scrupulosa quamvis timeat se peccare mortaliter, si confessario non inclinet, tamen non peccat, modò judicet esse scrupulum & ut talem contemnat. 6 Quod liberiùs secum loquentes judicet esse luxuriosos, non est scrupulus sed judicium temerarium, potest enim contingere ut quis in unâ materiâ sit scrupulosus, in alia nimis laxus. 7. Quod circa cogitationes turpes & similes non possit se resolvere, an deliberatè consenserit vel non consenserit ; item quod in omnibus putet se egisse cum dubio, est signum veræ scrupulositatis, solent enim scrupulosi timere peccatum ubi non est, & judicare quod egerint cum dubio practico, cum tamen fuerit speculativum, & quia hoc illis vix unquam est certum, semper possunt judicare pro sua libertate, nec debent ejusmodi dubia confiteri, nisi tam certi sint ut jurare quasi possint, se peccasse mortaliter: nec sufficit quod dicant se certo habuisse turpes, v. g. cogitationes iisque fuisse delectatos, sed debent esse moraliter certi se ejusmodi cogitationes voluntariè assumpsisse vel plenè deliberatè consensisse & ut malas cognovisse. 8. Inquirere novum & novum confessarium, est signum superbi & pertinaciis intellectûs nolentis acquiescere alterius judicio: hujusmodi seriò est inculcandum, quod cum se ipsum præ spiritûs inopia dignoscere minus juvare possit, & cursitando de uno ad alium causa sit quod nullus miserum ejus statum perfectè cognoscat, ideo ob pertinacem superbiam justissimè hæc pati, & omninò esse incurabilem nisi experti & probi viri ( sicut ex charitate propria omninò obligatur ) judicio cœcè se submittat.



DE

# DE REGULA EXTERNA

## Actuum humanorum, sive de Legibus.

## CASUS V.

### *De essentia & proprietatibus Legum.*

EBaldus Theologus interrogatur 1. *Quid sit Lex?* 2. *Humana, divina, & an Leges Veteris Testamenti adhuc obligent.* 3. *Lex affirmativa, negativa, pœnalis.* 4. *Favorabilis, odiosa.* 5. *An materia levis cadat sub præcepto gravi vel contra.* 6. *An actus interni.* 7. *An Lex naturalis, & positiva debeat promulgari.* 8. *Qualiter Lex Imperatoria, vel Pontificia.* 9. *Episcopalis, vel inferiorum Principum.* 10. *An Lex debeat acceptari.* 11. *An contra eam appellari.* 13. *Quid consuetudo: an possit habere vim legis.* 14. *Vel legem abrogare, & quæ ad hoc requirantur, & quid si Lex improbet consuetudinem.* 15. *Quid si Papa vel Princeps sit invalidè electus vel de hoc sit dubium.* 16. *Quid circa declarationes Cardin.* 17. *Quid in dubio, an Lex sit promulgata vel recepta, an obliget sub mortali vel veniali &c. An sit justa &c.* 18.-19. *Quid in dubio an Legi sit satisfactum.* 20. *Quo tempore Leges implendæ.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit Lex?

1. 1. Lex in genere est *recta agendorum omittendorumve ratio.* Dividitur primo in naturalem & positivam. Lex *naturalis* est dictamen quo homo ex lumine naturali à Deo sibi indito statuit, quid rectè agendum omittendumvè sit, ut cum dicit, omne bonum est amandum, malum fugiendum. Lex *positiva* est recta agendorum ratio ab eo qui curam communitatis habet, populo denunciata, cum voluntate obligandi. *S. Th.* 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. *Dicitur* 1. *recta ratio*, quia Lex debet esse de re honesta, justa & possibili. Res nimium difficilis ut status religiosus, consilia Evangelica non cadunt sub præcepto humano, nisi antecedenter, & liberè se quis ad ea obligarit. *Dicitur* 2. *agendorum & omittendorum ratio*, ut definitio simul comprehendat præcepta positiva & negativa. *Dicitur* 3. Ab eo qui curam communitatis habet, hoc est à Superiore, qualis in totam Ecclesiam est Papa, in totum Imperium Cæsar. *Dicitur* 4. Cum voluntate obligandi, intellige vel in conscientia vel saltem ad pœnam, in hoc enim Lex distinguitur à consilio & puro monito. *Dividitur* 2. *Lex* in divinam & humanam; hæc à Deo, altera ab homine lata est. Divina alia est Novi, alia Ve- &

teris Testamenti : Leges Veteris Testamenti, iterum sunt triplicis differentiæ; aliæ vocantur Ceremoniales, quæ certas in Dei cultu ceremonias, & ritus præscribunt; Judiciales quæ circa causas in judicio versantur; Morales quæ docent quid sit Jurinaturali & bonis moribus con-vel difforme ut præcepta decalogi; hæ ultimæ adhuc obligant non tam authoritate Veteris Legis, quam quod ab ipsa natura sint institutæ & passim à Christo Domino renovatæ: Judiciales & Ceremoniales cessant teste Apostolo ad *Gal.* 3. & 4. & si quæ adhuc videantur perdurare veluti Lex decimarum & Sabbathi in Dominicam translati, eæ non obligant vi Legis antiquæ, sed in vim novæ Constitutionis à Christo vel Ecclesia factæ. Imò ceremoniæ significantes Christum adhuc venturum, ut Circumcisio, esus Agni Paschalis pro nunc prohibitæ sunt & superstitiosæ. 3. *Dividitur* Lex in Affirmativam quæ bonum præcipit, & Negativam quæ malum prohibet, & quia nunquam est faciendum malum v. g. mendacium, hinc negativa dicitur obligare semper pro semper, bonum autem quia tantùm obligat pro certo tempore v. g. ad audiendum sacrum diebus Dominicis, hinc non obligat semper pro semper. 4. *Dividitur* Lex in præceptivam & pœnalem, præceptiva simpliciter aliquid præcipit, pœnalis pœnam vel mulctam injungit: si Legislator ad solam pœnam non autem ad culpam intendat obligare, vocabitur purè pœnalis, ut dum solius pœnæ mentionem facit, v. g. qui isto die ligna collegerit, punietur in duos aureos: si velit obligare ad pœnam & culpam mixta vocabitur. Quænam autem leges sint merè pœnales, quænam autem mixtæ, ex verbis Legis & consuetudine quæ optima Legum interpres est, desumi debet. *Suar. de leg. l. 5. c. 4. num. 8.* 5. *Dividitur* Lex in favorabilem & odiosam, *favorabilis* dicitur, quâ legislator primario intendit beneficium & favorem eorum quibus datur, quamvis secundario redundet in odium vel pœnam, *odiosa* verò primario intendit quid odiosum vel pœnale, etsi secundariò redundet in favorem, quæ distinctio notanda est, quia *odia restringi, favores convenit ampliari, reg. jur. 15. in 6.* 6. *Denique* si Lex dirigatur ad communitatem, propriè lex dicitur; si ad unum vel alterum privatum præceptum potius vocandum est.

3. 4.

QUÆR. II. Quid circa materiam Legis? 5.

R. 1. Ut Lex aliqua obliget sub mortali debet esse de materiâ quæ secundùm se vel circumstantias considerata sit aliquid notabile, aut notabiliter conducens ad finem præcepti, hinc esus pomi in paradiso quamvis in se fuerit quid leve, quia tamen notabiliter conducebat ad finem à Deo intentum scilicet ad præstandum Deo tanquam supremo Domino primum obedientiæ homagium, erat peccatum mortale: Si res præcepta spectato etiam fine & circumstantiis maneat absolutè levis, non potest substare obligationi gravi, ut habet *communis*, quia Lex essentialiter est rationabilis

nabilis & conveniens, videtur autem esse irrationabile & bono communi inconveniens obligare graviter ad materiam simpliciter levem; econtrà quamvis materia sit gravis, potest tamen præcipi sub solo veniali, cum enim sit in potestate legislatoris illam omninò non præcipere vel tantum præcipere sub pœna (loquor de re non præcepta vel prohibita lege naturali) cur non sub veniali? voluntas enim legislatoris est anima legis. 2. Actus merè interni per se non cadunt sub præcepto humano aut Ecclesiæ, est *communior cum D. Th.* 1. 2. *q.* 91. *a.* 4. & *q.* 100. *a.* 9. Ratio est quod jurisdictio humana non extendat se nisi ad actus sensibiles & humano modo cognoscibiles, ideóque *C. sicut de simon.* dicitur Ecclesiam non judicare de occultis, hoc est merè internis. *Dixi per se*: Nam concomitanter seu quatenus actus interni requiruntur ad honestatem vel valorem actûs externi, utique lege humanâ præcipi possunt, ut docet *communissima*, hoc ipso enim quod præcipitur confessio, concomitanter præcipitur dolor & propositum, & cum prohibetur homicidium voluntarium, etiam prohibetur interna voluntas occidendi, sine hac enim homicidium non est voluntarium: item cum præcipitur susceptio vel administratio Sacramentorum vel oratio, per cõsequens præcipitur intentio, sine hac enim consistere non possunt. 6.

7. QUÆR. III. An & qualiter Lex debeat promulgari?

R. 1. Lex naturalis saltem quoad prima principia non indiget externè promulgari, quia ex interno & naturali rationis lumine satis innotescit. 2. Lex positiva pro tota communitate lata ut obliget, debet publicè sive scripto, sive per præconem promulgari. *S. Th. q.* 90. *a.* 4. Cum enim Lex sit communis vivendi regula, debet ita proponi, ut omnibus facilè possit innotescere, non enim requiritur ut singulis intimetur, hoc enim foret moraliter impossibile. 3. Leges Imperatoriæ ut ubique obligent, in singulis Imperii provinciis publicari debent, & postquam publicatæ sunt, si certum tempus non exprimatur, non obligant nisi post bimestre, etiamsi alicui citiùs de promulgatione constiterit. *Novel.* 66. *c.* 1. *Suar. Pirhing. L.* 1. *decret. tit.* 2. *num.* 26. *Engel. Rob. Konig ibid. num.* 20. *Krimer num.* 121. *Schmalzg. num.* 27. 4. Quamvis Leges Pontificiæ causas beneficiales concernentes statim à die publicationis in curia Romanâ factæ vim suam habeant, ut secundùm eas causæ in curia decidi debeant, leges tamen quæ conscientiam concernunt, & pro tota Ecclesiâ vel pluribus provinciis latæ sunt, ut leges circa censuras Ecclesiasticas, circa jurisdictionem Confessariorum & similes, valde probabiliter non obligant nisi in singulis diœcesibus promulgatæ, idque tantum post bimestre à facta publicatione, nisi aliter in ipsis decernatur, qualiter decernitur in *Tridentino*, ut irritatio matrimonii clandestini primum post trigintia dies à die promulgationis factæ in Parochia vim habeat, *Sot. Angel. Medin. Nav. Mol.* 8.

*to. 2. disp. 395. & 995. Engel. L. 1. decret. tit. 2 à num. 6. Konig loc. cit. Gibalin. to. 2. L. 7. c. 2. q. 1. num. 7. March. Sannig de leg. to. 3. dist. 3. q. 6.* aliique apud *Reiffenst. tr. 2. dist. 1. n. 26.* contra *Laym. Pirhing. loc. cit.* & alios sustinentes leges Pontificias hoc ipso obligare quod cognoscantur Romæ esse promulgatæ. Ratio est 1. quia standum est Jure Civili, ubi Jus Canonicum aliud non statuit, ergo cum Jure Civili ad legis obligationem requiratur publicatio in singulis provinciis, & dilatio duorum mensium, ac Jus Can. de lege Ecclesiasticâ aliud non statuat, idem ad hanc requiretur. 2. Pius IV. in Bulla super observantia Tridentini dicit : *Jure communi sancitum est, ut Constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant.* Cum ergo illud tempus non sit determinatum Jure Canonico, ex Jure Civili ad duos menses determinandum erit, & quia duo menses non sufficiunt ut publicatio Romæ facta omnibus possit innotescere, requiritur publicatio in omnibus diœcesibus, idque de lege irritante aut auferente jurisdictionem v. g. Confessarii in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ admittit *Laym L. 1. tr. 4. c. 2. n. 7.* alioquin contrarius, & *c. 3. n. 3.* dicit non esse damnandum culpæ aut pœnæ eum qui legem Pontificiam in sua diœcesi non promulgatam, nec usu receptam non servat. 9. 5. Quoad leges inferiorum Principum vel Episcoporum sufficit eas in principaliori aliquo loco publicè promulgari, & statim à promulgatione etiam ante lapsum duorum mensium, nisi aliter statuatur, obligabunt omnes notitiam habentes, & de his intelligitur *c. 1. de postul. Præl.* ubi dicitur : *Sufficit ut ad Constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solenniter editam. Engel, Laym. loc. cit.*

QUÆR. IV. Quid circa acceptationem vel receptionem legum? 10.

℟. *Sequentia.* 1. Subditi in conscientia tenentur acceptare legem justam sive Civilem, sive Ecclesiasticam. Est nunc certum ex Prop. 28. ab Alex. VII. damnata : *Populus non peccat etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem à Principe promulgatam.* Ratio est quod de lege naturæ subditus Superiori legitimè mandanti teneatur obedire, si enim voluntate & non necessitate parent, jam cessat vinculum obedientiæ & hoc ipso desinunt esse subditi. Deinde non acceptare legem justam Superioris est resistere potestati à Deo ordinatæ : *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ad Rom. 13. 2. Etsi peccent qui legem rationabilem sine causa non acceptant, si tamen legislator id sciat, & receptionem non urgeat, censetur legem revocare, vel saltem lex post decennium erit præscripta. 3 Principes mediati vel Episcopi obligantur summi Principis vel Papæ mandata in suis provinciis promulgare eorumque acceptationem, & observantiam urgere : id enim exigit bonum commune, & illorum subjectio. 4. Si populus putet se habere justum gravamen contra legem, poterit appellare, si legislator Superiorem habeat, 11.

si

si verò independens vel Supremus fuerit, per supplicam rogandus erit pro mitigatione vel revocatione legis, pendente vero appellatione vel supplicatione obligatio legis suspendetur saltem ex præsumpto piæ Matris Ecclesiæ vel Principis consensu, & ita habere praxin docent plures Theologi apud *La Croix L. 1. num. 639. & Sannig q. 7. n. 4.* Quod si Superior auditâ appellatione vel supplicatione taceat, hoc ipso censetur legem remittere, nisi aliunde constaret quod taciturnitas esset per modum indignationis, & repulsæ, ut si Superior non obstante supplicatione urgeret ejus executionem; tunc enim potius firmatur quam revocatur lex, erítque observanda etiamsi sit dura, modò non superet infirmitatem humanam. In dubio an lex sit justa, præsumptio est pro lege. 5. Si subditi scienter acceptent legem de se invalidam, eo quod sit contra eorum jus, cui efficaciter renunciare possunt, lex fiet firma; si verò Legislator excedat limites suæ potestatis v.g. Princeps laicus vult inducere diem festum vel citare Clericum, lex manebit infirma quamvis acceptetur. Ratio est quia Legislator tunc non habet potestatem condendi ejusmodi legem, nec acceptantes potestatem tribuere possunt. *DD. citt.*

13. QUÆR. V. Quid circa consuetudinem?

R. *Sequentia.* 1. Consuetudo est jus diuturnis moribus & tacito populi consensu introductum, unde patet causam consuetudinis esse mores & actus populi sæpè repetitos. 2. Ut consuetudo habeat vim legis, debent hi actus esse frequentati animo introducendæ consuetudinis, vel obligationis, nam consuetudo orta ex actibus meræ devotionis, liberalitatis, aut gratiæ, nullam inducit obligationem, hinc licet populus sæpè det eleëmosynas, ad pulsum Angelicum preces persolvat, aquam benedictam in introitu Ecclesiæ percipiat, multoties aliquem ad mensam invitet, nulla tamen inde oritur obligatio: quia hi actus non fiunt animo se obligandi. In praxi censetur consuetudo animo obligandi introducta, si à majore parte populi sollicitè & cum difficultate observetur, sitque de re valde utili bono communi; si prudentes malè sentiant de transgressoribus; si Superiores sub pœnâ ejus observantiam urgeant; extra has vel similes circumstantias, & in dubio, consuetudo potius habenda est pro voluntaria & supererogatoria, quam pro obligatoria, sicut in dubio an verba vel voluntas Superioris contineant mandatum, vel purum monitum, præsumitur monitum, nam *in obscuris quod minimum est sequimur, reg. jur. 30. in 6.* 3. Nulla consuetudo præscribere potest contra legem naturalem vel divinam, quia hæ leges non dependent à voluntate subditorum vel Legislatoris humani, ut clarum est. 4. Certum est quod consuetudo abrogare & quasi præscribere possit contra legem humanam; ad hoc tamen requiritur 1. ut sit introducta animo legem abrogandi; actus enim non operantur ultra intentionem agen- 14.

agentium, *L. 19. ff. de reb. cred. 2.* Requiritur consensus Superioris vel *personalis*, qui datur ab ipso Legislatore sciente consuetudinem, eamque tacitè vel expressè approbante, vel *legalis*, seu *generalis*, qui datur per legem vel jus generaliter approbans consuetudinem rationabilem, etsi Legislator ignoret hic & nunc agi contra legem suam; hunc legalem consensum sufficere cum communiori docet *Suar. L. 7. de leg. c. 13. num. 6. Engel L. 1. tit. 4. n. 19. Rob Konig ib. n. 17. Schmalzgrub eod. tit. num. 15.* contra *Laym. Pirhing &c.* Ratio est quia jura plus non requirunt quam ut consuetudo sit rationabilis & præscripta, ut patet ex *c. fin. de consuet.* L. 32. *L. 35. ff. de leg.* præscriptio autem contra ignorantem procedit: & moraliter est impossibile ut Papa vel Legislator sciat omnia statuta, & consuetudines locorum, & tamen non omnes improbantur. *3.* Ut consuetudo contra legem prævaleat, requiritur tempus legitimum, & quidem contra legem civilem sufficere decennium, admittunt plerique, contra leges verò Ecclesiasticas antiqui requirunt 40. annos, quia hoc tempus requiritur ad præscribendum contra Ecclesiam. Econtra *Palao Less. Lugo de just. dis. 7 num 94. Haun. Sannig dist. 4. q. 1. n. 5. Reiffenstuel L. 1. tit. 4. à n. 105. Schmalzg. n. 9.* verius dicunt consuetudinem decennalem etiam sufficere ad abrogandam legem Ecclesiasticam, idque cum malâ fide, & scientiâ legis, *Bonac. Suar. c. 18. n. 14. Lug. n. 96. Eng. num. 15.* Ratio est, quia hìc non est propriè præscriptio, aliàs enim nec sufficeret decennium ad abrogandam legem Principis sæcularis, & contra legem Pontificis Rom. requirerentur 100. anni, quia tot requiruntur ad præscriptionem contra Ecclesiam Rom. Itaque consuetudo abrogat legem propriè ex consensu Legislatoris, qui legem remittere potest, etiam iis, qui per decennium scienter & malâ fide contra eam operantur, & consuetudo non abrogat legem nisi introducta cum animo legem abrogandi; sed non potest adesse animus legem abrogandi, quin adsit scientia legis seu mala fides, ergo. *5.* Si lex expressè improbet omnem consuetudinem etiam consequentem legi contrariam, sicut improbat omnem consuetudinem contra immunitatem Ecclesiasticam, nulla consuetudo contra istam legem prævalere poterit, nisi expost cessent circumstantiæ, propter quas consuetudo adversa legi reprobatur. *Palao Schmalzg. n. 23.* vel advenit causa à Legislatore non prævisa *Eng. n. 15.* Ex dictis.

*Deduces seqq. 1.* Si Papa aut Princeps dubiè vel invalidè electus vel etiam intrusus ab Ecclesia aut republica nondum sit receptus, vel toleratus, ejus leges non obligant subditos, quia libertas subditorum ante electionem erat in certa possessione, à qua per dubiam vel invalidam electionem non ejiciuntur; si vero pacificè tolerentur, hoc ipso habentur pro legitimis incipiuntque eorum leges obligare *Sanch. Spor. in decal. L. 1. c. 1. n. 95.* Si tamen leges Papæ tantum sint promulgatæ Romæ, & non in partibus, iis 15.

iis, probabiliter hìc non obligor, etiamsi certus sim de promulgatione facta Romæ. Excipe nisi leges Pontificiæ contineant materiam Fidei vel Jure naturæ obligantem, tunc enim indubitatum est omnes notitiam habentes statim obligari ex lege altiori, & quamvis de stylo Curiæ Romanæ Papales Bullæ Romæ publicatæ dicantur habere vim ubique obligandi, hoc tamen probabiliter solum obtinet circa causas beneficiales, & similes in quibus Summ. Pontifex liberam potestatem habet, non vero circa ea, quæ proximè conscientiam contingunt, hæc enim debere in partibus publicari docent *AA. citt. num. 8.* & colligitur *arg. c. tum infirmitas 13. de*

86. *pœn.* 2. Declarationes Cardinalium S. Congregationis, quamvis sint magnæ authoritatis, non tamen habent vim legis, nec obligant in conscientia nisi à Papa sint examinatæ, & approbatæ, tunc enim immediatè censentur exire à Papa, nec requiritur, ut ejusmodi declarationes legaliter promulgentur, sed sufficit quod ex fama vel aliter de iis certo moraliter constet; cum enim non faciant novam legem, sed tantum explicent antiquam, satis est antiquam semel fuisse promulgatam. *Lezana, Zypæus, Eng prooem. n. 16. Reiffenst. ib. num. 130.* & indubitatò habere vim legis, si de mandato Papæ legitimè promulgentur, docet *Schmalzg. dissert. prooem num.*

87. 375. 3. In dubio an sit lex, non præsumitur, nisi probetur; in dubio an sit promulgata, præsumitur non esse, nisi fortè constaret illam aliquando fuisse usu receptam, tunc enim meritò præsumeretur promulgata fuisse, ex communiter enim contingentibus prudens est præsumptio, atqui communiter contingit ut leges usu non recipiantur, nisi sint promulgatæ, ergo. *Viva opusc. 2. q. 4. a. 1.* Nec obstat quod promulgatio sit quid facti, nam facta etiam prudenter præsumuntur ex iis, quibuscum communiter conjungi solent. In dubio an lex sit recepta, attendenda est praxis timoratorum: si de hac constare non possit & lex sit talis ut ejus valor pendeat ab acceptatione populi, ùt multæ leges civiles, præsumitur non recepta, quia dubitatur de ejus essentia: si ejus valor non dependet ab acceptatione populi, præsumitur recepta, quia supponitur legis essentia, & tantum dubitatur de accidente, ergo lex est in possessione contra libertatem: in dubio an lex vel consuetudo obliget sub mortali vel veniali, an verba Superioris contineant mandatum, vel purum monitum, si dubium ex modo præcipiendi, ex judicio & praxi prudentum, quæ optima legum est interpres, resolvi non possit, standum est pro obligatione levi vel puro monito. *Juxta reg. 1. cit. in obscuris quod minimum est sequimur.* Si lex est certa, & causa excusans sit dubia, manet legis obligatio: neque enim per excusationem dubiam eximitur quis à lege certa, ut habet *communis*; quia lex maner in possessione; in dubio an lex sit justa, est præsumptio pro lege, & Superiore, tum quia Deus Superioribus specialiter assistit; tum quia bonum com-

cõmune tunc exigit obedientiam: tum quia Superior est in possessione authoritatis imperandi. *vid. Vivam opusc. 2. q. 4. a. 3.* 18. 4. Si lex est certa, & negativè dubites, id est, non habeas grave motivum judicandi, quod satisfeceris legi, omnes dicunt te obligari lege, quia lex est in possessione, & legi certæ non satisfit per solutionem incertam. Si verò dubites positivè, seu habeas motivum probabile quod satisfeceris legi, probabiliter non obligaris lege, quia habes motivum grave judicandi quod satisfeceris legi, *La Croix L. 1. n. 600.* Quid autem sit probabilius, non resolvit, *itaque dico*, quod probabiliùs non sit absolutus à lege, qui tantum probabiliter satisfecit legi, idque vel maximè, si probabilitas sit in utramque partem, v. g. certus sum me admisisse grave furtum, & in utramque partem positivè dubito an sim vel non sim confessus, probabiliùs adhuc confiteri teneor: idem est si certò contraxi debitum, & probabiliter tantum judicem me satisfeciisse. *Sanch. Rebell. Vasq. Bardi de consc. disc. 6. c. 9. §. 16. Lugo de just. d. 18. num. 12. Dicast. de rest. d. 5. num. 202.* contra *Tanner. Schildere de consc. t. 2. num. 92.* Probatur 1. Ut primum contraxi debitum vel admisi furtum, lex confitendi & solvendi est certa, sed legi certæ non satisfit per solutionem incertam, & probabilem, ergo. 2. In æquali probabilitate prævalet illa pars, pro quâ est possessio, sed lex confitendi & solvendi est in possessione; non enim ab illâ ejicitur per satisfactionem probabilem, sicut ab agro justè possesso non ejicior per jus alterius probabile, ergo. *Si dicas*, satisfactio probabilis facit ut lex confitendi & solvendi non sit amplius certa: *Contra est*, saltem lex confitendi furtum certo extitit, ideoque pro ipsa est præsumptio & possessio, usque dum certò probes ei esse satisfactum; sicut est præsumptio pro agro à me bonâ fide possesso, usque dum certo probes agrum esse tuum. Et sicut certa possessio agri non eliditur per rationem probabilem, quod ager sit tuus: sic & certa legis possessio non eliditur per satisfactionem probabilem. 3. In pari causâ melior est conditio possidentis, idque non tantum in materiâ juris, sed & in materiâ aliarum virtutum, ut cum communiori ostendi, *Cas. 2. n* 5. & Ratio est, quia ipsa possessio est aliqua præeminentia, propter quam in pari causa præferri debet possidens, ergo etiam lex possidens saltem in pari probabilitate præferri debet. 4. Si sint duo horologia probabilia, & in uno sonuerit duodecima noctis, & non in altero, manet obligatio orandi, quia lex certa orandi est in possessione, & excusatio ob sonitum duodecimæ est tantum probabilis, ut in terminis habet ipse *La Croix n. 586.* ergo & in aliis casibus quando tantum est probabiliter satisfactum legi, est obligatio satisfaciendi, & lex manet in possessione. 5. Si quis positivè dubitet de valore matrimonii bonâ fide contracti, tenetur lege matrimonii, eo quod matrimonium sit in possessione, ergo & hìc. 6. Confessio & solutio sunt quid facti, sed factum in dubio non præ- 19.

præsumitur, ut patet ex *n.* 14. ergo.

7. Qui tantùm probabiliter solvit debitum, condemnaretur in foro externo, ergo etiam in foro interno non est liber, quia forum internum debet concordare foro externo, nisi appareat quod externum fundetur in falsâ præsumptione. *Neque obstat* quod debitor etiam sit in possessione suæ pecuniæ, *nam* dubium non versatur immediatè circa ipsam pecuniam cujus sit, sed circa jus petendi debitum, an sit, nam qui ex pœnitentia vel voto debet eleëmosynam, & negativè dubitat an dederit, etiam possidet suam pecuniam, & tamen in illo dubio non stat possessio pro ipso, ut fatentur omnes, sed pro obligatione pœnitentiæ, & voti, quæ semel extitit, & non probatur extin-

80. cta, ut dicam *Cas.* 41. *num.* 10. Si leges tempus nullum determinent, ut primum commodè possunt, impleri debent, *reg.* 14. *ff. de reg. jur.* Si vero certum tempus, horam vel diem determinent, veluti lex recitandi horas Canonicas ab unâ duodecimâ noctis ad alteram; lex jejunandi ab anno ætatis 21. completo; lex non suscipiendi Subdiaconatum ante annum vigesimum secundum inchoatum, communis est sententia & omnium Fidelium sensus hoc tempus accipiendum esse de momento ad momentum, non quidem mathematicè, quia momenta mathematica à nobis non sunt cognoscibilia, eo quod ignoremus, quod punctum temporis imaginarii præcisè sol attigerit, sed Ecclesiasticè, ita ut nos regulemus juxta Calendaria approbata, & horologia communiter bene regulata: si alicubi plura sint hujusmodi horologia, possum sequi quodlibet, non tamen cum certâ violatione alicujus legis, ut explicavi *Cas.* 3. *num.* 21. Ratio est consuetudo Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres, & aliter non possemus scire, quando præcisè inciperet vel desineret obligatio ejusmodi legis.

# CASUS VI.

## De subjecto Legum seu de iis qui legibus obligantur.

FRemundus Princeps à suo Confessario quærit: 1. *An teneatur propriis legibus.* 2. *Quid in statu Aristocratico & Democratico.* 3. *An Clerici obligentur Lege Principis? quid de Lege præjudicante immunitati Ecclesiasticæ.* 4. *An legibus obligentur infideles, hæretici.* 5. *Ebrii, pueri.* 6. *Amentes.* 7. *An peregrini obligentur legibus locorum per quæ transeunt.* 8. *An legibus communibus.* 9. *An gaudeant privilegiis loci in quo sunt.* 10.-11. *An obligentur legibus suæ patriæ? an Religiosi ubique suis Regulis.* 12. *Quid de exeunte è loco obligationis ad locum ubi non est obligatio.* 13. *Quid si suo loco poterat satisfacere legi v.g. audire Missam, an non auditâ possit exire.* 14. *Quid de eunte ex loco ubi non est obligatio ad locum ubi est obligatio.* 15. *An liceat ponere impedimentum legi.* 16. *Quid si ideo ponatur ut quis excusetur à lege.* 17. *Quid de lege naturali & divina.* 18. *An sit obligatio removendi impedimentum aliunde positum.* 19. *Quid de eo qui ponit rem præceptam absque animo satisfaciendi.* Pro resolut.

1. QUÆR. 1. Quinam obligentur Lege?

R. Leges non obligant, nisi subditos; hinc 1. Legislator non obligatur propriis legibus, neque quoad vim coactivam, ita ut incurrat pœnam à se statutam, uti fatentur omnes, neque directè quoad vim directivam, seu in conscientia, maximè in iis quæ ejus statum vel authoritatem dedecent; ut si lex prohibeat portare arma, vel pretiosas vestes: Ratio est: quia etiam vis directiva ex jurisdictione oritur, quam quis in seipsum non potest exercere, cum nemo respectu sui possit esse Superior simul, & inferior: deinde talis obligatio esset inutilis; cum enim obligatio legis pendeat à voluntate Legislatoris, toties posset eam tollere quoties legem observare nollet, in aliis vero quæ Legislatorem ipsum non dedecent, tenetur & ipse suis parere legibus, non quidem vi propriarum legum, sed ex dictamine rectæ rationis, quâ Princeps tanquam caput tenetur se conformare reliquo corpori: minùs tamen, & secluso scandalo ac turbatione populi plerumque tantum venialiter peccat Princeps propriam infringens legem: Ratio est quod tantum videatur esse levis deordinatio, quod tanquam caput se hìc, & nunc non conformet reliquo corpori. *Bonac. Less.* & alii. 2. In statu Aristocratico, ubi Optimates dominantur, & in 2.

statu

ſtatu Democratico, ubi poteſtas eſt penes cætum populi, quilibet ex Optimatibus, & ex populo directè obligatur publicatis legibus, quia quilibet ex Optimatibus & popularibus eſt verus ſubditus reſpectu totius cætûs tum Optimatum in ſtatu Ariſtocratico, tum populi in ſtatu Democratico. 3. Clerici non obligantur directè legibus Principis vel Magiſtratûs ſæcularis, quia hi nullam in illos vel illorum bona etiam patrimonialia ( ut bene notat *Engel lib. 1. tit. 2 n. 35.*) jurisdictionem habent: aliud eſt de bonis feudalibus, quæ non abſolutè, ſed ſub certis reſervationibus, & ſalvo Jure feudali in Clericos tranſeunt: itaque ad leges civiles Clerici tantum obligantur indirectè ex æquitate vel decentia naturali, vi cujus pro bono pacis una pars communitatis tenetur ſe conformare reliquis; debent tamen ejuſmodi leges eſſe neceſſariæ pro bono communi, & non adverſari Eccleſiaſticæ immunitati, veluti lex de non vendendis frugibus extra patriam, de non admittendis peregrinis mercibus &c. Clerici has leges transgredientes plerumque tantum peccant venialiter, niſi adſit ſcandalum, damnum tertii, vel Reip., aut leges ſimul ſint juris naturalis, ut ſervare jura contractuum, taxas mercium; tunc enim Clerici æquè obligantur quam alii *Azor, Suar. de leg. L. 3. c. 34. num. 13.* Nunquam tamen ob tranſgreſſionem à laicis puniri poterunt v. g. per confiſcationem frugum, vel mercium, quia à jurisdictione eorum præſertim coactiva ſunt planè exempti: Imò ſi Superiores laici ferant leges immunitati Eccleſiaſticæ præjudicantes, quibus v. g. Eccleſiæ vel loca pia fiunt inhabilia ad acquirendas poſſeſſiones, vel bona immobilia, hæ leges erunt illicitæ & irritæ, nec non ferentes incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ ab Honorio III. *C. Noveritis de ſent. exc.* quæ confirmata eſt à *Trid. ſeſſ. 25. c. 10.* 4. Catechumeni, Judæi, aliique infideles, etſi obligentur legibus civilibus ſuorum Principum, non tamen Eccleſiaſticis, quia nondum ſunt ſubjecti Eccleſiæ per baptiſmum; aliud eſt de hæreticis legitimè baptizatis. 5. Ebrii & habentes lucida intervalla manent ſubditi legibus, quamvis per accidens non peccent eas infringentes ob defectum rationis; hinc peccant qui eos inducunt ad earum tranſgreſſionem offerendo v. g. die Veneris carnes: Econtra offerendo eas pueris ante ſeptennium non peccatur, quia pueri ante illam ætatem probabilius nondum ſunt ſubditi legibus humanis, quæ feruntur humano modo, ideoque pro iis tantum qui habent uſum rationis, qui ante ſeptennium non præſumitur, eo quod leges poſitivæ attendant ad ea quæ plerumque contingunt. *L. nam ad ea. ff. de leg.* 6. Perpetuò amentes etſi non obligentur legibus humanis, tamen ſubjecti ſunt legibus naturæ, hoc ipſo quod participent naturam rationalem, hinc quamvis ipſi per accidens ratione uti non valeant, peccant tamen qui eos inducunt ad transgreſſionem legis naturalis, v. g. ad blaſphemandum,

3. 4. 5. 6.

fornicandum &c. quia cum hæc sint intrinsecè mala, tribuuntur principali libero agenti, qui amentis operâ velut instrumento utitur: è contra non esse illicitum iis offerre carnes vel iis die festo opera servilia imponere, docet *Laym. L. 1. t. 4. c. 12. num. 3.* eo quod non sint subjecti legibus Ecclesiæ, ideoque non videatur esse malum causare ut id faciant, quod nullâ lege iis prohibitum est. Quoad esum carnis consentio; quoad opera servilia puto peccare eum, qui ea die festo perpetuò amenti imponit saltem suo nomine in suam utilitatem, tunc enim censetur ipse imponens per amentem tanquam per instrumentū vivum laborare: sicut ergo peccat qui per equum, bovem, vel asinum tanquam per instrumenta laborem servilem diebus festis exercet, quamvis certum sit jumenta nulli legi esse subjecta, sic à potiori, qui per amentem; aliud est de esu carnis, nam eas offerens non censetur per amentem edere, secus qui facit eum in sui commodum laborare.

7. QUÆR. II. An peregrini & viatores obligentur legibus locorum per quæ transeunt?

R. Peregrini & viatores regulariter non obligantur specialibus illorum locorum præceptis, per quæ transeunt. *Sayr. Less. L. 4. de just. c. 2. n. 49. Laym.* & quoad peregrinos consentit *Sanch. L. 1. moral. c. 12. Diana, Sannig de leg. dist. 3. q. 8. num. 9. Ant. Herman. Thes. 5. Eng. num. 31* Unde si in tali loco sit speciale festum vel jejunium, non tenetur audire Missam vel jejunare: Ratio est quia nullo modo sunt subditi talis loci, vel Superioris, neque ratione originis, domicilii, contractûs, vel delicti, ergo ejus legibus non obligantur, sed solum communibus. *Dixi* 1. *regulariter*, quia peregrini utique tenentur servare leges & solennitates contractuum, quia contractus sortiuntur forum loci in quo celebrantur, *c. fin de for. comp. L. 19. ff. de jud.* Item tenentur servare leges quarum violatio cederet in scandalum aliorum, in damnum vel injuriam loci, in quo existunt: hinc non licebit illis inde contra prohibitionem evehere vel illuc inferre frumenta, merces, portare arma prohibita, vendere supra statutum pretium &c., exigit enim æquitas naturalis, ut, qui in alieno loco sentiunt commodum transitûs, etiam sentiant onus legum necessariarum pro conservatione loci: ex hoc capite viatores etiam tenentur solvere pedagia, vectigalia. *AA. citt.* *Dixi* 2. *Specialibus illorum locorum præceptis*: nam legibus communibus utique obligantur, etiamsi forsitan illæ in suo territorio non sint receptæ, vel contrario usu abrogatæ, unde Belga, cui in sua patria licitum est diebus Sabbathinis inter Nativitatem Christi & Purificationem B. M. V. comedere carnes, existens istis diebus Coloniæ tenetur abstinere ex communi lege Ecclesiæ, *communis* cum *Laym. de leg. c. 12. n. 3.* & Ratio est quod in sua patria tantum excusetur per consuetudinem, quæ utpote contra jus commune, est odiosa, & restringitur tantum ad locum in quo viget, sicut statu- 8.

statutum aut privilegium locale *arg. c. 2. de Constit. in 6. Dixi 3. locorum per quæ transeunt*, nam si per majorem partem anni intendant ibi manere, jam à prima hora tenebuntur ad statuta talis loci, quia per quasi domicilium
9. facti sunt subditi. Econtrà quamvis peregrini non teneantur statutis specialibus locorum, attamen privilegiis, consuetudinibus, aut statutis favorabilibus illorum locorum per quæ transeunt, uti possunt, hinc Germanus transiens per Belgium poterit antedictis diebus Sabbathinis ibidem comedere carnes, & apud Hispanos intestina; item in loco ubi quadragesima juxta novum Calendarium est absoluta, non jejunare, etsi in loco sui domicilii adhuc jejunetur. *Sanch. L. 1. mor. c. 12. Less. Bonac. Reiffenst. n. 40. La Croix L. 3 p. 2. num. 1271.* Econtra si in loco sui domicilii quadragesimam absolvit, non tenetur jejunare in loco ubi existit, etiamsi ibi quadragesima adhuc perduret, modo absit scandalum. *DD. citt.*

10 QUÆR. III. An peregrinus obligetur legibus suæ patriæ, quando alibi est, ubi illæ non vigent?

*R.* Regulariter non obligari *Suar. c. 32. Engel. Konig L. 1. t. 2. & ibid. Schmalzg. num. 41. Herman. Thes. 4.* Ratio est, quod statuta localia cohæreant loco, nec extendantur ultra territorium statuentis etiam respectu subditorum, *c. 2. de Constit. in 6.* Unde si in tua patria sit dies festus vel jejunium, alibi existens, ubi jejunium vel festum secundùm Jus commune non est, non teneris jejunare vel audire Sacrum, nec Clericus extra Diœcesin existens tenetur lege sui Episcopi, quâ v. g. prohibet lusum chartarum. *Dixi regulariter*, nam si transgressio 11.
statuti vergat in detrimentum loci, vel injuriam Magistratûs, aut Principis, etiam extra territorium obligabuntur subditi, ut si statutum sub certâ pœnâ prohibeat de Principe loqui injuriosa, aut præcipiat Clericos etiam absentes comparere in Synodo, vel cives in Magistratu: idem à potiori tenet de religiosis, qui non ratione territorii, sed ratione obedientiæ suis Superioribus subjecti sunt, ideoque eorum statutis & mandatis ubicunque terrarum obligantur, quin & in alieno territorio citari, excommunicari, & propriâ authoritate capi possunt. *Sylvest. V. excommunicatio num. 15.* Ex dictis

*Deduces seqq.* 1. Qui bonâ fide 12.
vel negotiorum causâ abit è loco in quo erat obligatio v. g. jejunii vel audiendi Missam, ad locum, in quo non est talis obligatio, excusatur ab his: Si vero ideo exeat, ut se à lege eximat, plures dicunt eum manere obligatum lege, eo quod fraus ei non debeat patrocinari, *c. Sedes, & c. ex tenore de rescript.* sed probabilius est eum excusari, quia utitur jure suo; lex enim non prohibet exire è loco, sed tantum præcipit ut observetur ab iis, qui existunt in loco, nec fraus ei patrocinatur, quod solum improbant cit. textus, sed conditio loci, *& nullus videtur dolo facere qui jure suo utitur. Reg. 15. ff. de reg. juris. Salmantic. Illsung. t. 1. d. 2. n. 23. Mezger in 1. 2. d. 35. a. 5. n. 27. Schmalzg. l. 6. Si dicas*, qui obligatur

lege

lege, etiam obligatur non ponere impedimentum legi, alias enim non peccaret qui tempore audiendæ Missæ se voluntariè componit ad somnum. 2. Qui ideo exit ad locum ubi *Trid.* non est receptum, ut ibidem clandestinè matrimonium contrahat, matrimonium in fraudem legis contractum est illicitum & invalidum, ergo. R. Manente lege est obligatio non ponendi impedimentum legi C. lege non manente N. exiens ad locum ubi non est lex, facit respectu sui non amplius esse legem, statutum enim locale cohæret loco, sicut igitur malum non est petere dispensationem, vel rogare Superiorem ut tollat legem, sic nec malum est exire ad alium locum, & facere ut respectu sui non sit lex. *Ad 2.* Quod matrimonium ejusmodi sit illicitum, & invalidum, est ex speciali decreto Urbani VIII. ut dicam *cas.* 110. *n.* 12.

13. 1. Qui cogitat exire è suo territorio in quo est lex audiendi v. g. Sacrum, si tanto tempore ibidem existat, ut commodè possit audire, habeatque occasionem audiendi, tenebitur audire: probabile tamen etiam est quod si plures Missas potuisset audire v. g. unam horâ octavâ, alteram horâ undecimâ, neglecto omni sacro possit exire ante horam undecimam, quia poterat differre auditionem Missæ usque ad undecimam, & tunc petere dispensationem à lege, quam, ut suppono, novit se impetraturum, ergo etiam poterit tunc exire è loco, & ponere se in statu, in quo non est lex. *Sanch. Reiffenst. num. 36. Herman. pag. 38.* Sed prior sententia uti est magis pia, & tuta, ita & in praxi suadenda: si unicum tantum est Sacrum v. g. horâ octavâ, & adhuc existas in loco, certum est juxta omnes te obligari, quamvis statim post Sacrum velles exire, quia manes subditus statuto locali, illo tempore quo necessariò erat implendum.

14. 3. Discessurus ex loco, ubi non est obligatio jejunii vel abstinentiæ, potes ibi non tantum plenè refici, sed & vesci carnibus: si tamen eodem die venias ad locum ubi est jejunium, distinguendum est, vel enim iste locus est locus tui domicilii, & tunc non potes secundò refici, minus vesci carnibus, quia es subjectus legibus loci; si es in loco peregrino, non teneris speciali jejunio istius loci, bene tamen jejunio communi totius Ecclesiæ.

15. 4. An & qualiter peccet qui facit se impotentem ad implendam legem, vel qui ponit impedimentum legi implendæ, est difficillimum judicare: in praxi tenenda sunt seqq. 1. Pleræque leges humanæ non obligant ut aliquot diebus antecedenter non ponatur impedimentum: Ratio est communis usus & interpretatio, de quibus constat Legislatoribus, hinc non peccat qui die Sabbathi iter vel etiam venationem aggreditur, prævidens se altero die non posse audire Sacrum, nec peccat contra religionem vel jejunium, qui per nimium potum prævidet post aliquot dies se non posse jejunare, audire Missam, legere horas &c. *Dixi* 1. Qui prævidet, 16.

nam

nam qui ideo ponit impedimentum, ut excuſetur à lege v. g. projicit vel donat alteri breviarium etiam aliquot diebus antecedenter, ut non teneatur orare, peccat contra præceptum orandi horas, quia fraudulenter agit contra legem in actu primo obligantem. Aliud eſt de eo qui ideo de loco exit, vel diſpenſationem petit, ut à lege eximatur, quia per alium locum vel diſpenſationem reſpectu ipſius tollitur lex, per conſequens nec in actu primo eum obligat. *Dixi* 2. Aliquot diebus antecedenter, quia ſi ipſo die, quando jam præceptum urget, vel immediate antecedenter ponatur impedimentum v. g. aliquis ipſo die feſto aut horâ decimâ, vel duodecimâ noctis ſine juſtâ causâ exit, & Miſſam negligit, indubiè peccat, ſic enim habet communis perſuaſio, & uſus, qui eſt optimus legum interpres *Gob. in exper. c. 5. n. 4. §. 3.* 2. Præcepta
17. naturalia & divina obligant ut etiam aliquot diebus antecedenter non ponam impedimentum, obinde peccant contra juſtitiam Paſtores, Officiales, famuli, ſi per nimium potum ſe prævideant incapaces fore ad obeundos labores ex juſtitia debitos, item qui per potum, vel per luſum reddunt ſe impotentes ad ſolvenda debita, vel ad alendam familiam; qui per iter vel negotia ſe prævidet impediendum à communione annua, probabiliùs tenetur prævenire, vel ex poſt ſupplere.
18. 3. Quamvis quis obligetur non ponere impedimentum legi, non tamen ſemper tenetur removere impedimentum aliunde poſitum, nam *Marchin. Tamb. Suar. La Croix* cum communi docent, quod non obliger procurare valetudinem, vel liberationem è carcere, præcisè ut ſatisfaciam præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, vel præcepto naturali de legenda Miſſa, quando ad eam ex juſtitia obligor; aut etiam ut ſatisfaciam præcepto divino de confeſſione & communione annuâ; è contra ſi per cenſuras v. g. excommunicationem, ſuſpenſionem, vel interdictum impediar, plerique docent me teneri petere abſolutionem à cenſuris, quia cenſuræ immediatè & directè impediunt ab ejuſmodi functionibus, cum ab Eccleſia ad illum finem infligantur; hoc autem non facit carcer & infirmitas, *Tamb. L. 3. de Miſ. c. 6. §. 1. num. 8. Gob. num. 98. La Croix L. 1. num. 782.* Ratio horum omnium eſt intentio Legislatorum, quæ ex uſu & judicio prudentum rationabiliter colligitur: conſtat enim Legislatores in una materia faciliùs permittere impedimentum legis, quam in alia, ſic lex jejunii permittit aſſumi honeſtum laborem cum jejunio incompoſſibilem, non verò id permittit lex Miſſæ, vel horarum.

5. Plerúmque non requiritur animus ſatisfaciendi præcepto, ſed ſufficit quod ponatur materia præcepti, hinc qui audit Sacrum, legit horas, dat eleëmoſynam immemor præcepti, vel voti, ſatisfacit, imò quamvis quis habeat intentionem oppoſitam v. g. per hoc Sacrum, per hanc recitationem horarum, non ſatisfaciendi præcepto, modò abſint reliqua, ſatisfacit, nec tenetur ad novum Sacrum vel no-
19.

vas horas : quod tamen probabilius non tenet de obligatione voti vel debito justitiæ, nam si nolis per hanc eleëmosynam satisfacere voto, per hanc pecuniam extinguere debitum justitiæ cognitum, non satisfacis. Ratio horum est, quod obligatio voti, & debiti oriantur ex liberâ hominis voluntate, ideoque in his obligationibus potest liberè velle perseverare; econtrà aliæ obligationes oriuntur à voluntate Legislatoris, ideoque non est in potestate subditi, ut positâ materiâ præceptâ perseveret obligatio. *Suar. Herinx. Reiffenst. n. 45 & seqq.*

# EX TRACTA TU DE PECCATIS.

## CASUS VII.

### De natura, divisione, & specifica distinctione peccatorum.

*GOrgias miles non obstante quod castitatem & jejunium quadragesimale sibi à Confessario impositum observare voverit, nihilominùs carnes edit 5. Quascunque personas alterius sexûs etiam in templo opprimit. 6. Eorumque bona uti & vasa sacra diripit. 7. De variis Fidei articulis dubitat. 8. Et ut licentiùs vivat, varias hæreses amplectitur ibid. Quæritur quot admiserit distincta specie peccata.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit peccatum? 1.

Rr. 1. Peccatum est libera divinæ legis transgressio. *Dicitur* 1. *Libera*, id est, quæ fiat cum aliqua advertentia, & cognitione malitiæ, *nihil enim volitum, quod non prægnitum. Dicitur* 2. Divinæ legis, hoc est, omnis legis in conscientia obligantis, nam omnis obligatio primò & radicaliter est à Deo, qui vult omnia justa præcepta, etiam humana servari.

Rr. II. Peccatum dividitur in originale, & personale; *Originale* est quod contraximus in Adamo, quatenus nostræ voluntates in ejus voluntate erant inclusæ, sicut voluntas pupilli est inclusa in voluntate tutoris, ita ut quod agit tutor quâ talis, etiam censeatur agere pupillus; *personale* dicitur quod in propriâ personâ, & voluntate committimus, & hoc secundò subdividitur in peccatum *commissionis*, quo scilicet ponitur actio prohibita v. g. furtum, & *omissionis*, quo omittitur res præ- 2.

præcepta v. g. Missa, jejunium. Tertio in actuale & habituale; peccatum *actuale* est ipse actus, vel omissio difformis legi : *habituale* est peccatum præteritum perseverans in negatione condonationis & condignæ satisfactionis; vel ut alii volunt, est privatio gratiæ sanctificantis, prout connotat peccatum præteritum, quod tricis Scholasticis relinquo. 4. In mortale, & veniale. 5. In peccata carnalia, & spiritualia; *carnalia* sunt quæ in delectatione carnis perficiuntur, ut gula; luxuria. *Spiritualia*, quæ perficiuntur in delectatione interna mentis, quamvis versentur circa objectum corporeum, & materiale, ut superbia, invidia, avaritia. 6. In peccata cordis, oris & operis, prout corde ore vel opere perficiuntur. 7. In peccata contra Deum, proximum, & nos ipsos : nam quamvis omnia peccata sint suo modo contra Deum, quatenus ejus legi opponuntur, & contra nos ipsos, quatenus nobis ipsis vel maximè nocent, tamen illa peccata dicuntur propriè contra Deum, quæ opponuntur motivis illarum virtutum, quibus rectè disponimur ad Deum, v. g. fidei, spei, charitatis; ut odium Dei, blasphemia, desperatio, infidelitas. Illa peccata sunt contra proximum, quæ adversantur virtutibus, quibus rectè disponimur ad proximum, ut homicidium, furtum. Illa dicuntur contra nos ipsos, quæ contrariantur virtutibus quæ moderando proprias passiones nos erga nos ipsos bene disponunt, ut luxuria, gula &c. 8. In peccata infirmitatis, ignorantiæ, & malitiæ; prima ex tentatione, secunda ex errore culpabili, tertia ex malitiosa determinatione voluntatis absque tentatione, vel ignorantia proveniunt. 9. Tandem in peccata propria, & aliena, hæc à nobis ipsis, illa ab alio subjecto fiunt, sed nobis ratione consensûs, consilii, conniventiæ vel aliter imputantur.

QUÆR. II. Quid circa distinctionem specificam peccatorum? §.

℟. *Sequentia* 1. Est de Fide, quod in confessione omnia mortalia quoad numerum, & speciem infimam ac circumstantias speciem mutantes exprimi debeant : nam *Trid.* sess. 14. *de Pœn* c. 7. sic habet: *Si quis dixerit, in pœnitentia ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, anathema sit* : & Ratio est, quia confessarius debet agere medicum & judicem, adeoque præscribere proportionatam pœnam, & medicinam, tam præservativam, quam vindicativam : sed hoc non potest nisi peccata & vulnera animæ cognoscat quoad numerum & speciem, ut constat *ex Can.* 5. ibid. ergo. 2. Quæstio igitur hic est ex quo colligere possimus, quod peccata habeant distinctas specie malitias ℟. ex *D. Th.* 1. 2. *q.* 72. *a.* 1. Illa peccata distinguuntur specie, quæ habent objecta specie morali distincta; illa autem objecta specie morali distinguuntur, quæ opponuntur diversis virtutibus, vel eidem secundùm diversas rectitudi-

nes : ideo accipe hanc regulam :
4. *Omnia ea peccata distinguuntur specie, quæ opponuntur diversis virtutibus, vel eidem virtuti diversimodè.* V. g. Specie distinguuntur furtum & ebrietas, quia furtum opponitur justitiæ, ebrietas temperantiæ. Item prodigalitas & avaritia, quia opponuntur eidem virtuti liberalitatis diversimodè, prodigalitas scilicet per excessum, avaritia per defectum, item furtum grave specie distinguitur à levi; quia opponuntur eidem justitiæ diversimodè, unum scilicet notabiliter, unum non notabiliter; Item virtuti religionis diversimodè opponuntur percussio Clerici, & indigna susceptio Sacramenti; nam percussio Clerici opponitur religioni, quatenus præcipit reverentiam erga ministros Ecclesiæ, indigna Sacramenti susceptio ei opponitur, prout vult reverentiam haberi Sacramentis &c. Ratio datæ regulæ est, quod malitia peccati consistat in oppositione cum recta ratione & legè æternâ, & quoties actus diversimodè opponuntur rectæ rationi, toties etiam habent diversas specie malitias; sed peccata, quæ opponuntur diversis virtutibus, vel eidem diversimodè, illa diversimodè opponuntur rectæ rationi, quia quælibet virtus rectæ rationi & legi æternæ maximè est conformis, ergo. 3. In idem recidit regula quam dant alii : scilicet *Toties specie distinguuntur peccata, quoties opponuntur præceptis formaliter distinctis*; præcepta autem non distinguuntur formaliter ex hoc præcisè, quod habeant diversos Legislatores; aliàs enim simplex furtum haberet quatuor distinctas specie malitias, cum opponatur legi naturali, divinæ, Ecclesiasticæ & politicæ, sed ex eo quod materia præcepta vel opponatur distinctis virtutibus, vel eidem diversimodè.

*Dices*, si pater præcipiat filio hodie studium, cras Missam, jejunium &c. hic materia præcepta pertinet ad distinctas virtutes, & tamen filius hæc omnia omittendo peccat tantum contra obedientiam, & non committit peccata specie, sed tantum numero distincta, ac satisfacit in confessione dicendo, ter Patri fui inobediens in materia gravi, nec opus erit exprimere an in materiâ intemperantiæ, vel religionis; ergo falsa est regula quot toties sint peccata specie distincta, quoties materia præcepti pertinet ad distinctas specie virtutes. R. *Dist. ass.* Hic materia præcepta secundùm se spectata pertinet ad distinctas virtutes C. prout subsistat intentioni præcipientis N. nam pater per illa omnia ordinariè tantum vult exercitium obedientiæ, ideoque eorum omissio etiam huic soli opponitur; alii vero Legislatores plerumque intendunt honestatem istius virtutis ad quam per se pertinet actus præceptus, v. g. in jejunio honestatem temperantiæ; in auditione Missæ cultum Dei &c. Nunc ad casum.

R. 1. Miles in posito casu comedens carnes peccat contra 4. præcepta formaliter distincta 1. contra præceptum abstinentiæ toties quoties carnes comedit. 2. Contra præceptum jejunii, 5.

nii, si sæpius de die se reficiat. 3. Contra votum. 4. Contra præceptum implendi pœnitentiam à confessario injunctam, ideoque committit quatuor distincta specie peccata.

6. 2. Opprimens in templo personam alterius sexûs peccat hoc casu 1. contra virtutem continentiæ. 2. Contra votum castitatis, seu contra religionem prout obligantem ad servanda Deo promissa. 3. Contra religionem prout obligantem ad non polluendam Ecclesiam per copulam carnalem. 4. Contra justitiam violando invitam. 5. Si persona violata sit voto castitatis obligata, iterum specialiter contra religionem prout obligantem abstinere à personis Deo dicatis. 6. Si persona fuerit consanguinea, incestum committit, quia peccat contra pietatem seu reverentiam sanguini debitam. 7. Denique si persona sit conjugata, iterum contra justitiam violando alienum thorum.

7. 3. Auferens rem profanam è loco sacro duo specie distincta peccata admittit, unum contra justitiam, alterum contra religionem, quia in reverentiam loci sacri id specialiter ab Ecclesia est prohibitum; qui vero è loco sacro aufert rem specialiter ad cultum Dei deputatam, vel consecratam, ut calicem, patenam &c. præter peccatum injustitiæ committit duo peccata contra religionem, quia non tantum est irreverens erga locum sacrum, sed etiam rem sacram seu Deo specialiter consecratam, ut in simili patet de persona religiosa in templo violata. *Lugo, Dicast. Bonasp. de act. hum. d. 5. num. 82.*

8. 4. Qui voluntariè dubitavit, aut dissensit variis articulis fidei, non tenetur exprimere articulos quibus dissensit; quia incredulitas respectu omnium articulorum est ejusdem speciei: opponitur enim eidem virtuti fidei eodem modo, quatenus scilicet hæc obligat ad submittendum intellectum authoritati divinæ sufficienter propositæ; quod si tamen præter infidelitatem internam insuper aliarum sectarum ritus amplexus sit, tenetur hos exprimere, quia sæpè continent superstitionem, idololatriam, blasphemias &c. Qui per infidelitatem intendit liberius peccare, præter infidelitatem tenetur etiam hunc malum finem in confessione exprimere; idem est de eo qui per fornicationem quærit occasionem furandi; & sexcentis aliis. Ratio est, quia finis superaddit novam specie malitiam ab ea, quam habet medium.

9. 5. Ex dictis patet quod peccatum ex suo objecto non habens nisi unicam specie malitiam sæpè ex circumstantia finis, loci, rei, aut personæ sacræ accipiat malitias specie distinctas, v.g. furtum ex objecto habet tantum speciem injustitiæ, ex circumstantia autem finis, quo quis furatur, ex intentione fornicandi attrahit speciem incontinentiæ, ex circumstantia loci, vel rei sacræ, speciem sacrilegii, ideoque ejusmodi circumstantiæ dicuntur speciem mutantes; è contra quæ peccatum tantum aggravant intrà eandem speciem, veluti major quantitas in furto, major intensio, duratio in affectibus &c. dicuntur aggravantes. De quibus *V. casi. 97. q. 3.*

# CASUS VIII.

## De distinctione peccatorum numerica.

HAbenius Pastor interrogatur 1. *Unde dignoscendum an una vel plures sint malitiæ in uno Physicè actu?* 2. *Quot sint malitiæ in actu diu continuato vel sæpè repetito.* 3. *Quid de eo qui diu perstitit in voluntate occidendi, fornicandi &c.* 4. *Quot peccata admittat, qui plures scandalizat, in peccatum inducit &c. Quid de osculis, tactibus ante vel post fornicationem, ibid.* 5. *Quot peccata admittat, qui simul pluribus detrahit, maledicit, vel eidem plura infligit vulnera, plures contumelias, eandem falsitatem multis confirmat perjuriis.* 6. *Plures in statu disgratiæ absolvit, plures hostias consecrat, distribuit:* 7. *Eidem vel distinctis imprecatur mala specie distincta, aut de iisdem gaudet.* 8. *Uno actu blasphemat in diversis materiis, uno actu dubitat vel negat plures articulos fidei; vel jurat plura falsa, &c.* Pro resolut.

1. QUÆR. Quid circa numericam peccatorum distinctionem?

R. Cum non tantum species sed & numerus peccatorum in confessione explicandus sit, ut clarum est ex *Trid. sup. cit.* & in uno Physicè actu sæpè reperiatur multiplex, in distinctis è contra sæpè unica malitia, hic indagandum est, unde dignosci debeat numerica distinctio peccatorum; pro quo accipe sequentes duas regulas. Prima. *Tot sunt numero distincta peccata, etiam in uno eodemque Physicè actu, in quot tendit objecta prohibita numero distincta, moraliter non unita:* illa autem objecta dicuntur esse moraliter non unita, quæ nec ex sua natura, nec ex usu aut prudente hominum judicio ordinantur ad eundem finem seu idem peccatum complendum, ut si quis eodem actu intendat tres occidere, toti familiæ detrahere, sæpius fornicari, à pluribus furari &c. Talis enim tot numero peccata admittit quot sunt objecta seu homines cogniti quos vult occidere, vel quot sunt personæ in familiâ invincibiliter non ignoratæ quibus vult detrahere, quot sunt à quibus vult furari, quot sunt fornicationes, quas vult admittere &c. Ratio est quia hæc objecta seu unum homicidium, una detractio, una fornicatio, unum furtum non ordinatur ad complendum aliud, sed quodlibet est in sua specie completum, & per quodlibet homicidium, quodlibet furtum vel detractionem læduntur tot distincta jura, quot sunt distincti homines, ergo etiam tot committuntur peccata. Est *communis* contra *Laym. hic c. 3. num. 2.* Ratio regulæ est quod malitia peccati sumatur in ordine

dine ad objectum difforme legi æternæ vel rectæ rationi, ergo si idem actus habeat plura objecta difformia, numero distincta, & moraliter non unita, plures habebit malitias numero distinctas, sicut habet plures specie malitias, si habeat objecta specie morali distincta. Secunda regula. 2. *Toties peccata tam in-quam externa multiplicantur numero, quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur.* Prob. Nam quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur, toties tollitur moralis unitas inter volitiones peccaminosas, si autem tollitur moralis unitas inter volitiones, etiam tollitur unitas inter actus externos malos, quia hi malitiam suam habent à volitionibus quibus substant, ergo si hæ non maneant moraliter unæ, nec actus externi tales manebunt. Voluntas autem peccandi interrumpitur duobus præcipuè modis. 1. Per retractationem & pœnitentiam, hinc si retractes voluntatem occidendi & nihilominus mutatâ iterum mente occidas, & homicidium, & intentionem occidendi, teneris in confessione exprimere tanquam duo distincta peccata dicendo: habui intentionem occidendi, & reassumptâ voluntate occidi: per voluntariam cessationem ab actu, sic turpem complacentiam voluntariè deserens, & post resumens duo peccata committit, si vero cessatio sit involuntaria, v. g. quis intendit furari, & interim voluntariè distrahitur vel turbatur, & paulò pòst in eadem intentione pergit, unum numero peccatum admittit, nisi distractio, turbatio, vel oblivio durarent, per valde notabile tempus, v. g. per tres vel plures menses; tunc enim oblivio prima censeretur moraliter interrupta. *Ex dictis*

*Deduces seqq.* 1. A longo tempore persistens in voluntate se vindicandi, furandi &c. per se loquendo non satisfacit dicendo: tanto tempore fui in hac vel illa peccaminosa intentione; sed si recordari possit quoties ejus voluntatem reiterarit vel interruperit; item à quot personis se vindicare voluerit, cum quot & quibus fornicari intenderit aut fornicatus fuerit; an cum voto astrictis aut consanguineis; tunc enim non tantum erunt numero sed & specie distincta peccata, ut patet ex *cas. præc.* Si quis vero post diligens examen omnium peccatorum in numero, & specie recordari non possit, sufficit dicere quoties circiter de die septimana vel mense hoc vel illo peccati genere peccare solitus fuerit. *V. dicenda cas. 97. à n. 8.* 3.

2. Qui plures scandalizat vel inducit ad peccatum, debet explicare non tantum speciem peccati ad quod induxit, ut de scandalo non tantum directo, sed & indirecto docent *Laym. Bonasp. Ovied. Steph. t. 3. d. 3 n. 70.* quia totum alterius peccatum est saltem interpretativè voluntarium, ut dicam *cas. 19. n. 4.* Sed &, quot personas induxerit, tot enim sunt numero distincta scandala; & quidem si medium habeat distinctam malitiam à fine, v. g. per ebrietatem inducis ad fornicationem, & medium, & finem explicare debes, nisi medium ex natura rei 4.

rei vel usu hominum ordinetur ad aliud peccatum in suo genere complendum, ut si per turpia verba, tactus, oscula induxisti ad fornicationem, sola fornicatio secuta explicanda erit, quia reliqua ex se ordinantur ad copulam, ideoque cum eâ unum completum peccatum constituunt: aliud est de osculis, & tactibus copulam consequentibus, hæc enim cum non referantur ad priorem sed ad novam copulam, nec eam ex natura rei sed ex malitia operantis consequantur, tanquam distincta peccata exprimenda sunt. Etsi oppositum etiam sit probabile eo quod ejusmodi tactus & oscula copulam plerumque sequi soleant, ideoque explicatâ copulâ videantur & hæc sufficienter expressa.

5. 3. Qui simul, vel successivè pluribus detrahit, maledicit, plures vulnerat &c. juxta *communissimam* tot admittit numero peccata quot personas lædit quia quælibet persona habet jus distinctum ab alia; quod si in eodem impetu iræ eidem personæ multa infligas vulnera aut contumelias, eum nominando furem, adulterum, homicidam, aut eandem falsitatem multis confirmes juramentis &c. non est facile definire an unum vel plura peccata admiseris & per consequens, an satisfacias dicendo proximum graviter vulneravi, graviter fui calumniatus, falsò juravi &c. vel econtrà debeas, dicere tot inflixi vulnera tot contumelias, toties juravi falso &c. probabilius videtur cum *Castrop. Mezg.* & aliis ejusmodi vulnera, contumelias, perjuria, eidem personæ ex eodem impetu iræ facta esse tantum unum moraliter peccatum vulnerationis, contumeliæ, perjurii, quia moraliter uniuntur in eadem intentione circa idem objectum; & una vulneratio auget alteram in ratione ejusdem damni corporalis, sicut furta eidem circa idem tempus ex eadem intentione facta se mutuo augent in ratione unius damni temporalis, & contumeliæ eodem impetu repetitæ augent eandem dehonorationem; repetitio perjurii confirmat eandem falsitatem. Aliud est de tactibus turpibus & fornicationibus ex eodem licet æstu libidinis subsecutivè factis, quia se invicem non complent, sed sunt omnino disparata, & quodlibet habet suam completam malitiam.

6. 4. Qui in statu disgratiæ plures absolvit, tot committit numero peccata quot personas absolvit, quia tot conficit integra & completa Sacramenta Pœnitentiæ. Est contra *Sporer*, & alios. *Si dicas* Ergo consecrans plures hostias in statu disgratiæ tot committit peccata quot sunt hostiæ; quia quælibet hostia constituit distinctum Sacramentum; item pluribus dispensans Eucharistiam in statu mortalis, tot admittit peccata quot sunt communicantes. R. *N. seq. & ad 1. dico*: Quamvis plures hostiæ consecratæ in facto esse sint plura Sacramenta; in fieri tamen prout substant uni actioni consecrativæ, moraliter non distinguuntur; *Ad 2. iterum N. seq.* Quia sicut distributio ciborum in eodem convivio censetur eadem & non multiplex, sive uni sive pluribus fiat, sic

sic & distributio communionis : aliud est de absolutione sacramentali, quæ se habet per modum sententiæ judicialis complentis judicium, ideoque tot sunt distincta & completa judicia sacramentalia, quot sunt absolutiones: oppositum tamen etiam est verè probabile, quia sicut est unum moraliter convivium quamvis plures in eo reficiantur, sic & videtur esse unum moraliter judicium, quamvis in eodem plures rei absolvantur.

7. 5. Qui imprecatur vel desiderat eidem mala specie distincta, v. g. mortem spiritualem & temporalem, damnum in fama, fortunâ, corpore, committit plura peccata specie distincta intellige si desideret animo efficaci id est intendat vel proponat alteri ejusmodi mala inferre, vel desideret ab aliis inferri, nam qui tantum inefficaciter vult vel simpliciter sibi complacet in variis alterius malis, ordinariè tantum committit peccatum unius speciei, quia plerumque sibi complacet in alterius malo quatenus alteri malum est, non autem ut tale malum est, ut dicetur *cas. seq.* Si gaudeas de malo distinctorum hominum, vel uno actu odisti tres homines, tot sunt peccata quot sunt personæ, quia singulos quasi distinctim afficit tua mala voluntas.

6. Si quis uno actu blasphemet 8.
in distinctis materiis, unum tantum peccatum admittit, sicut si quis uni eodem actu in distinctis materiis detrahat aut contumelietur *Dian. p. 3. t. 7. R. 163.* Idem est si quis uno actu dubitet vel neget tres articulos Fidei, quia tres veritates negatæ videntur moraliter uniri in eodem actu, qui ideo solum malus est, quia opponitur veracitati Dei revelantis : sicut qui uno actu jurat multa falsa, ideo unum peccatum tantùm admittit, quia omnes istæ falsitates simul confirmantur eâdem Dei auctoritate.

## CASUS IX.

### De morosis delectationibus, desideriis, aliisque pravis affectibus.

*Jason circa res turpes varias habuit cogitationes & affectus, 1. Semi-vel plenè deliberatos vel dubios: 2. Inefficaces. 3. Delectationes circa modum furti, raptûs, adulterii. 4.-5. Desideria circa varia objecta, delectationes morosas, & gloriationes de re illicita jam patrata. 6.-7. Desideria conditionata comedendi carnes, si non esset dies veneris, occidendi inimicum si esset Judex, fornicandi si non esset sacerdos. 8.-9. Delectationes carnales & merè spirituales de rebus venereis vel sponte*

*sponte curiositatis, otii, & studii gratiâ assumit, vel naturaliter exurgentibus non resistit.* 10. *Cogitationes turpes aut morosas delectationes putat non distingui specie.* 11. *Uti nec desideria.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid circa affectus voluntatis in genere?

℟. I. Processus practicus ad peccatum internum ordinariè fit hoc modo: primùm excitatur imaginatio rei delectabilis vel odibilis in phantasia, & inde per sympatiam potentiarum statim fit imaginatio ejusdem seu cogitatio in intellectu; secundò sequitur motus, seu affectio voluntatis, complacentia vel displicentia, delectatio, consensus. Qui motus aliquando sunt deliberati, si scilicet fiant cum perfecta cognitione, & advertentia intellectûs ad honestatem vel inhonestatem actûs; aliquandò omninò sunt indeliberati, eò quòd præveniant omnem advertentiam intellectûs ad honestatem vel malitiam, & hi nunquam sunt peccaminosi, vocanturque motus *primò primi*: motus *secundò primi* fiunt cum obscurâ, semiplenâ, & imperfectâ advertentiâ, ac deliberatione intellectûs, qualis fere est in semi-dormientibus, semiebriis, consternatis, vehementi passione occupatis &c. Ejusmodi motus non excedunt peccatum veniale, cum non sint perfectè liberi. Signa autem consensûs imperfecti sunt 1. Si quis facilè potuerit exequi peccatum, & tamen non fuerit executus. 2. Si reflectens se super priorem actum sentiat in se tristitiam, aversionem, horrorem, &c. secus si complaceat, inhæreat, acquiescat. 3. Si animum, & propositum firmum, sæpiùsque renovatum habeat nunquam peccandi mortaliter, vel non soleat ejusmodi peccata admittere, tunc enim in dubio poterit præsumere pro se, quia vix poterit voluntas consentire in objectum aliàs odio habitum, quin hoc intellectus plenè advertat.

℟. II. Omnis affectus voluntatis vel est efficax, vel inefficax: efficax dicitur qui conjungitur cum voluntate, proposito, vel intentione exequendi id quod cogitatum est: inefficax est simplex complacentia seu delectatio in objecto cogitato absque voluntate illud exequendi: hæc delectatio dicitur morosa, non quod requirat moram temporis (uno enim momento perfici potest) sed quod voluntas post plenam advertentiam ei immoretur, acquiescat, & consentiat. 2.

℟. III. Delectatio voluntatis potest esse triplex: 1. Circà ipsam cognitionem rei, quando motivum delectandi non est res cogitata, quam animus abhorret & detestatur, sed ipsa cognitio veritatis; ita delectatur Theologus, Angelus, imò Deus ipse in exactâ cognitione peccatorum etiam turpissimorum. 2. Circa modum operis mali, ut si quis rideat casum hominis ebrii, furtum artificiosum, raptum ingeniosum alienæ sponsæ; non quod revera gaudeat de casu, ebrietate, furto, vel raptu fœminæ: sed tantùm de modo, vel artificio de se non malo; in materiâ tamen lubricâ 3.

bricâ id valde est periculosum, eô quòd delectatio circa modum tunc facilè transeat in ipsum objectum ob nimiam naturæ vitiatæ in ejusmodi objecta propensionem; signum autem, quod quis non circa modum vel artificium turpis, v. g. cantilenæ, vel discursûs, sed circa rem ipsam delectetur, est, si idem modus, & artificium repertum in re honestâ eundem non oblectat. 3. Est delectatio circa ipsum objectum malum, ut si quis sibi complaceat in furto, fornicatione, mendacio &c. hæc delectatio, semper est mala, & pro qualitate objecti mortale vel veniale peccatum. *D. Th.* 1. 2. *q.* 74. *a.* 8. & Ratio est, quod actus voluntatis specificentur ab objecto, ergo si objectum delectans sit mortaliter vel venialiter malum, etiam voluntaria delectatio erit talis.

4. ℣. IV. Affectus efficax voluntatis habet omnem malitiam, quam cognoscitur habere objectum volitum, v. g. quis intendit, vel proponit furari rem sacram è loco sacro, admittit malitiam furti, & duplicis sacrilegii; qui seriò desiderat, concupiscit, vel intendit fornicari cum persona conjugata, consanguinea &c. præter fornicationem contrahit malitiam adulterii, incestûs &c. Ratio est quod affectus efficax tendat in rem prout à parte rei est consequibilis, vel factibilis, ergo attrahit totam malitiam, quæ objecto à parte rei inesse cognoscitur: idem est, si quis gaudeat, delectetur vel glorietur de re illicitâ jam patratâ, ideóque non sufficit in confessione dicere, gavisus vel gloriatus fui de peccato olim commisso, sed debet exprimi species peccati de quo quis fuit gavisus vel gloriatus, dicendo v. g. gavisus vel gloriatus fui de adulterio, de incestu, de furto rei sacræ. Est *communis* cum *Sporer in Decal. t.* 1, *c.* 6, *num.* 18. : Dixi: de re illicita; nam si quis tantum glorietur vel delectetur de modo vel artificio peccati præteriti, tenenda sunt quæ dixi *sup. num.* 3. Econtrà affectus inefficax vel delectatio morosa non circa peccatum jam patratum, sed circa objectum delectabile prohibitum, tantum contrahit illam malitiam, à cujus delectabilitate voluntas movetur; potest autem fieri ut voluntas moveatur à delectabilitate, v. g. copulæ vel formositatis & non moveatur sed potius retrahatur à circumstantia matrimonii, consanguinitatis vel voti, quamvis cognoscat hanc in objecto reperiri, ideoque malitia talis circumstantiæ tunc non contrahitur, & in confessione sufficit dicere: semel me oblectavi in fornicatione cogitatâ; non exprimendo circumstantiam consanguinitatis; secus si ipsa circumstantia simul oblectasset. *Azor l.* 4. *c.* 6. *q.* 3. *Vasq. d.* 112. *Laym. hic c.* 6. *num.* 15. *La Croix L.* 6. *p.* 2. *num.* 1024. Circumstantia personæ peccantis semper refundit suam malitiam, etiam in actus simplicis complacentiæ vel delectationis morosæ, hinc religiosus oblectans se in cogitatione turpi semper admittit sacrilegium, quia ejusmodi circumstantia cohæret personæ peccanti, & exercitè saltem cognoscitur. 5.

QUÆR. II. Quid circà desideria conditionata rei illicitæ?

℟. Jam dixi desideria absoluta & efficacia, id est, quæ sunt conjuncta cum voluntate vel proposito exequendi rem illicitam, attrahere omnem malitiam actûs exercendi: circa desideria affectus & velleitates con-
6. ditionatas tenenda sunt sequentia 1. Velle aliquid sub conditione auferente omnem malitiam actûs per intellectum propositi, non est peccatum saltem mortale, idque tam in prohibitis jure positivo, ut: *vellem hodie laborare si non esset dies festus*; *vellem comedere carnes, si non esset prohibitum*: sed etiam in iis quæ sunt jure naturæ prohibita, sed tamen in certo statu vel circumstantiis honesta, & licita, v. g. *vellem tollere alterius bovem, si Deus mihi eum donaret*; *vellem occidere furem si essem Judex*; *vellem habere proprium si non essem religiosus*; *vellem hanc cognoscere si essem ejus maritus Vasq. d. 110. c. 2. Laym. num. 10.* Ratio est quia ejusmodi objecta non desiderantur absolutè & efficaciter, sed tantum in eo statu in quo sunt bona & honesta. *Dixi*: non esse saltem mortale, quia ejusmodi affectus plerumque sunt otiosi & venialiter mali & ut inquit *Cajet.* fatua & diabolica tentatio ad peccandum, idque vel maximè in materiâ luxuriæ, in quâ facile intercurrit actualis delectatio circa objectum turpe conditionatè volitum, quæ in non conjugatis semper est
7. mortale. 2. Desideria conditionata & quæcunque velleitates sub conditione non auferente malitiam, v. g. *vellem comedere carnes, si haberem, si Superior non adesset &c.* in materia gravi semper sunt mortale: idem est si velleitas sit circa objectum in nulla circumstantiâ licitum, ut: *vellem adulterari, pejerare, blasphemare, si non esset prohibitum*; *vellem me vindicare si essem Judex vel magnus Princeps.* Ratio est, tum quod ejusmodi conditio malitiam revera non auferat; tum quod hoc sit optare ut ordo & lex naturæ immutetur, quod pejus est, quam velle fornicari *Laym. l. c.* Si verò id non fiat ex affectu in rem ipsam, sed tantum animo manifestandi naturæ corruptæ propensionem, nisi lex eam coerceret, peccatum non est.

QUÆR. III. Quid in specie circa 8.
cogitationes, & affectus venereos?

℟. 1. Quamvis ex justâ causâ, v. g. animo studendi, docendi, dolendi licitum sit admittere speculationes vel cogitationes de rebus turpibus, præsertim si id fiat animo per orationem & firmum propositum præmunito, eas tamen admittere ex sola curiositate vel otio circa objecta valde turpia multum provocantia ad motus, vel delectationes turpes, est mortale ob periculum consensûs & complacentiæ, neque datur hìc parvitas materiæ ut dicam *cas. 11. n. 3.* ℟. 2. Omnis voluntaria delectatio venerea est moraliter mala, non tantum ea quæ fit in corpore cum commotione spirituum genitalium & vocatur carnalis; sed etiam merè spiritualis, quæ est in solâ voluntate circa objectum turpe absque

absque motu in corpore; est *communis* cum *S. Thom.* 1. 2. *q.* 74. *a.* 8. & Ratio est 1. quia delectatio sumit malitiam ab objecto, sed objectum est graviter malum, non enim hic datur parvitas materiæ, ergo. 2. Quamvis in delectatione turpi merè spirituali per accidens non oriatur commotio turpis, tamen ponitur id quod de se est causativum talis motûs, ergo peccatur mortaliter. 3. Si delectatio esset mortaliter mala tantum ratione commotionis, ergo si in delectatione circa fornicationem oriatur major commotio, quam in delectatione circa Sodomiam, majus peccatum erit delectari in fornicatione quam Sodomia, quod est absonum à recta
9. ratione. *R.* 3. Qui advertit in se exurgere cogitationem, delectationem, affectum, vel motum turpem, tenetur ad minus elicere simplicem displicentiam, & cogitationes seu animum aliò divertere, & quamvis circa furtum & similia possit se fortè quis habere negativè, neque com-neque displicentiam eliciendo; id tamen locum non habet in materia venerea. Ratio est, quod voluntas naturali inclinatione vehementissimè propendeat in actus venereos; ergo circa eos sibi propositos non potest diu manere suspensa, & si non statim eliciat simplicem saltem displicentiam, vel animum ad alia divertat, erit periculum prolabendi in complacentiam, quale periculum non semper est in aliis materiis: nec sufficit, ut plures volunt, ejusmodi motus contemnere & in animi constantia confidere, nam non apparet quomodo ejusmodi contemptus vel animi confidentia removeat omne consentiendi periculum, nisi eliciatur aliqua saltem displicentia & animus aliò convertatur; & talem animi conversionem ad alia præsertim grata sed honesta objecta esse tutissimum remedium contra tentationes luxuriæ, docent omnes Ascetæ, & ipsa experientia. Plerumque tamen non est obligatio ad remedia extraordinaria, disciplinas, cilicia, jejunia &c. quia tentationes plerúmque vinci possunt per alia media, scilicet per dictam animi aversionem, per orationem, per repetita sæpè proposita, occasionum fugam &c. Dixi *plerumque*, quia si periculum formalis consensûs aliter tolli non posset, quævis media etiam durissima adhibenda forent, quia talis consensus est intrinsecè malus, ideoque ad eum præcavendum omnia possibilia media erunt adhibenda. De actibus externis luxuriæ dicam *cas.* 11. *num.* 3. & 4. Delectationes mo- 10.
rosæ turpes tunc specie distinguuntur, quando habent objecta in genere moris notabiliter distincta: hinc si semel delectatus es pollutione, semel fornicatione, semel Sodomiâ, distinctas specie malitias contraxisti, quia hi actus habent objecta & delectabilitates diversas, ideo non satisfacis dicendo: ter delectavi me in objecto turpi, sed addere debes species infimas, semel in pollutione, semel in fornicatione, &c. Non tamen opus est exprimere commotionem genitalium si quæ secuta est, cum enim illa connaturaliter semper comitetur delectatio-

nem internam ; satis intelligitur expressâ delectatione internâ ; econtrà si sequatur tactus, pollutio, vel periculum pollutionis, hæc exprimi debent ; quia cum hæc possint non sequi, non intelliguntur explicato solo actu in-
11. terno. 5. Desideria turpiter aspiciendi, tangendi, osculandi, fornicandi distinguuntur specie non tantum à morosâ delectatione de illis objectis, sed etiam singula ab invicem, quia tendunt in ista objecta prout à parte rei ponenda ; sed si à parte rei ponerentur, distinguerentur specie, uti patet, ergo. Hinc non sufficit dicere in confessione : ter desideravi aliquid turpe, sed dicere debet : semel desideravi aspicere, semel tangere, semel fornicari : item si semel se oblectavit in fornicatione, & semel desideravit, male fatetur, si dicat se bis habuisse cogitationem turpem, sed dicere debet : semel oblectatus sum in fornicatione, & semel desideravi. Ex his patet resolutio Casûs.

# CASUS X.

## De peccato mortali & veniali.

KRantius dubitat 1. *Quid sit mortale, veniale?* 2. *Qualiter mortale possit fieri veniale.* 3. *Quid de veniali, & parato vitare sola mortalia.* 4. 5. *Qualiter veniale per accidens fiat mortale ; & quid de contemnente rem præceptam velut levem, imprudenter impositam.* 6. *Quid de contemptu formali?* 7. *An sub mortali præcipi possit res levis?* 8. *Quid de religioso qui suo exemplo alios pertrahit ad fractionem disciplinæ.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid circa peccatum mortale?

R. *Sequentia.* 1. Certum est omnia peccata non esse æqualia, dicitur enim Joannis 19. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet :* pariter fide certum est dari peccata mortalia, nam *homo per malitiam occidit animam suam.* Sap. 26. *Stipendium peccati mors.* Rom. 6.

2. Mortale peccatum est, quod ob sui deformitatem solvit cum Deo amicitiam, mereturque pœnam æternam : vocatur mortale quia adfert animæ mortem spiritualem, tollendo scilicet gratiam sanctificantem, quæ est radix vitæ supernaturalis. Veniale non tollit amicitiam cum Deo, sed tantum imminuit fervorem charitatis, mereturque solùm pœnam temporalem.

3. Utrumque potest esse tale vel ex genere suo, vel per accidens ; *mortale ex genere suo* dicitur quod manens intra limites sui objecti, non transeundo ad aliam specie malitiam

potest

potest esse mortale, v. g. furtum in ratione furti potest esse mortale, quamvis ratione loci vel rei sacræ non assumat speciem sacrilegii, vel ratione violentiæ, speciem rapinæ: *Veniale ex genere suo* est, quod intra suam speciem non potest fieri mortale, sic mendacium semper est veniale, nisi ratione damni proximo illati, vel ratione appositi juramenti vel alterius circumstantiæ transeat ad aliam speciem: idem dicendum est de vanâ cogitatione, verbo otioso, excessu in cibo, potu, usu conjugii, irâ, timore, tristitiâ, appetitu pecuniæ, honoris, laudis, quæ omnia ex genere suo sunt tantum venialia.

2. 4. Mortale ex genere suo, potest fieri veniale per accidens tribus modis: 1. Ex conscientia erronea, quâ quis invincibiliter judicat esse veniale, quod de se est mortale. 2. Ex imperfectione actûs, si scilicet intellectus non perfectè advertat gravem malitiam, vel voluntas perfectè non consentiat. Signa imperfecti consensûs dedi *cas. præc. num.* 1. 3. Si materia secundùm se & circumstantias considerata sit simpliciter quid leve: potest autem fieri ut materia secundùm se levis, ex circumstantiis & fine à Superiore intento, ad quem notabiliter conducit, sit quid grave: sic intrare in alterius cubiculum, scribere occultè literas, acceptare vel donare aliquid leve sine consensu Superiorum, frangere silentium, citra necessitatem bibere in domibus sæcularium vel extra horam prandii, in se sunt quid leve, si tamen hìc & nunc multum conducant ad conservationem vel restaurationem disciplinæ religiosæ, ad evitanda pericula & scandala, sunt materia gravis, & per consequens Superior ea sub mortali, aut etiam sub gravi pœnâ, v. g. excommunicationis, suspensionis, vel etiam sub formali obedientia præcipere potest. *March. Tamb. lib.* 1. *in decal. c.* 1. §. 3. *à num.* 18. Nec obstat quod in particulari casu respectu hujus personæ non sit proximum vel ullum omnino periculum peccati vel scandali, nam lex non attendit periculum hujus vel illius in particulari, sed periculum communitatis.

QUÆR. II. Quid circa peccatum veniale? 3.

Rs. 1. Dari peccata venialia & amicitiam cum Deo non solventia definivit *Trid. sess. 6. c. 7. & 25.* De his dicitur Prov. 24. *Septies in die cadit justus*, & Jac. 3. *In multis offendimus omnes.*

2. Quamvis venialia utcunque multiplicata non adæquent vel unum mortale, ut habet communis cum *D. Thom.* 1 2. *q.* 88. *a.* 4. eò quòd mortale sit altioris ordinis, tamen venialia multum disponere ad mortalia certum est: juxta illud Eccl. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Minuunt enim fervorem charitatis & abundantiam auxiliorum supernaturalium ad superandas tentationes, & difficultates occurrentes in observantia mandatorum, ac voluntatem proclivem reddunt ad peccata etiam graviora, vel maximè tunc, si mortale, & veniale versentur circa idem objectum,

ctum, nam experientia constat eos qui assuescunt parvis furtis, paulatim proruere in majora. Hinc *Sanch. Laym. hic c. 5.* docent eum peccare mortaliter, qui paratus est vitare sola mortalia, & admittere quævis venialia hìc & nunc occurrentia, eò quòd exponat se periculo peccandi mortaliter: id tamen non universaliter sed tunc tantum verum esse arbitror, quando venialia sunt proxima vel probabilis dispositio ad mortale, ut si quis ex proposito admittat quasvis confabulationes turpes, conversationes, tactus, aspectus etiam tantùm venialiter malos, aut si religiosus nollet facere ea nisi quæ à Superiore vel Regula sub mortali præcipiuntur, *Sanch. lib. 6. mor. c. 4. num. 20. Sporer c. 5. num. 43.* quia tunc est periculum peccati gravis, scandali aut damni in disciplina. *V. cas. 64. num. 3.*

4. 3. Peccatum veniale ex genere suo quinque præcipuè modis potest per accidens fieri mortale. 1. Ratione finis vel effectûs mortaliter mali, ut si quis per ornatum superfluum intendat adulterium, aut ex levi furto prævideat orituras gravissimas suspiciones, odia, rixas &c. 2. Si quis in peccato veniali ponat finem suum ultimum, quod tum fit quando quis mavult Deum offendere graviter, v. g. die festo negligere Sacrum, quam ab otioso colloquio vel lusu venialiter malo desistere. 3. Ratione scandali, si per peccatum veniale quis exponat proximum probabili periculo peccati mortalis. 4. Ratione proprii periculi, ut si quis per verba turpia vel familiarem conversationem se exponat periculo delectationis venereæ. 5. Ratione contemptûs formalis, qui tunc est, quando quis ideo venialiter peccat, ut significet se nihili facere authoritatem præcipientis, vel ideo facit aut omittit aliquid, quia id præceptum aut prohibitum est, aut quia ex affectu indignationis aut superbiæ se non vult subjicere Superiori vel ejus legi, hic contemptus est actus specialis inobedientiæ, sicut enim qui ideo aliquid facit, quia præceptum est, exercet specialem obedientiam, sic ille qui ideo non facit quia præceptum est, admittit factum specialis inobedientiæ, quæ non tantum in Legislatorem humanum sed & in ipsum Deum est gravissima injuria. *Communis* cum *S. Thom. Non est enim potestas nisi à Deo, itaque qui resistit* (resistit autem vel maximè contemnens) *Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13. Ex præmissis

*Deducesseqq.* 1. Qui agnoscit authoritatem Superioris sed tantum parvipendit vel negligit ipsam materiam sub veniali præceptam tanquam inutilem, vanam, levem, imprudenter impositam, non habet contemptum formalem sed materialem, ideoque per se tantum peccat venialiter, ut cum communi docet *Less. L. 1. c. 46.* Hoc tamen intellige respectu præcepti vel consilii humani; nam materiam à Deo suasam vel sub veniali præ- 5.

præceptam spernere vel negligere tanquam inutilem, vanam, imprudenter præscriptam, est gravissima in Deum irreverentia; Aliud est si quis rem aliquam levem à Deo prohibitam, v. g. officiosum mendacium ideo admittere parvipendat, quia levis est, & non gravis Dei offensa, tunc enim tantum peccabit venialiter, quia non contemnitur Deus, sed res levis nonnisi remotissimè in Deum redundans. *Laym. c. 7. n. 6. Tamb.* sup. §. 4. *n.* 8.

6. 2. Si religiosus etiam purum monitum sui Superioris formaliter contemnat seu ideo respuat aut negligat, quia ex perversione, superbia vel alia passione se non vult subjicere Superiori, vel ideo studiosè rejiciat quia Superior mandavit, peccat mortaliter ob gravem in Superiorem irreverentiam, & ideo si quis ex formali contemptu infringat præceptum grave, v. g. jejunium, admittit distinctas specie malitias necessariò in confessione explicandas, per consequens non satis erit dicere: fregi jejunium, sed dici debet: fregi jejunium in contemptum Superioris.

7. 3. Superiorem præcipere posse sub mortali materiam de se levem, si relata ad bonum commune, ad evitanda scandala, pericula, diffamationes sit necessaria aut valde utilis & per consequens materia gravis, constat ex *num.* 2. ideoque quilibet subditus in particulari etiamsi respectu sui non sit periculum, tenebitur sub mortali tali legi se submittere.

8. 4. Religiosus suo exemplo alios pertrahens ad fractionem disciplinæ, si id fiat unâ alterave vice, & in re saltem non graviter obligante, non peccat mortaliter; si autem id faciat promiscuè, aut toties ut disciplina notabiliter corruat & à pluribus non observetur, etiamsi res secundùm se videatur parva, v. g. extrahoraria confabulatio, compotatio, tunc peccat mortaliter ratione spiritualis damni, quod infert disciplinæ.

# CASUS XI.

## De peccatis capitalibus in genere, & de ſuperbia, avaritia, luxuria in ſpecie.

LAmpridius 1. *Se aliis verbo, facto præfert, dona divina, & fortunas ſuæ attribuit induſtriæ.* 2. *Pecuniæ nimium afficitur.* 3. *Minores luxurias veniale reputat.* 4. *Retrahit ſe à copulâ cœptâ cum virgine, filiâ confeſſionis, Judæâ &c.* 5. *Perſonas fatuas, ebrias, dormientes & vigilantes non clamantes opprimit.* 6. *Coit cum aliena ſponſâ, vel ſibi imaginatur alienam.* 7. *Turpia exercet cum ſorore, affine, adoptata vel ex baptiſmo ſuſceptâ.* 8. *Cum perſonâ ſacra in cœmiterio, quam novit à confeſſario eſſe ſollicitatam.* 9. *Per medicinas fœtum & ſemen expellere nititur;* 10.-11. *Variis modis exponit ſe periculo pollutionis &c.* 12.-13. *Pollutionem exortam non reprimit; optat ut eveniat in ſomno, & de ea gaudet.* 14. *In confeſſione non explicat an ſe polluerit cum imaginatione vel deſiderio adulterii, inceſtûs &c. neque cum quibus perſonis vel inſtrumentis.* 15. *Congreditur non ſervato vaſe, ſexu aut ſpecie.* 16. *Cum ſtatuâ, cum dæmone ſub formâ hominis, beſtiæ &c.* 17.-18. *Turpia audire, legere, cantare, dona amatoria, oſcula, aſſectus, tactus hominum & brutorum vix pro peccatis reputat.* Reſolutio conſtabit ex ſeqq.

QUÆR. I. Quot & quæ ſint peccata capitalia? 1.

R. Sunt 7. *Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Accedia.* Dicuntur capitalia, quia ex eis tanquam ex capite ſeu fonte omnia peccata dimanant. De tribus primis agendum eſt in caſu præſente, & de reliquis in ſeq.

QUÆR. II. Quid ſit ſuperbia, & quæ ejus filiæ?

R. 1. *Superbia* eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, quo quis in donis naturalibus, vel ſupernaturalibus vult excellere, vel eminere ſuper alios; eſt ex genere ſuo peccatum veniale, ſæpius tamen per accidens fit mortale, ut ſi conjungatur cum contemptu Dei, eò quòd quis velit excellere ſuper Deum, ut Lucifer; vel æſtimet aut ſaltem velit videri habere ſua talenta vel dona non à Deo, ſed à ſuo merito, induſtriâ, ingenio &c. aut conjungatur cum gravi damno, ſcandalo vel contemptu proximi. 2. Superbia plures habet filias, nam ſi quis inordinatè appetat aliis manifeſtari propriam excellentiam, vocatur *vana gloria*, & ſi manifeſtatio fiat per verba, dicitur *jactantia*; ſi per facta, *oſtentatio*; ſi per aggreſſionem operis vires excedentis, *præſumptio*; ſi oſtentetur

tetur per falsa & ficta signa, est *hypocrisis*. Si quæratur excellentia in honoribus vel dignitatibus non debitis vel debito majoribus, *ambitio*. Dixi appetitus inordinatus, nam velle excellere, secundùm se est indifferens, & si fiat ex honestâ causâ, v. g. ad Dei gloriam, proximi salutem, aut tuendam propriam famam, potest esse honestum & meritorium: igitur ut appetitus excellentiæ sit propriè superbia, debet ordinari ad propriam complacentiam.

2. QUÆR. III. Quid & quale peccatum sit avaritia?

R. Est inordinatus appetitus bonorum temporalium, seu immoderatus amor, cura & sollicitudo ea acquirendi, conservandi vel augendi, per se est tantum veniale, fit per accidens mortale, si impediat eleëmosynam urgente gravi præcepto; solutionem debiti vel observationem alterius præcepti graviter obligantis. Filiæ ejus sunt fraus, violentia, proditio, furtum, perfidia, oppressio pauperum, uno verbo omnis injustitia, nam *avaro nihil scelestius, & nihil iniquius quam amare pecuniam.* Eccl. 10.

3. QUÆR. IV. Quid & quotuplex sit luxuria?

R. 1. Est inordinatus appetitus delectationis venereæ quæ fit cum commotione spirituum generationi subservientium circa partes corporis genitales: est semper peccatum mortale, non tantum quoad illicitam effusionem seminis, sed etiam quoad quamcunque delectationem voluntariè admissam, hìc enim non datur parvitas materiæ, ut habet *communis*, & Ratio est, quia quævis oblectatio venerea est excitativa spirituum genitalium, ideoque ex naturâ suâ tendit ad expulsionem seminis, estque aliqua ipsius inchoatio continuò disponens ad majorem, & majorem delectationem: Dico *venerea*; quia delectatio merè sensualis quæ oritur ex proportione rei tactæ ad organum tactûs sine commotione spirituum venereorum, ex genere suo est tantum veniale, ut si quis attingat alterius manus, faciem, vel attrectet & osculetur infantem propter delectationem in teneritudine & mollitiè carnis infantilis, secluso periculo delectationis venereæ.

2. *Species luxuriæ* aliæ sunt naturales, in quibus scilicet servantur conditiones à natura institutæ, puta diversitas sexûs, vas debitum & identitas speciei, quales sunt fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, &c. aliæ sunt innaturales seu contra naturam, in quibus sexus, vas vel species debita non servatur, ut pollutio, sodomia, bestialitas.

3. *Fornicatio* est concubitus personæ solutæ cum soluta, soluta dicitur quæ nec matrimonio, nec voto continentiæ est astricta: est intrinsecè mala & peccatum mortale, ut certum est ex Concilio *Vienn.* & *Florent.* item ex Prop. 48. ab Innoc. XI. damnata: *Tam clarum videtur fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.* Persæpe habet adjunctas alias malitias, 4.

ut 1. Si non servetur debitus modus & situs, quod citra periculum pollutionis est tantum veniale. 2. Si quis cœptâ copulâ se retrahat ad impediendam generationem prolis, triplicem admittit malitiam specialiter explicandam, scilicet fornicationem inchoatam, mollitiem consummatam & intentionem positivè impediendi prolem: qui vero pœnitentiâ ductus se retrahit, & sic in se & in alio pollutionem admittit, non peccat, potest enim & debet se retrahendo peccatum cœptum non continuare. 3. Eunuchus habens copulam tenetur suum statum exprimere, cum enim non habeat verum semen, inutiliter provocat semen fœminæ. 4. Fornicatio prima juxta *D. Th.* distinguitur specie à sequentibus, quia specialiter opponitur virginitati; at communior docet non distingui, ideoque non teneris in confessione exprimere, an tu vel illa cum qua peccasti, fuerit virgo, nisi usus fueris vi vel dolo; quia utrobique est eadem malitia; utraque sententia est tuta & practice probabilis, *Lugo, Dicast. d. 9. à n. 427.* 5. Fornicatio cum filia confessionis per se non importat novam malitiam nisi confessarius in Sacramento vel ejus occasione (eo quod ex confessione adverterit eam ad peccandum facilem) sollicitet vel familiarius agere incipiat, aut illum in finem munus confessarii assumat tunc enim accedet species sacrilegii in confessione explicanda; quia fit gravis irreverentia Sacramento, *Vasq. Bonac. Dicast. Dian. p. 1. t. 7. R. 12.* Qualiter peccet, & se explicare debeat qui alium ad fornicandum inducit, dicam *cas. 19.* 6. Fornicatio cum infideli non habet malitiam specialem saltem gravem, & necessario explicandam, quia non satis apparet unde hæc desumi debeat, & quamvis Ecclesia in reverentiam Fidei & Baptismi prohibuerit cum infidelibus matrimonium, nullibi tamen prohibuit fornicationem, & in odiosis non est facienda extensio: in matrimonio est alia ratio prohibendi scilicet periculum perversionis ob individuam vitæ societatem, quod locum non habet in fornicatione.

4. *Stuprum* est copula fœminæ violenter illata: malitiæ fornicationis superaddit gravissimam injustitiam & injuriam personæ oppressæ illatam; qualem etiam committit qui cognoscit personam fatuam, ebriam, vel dormientem sine prævio ebriæ vel dormientis consensu: huc reducitur raptus seu violenta abductio personæ in ordine ad complendam libidinem vel contrahendum matrimonium; fœmina oppressa tenetur omni modo conari ut semen non recipiat; item clamare si utiliter possit absque periculo vitæ vel gravis infamiæ, aliàs enim cooperatur alterius peccato, quamvis in delectationem carnalem forte non consentiat, quod raro continget, nisi se pro possibili defendat & obfirmatum servet animum non consentiendi. 5.

5. *Adulterium* est violatio alieni tori, peccatum gravissimum contra præceptum 6. & 9. Decalogi. Aliud vocatur *reale*, estque ipse concubitus 6.

cum

cum non sua ; si uterque sit alterius tori, erit adulterium duplex in confessione explicandum. Ad quid autem teneatur adulter, & adultera si proles nata fuerit, dicam *cas.* 43. *n.* 18. Sponsa vel sponsus peccantes cum alieno vel aliena probabiliter admittunt simplicem solum fornicationem, quia per sponsalia necdum traditum est jus in corpus, ergo non peccatur contra justitiam, & sicut qui vovit intrare religionem, si fornicetur, non peccat contra votum castitatis, quia illud necdum emisit sed emittet, sic nec hi contra jus sponsi vel sponsæ, quia nondum jus in corpus alterius habet, sed habebit per futurum matrimonium. *Bonæsp. Covar. Dian. p. 1. t. 7. R. 5. Illsung t. 4. d. 1. num. 85. Adulterium mentale* est quando conjux desiderat vel concupiscit alienum vel alienam : Si morosè delectetur de copula imaginata cum non suo, *Vasq.* dicit addi novam speciem contra fidem matrimonii, quia circumstantia tenens se ex parte personæ peccantis refundit malitiam suam etiam in delectationes morosas ; ideo enim omnis morosa delectatio venerea in religioso vel sacerdote habet speciem sacrilegii, ergo in conjugato est contra fidem & statum matrimonii. Econtrà *Hurtado* putat non peccare contra fidem matrimonii, quæ tantum obligat ad non locandum corpus alteri, non vero mentem. Uterque ut vides, probabiliter.

7. 6. *Incestus* est peccatum luxuriæ exercitum inter personas conjunctas sive per copulam, sive per tactus, oscula impudica &c. Ideoque in confessione non sufficit dicere : turpiter tetigi, osculatus sum &c. sed addi debet, personam consanguineam. Conjunctio autem est quadruplex, prima oritur ex sanguine & dicitur *consanguinitas*, hæc peccatis luxuriæ superaddit malitiam incestûs probabiliter inter omnes as-& descendentes & inter collaterales usque ad 4. gradum inclusivè. Secunda oritur ex copula carnali & dicitur *affinitas*, hæc ex copula maritali & licita superaddit malitiam incestûs usque ad 4. gradum, ex illicita usque ad secundum inclusivè. Tertia provenit ex adoptione perfecta & vocatur *conjunctio legalis.* Quarta oritur ex Sacramento Baptismi & Confirmationis, ideoque vocatur *conjunctio spiritualis* ; hæ omnes conjunctiones superaddunt peccatis luxuriæ malitiam incestûs respectu omnium personarum, inter quas vel jure naturæ vel ex lege Ecclesiæ prohibetur matrimonium, hinc etiam qui peccat cum sorore sponsæ suæ, incestum committit, quia inter hos prohibetur matrimonium & copula, & statuitur impedimentum publicæ honestatis ob reverentiam conjunctis debitam ; ècontra si fornicatus cum Caja postea forniceris cum Cajæ consanguinea in tertio gradu, non committis incestum, quia ex copula fornicaria non oritur impedimentum nisi ad secundum gradum, *Lugo, Oviedo, Sanch. de matr. t. 7. d. 67.* 2. Quo gradus est proximior, eo incestus est gravior, & quamvis probabile sit omnes ince-

ſtus inter conſanguineos, affines, & conjunctos legaliter in quocunque gradu eſſe ejuſdem ſpeciei; eo quod videantur prohiberi ex eodem motivo reverentiæ perſonis conjunctis debitæ, & per conſequens non eſſe opus exprimere an cum conſanguinea vel affine, aut in quo gradu inceſtum commiſeris; probabilius tamen explicandus eſt in affinitate gradus primus, in conſanguinitate primus & ſecundus, quia in his gradibus malitia eſt ſaltem notabiliter major, ſi non ſpecie diſtincta, quia longè alia reverentia debita eſt matri, quam ſorori aut remorioribus conſanguineis, & longè fœdior matris & ſororis quam aliarum violatio, & primus gradus jure naturæ dirimit matrimonium, non ita alii. Ideoque ad minus moraliter mutatur ſpecies ſecundùm dicenda *caſ. 97. num. 20. 3.* Diſtinctè explicandus eſt inceſtus ſpiritualis, utpote ſpecie diſtinctus ab aliis inceſtibus, prohibetur enim ex diſtincto motivo ſcilicet in reverentiam Sacramenti Baptiſmatis vel Confirmationis, ideoque adjunctam habet malitiam ſacrilegii; non tamen opus eſt dicere an cognatio orta ſit ratione Baptiſmi an Confirmationis, neque an peccaveris cum filia baptiſmi an cum ejus matre; quia cum ſit contra eandem reverentiam debitam perſonis ratione Sacramenti conjunctis, manet eadem ſpecies, *Sanch. d. 5. n. 9.*

8. 7. *Sacrilegium* in materia luxuriæ committitur dupliciter: *primò* per violationem voti continentiæ ſive in ſe, ſive in alio, quocum venereè peccatur, nec opus eſt exprimere, an votum ſit ſolenne, an ſimplex, an peccans ſit Subdiaconus, an Sacerdos, Epiſcopus vel Religioſus, *Sanch. Dicaſt. à num. 306. Steph. t. 1. d. 5. num. 58.* Quia his omnibus prohibetur luxuria ex eodem motivo voti. Si Religioſus peccet cum Religioſa, vel voto aſtricta, duplex uterque ſacrilegium admittit in confeſſione explicandum, quia uterque violat votum in ſe, & in alio. *Secundo* per voluntariam effuſionem ſeminis in loco ſacro, id eſt, in templo, ſacello vel cœmiterio ab Epiſcopo conſecratis vel benedictis; excipiunt AA. communiter actum conjugalem à conjugibus in loco S. diu incluſis ex neceſſitate ad evitandum periculum incontinentiæ exercitum. Huc reducitur ſollicitatio ad turpia, facta in confeſſionali vel intuitu confeſſionis etiam non ſecutæ vel tantum ſimulatæ, quæ eſt graviſſimum ſacrilegium contra reverentiam Sacramenti ſub graviſſimis pœnis à Pio IV. & Gregor. XV. prohibita obligans ſollicitatos ſub excommunicatione ad denunciandos Epiſcopo ſollicitatores. Sed has Conſtitutiones ſub tanto rigore apud Germanos non eſſe receptas teſtatur *Spor. Theol. ſacr. p. 4. c. 3. n. 622.*

8. *Pollutio* ſeu mollities eſt effuſio 9.
ſeminis extra concubitum: circa hanc tenenda ſunt ſequentia: 1. Nullo caſu ne quidem ad ſervandam vitam licitum eſt per quamcunque cauſam quærere, intendere vel procurare pollutionem, & ſic quæſita vel intenta eſt peccatum mortale contra naturam,

ram, habet enim intrinsecam repugnantiam cum naturâ, quæ per emissionem seminis intendit generationem prolis, idem est de turpibus motibus quæ sunt inchoata mollities vel fornicatio, item de directâ expulsione fœtûs etsi nondum animati, quia est expulsio duplicis seminis, & ob diversas medicorum sententias fere semper est dubium quando fœtus animetur, & per consequens erit periculum occidendi corpus & animam fœtus. *Less.* contra *Sanch. V. cas. 33. à num.* 14. Licitum tamen est per medicinam directè expellere semen corruptum, etsi per accidens simul effluat semen verum, quia semen corruptum non est amplius semen, sed humor noxius: id tamen non licere per tactus seu fricationem verendorum docet *Sporer n.* 643. Quia ejusmodi tactus vel confricatio per se, & ex naturâ suâ tendunt ad provocandum verum semen, & per accidens solum juvant educere semen corruptum. Aliud est de fricatione quæ fit non ad expellendum semen sed ad depellendum molestum pruritum, etsi per accidens exsurgant
10. motus. 2. Circa pollutionem vel motus per accidens secutos, id est, prævisos sed non intentos accipe hanc regulam: *Si actio ex qua prævidetur motus vel pollutio, multum disponat, seu ex naturâ suâ notabiliter influat in motus vel pollutionem, veluti omnes actus venerei mortaliter mali, turpes tactus, aspectus, oscula, delectatio morosa de concubitu, tunc non tantum causâ motuum, sed & ipsa motio, & pollutio sunt mortale. Sylv. Rosmer. Laym. Mezger. Sanch. L. 9. d. 45. Less. L. 4. c. 3. dub. 14. à num. 100. Spor. num. 645.* Ratio est, quia lex naturalis prohibens pollutionem etiam obligat ad non ponendas causas per se, & notabiliter influentes, & qui vult ejusmodi causam, hoc ipso vult effectum connaturaliter conjunctum. 3. *Si actio tantum per accidens, remotè, & non notabiliter ad turpes motus vel pollutionem disponat, pollutio prævisa, & non intenta, dummodo absit periculum consensûs, non est mortale*, sed aliquando veniale, ut statim dicam: Ratio est, quia per se non est obligatio gravis ad evitanda pericula vel causas planè remotas, ex quibus per accidens præter intentionem, & magis ex naturæ infirmitate quam ex positis causis mali effectus proveniunt. *A. A. citt. & Mendo d. 5. n.* 11. 4. Si actio ex qua prævi- 11.
dentur motus vel pollutio, sit veniaLiter mala, ut curiosus aspectus, verbum turpe, vana confabulatio cum dispari sexu, aut etiam actio extra materiam luxuriæ mortaliter mala, ut esus carnium die Veneris, ebrietas &c. Pollutio prævisa est tantum venialiter mala, quia tantum videtur esse levis deordinatio contra castitatem sine justa causa ponere aliquid etiam remotè disponens ad pollutionem; si vero dispositio in se non sit mala, vel sit justa causa eam ponendi, ut aspectus, tactus, oscula, amplexus honestatis causâ, & obiter ex more patriæ, vel causâ necessitatis ad medendum, vel naturam sublevandam facta, item studere casibus venereis, audire confessiones, edere calida, choreas hones-

tas

ſtas ducere, commodo ſitu in lecto jacere, & ſimilia, cum plerumque adſit rationabilis cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, omni culpâ vacant, etſi per accidens citra periculum conſensûs
12. ſequatur pollutio. 5. Qui ante ſomnum per tactus, aſpectus vel imaginationes turpes intendit in ſomno pollutionem, præter malitiam tactui vel cogitationi propriam etiam contrahit malitiam pollutionis in confeſſione explicandam; ſi vero non intendat ſed prævideat pollutionem in ſomno orituram, iterum videtur peccare peccato pollutionis, ſi imaginatio ſit vehemens, vel experientiâ conſtet ex ſimili tactu vel aſpectu pollutionem nocturnam ſequi: tunc enim & non aliàs videntur hi actus in pollutionem notabiliter influere; quis enim credat ex omni tactu, vel affectu turpi obiter, & diu ante ſomnum habito ſemper prudenter timeri poſſe
13. pollutionem nocturnam? 6. Pollutionem in ſomno vel aliter exortam non teneris cohibere vel reprimere manibus, hoc enim vel eſt inutile, vel ſanitati aut etiam caſtitati periculoſum, obligaris tamen elicere internam diſplicentiam, & phantaſiam quantum potes, ab objecto turpi avertere ob periculum conſensûs *Sanch. ſup. d. 17. num. 16.* 7. Quamvis illicitum ſit delectari de pollutione ſecundum ſe, vel optare ut in ſomno eveniat, ob conjunctam delectationem, ut cum communi docet *Sanch. in dec. L. 1. c. 2. n. 16.* tamen non videtur illicitum gaudere de bono effectu, v. g. ſanitatis vel mitigatæ concupiſcentiæ ſecuto ex pollutione involuntaria, vel etiam ſimplici affectu citra omnem cooperationem optare non tam pollutionem quam ejuſmodi effectum ex pollutione. *Si dicas*: non eſt licitum optare vel etiam gaudere de morte naturali alterius ob bonum temporale, v. g. hæreditatem inde conſecutam, utì certum eſt ex Propoſitionibus 13. & 15. ab Innoc. XI. damnatis; ergo nec licitum eſt gaudere, vel optare pollutionem involuntariam prout conjunctam cum effectu bono. R. *Diſtinguendo* C. Ergo non eſt licitum gaudere, vel optare pollutionem ita ut objectum gaudii vel deſiderii ſit delectabilitas pollutionis, C. ita ut objectum gaudii ſit ſolus effectus inde ſecutus, N. Deinde mors naturalis eſt grande malum Phyſicum, quod optare propter ſolum lucrum temporale eſt contra charitatem, aliud eſt ſi optaretur ob bonum ſpirituale proximi; è contra emiſſio ſeminis ex causâ naturali non eſt malum Phyſicum neque individuo, neque ſpeciei humanæ, cum ſit quid ſuperfluum, quo ſe natura exonerat, aut ſaltem eſt malum tam leve ut ob utilitatem etiam privatam permitti poſſit. *Sanch. ſup. d. 45. num. 14.* 8. Pollutio ſæpe 14.
adjunctas habet alias ſpecie malitias, v. g. fornicationis, ſi ſcilicet polluens ſibi imaginetur copulam cum fœmina in genere, vel cum ligata non ut ligata ſed ut formoſa; ſi vero accedat deſiderium, etiam circumſtantiæ ſuam refundunt malitiam, ut dixi *caſ. 9. num. 4. & 11.* 9. Polluens

non

non tantùm tenetur exprimere qualitatem suæ personæ, sed & personæ à se pollutæ, quia pro qualitate personæ variatur species peccati ad quam ipse cooperatur, & quidem polluens se ad fœminam, vel cum fœminâ, plerumque in affectu committit fornicationem: si cum persona ejusdem sexûs cum affectu ad personam, est sodomia, non tamen est opus explicare instrumentum inanimatum quo quis se vel alium polluit; secus si pollutio fiat in os alterius, ibi enim est specialis dedecentia ad naturam rationalem eam deprimens etiam infra conditionem bestialem. 10. Quæ dicta sunt de pollutione, cum proportione intelligenda sunt de distillatione, quæ est effusio humoris cujusdã medii inter urinam & semen, fitque ordinariè cum minori sensu voluptatis quam pollutio, imo quandoque cum nullo, & tum (quamvis adsit levis erectio genitalium) non esse peccatum, nec majorem ejus curam esse habendam quam sudoris, dicunt plures apud *Sanch. num. 2.*

15. 9. *Sodomia* alia est perfecta, alia imperfecta; *perfecta* est concubitus ad sexum non debitum, ut viri cum viro, fœminæ cum fœmina, unde patet ad sodomiam non requiri seminationem in vas præposterum, aliàs enim mulier cum muliere sodomiam exercere non posset, cum neutra seminet intra vas præposterum, sed utriusque semen intus defluat in matricem: quod si mas seminaret in vase præpostero maris, deberet in confessione probabilius exprimere, an fuerit agens an patiens; nam agens dispergit semen, non patiens. *Sodomia imperfecta* est concubitus cum diverso quidem sexu, sed cum affectu ad vas præposterum; est species distincta à sodomia perfecta, ideoque & distinctim exprimenda: utraque potest adjunctam habere speciem adulterii, incestûs, sacrilegii, prout una vel utraque persona est matrimonio vel voto ligata, consanguinea, vel affinis, & si quis exercet sodomiam vel pollutionem cum uxore, non sufficit dicere: cognovi conjugatam in vase præpostero, quia tunc confessarius judicabit eum alteri marito feciſſe injuriam, quod falsum est, sed debet dicere: sodomiam, vel pollutionem exercui cum propriâ uxore, intellige si habeat confessarium ignotum, nam probabiliter non tenetur suam uxorem infamare. Sed quid si quis coeat cum statua? R. Si coeat cum affectu ad personam humanam, committit fornicationem, vel sodomiam, prout affectus fertur imaginariè in personam ejusdem vel alterius sexûs; si cum affectu ad bestiam, cujus v. g. statua imaginem gerit, in affectu bestialitatem committit.

10. *Bestialitas* seu coitus hominis 16.
cum bruto est nefandum scelus, jussu Dei in homine, & bruto sceleris socio flammis expiandum *Lev. 20.* Non tamen opus est exprimere in confessione, qualis sit bestia, an ovis, capra vel equa. Huc reducit *D. Th.* concubitum cum dæmone incubo vel succubo, qui peccato contra naturam superaddit speciale peccatum contra Re-

ligionem, eo quod sit turpe commercium cum Dei & omnium nostrûm infensissimo hoste, in quo præterea explicandum, an dæmon fuerit sub specie viri, vel fœminæ, aut sub forma conjugatæ, monialis vel consanguineæ, toties enim in affectu præter bestialitatem nova admittitur malitiæ species. Communiter autem hîc monent *DD.* confessarium non debere esse nimium in examinandis peccatorum carnalium circumstantiis, ne sibi vel pœnitenti sit occasio turpis consensûs.

17. QUÆR. V. Quid circa gestus, tactus, oscula, verba & similes actus luxuriæ imperfectos?

℟. *Sequentia.* 1. Legere, loqui, cantare, audire turpia; item gestus, literæ & dona amatoria, si non fiant animo provocandi ad libidinem, sed ex levitate, curiositate, vel vano solatio, per se tantùm sunt venialia, valde tamen periculosa; & in iis qui gaudent metaphoris rerum turpium, qui dicta in sensum turpem facilè detorquent, de partibus verecundis, & huc pertinentibus libenter loquuntur, sunt signa latentis libidinis, & peccati plerumque mortalis, quia tales non solent tam de modo scribendi, loquendi, cantandi turpia, quam de ipsis rebus turpibus delectari, quod semper
18. mortale est. 2. Actus de objecto valde turpi, ut tactus, & aspectus nudus, & fixus verendorum disparis sexûs, concubitus humani &c. semper sunt mortale, quia proximè, & per se disponunt ad motus, & delectationes turpes, nisi fiant à chirurgo vel medico ex causâ medendi, absque periculo tamen consensûs. Econtrà seipsum vel alterum ejusdem sexûs, vel etiam infantem disparis sexûs ex curiositate aut petulantia obiter, v. g. lavando, natando circa hæc tangere vel aspicere citrà affectum, & periculum consensûs venerei, est tantùm veniale, *communis* cum *Laym.*; quia hæc non ita ad libidinem provocant. Idem *Sanch.* & alii communiter extendunt ad tactum alterius sexûs super vestes, si fiat scilicet ex petulantia, aut levitate: quamvis hîc putem esse majus periculum. Molliter tractare, & demulcere catellos aliaque animalia, ordinariè non excedit veniale: meritò tamen *La Croix L. 3. p. 1. num.* 903. dicit esse periculosum ita ea tangere ut effluat eorum semen, eo quod facilè se ingerat delectatio venerea, & quidem si fiat affectu libidinoso, erit inchoata bestialitas. 3. Oscula, amplexus, tactus uberum, non tantum si fiant ex affectu delectationis venereæ, sed etiam tunc, quando fiunt ex delectatione sensuali absque alio honesto fine, sunt peccatum mortale, & quamvis oppositum possit speculativè defendi, in praxi tamen locum non habet. *Sanch. Laym. Sporer num. 351. & num.* 687. *La Croix num.* 894. Tum quia delectatio sensibilis in hujusmodi objecto sponte quæsita per se, & naturaliter trahit commotionem spirituum genitalium, & quidem ita vehementer, ut experientiâ constet plerumque non sisti in delectatione sensibili, sed ob nimiam potentiarum sympatiam sæpissimè, idque maximè

inter

inter personas sensualiter se amantes emergere delectationem veneream : tum etiam propter Propos. 40. ab Alex. VII. damnatam, quæ sic habet : *Est probabilis opinio, quæ dicit tantum esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis.* Idem à potiori dicendum de osculis & amplexibus quæ furtivè, cum mora & ardore repetuntur. Osculari partes pudendas ejusdem vel alterius sexûs videtur habere specialem turpitudinem in confessione explicandam ; quia specialiter dedecet naturam rationalem. 4. Si verò oscula, amplexus, contrectationes manuum fiant ex honestâ causâ ad ostendendam amicitiam, ad fovendum amorem in ordine ad honestum matrimonium, quamvis per accidens fortè prævideantur motus carnales, modò absit periculum consentiendi, non sunt peccatum ; at si fiant ex levitate, joco aut petulantia, secluso periculo consentiendi in motus vel delectationem veneream, sunt tantùm venialia : ex his per se patet casûs resolutio, nec operæ pretium judico eadem hìc repetere, jam enim ad nauseam turpibus sum immoratus.

## CASUS XII.

### De Invidia, Gula, Ira, Acedia.

MOrphorius 1. *Multum cruciatur quod æmulus officium, virginem adamatam sibi præripuerit, quod honoretur, ametur.* 2. *Ex sola voluptate edit, bibit.* 3.-4. *Convivia, in quibus sæpe inebriatus est, non vitat, quia tantùm ebrius fit, dum exit in aërem.* 5. *Tabacum sumit, & se gyrat usque ad turbationem capitis.* 6. *Bibit, usque dum fiat impotens incedere, familiam dirigere, non absque capitis, & podagræ doloribus, ac debilitatione stomachi.* 7.-8. *Se inebriat, ut non incurrat offensam compotatoris ; ne ad duellum provocetur, diffametur.* 9. *Ut conservet sanitatem, vel vitam.* 10. *Ut non sentiat dolores podagræ, abscisionem pedis, ut expellatur venenum &c.* 11. *Socium ad largiores haustus animat, semipoto propinat, & bibere cogit.* 12. *Alios, ne sibi noceant, ne secretum prodant, inebriat.* 13. *Ebrius blasphemat, furatur, alios ad compotationes inducit cum dispendio rei domesticæ.* 14. *Pueros & stultos inebriat, utque fortiùs bibere possit, pharmaca sumit. ibid. In eos qui potum dehortantur, mirùm incandescit cum meditatione vindictæ.* 15. *Remedia salutis nauseat.* 16. *Doletque se esse natum, baptizatum &c.* Pro resol.

1. QUÆR. I. Quid sit Invidia?

℟. *Est tristitia de bono alieno æstimato ab invidente ùt malo proprio. D. Th. 2. 2, q. 63. a. 1.* Tristari de bono ùt alteri bonum est, est actus formalis odii: sicut velle bonum ùt alteri bonum est, est actus charitatis. Et quamvis invidia plerumque odium proximi involvat; tamen ut talis non tristatur de bono alieno, ut alteri bonum est, sed ut creditur minuere vel obscurare propriam excellentiam, ut si ambitiosus doleat, alium sibi in honore vel divitiis fieri æqualem, quasi sibi per hoc aliquid decedat. Est genuina filia superbiæ, & peccatum ex genere suo mortale, directè oppositum charitati; & si invideat alteri dona supernaturalia, v. g. gratiam, sanctitatem vitæ &c. eò quòd putet per ea minui suam æstimationem, aut certè vitam suam redargui, est peccatum gravissimum in Spiritum S., quod dicitur *fraternæ charitatis invidentia;* si sit circa bona naturalia, est veniale, vel mortale pro ratione boni quod alteri invidetur: si quidem sit circa materiam levem, sed animo invidendi etiam majora, vel quævis bona, semper est mortale. Dixi: *æstimato ab invidente ut malo*: nam si alterius bonum communitati, mihi vel alteri innocenti revera sit malum, & absit malus affectus odii, aversionis erga personam ipsam, tristari de alterius bono non est invidia: sic licitè tristor de doctrinâ, & eloquentia hæretici, quatenus per hæc multos seducit; prudenter doleo illi beneficium esse collatum, quem vel scio esse indignum, vel illo abusurum in meum vel aliorum damnum: Ratio est, quia talis tristitia vel dolor non tam est de bono proximi, quam de malo inde resultante. Simili modo, si quis, secluso omni malo affectu erga personam, tristatur, quod alius sibi officium vel virginem adamatam præripuerit, quod ab alio vincatur in virtute, doctrinâ, divitiis, non ideo quod hæc sint in alio, sed quod in se non sint, non est invidia, sed æmulatio, quæ bona vel mala est pro qualitate objecti; de hac dicit Apostolus: *Æmulamini charismata meliora.* 1. Cor. 12. Ex invidia oritur detractio, odium, susurratio. De quibus suis locis.

2. QUÆR. II. Quid circa Gulam?

℟. *Sequentia.* 1. *Gula* est inordinatus appetitus ususque cibi vel potûs ex hoc, quod quis vel plus sumat, quam natura requirat, vel sumat nimis exquisita, vel sistat in sola voluptate cibi aut potûs, etsi tantùm sumat necessaria, ùt nunc certum est ex Prop. 8. ab Alex. VII. damnatâ: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Dixi: si sistat in sola voluptate: nam si quis cibo & potu utatur eo fine, ut magis conducant ad nutritionem, non peccat, quia non sistit in ea voluptate, sed eam refert ad finem honestum, conservationem sanitatis, & vitæ, quem finem in utilibus, & necessariis ad sustentationem

nem homo virtualiter semper intendit, quamdiu non habet intentionem contrariam.

2. Gula ex genere suo est peccatum veniale oppositum abstinentiæ, per accidens fieri potest mortale ob grave damnum corporis vel animæ, ut si quis per nimiam ingluviem causet sibi febrim, graves capitis vel podagræ dolores, aut se ineptum reddat ad functiones officii graviter obligantis. Effectus gulæ est hebetudo mentis, animi torpor, & omnis generis morbi.

3. QUÆR. III. Quid & quale peccatum sit ebrietas?

R. *Ebrietas est voluntarius excessus in potu usque ad violentam usûs rationis privationem voluptatis causâ. Cajetan. Valent. Less. Azor. Laym. Dicastillo L. 1. de just. d. 3. num.* 104. & alii communiter contra *Sylvium 2.2. q. 150. a. 1.* qui dicit omnem voluntarium excessum in potu usque ad defectum rationis esse propriè ebrietatem. Ratio sumitur ex *D. Th. 2. 2. q. 150. a. 1. & 2.* ubi dicit ebrietatem consistere in nimio usu & concupiscentia vini, ideoque sicut ad sobrietatem spectat moderari nimiam concupiscentiam potûs ob delectationem in illo; sic ex opposito ebrietati proprium est moveri nimiâ potûs concupiscentiâ & delectatione. Ebrietas est intrinsecè mala, & per se peccatum mortale, ut patet ex Script. *ad Rom. 13. ad Ephes. 5. & S. Th. loc. cit. & lect. 3. in c. 13. ad Rom.* Ratio est, quia voluntariè se inebrians *videtur præferre delectationem vini integritati rationis*, inquit S. Doctor: hoc autem nullo casu est licitum, ergo.

*Dicitur* 1. *voluntarius excessus*: 4.
nam si ebrietas non sit prævisa, etsi quis leviter excesserit in temperantia, non est peccatum mortale; si quis verò per experientiam sciat, se in tali occasione solere inebriari, vel dubitet, timeat, aut ob consuetudinem timere debeat periculum ebrietatis, tenetur ab ejusmodi occasione sub mortali abstinere, & si nolit, est incapax absolutionis: si largiùs bibens sciat se fore ebrium, si in aërem exeat, debet sub mortali vel manere domi, vel à largiori potu se continere. *Dicitur 2.* 5.
*excessus in potu*; nam si usus rationis aliter quam per potum tollatur, v. g. per odorem lupuli, per suffitum tabaci &c. non erit propriè ebrietas, attamen peccatum, & quidem mortale, si ex sola voluptate ad notabile tempus, v. g. ad horam ratio intercludatur; si enim sit mortale ex delectatione potûs se usu rationis privare, cur non ex delectatione tabaci, vel alterius fumi, aut suffitûs? Ratio à priori est, quod homo non sit dominus suæ rationis, sed administrator; ergo si eam absque sufficienti causa exturbet, graviter peccat contra naturam & Deum, sicut graviter peccaret, si absque sufficienti causa sibi abscinderet membrum.

*Dixi*: ad notabile tempus, nam videtur etiam hìc dari posse parvitatem materiæ, sicùt datur in læsione corporis vel sanitatis propriæ, quare non in læsione rationis? quis enim dicet peccare mortaliter eum qui ex fumo, ex intemperantia, vel agitatione in

gyrum momentaneam sibi causat vertiginem, & mentis interceptionem, ita ut nesciat ubi existat? *Dicitur 3. ad privationem usûs rationis*; quamdiu enim adhuc quis novit discernere inter bonum & malũ, ac dirigere actus suos ordinarios, v. g. prospicere familiæ, horas attentè legere, etsi lingua parum titubet, pedes vacillent, oculi caligent &c. adhuc non erit perfecta & mortalis ebrietas. *Less. Cajetan. Laym. Dicast.* Neque tunc, si quis in cibo vel potu excedat usque ad vomitum, vel ideo vomat ut iterum possit bibere; nam quamvis hìc sit magna deformitas, tamen excusatur à mortali, modo absit periculum ebrietatis, & notabiliter non lædatur sanitas, vel natura, causando graves dolores podagræ, vel capitis saltem ad plures dies, nauseam stomachi, febres, vitæ abbreviationem &c.; tunc enim graviter peccatur contra charitatem propriam, & jus, quod solus Deus habet in vitam & sanitatem nostram, ut plerumque contingit in iis, qui sæpius se vino immoderatè replent, de quibus Isaias cap. 5. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Et Prov. 23. *Cui væ? nonne his qui commorantur in vino?* *Væ* autem in Scripturis peccatum mortale denotat. *Dicitur 4. ad violentam privationem rationis*, per quod ebrietas distinguitur à somno, qui non violenter & contra naturam, sed ex naturæ institutione ad reparandas vires, & spiritus vitales rationem ad tempus sopit, ita tamen ut relinquat potentiam proximam iterum ratione utendi, si homo à somno excitetur; ècontra homo ebrius etiam vigilans ratione uti non potest, nec valet ad usum rationis excitari. *Dicitur 5. voluptatis causâ*: Hinc si quis bibat ad privationem rationis non quidem ob delectationem, sed ex alia levi vel insufficienti causa, v. g. ut satisfaciat amico, ut vincat per æquales haustus, ut non incurrat offensam, ut non vapulet vel diffametur; ex communiori non admittit formalem sed tantum materialem ebrietatem, peccat tamen juxta omnes mortaliter: quia sine justâ causâ se privat bono naturæ præstantissimo, scilicet ratione, cujus ipse non est dominus, sed custos: sicut peccat mortaliter qui ex tali causa sibi abscinderet brachium. Occurrit hic dubium principale, an saltem ex causâ gravissimâ, v. g. ad recuperandam sanitatem ex præscripto medici bibere liceat ad ebrietatem; aut pro conservanda vita, si inimicus tibi minetur mortem, nisi bibas? Negant utrumque *S. Antoninus p. 2. tit. 6. c. 3. Angelus V. ebrietas. Sylvius l. c. Tabien. Mend. d. 3. q. 14.* & quoad secundam partem *S. August. serm. 232.* de tempore, ubi dicit: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut biba, aut morieris, melius tibi erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Rationem dant, quia talis ebrietas non minus est intrinsecè mala, quam pollutio, quia sicut pollutio destruit semen humanum, sic ebrietas destruit rationem, quâ in homine nihil est præstantius; sicut

sicut ergo pollutio, & destructio seminis, etsi non fiat ex voluptate, nullo casu est licita, sic nec destructio rationis per potum: & quamvis ejusmodi potatio sit necessaria ad conservandam vitam, quia tamen vitam non servat secundùm bonum rationis quam destruit, non potest non esse contra sobrietatem, quæ necessariò est ad bonum rationis. Accedit, quod ebrietas per se sit causa rixarum, cædium, luxuriarum, blasphemiarum, &c. ergo ex lege naturæ meritò censetur omni casu prohibita. Econtrà utrumque licere affirmant *Cajetan. 2. 2. q. 150.* & ibid. *Valent. Sylvest. V. Ebrietas. Azor*, & plures alii apud *La Croix L. 5. num. 321.* Ratio est 1. quia si non bibatur ex necessitate, non est ebrietas formalis, sed materialis, quæ non est intrinsecè mala, sed licita ex urgenti causâ. 2. Quamvis homo non sit dominus suæ rationis, sicut non est dominus suorum membrorum, licitè tamen ad conservandum totum abscindit membrum, ergo etiam licitè ad tempus se privat usu rationis, ut vita, & ratio conservetur in futurum. 3. Potus necessarius ad conservationem vitæ non est contra sobrietatem, *S. Thom. q. 141. a. 6.* sed talis potus est necessarius ad conservationem vitæ, ergo. 4. Non est contra charitatem propriam abscindere brachium pro conservanda vita, ergo nec contra sobrietatem sopire per potum ad tempus rationem, ut conservetur totum, ratio, & vita. 5. Ex gravi causâ licitum est sumere pharmacum soporiferum, etsi quis statim ex somno ad usum rationis excitari non possit, ergo & ex tali causâ sumere potum inebriantem. Utraque sententia habet aliquid veri: Igitur *Dico*: si ipsa ebrietas seu violenta rationis privatio assumatur vel intendatur tanquam medium ad aliquem finem, v. g. ad recuperandam sanitatem vel evadendam mortem, nunquam licet, sicut nunquam licet pollutio seu directa expulsio seminis etiam pro conservanda vita, ut bene probat prima sententia; unde si quis tibi minetur mortem, gravissimam infamiam, mutilationem, verbera, nisi te inebries, non potes obsequi, & in hunc finem locutus est *S. August.* Similiter non potest se reus inebriare 10,
ut non sentiat tormenta vel angustias mortis, vel alius, ut non sentiat dolores podagræ, vel abscissionem pedis &c. quia tunc ipsa rationis privatio assumitur tanquam medium ad finem insensibilitatis. Econtrà si alter non intendat tuam ebrietatem, sed tantùm compotationem, absque mortali obsequi potes etiam cum periculo ebrietatis; item licitè sumis vinum generosissimum quantum opus est ad expellendum frigidum venenum, etsi certò prævideas te inebriandum, etiam ex suppositio quod talis ebrietas sit intrinsecè mala, sicut licitè sumis pharmacum ad expellendum semen corruptum, etsi certò prævideas simul expellendum semen verum: Ratio est, quia in his omnibus non intenditur vel procuratur directè ebrietas, sed conservatio vitæ & sanitatis, ex qua præter intentionem sequitur ebrietas;

ita

ita quoad rem *Dicastillo num.* 117. Ad argumenta secundæ sententiæ, etsi sint magni ponderis, responderi potest 1. N. quod ejusmodi ebrietas non sit intrinsecè mala. *Ad* 2. N. C. Sicut pro conservando toto non potest destrui semen humanum, sic nec usus rationis. *Dispar.* est, quod in dissipatione usûs rationis major sit deformitas contra naturam rationalem quam in destructione alicujus membri, quia homo per usum rationis distinguitur à bruto, igitur ebrietas quæ hunc usum destruit, facit hominem similem bruto, quod non facit abscissio membri. *Ad* 3. Potus necessarius ad conservationem vitæ non est contra sobrietatem, si adhibeatur cum integritate rationis, C. secus N. *Ad* 4. N. C. Omnia membra ordinantur ad totum ideoque ordo charitatis & rectæ rationis exigit, ut pro conservatione totius destruatur pars, si opus est: ratio autem non ordinatur ad vitam corporalem, sed vita corporalis ad vitam rationalem, seu bonum usum rationis. *Ad* 5. N. C. Sicut somnus, ita & pharmacum causans somnum directè, & ex natura ordinatur ad restaurandos spiritus vitales, non vero ad privationem usûs rationis, etsi hic indirectè sequatur. Ex præmissis

11. *Deduces seqq.* 1. Non est licitum urbanitatis vel amicitiæ gratiâ aliquem ad liberaliores haustus provocare cum periculo ebrietatis; neque licet semiebrio absque urgenti causa præbere ulteriorem haustum, ex quo creditur inebriandus; quomodo igitur excusabuntur qui ebrietatem non tantum non impediunt, prout ex charitate, si commodè possint, obligantur, sed & cogunt ultra naturam bibere? audi S. Aug. *serm.* 231. de temp.: *Certâ bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine..... O infelicitas generis humani! quàm multi inveniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius quam oportet, cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare? .... Et quod pejus est, aliqui Clerici qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plus bibere quam expedit:* Si tamen absit omne periculum ebrietatis, & intemperantiæ, urbanitatis esse potest se mutuò pro more patriæ ad amicum haustum invitare, *Dicast. num.* 150. 2. Ex rationabili causa, v. g. ex timore gravis inimicitiæ, rixarum, verberum licitum est alicui apponere vinum, relictâ ei libertate bibendi, etsi prævideatur inebriandus; quia hoc non est alterius ebrietatem causare, sed ex justâ causâ permittere. An verò liceat etiam concurrere directè aliquem ad ebrietatem inducendo, provocando, exhortando, difficilius est judicare: Affirmat *Less. L.* 4. *c.* 3. *dub.* 4., si id necessarium sit ad avertendam proditionem, homicidium, vel aliud gravius malum, quod alter paratus est patrare nisi inebrietur; quia licitum est, inquit, suadere, & allicere aliquem ad minus malum non simpliciter, sed ex supposito quod majus malum aliter impediri non possit, quod non est improbabile juxta dicenda *cas.* 19. *num.* 7. idque magis tenet si inducatur ad ebrietatem 12.

mate-

materialem præbendo ei vinum fortissimum, cujus vires ignorans, sine culpâ inebrietur. *Laym. L. 3. sect. 4. num. 6. Dicast. n. 145.* 3. Qui alium inebriat, ut secreta prodat, peccat contra temperantiam, & justitiam iniquè extorquendo secretum, ad quod jus non habet: neque licet Judici reum inebriare, ut sic inducat ad fatendum crimen, quia confessio ebrii non magis probat, quàm confessio fatui vel dormientis, ergo non est causa sufficiens ad inebriandum; neque licet reo etiam materialiter inebriare custodem carceris, ut ipse evadere possit, idque certum est, si sit justè incarceratus, quia ebrietas etiam materialis per se mala est, & gravia mala obinde evenirent custodi, quæ causandi non est sufficiens ratio. 4. Non 13.
tantùm ipsa ebrietas, sed etiam mala in ebrietate causata, homicidia, rixæ, contumeliæ, si præviſa sint, aut sciant talia à se fieri, imputantur ad culpam, & in confessione specialiter sunt explicanda. *Cajet. Gobat, Less. loc. cit.* 5. Qui alium ad compotationes inducit cum neglectu operarum, & dispendio rei domesticæ, ut non possit solvere debita, aut cogatur furari &c. præter peccatum scandali tenetur satisfacere pro damnis inde secutis, non quidem ipsi compotatori, qui, ut suppono, liberè consentit, sed iis qui obinde inviti damnum patiuntur. 6. Fatuum vel puerum ante usum rationis inebriare, non est saltem mortale, quia malitia ebrietatis consistit in privatione usûs rationis, sed potus hos non privat hoc usu, quia eo jam antecedenter carebant. Ergo. 7. Non videtur illicitum adhibere remedia Physica contra ebrietatem, velut brassicam crudam, amygdala amara, nucleos persicos, si id fiat ex rationabili causâ, quia, v. g. ob præsentiam hospitum potus commodè declinari non potest, nisi sit periculum ebrietatis aut graviter lædendæ sanitatis. *Gobat c. 51. n. 17.* 8. Effectus ebrietatis sunt hebetudo mentis, debilitas corporis, & omnis generis morbi, suppressio memoriæ, revelatio secretorum, blasphemiæ, rixæ, incontinentiæ. Prov. 23. *Cui væ? cujus patri væ, cui foveæ, cui sine causâ vulnera, cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* S. Hieron. in c. 5. ad Galat. *Vino hominis sensus evertitur, pedes corruunt, mens vacillat, libido succenditur.*

QUÆR. III. Quid sit Ira? 14.

R. Est inordinatus appetitus vindictæ; dico *inordinatus*, nam petere vindictam secundùm se est indifferens, & in Superiore pro æquo crimina vindicante actus virtutis; igitur peccaminosa iræ inordinatio consistit in eo, quod quis vel nimiùm, & plus quàm recta ratio dictet, in- aut exteriùs incandescat, vel in hoc quod quis appetat vindictam injustam, justò majorem, aut justam quidem, sed ex odio, aut ad satiandum malevolum animum: prima inordinatio ex genere suo est veniale, utpote excessus in passione indifferente, absque hoc, quod sibi in sanitate, aut alteri aliquod notabile damnum

causetur, quod suppono, aliàs enim per accidens foret mortale; ratione secundæ inordinationis est mortale, vel veniale directè oppositum charitati, prout grave vel leve malum, in vindictam proximo appetitur. Pessimæ sed fœcundæ matris plures sunt filiæ, odium, contumelia, rixa, blasphemia, homicidium &c.

15. QUÆR. IV. Quid sit Acedia?

R. Est tristitia de bono aliquo spirituali, v. g. amicitiâ Dei, vitâ æternâ, propter nimiam difficultatem in ea acquirenda, vel conservanda: sic descripta, si deliberata fuerit, est mortale gravissimum contra Deum tanquam ultimum finem, à quo se directè avertit, ùt si quis advertenter tristetur quod sit creatus ad gratiam & gloriam, quod unquam bona opera fecerit, quod Christum agnoverit. Acediæ mali partus sunt, amaritudo, tædium, nausea rerum spiritualium, odium Dei & eorum qui divina inculcant, aversio à verbo Dei, incuria salutis, tædium vitæ, desperatio &c. si tamen tædium circa finem ultimum sit inefficax cum voluntate adimplendi omnia præcepta, etsi remissiùs, & cum aliquo tædio adimpleantur, est tantùm veniale: quandoque per acediam intelligitur fastidium & remissio in quolibet exercitio virtutum; sic intellecta est solùm veniale, nisi omittantur actus virtutum graviter obligantes, v. g. lectio Breviarii, auditio Missæ &c.

EX

# EX TRACTATU DE FIDE, SPE ET CHARITATE.

## CASUS XIII.

### De natura, divisione, & necessitate Fidei.

NEbridius Catechumenus petit instrui 1. *Quid sit Fides?* 2. *Quotuplex.* 3. *Quodnam ejus objectum materiale & formale.* 4. *Quæ requisita ad Fidem.* 5. *Quæ sint motiva credibilitatis pro Fide Catholica.* 6. *An Fides necessaria necessitate medii.* 7. *An explicita Dei ut existentis & remuneratoris.* 8. *An in Christum & SS. Trinitatem.* 9. *Quæ fides requiratur ad justificationem.* 10. *Quæ hic sit obligatio parentum, Parochi, Confessarii.* 11. *Quæ praxis rudes instruendi.* 12. *Quid de iis qui ignorant Pater noster, Credo &c.* 13. *Quid de pœnitente qui dubitat an confessioni fidem sufficientem præmiserit.* 14. *Formula cum pœnitentibus eliciendi actus fidei, spei, charitatis, doloris &c.* Pro resolut.

1. QUÆR. 1. Quid & quotuplex sit Fides?

R. Fides actualis est *assensus ad objectum propter authoritatem dicentis:* si sit propter authoritatem dicentis Dei, dicitur Fides divina; si ob authoritatem hominis, humana. Habitus Fidei, seu ipsa Virtus Theologica quæ Fides dicitur, est qualitas supernaturalis permanenter adjuvans intellectum ad firmissimè assentiendum objecto revelato propter authoritatem Dei dicentis seu revelantis: vel, ut eam definivit Apostolus ad Hebr. 11. *Substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Dicitur 1. *Substantia rerum sperandarum;* quia fidei tanquam basi & fundamento tota spes & salus nostra innititur; dicitur, *argumentum non apparentium;* quia præcipua fidei mysteria sunt omnino obscura, & sæpe talia, quæ vim naturalem intellectûs excedunt, ut Deum esse trinum & unum, Christum esse Deum simul & hominem, Christum in Eucharistia esse realiter præsentem in tota, & qualibet parte hostiæ &c. &c. Et quamvis quidam articuli sint naturali lumine noti, ut Deum existere, Deum esse summum bonum &c. tamen in illis credendis

non ita elucet virtus fidei, quàm in obscuris, in quibus intellectus etiam contra naturalem inclinationem se submittit authoritati Dei dicentis.

2. R. 2. Fides divina dividitur 1. in Naturalem & Supernaturalem. *Supernaturalis* est, in quam influit supradictus habitus, vel aliud principium supernaturale, illum habitum supplens, ùt contingit in conversione hominis, qui vel non habuit, vel per incredulitatem amisit habitum fidei: *Naturalis* est, in quam non influit aliquod principium supernaturale &c. 2. Dividitur fides in Im- & Explicitam: *Implicita* est, quando aliquid creditur non in seipso, sed in alio in quo includitur, sic qui credit omne quod credit Ecclesia, implicitè etiam credit necessitatem Gratiæ &c. *Explicita* est, quando aliquid in seipso seu propriis terminis creditur v. g. credo Deum unum in essentia, & trinum in personis. 3. Dividitur in Formalem, Virtualem, & Habitualem: *Fides formalis* est actus præsens perceptibiliter tendens in objectum, propter authoritatem Dei dicentis; *virtualis* secundùm veriorem est actus tenuis imperceptibiliter tendens in objectum materiale propter formale, pari modo, quo perfectus musicus se virtualiter reflectit ad regulas, etsi id minùs advertat, vel viator (ùt ait *D. Th.* 1. 2. *q.* 1. *a.* 6.) pergit in patriam, & rusticus arat seminatque ex spe fructuum; quamvis nec viator expressè semper cogitet de patria, nec rusticus de fructibus, quia scilicet amor patriæ pergit imperare iter, & spes fructuum labores: alii è contra dicunt fidem virtualem esse nequidem tenuem actum fidei, sed effectum omnino distinctum & relictum à fide actuali præterita: at non est certum quòd ejusmodi fides virtualis sufficiat ad justificationem, cùm SS. PP. Concilia & Theologi plerique requirant fidem strictè sumptam & plurimi actualem, qualis non est hæc virtualis: *Fides habitualis* est actus præteritus non retractatus, qualis etiam esse potest in dormientibus.

QUÆR. II. Quodnam sit objectum Fidei? 3.

R. 1. Objectum materiale proximum Fidei est omne revelatum, seu verbum Dei scriptum & traditum. *Probatur:* Illud est objectum materiale proximum Fidei, quod est aptum proximè credi, sed omne & solum revelatum est aptum proximè credi, ergo. R. 2. Objectum formale, motivum fidei est authoritas Dei dicentis, seu est aliqua perfectio Deo intrinseca, per quam Deus est dignus assensu firmissimo, videlicet omniscientia, quâ Deus omnia cognoscit, sicut sunt in se, & veracitas, quâ necessariò loquitur sicut cognoscit; unâ harum deficiente Deus non esset dignus assensu fidei; nam si quidem cognosceret omnia sicut sunt in se, sed aliter loqueretur, falleret credentes; si loqueretur quidem sicut cognoscit, sed non cognosceret res sicut sunt in se, ipse falleretur, sed qui fallit, aut fallitur, non est dignus assensu firmissimo, ergo. Si quis propter authoritatem Dei dicentis

sentis assentiatur objecto quod erroneè putat esse revelatum, non habet fidem defectu objecti materialis, si objecto revelato assentiatur propter authoritatem hominis, v. g. Parochi, vel Concionatoris, non habet fidem defectu objecti formalis, & motivi.

4. QUÆR. III. Quæ prævièe & concomitanter ad fidem requirantur?

℟. Ad actum fidei supernaturalem & meritorium requiritur 1. ex parte intellectûs interna Spiritûs Sancti illustratio, quâ incipiat inquirere in motiva credibilitatis, quibus moraliter certò & evidenter persuadeatur, quòd hoc vel illud objectum reverà sit revelatum, ideoque possit & debeat credi; quapropter dicitur Joan. 16. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; & non sufficere cognitionem probabilem revelationis, sed requiri certam, patet ex Propositione 21. ab Innocentio XI. damnatâ: *Assensus supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis*; *imò cum formidine, cum qua quis formidat, ne sit locutus Deus.* Ratio est, quòd intellectus, quamdiu non est certus quòd hoc vel illud sit revelatum, non possit sibi prudenter imperare assensum super omnia firmum, qualis esse debet assensus fidei, & *Qui citò credit, levis est corde.* Eccl. c. 13. 2. Requiritur cognitio authoritatis seu infallibilitatis Dei in cognoscendo & revelando, seu loquendo. 3. Requiritur pia affectio seu voluntas intellectum suum in re quantumcunque obscura submittendi Dei dicentis authoritati, juxta illud 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; ab hac voluntate fides divina dicitur libera & meritoria; potest etiam hæc voluntas efficere, ut assensus intellectûs sit firmior quàm præcisè mereantur motiva credibilitatis, ùt iterum certum est ex Propositione 19. ab Innoc. XI. damnatâ: *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit firmior quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Demum sequitur ipse actus seu assensus fidei &c.

5. QUÆR. IV. Quæ sint motiva credibilitatis pro Fide Catholico-Romanâ?

℟. In primæva Evangelii promulgatione potissimùm fuerunt miracula; nunc verò propagatâ per orbem fide Christianâ est authoritas Ecclesiæ, non prout est organum Spiritûs S. per eam credenda proponentis, sic enim involvitur ipsa Dei seu Spiritûs S. revelantis authoritas, & in resolutione fidei committeretur vitiosus circulus, ùt patet consideranti; sed quatenus ei conveniunt Notæ veræ Ecclesiæ, scilicet 1. *Unitas Fidei & Capitis*: 2. *Sanctitas doctrinæ & morum* per observationem non tantùm mandatorum, sed etiam consiliorum Evangelicorum. 3. Quòd sit *Catholica* seu *Universalis* per totum orbem promulgata. 4. Quòd sit *Apostolica* per identitatem doctrinæ cum doctrinâ Apostolorum, & continuam successionem Episcoporum ab Apo-

ſtolis uſque huc deductam, & in eadem uſque modò perſeverant miracula, ùt conſtat ex pluribus hiſtoriis, quibus ſaltem non minor fides debetur, quàm hiſtoriis profanis; neque hæ Notæ conveniunt ulli alteri ſectæ v. g. Lutheraniſmo, vel Calviniſmo; nam hæ ſectæ non habent unitatem, nec capitis, nec doctrinæ; ſed tot ferè habent capita Eccleſiæ, quot incolunt provincias, tot diſtincta fidei myſteria, quot ſunt Conſiſtoria, ùt apertè demonſtrat *Bellarminus*, *Becanus*, *Cochlæus*, *Segneri*. Debere autem Eccleſiam eſſe unam unitate capitis & doctrinæ, patet, tum quia talis fuit Eccleſia primitiva: tum quia id clarè docet Apoſtolus ad Epheſios 4. *Ut omnes in unitate Fidei occurramus, & non circumferamur omni vento doctrinæ*: & ipſa naturalis ratio id evincit: ſi enim in Eccleſia non ſit unitas doctrinæ circa res fidei, Eccleſia erit regnum in ſe diviſum, & poterunt in ea doceri doctrinæ repugnantes & falſæ. Secundò, Eccleſia Lutheranorum & Calviniſtarum non eſt ſancta; docent enim multa à recta ratione aliena & blaſphema, ùt quòd Chriſtus in cruce deſperaverit; quòd Deus non ſit ubique in mundo; quòd homo non habeat liberum arbitrium, & quòd Deus ſit author peccati, ita *Calvinus*. Lutherus docet, Chriſtianum etiam volentem non poſſe quantiscunque peccatis perdere cælum, & quantò quis eſt ſceleratior, tantò citiùs à Deo conſequi gratiam, & plura alia, quæ certè non viam ad virtutes, ſed ad quælibet ſcelera aperiunt; ejus verba exhibet *Tann. q. 3. num.* 140.; & *num.* 161. demonſtrat eorum ſectas non eſſe Catholicas ſeu univerſales; neque eſſe Apoſtolicas, eò quòd ſe non extendant ad omnia loca & tempora Apoſtolorum, ſed longo poſt Apoſtolos tempore à perditæ vitæ hominibus cœperint, & certis claudantur terræ angulis &c. Unde patet qualiter reſolvenda ſit Fides Catholica. V. g. quæritur, cur credas Purgatorium? Dic, quia Deus verax, qui nec falli nec fallere poteſt, id dixit. Unde ſcis Deum hoc dixiſſe? quia id tradit Chriſti Eccleſia, quæ ob aſſiſtentiam Spiritûs S. errare non poteſt. Unde ſcis Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam? quia ſcio ei ſoli & non alteri convenire Notas veræ Eccleſiæ. In rudibus, qui evidentiam motivorum credibilitatis capere non poſſunt, Deus per lumen gratiæ plerumque ſupplet, eosque ſatis certificat de revelatione objecti credendi.

QUÆR. V. Qualiter fides ſit neceſſaria neceſſitate medii? 6.

Reſponſio conſtabit ex ſequentibus. 1. Duplex eſt neceſſitas, Præcepti & Medii: *Neceſſaria neceſſitate medii* dicuntur, quæ ita ſunt neceſſaria ad ſalutem & finem conſequendum, ut homo iis deſtitutus ſecundùm legem Dei ordinariam ſimpliciter ſalvari nequeat, ſtante etiam quâcunque impotentiâ vel ignorantiâ invincibili; ſic infantibus neceſſarius eſt baptiſmus, peccatoribus adultis pœnitentia: *Neceſſitas præcepti* dicitur, quâ aliquid ad

ad salutem ex præcepto Dei vel Ecclesiæ necessariò quidem est præstandum, si tamen ex impotentia vel ignorantia inculpabili non præstetur, salutis consecutionem non impedit. 2. Non est hìc quæstio de habitu fidei, nam hunc utì & alios habitus virtutum supernaturalium esse simpliciter necessarios ad salutem, certum est ex *Concilio Trid. sess. 6. c. 6.* Ratio est, quia ejusmodi habitus fundantur in Gratia sanctificante, & simul cum ea infunduntur; ita ut si desit vel unus talis habitus, etiam desit gratia, quam necessariam esse necessitate medii nemo dubitat: igitur quæstio procedit de fide actuali.

7. 3. *In omni statu Legis Naturæ, Scriptæ & Evangelicæ, omni homini ratione utenti simpliciter, seu necessitate medii necessaria fuit fides supernaturalis explicita Dei ùt existentis & ùt remuneratoris supernaturalis per gratiam & gloriam.* Est certissimum & de fide Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & requirentibus se remunerator sit.* Ratio est, quia Deus, ùt remuneratur gloriam supernaturalem, est finis ultimus hominis, sed in hunc finem consequendum homo tendere non potest, quin eum per fidem supernaturalem ùt talem cognoscat & credat: *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo:* & *, fides est substantia rerum sperandarum.* Hebr. 11. Ideoque Innoc. XI. meritò damnavit hanc 22. Prop. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* Dixi: *Omni homini ratione utenti*; quia infantes & perpetuo amentes, cùm non sint capaces fidei actualis, salvantur per solum baptismum. 4. Post lapsum Adæ 8.
etiam simpliciter necessaria est saltem fides *implicita* in Christum ùt mediatorem. Est iterum de Fide: *Neque enim aliud nomen datum sub cælo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. & Ratio est clara, quia homo post lapsum non potest ex se, sed ex solo Deo consequi gratiam, & salutem, ergo debet per fidem & spem tendere in Deum ùt Salvatorem, & liberatorem, quocunque tandem mediatore vel liberatore placito, qui de facto est Christus. Dixi: *Saltem implicita*, quia in Lege nova post promulgatum sufficienter Evangelium ex communiori sententia necessaria necessitate medii est fides explicita in Christum, & per consequens in sanctissimam Trinitatem, ita ut eâ etiam invincibiliter omissâ homo nec salvari nec peccator justificari possit. *D. Th. 2. 2. q. 62. a. 8.* & clariùs *in 3. dist. 25. q. 2. a 2 Jo. à S. Th. Phil. à SS. Trinitate, Valentia, Molina, Spor. Mezger tr. 10. d. 18. a. 2. num. 12.*

*Dices:* Ergo infideles, quibus nunquam prædicatum fuit Evangelium, ideoque invincibiliter ignorant Christum & mysterium sanctissimæ Trinitatis, ob defectum talis fidei damnabuntur, quod videtur repugnare infinitæ Dei misericordiæ. R. Vel ejusmodi infideles faciunt quod in se est, servando legem Naturæ, & tunc eos Deus illuminabit internè, vel etiam externè per media extraordinaria, ùt con-

contingit Centurioni Act. 10. & Eunucho Act 8. vel non servant legem Naturæ, & tunc propter hæc peccata, & non ob defectum Fidei damnabuntur. 5. Ad justificationem peccatoris de necessitate medii requiritur fides explicita saltem virtualis non tantùm de Deo ùt remuneratore, sed etiam de Christo, de sanctissima Trinitate, de animæ immortalitate, & necessitate gratiæ: neque de hoc in praxi potest esse dubium: quia agitur de valore Sacramenti, & sententiæ negantes vel sunt improbabiles, vel solùm probabiles & incertæ, ùt ostendunt *DD.* citati, & *La Croix L. 2. à n. 19.* Imò ante justificationem per fidem supernaturalem proponi debent motiva spei, at-vel contritionis, alioquin hi actus non erunt supernaturales, & per consequens insufficientes ad justificationem. Infernus tamen & Cælum non necessariò explicitè creduntur, sed sufficit ea credere implicitè per hoc quod credatur Deus esse remunerator bonorum, & malorum; fides Purgatorii tantùm necessaria est ex præcepto. De fide prout necessariâ ex præcepto, dicam *cas. seq* Ex præmissis

9.

10. *Deduces seqq.* 1. Quàm gravis sit obligatio parentum & Parochi suos in Fide orthodoxa instruendi, & ad captum explicandi, qualiter fidem, spem, charitatem, at-& contritionem elicere debeant, tum quia vel unus hujusmodi actus plus meretur quàm plura jejunia, rosaria, cilicia &c., tum maximè quia sine his etiam invincibiliter ignoratis homo adultus neque in-neque extra Sacramentum Pœnitentiæ justificari potest; tum denique quia sine actu fidei vel supernaturalis prudentiæ (quæ ad Fidem reducitur) ne vel unus actus meritorius elici potest. 2. Non tantùm Parochus, sed & confessarius, si prudenter dubitet (qualiter ordinariè dubitare non potest de hominibus doctis, bene educatis aut frequenter confitentibus) an pœnitentes habeant fidem ad valorem Sacramenti requisitam, tenetur vel eos ante absolutionem instruere, & cum iisdem actus necessarios elicere juxta formulam infra exhibendam, vel si ob copiam pœnitentium commodè non possit, ad Parochos remittere, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis; quod si pœnitentes credantur Parochum vel Catechismum pro necessaria instructione non adituri, eò quod custodiâ v. g. pecorum, vel aliis negotiis impediantur, ex charitate quidem sunt instruendi, seriò tamen monendi, ut curam salutis & occasionem hauriendi dogmata fidei quibusvis aliis præponant. 3. Cùm cogitare de objecto credendo non sit credere, non sufficiet ex rudibus aut pueris quærere, an hoc vel illud credant, sæpe enim affirmabunt se credere, etsi revera nesciant, quid propriè sit credere, sed debent iis ad captum proponi motiva Fidei, quærendo v. g. Quare potiùs credant suo Parocho, quàm juveni indocto & petulanti? Respondebunt utique, quia parochus tanquam homo doctus scit, quid loquatur, & aliter non loquitur,

11.

quitur, quàm cognoscat; è contra juvenis indoctus & petulans vel multa profert, quæ non intelligit, vel aliter profert quàm intelligat; applicent hanc responsionem Deo, qui est omniscius & singula cognoscit sicut sunt in se, & dicit sicut cognoscit, qui fallere non potest nec falli: idem dicendum est de actibus spei, charitatis, at- & contritionis, quorum motiva pariter rudibus clarè & emphaticè proponenda sunt. 4. Si instruendus quærat, ubinam hæc vel illa sint revelata? expedit in promptu habere aliquos textus S. Scripturæ, quibus præcipua Fidei mysteria probare possis, etsi catholicis sufficere debeat quod hoc vel illud tanquam revelatum & credendum proponat Ecclesia, quæ ex effato Christi est columna veritatis, invicta petra adversus portas inferi, quam qui non audit, eum vult Christus haberi tanquam ethnicum & publicanum; si verò instruendus fuerit acatholicus, aut dubitet an Romano-Catholica sit vera Christi Ecclesia, ei monstrandum est qualiter Notæ veræ Ecclesiæ conveniant soli Catholico-Romanæ,
12. secundùm dicta *q.* 4. 5. Si pœnitens nesciat ea, quæ saltem quoad substantiam (etsi non eo ordine quo præscripta sunt) sub gravi præcepto memoriter scire tenetur, qualia sunt *Oratio Dominica*, *Ave Maria*, *Symbolum Apostolorum*, *decem præcepta Decalogi*, *septem Sacramenta*; examinari debet de negligentia addiscendi, quæ non rarò intercurrit, quam si dolorosè confessus fuerit cum proposito ea proximè addiscendi, poterit absolvi, etiamsi ea de facto memoriter non teneat, modò cætera adsint ad valorem Sacramenti requisita.

6. Si pœnitens dubitet, vel non re- 13.
cordetur, an actus fidei circa mysteria *q.* 5. assignata confessioni semper præmiserit, attendi debet, an super his sufficienter fuerit instructus? an ejusmodi actus sæpe elicuerit? Si ita, prudenter præsumere poterit se de illis habuisse fidem, saltem virtualem, maximè tunc quando homo se ad confessionem per spem veniæ, per dolorem de Deo offenso, de gratiâ & cœlo, per peccatum amisso &c. disposuit: Cùm enim intellectus tunc circa hæc mysteria actu occupetur, & de illis certitudinem, quam naturaliter appetit, aliunde habere non possit, semper recurret ad motivum Fidei; è contra si pœnitens circa sæpe dicta mysteria rarò, aut nunquam fidem formalem elicuerit, aut circa hæc mysteria aut motivum credendi non fuerit satis instructus, præsumptio est, quod confessiones præcedentes sint nullæ, ideoque repetendæ: sola tamen oblivio, vel non recordatio, an tales actus adfuerint in homine bene educato, Conciones & Catechismum frequentare solito, non est sufficiens motivum obligandi ad repetendas confessiones præteritas.

7. Cùm Confessarius pœnitentes 14.
ignorantes circa motiva Fidei, Spei, At- & Contritionis ex officio sæpius instruere, vel etiam eos cum iis elicere debeat, id commodissimè fieri poterit hâc vel simili forma: *Num-*

*quid credis peccatrix anima, quod his peccatis Dominum Deum summum bonum tuum graviter offenderis, Deum, qui te ex nihilo creavit ut cum ipso perpetuò esses beatus, qui te per mortem amantissimi Filii sui ab inferno redemit, per Spiritum S sanctificavit? Nunquid hæc credis & quidem ideo, quia ipse Deus, qui nec falli nec fallere potest, hæc revelavit? Ecce Divina ejus bonitas post tot peccata adhuc non vult te perire, sed potest, & vult tibi paternam suam gratiam ad salutem æternam unicè necessariam restituere, modò serio peccata tua detesteris & emendare proponas: illum solum, qui tot modis te amavit & amari est dignissimus, toto corde redamnes & posthac fideliter servias &c.* In hac forma continentur omnia quæ ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiruntur, inprimis explicita fides circa mysteria creditu necessaria, & motivum ea credendi; Deinde objecta spei, at- & contritionis cum eorundem motivis, ùt patebit consideranti: quæ omnia si status & ignorantia pœnitentis exigat, magìs aut prolixiùs inculcari poterunt.

## CASUS XIV.

### De præcepto in- & externo Fidei, & de vitiis Fidei oppositis.

ORosius neo-conversus *petit* 1. *Ad quid obliget præceptum fidei negativum.* 2. *An dubitans teneatur inquirere.* 3. *Quid de præcepto affirmativo.* 4. *Quando obliget.* 5. *Quid de præcepto affirmativo externo.* 6.-7. *Quid si interrogeris à privato.* 8.-9. 10. *Quid de præcepto fidem exteriùs non negandi.* 11. *Qualiter amittatur habitus fidei.* 12. *Quæ sint vitia fidei opposita.* 13. *Quæ pœna hæreticorum.* 14. *Quando incurrantur.* 15. *An etiam à rudibus.* 16. *An quis ad fidem cogi possit.* 17. *Quid si interrogeris an sis Sacerdos, Monachus &c.* 18. *An sis fidei Regiæ vel reformatæ.* 19. *Quid si carnes apponantur ad explorandam fidem.* 20. *Quid de cœnâ Calvinisticâ ejusque pane, item de conculcatione SS. Imaginum.* 21. *An liceat obedire jubenti edere carnes vel frequentare templa hæreticorum.* 22. *Quid si mandatum sit, ut si qui adsint fideles, exeant è patria &c.* 23.-24 *In quibus prohibitum sit communicare cum hæreticis;* 25. *Cum Judæis?* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid circa præceptum internum Fidei? 1.

R. 1. Præceptum internum Fidei est duplex, Affirmativum, & Negativum. Præcepto *negativo* prohibemur nun-

nunquam internè dissentire aut voluntariè dubitare de objecto Fidei sufficienter proposito; Dico de objecto sufficienter proposito; nemo enim potest credere, quamdiu Fidei nostræ mysteria vel ab extrinseco, vel per internam illuminationem ipsi non apparent evidenter credibilia seu revelata, ùt certum est ex Prop. 21. ab Innoc. XI. damnatâ: *Assensus supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò & cum formidine, quâ quis formidat, ne non sit locutus Deus*: ideoque hæreticus & infidelis, quamvis non possit credere, quamdiu sua secta sibi videtur probabilis, vel probabilior, potest tamen & tenetur per se in veram Fidem inquirere, & à Deo lumen petere, alioquin non excusabitur ab infidelitate, ùt iterum constat ex Prop. 4. ab eodem Innoc. damnata: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.*

*Dices* 1. Catholicus dubitans de veritate sectæ oppositæ non tenetur in ejus veritatem inquirere, sed tenetur dubium deponere, ergo & infidelis, si bonâ fide in sua sectâ usque huc perstiterit, non tenebitur inquirere, sed dubium deponere. 2. Multi infideles & hæretici rudiores, à suis persuasi, invincibiliter credunt se peccare, si dubitent de suâ fide, & in nostram inquirant, ergo illi saltem non tenentur inquirere, aliàs enim tenerentur agere contra conscientiam invincibiliter erroneam, quod implicat; quomodo ergo hi poterunt pervenire ad veram fidem, & salvari?

*R. Ad* 1. N. C. Catholicus qui semel credidit, illi sua fides apparuit certò & evidenter privativè credibilis, ergo non habet fundamentum dubitandi, & inquirendi in fidem oppositam, infideli autem vel hæretico nunquam fuit aut esse potuit sua secta evidenter privativè credibilis; si enim diligenter inquisivisset in motiva opposita, semper invenisset majus & majus fundamentum dubitandi.

*Ad* 2. Admitto tales stante illo errore invincibili de suâ sectâ dubitare non posse, ideoque sunt hæretici tantùm materiales, quales propter allatam rationem etiam probabiliùs dantur in Germania, qui si sine peccato juxta leges Naturæ vivant, Deus illos illuminabit, ut tandem de suâ fide incipiant dubitare & veram amplecti.

*R.* 2. Præcepto affirmativo obligamur sæpius elicere assensum Fidei circa mysteria explicitè proposita, maximè circa ea quæ continentur in Symbolo Apostolorum. *D. Th.* 2. 2. *q.* 2. *a.* 5. quoties autem, est incertum: Prob. 1 mò ex S. Scriptura 1. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus ut credamus.* 2. Ex Prop. 65. ab Innoc. XI. damnatâ, quæ sic habet: *Sufficit illa mysteria semel credidisse.* 3. Ratione, quia tenemur continuò christianè vivere, &, ùt ait Apostolus ad Rom. 1. *Justus ex fide vivit*; sed non possumus continuò ex fide & christianè vivere, nisi sæpius actuali fide animos ad cœlestia erigamus, ergo. Quod autem sit incertum quoties sit obligatio ad actus Fidei, etiam patet, quia id nullibi est definitum, nec Theologi

4. conveniunt : Verius autem videtur quod non sit obligatio eliciendi actum Fidei omni die festo circa mysteria tunc celebrari solita, ùt quidam volunt, sed sufficit toties elicere, quoties opus est ad hoc ut quis dicatur christianè vivere, & habitualiter scire mysteria credenda *Lugo d.* 13. *n.* 23. Cæterùm tempus, quo per se specialiter obligat præceptum Fidei, communiter assignatur 1. Quando puer incipit habere usum rationis. 2., Quoties mysterium nondum cognitum adulto sufficienter proponitur. 3., In articulo mortis. 4., Quando tentatio circa fidem aliter vinci non potest, hoc tamen plerique dicunt solùm habere locum quoad tentationem externam v. g. Tyranni, nam interna tentatio videtur meliùs vinci per contemptum & aversionem mentis, maximè in scrupulosis. 5. Per accidens est obligatio ad actus Fidei, quandocunque est obligatio ad actus spei, charitatis contritionis, aut ad Sacramenta, quia hæc omnia sine fide haberi non possunt ùt oportet.

5. QUÆR. II. Quid circa præceptum externum Fidei?

R. *Seqq.* 1. Hujusmodi præceptum iterum aliud est Affirmativum, aliud Negativum. *Affirmativum obligat etiam cum periculo vitæ ingenuè exteriùs confiteri fidem quoties id exigit honor Dei, propria vel proximi salus* : Ecce regulam generalem, quam tenent omnes cum *D. Th.* 2. 2. *q.* 3. *a.* 2. & patet ex verbis Christi Matt. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus &c.* Item Luc. 9. v. 26. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ.* Hinc si quis interrogetur à Magistratu vel Potestate publicâ, tenetur Fidem suam sine ambiguitate aut æquivocatione, etiam cum dispendio vitæ manifestare, quia revera est magnus honor Deo & Christo, est Fidei confirmatio, proximi ædificatio, coram Principibus, & Magistratibus sæculi eorumque Tribunalibus Fidem cum vitâ & sanguine tueri; idque testatur exemplum SS. Apostolorum ac Martyrum & totius Ecclesiæ sensus: quo honore Deum privant qui fidem manifestare erubescunt; ideo Innoc. XI. meritò damnavit Prop. 18. *Si à potestate publicâ quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri ùt Deo & Fidei glorioſum consulo, tacere ùt peccaminoſum non damno.* Dixi : *Sine æquivocatione, vel restrictione*; nam si Potestas publica vel etiam privatus hæreticus quærat, an sis religionis Evangelicæ aut reformatæ, & respondeas; quod sic, subintelligendo religionem Catholicam, quæ verè est Evangelica, & per *Trid.* reformata, negas Fidem, quia ex circumstantiis loci, temporis, & interrogantis intentione per religionem Reformatam intelligitur Calvinistica, per Evangelicam Lutherana, per consequens affirmando te esse talis religionis, affirmas te esse Calvinistam vel Lutheranum, ideoque negas fidem. Econtrà interrogatus à privato, 6.
etsi nullo casu possit Fidem negare, attamen etiam, per se loquendo, non

non tenetur eam manifestare, sed potest quæstionem verbis aut signis ambiguis eludere vel contemnere, dicendo: *quid ad te?* &c., quia tunc plerumque non patitur honor Christi, & silere non est negare, sed ex justâ causâ dissimulare seu celare fidem; Dixi: *per se loquendo*; nam si etiam privatus blasphemet Sanctos, eorumque imagines conculcet, Ecclesiam calumnietur, Catholicos tanquam idololatras cum scandalo rudium traducat, & in speciem per sophismata ad irrisionem Fidei nostræ probet, si cum fructu
7 possis, quamvis de Fide non interrogeris, teneris non tantùm fidem tuam manifestare, sed adversarii argumenta etiam cum periculo vitæ convellere, honorem Dei & Ecclesiæ tueri, ùt habet *communis* cum *Sporer t. 2. in decal. c. 2. num. 25. Tamb. L. 2. c. 1. §. 2. num. 7.* quia Fides confitenda & tuenda est quandocunque id exigit gloria & honor Dei, Christi, ejusque Ecclesiæ, ac Sanctorum, *ne via veritatis blasphemetur.* 2. Pet. 2. Idem dicit *D. Th. sup. ad 2.*: si tua confessio (eo quod v. g. sis homo in magna authoritate constitutus) sit necessaria *ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insultationem*, tunc etiam à privato interrogatus teneris fidem fateri, vel saltem interrogationem taliter eludere, ut non scandalizentur infirmi, neque censearis negare vel erube-
8. scere fidem. 2. Præcepto externo negativo prohibemur nullo unquam casu vel periculo etiam mortis Fidem expressè, tacitè, vel interpretativè exteriùs negare, etiamsi in corde vera fides retineatur. Est *communis* & certa cum *D. Th. q. 4. a. 3.* ex illo Matt. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Item ex Prop. damnata in Concilio Rom. teste Baron. ad ann. 254. *Licitum est exteriùs fidem negare instante persecutione, & sufficit in animo suo interiùs retinere.* *Expressè* fidem negat, qui claris verbis vel signis negat vel unum fidei articulum v. g. Purgatorium, aut negat se esse Catholicum vel Papistam, aut dicit se esse alterius sectæ v. g. Lutheranum, Calvinistam: *interpretativè vel implicitè* fidem negat, qui vel veram fidem non confitetur, quando ex præcepto est confitenda, vel verbo, signo, aut facto confitetur religionem falsam; quod tunc fit (ecce regulam generalem) *quando quis ponit actionem quæ vel sit ipse cultus falsus, ùt thus adolere,* 9. *genuflectere idolo, sumere cœnam Calvinisticam &c. vel saltem ex se & circumstantiis significet professionem falsæ religionis*; ùt si Rex Angliæ jubeat ut omnes qui profitentur religionem Anglicanam, & Regem pro capite Ecclesiæ agnoscunt, ferant in signum suæ fidei cæruleum linteum in pileo, comportent ligna ad exurendam statuam Summi Pontificis, bibant Regis & hostium Papistarum sanitatem, hæc omnia in his circumstantiis sunt abnegatio externa Fidei & professio falsæ religionis, ideoque intrinsecè mala: idem est si quis impetteret immunitatem vel salvum conductum ideo validum vel utiliorem, quia in iis

exprimitur quod sit alterius religionis, quam Catholicæ, *La Croix L. 2. num. 62.* Si verò signa non significent determinatè professionem falsæ religionis, sed tantum distinguant nationem à natione, ùt portare habitum 10. Turcarum, Judæorum, Anglorum &c. iis ex gravi causâ uti licitum est; imò quamvis ejusmodi signa videantur significare professionem falsæ sectæ, veluti habitus sacerdotalis Judæorum, Turcarum, Mahomet depictus in vexillis &c. modò ex circumstantiis alium usum vel significationem habere possint quàm præcisè professionem sectæ falsæ, ex gravissima saltem causa v. g. ad effugiendam mortem, ad reportandam justam de hoste victoriam adhiberi poterunt. *Lugo de fide d. 14. sect. 5. n. 82. Tamb. loc. cit. Laym. L. 2. t. 1. c. 11.* ubi addit se non audere damnare milites Christianos, qui ad decipiendos hostes utuntur vexillis, habitu, & sermone Turcis vel aliis Gentibus proprio, nec ego damno: Ratio est, quod hæc signa quamvis assumi soleant ad significandam falsam sectam, tamen in his circumstantiis non ita assumuntur, sed tantùm ex gravi causa permittitur ut hostis judicet ita assumi, & si usus horum signorum in his circumstantiis esset in facto negare veram, vel mentiri falsam religionem, ergo nec ad effugiendam mortem liceret masculo uti veste fœmineâ, quia esset mentiri, ideoque intrinsecè malum, hoc autem est contra communem: imo possunt esse circumstantiæ in quibus illa signa nullam habeant significationem falsæ fidei, & tunc etiam absque gravi causa adhiberi poterunt, sic enim videmus passim Christianos uti vestibus Turcicis, Judaicis etiam sacerdotalibus ad recreationem in bacchanalibus, & comœdiis; videmus ad ornatum adhiberi imagines Mercurii, Jovis, Veneris, Lutheri, Calvini &c.

QUÆR. III. Qualiter amittatur habitus fidei? 11.

R. Non amittitur per quodlibet mortale, sed tantùm per peccatum infidelitatis, hoc enim fidei directè opponitur. Est de fide ex *Trid. sess. 6. c. 15. & 26.* ubi sic habet: *Si quis dixerit amissâ per peccatum gratiâ simul & Fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.*

QUÆR. IV. Quid de vitiis fidei oppositis eorumque pœnis? 12.

R. *Sequentia* 1. Fidei opponitur infidelitas, quæ si per actum positivum fidei resistat, dicitur positiva; si sit pura omissio vel carentia fidei, dicitur negativa; hæc negativa infidelitas si nequidem interpretativè sit voluntaria, dicitur pura, qualis est in illo, cui citra suam culpam mysteria fidei nunquam sunt proposita; si sit saltem interpretativè voluntaria, dicitur non pura. 2. Positiva infidelitas à *S. Th.* dividitur in *Paganismum*, per quem resistitur fidei nondum susceptæ; in *Judaismum*, per quem resistitur fidei susceptæ in figura; & in *Hæresin*, per quam resistitur fidei susce-

susceptæ per baptismum. 3. Hæresis est error contra fidem verè susceptam. *Dicitur* 1. *Error*, qualem etiam habet qui affirmativè dubitat, id est, qui judicat propositionem fidei esse incertam, posse esse falsam; item qui negat aliquid, quod falsò ab Ecclesia putat esse definitum, hic enim implicitè dicit Ecclesiam in definiendo posse errare, qui est error contra fidem: *Dicitur* 2. *Contra fidem jam susceptam* saltem per baptismum, nam qui ante baptismum à fide susceptâ deficit, ut potest contingere in catechumeno, quamvis in foro conscientiæ sit hæreticus, non tamen in foro externo quoad incurrendum pœ-
13. nas hæreticorum. 4. Pœnæ ab Ecclesia in hæreticos latæ sunt 1. Excommunicatio major latæ sententiæ, soli Papæ in Bullâ Cœnæ reservata, quæ etiam extenditur ad hæreticorum fautores, defensores, receptatores: Item ad legentes, retinentes, defendentes, imprimentes libros hæreticos, de quibus dicam *cas.* 105. *q.* 3. *& seqq.* 2. Irregularitas saltem pro hæretico notorio. 3. Inhabilitas ad beneficia. 4. Infamia. 5. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Pœnæ civiles sunt confiscatio bonorum & liberatio subditorum ab obedientia illius, qui nominatim est excommunicatus, sed hæ ultimæ pœnæ in Germania non observantur, Summo Pontifice ob potentiam hæreticorum dissimulante, teste *Engel lib.* 5. *decret. tit.* 7. *num.* 16.
14. 5. Ut pœnæ Ecclesiasticæ incurrantur, debet hæresis esse *interna, plenè deliberata, pertinax & exterius manifestata*; pœnalia enim strictè interpretanda sunt: *Dicitur* 1. *Interna*, nam qui tantùm externè negat fidem, quamvis graviter peccet, tamen propriè non est hæreticus, quia non habet errorem in intellectu: at si talis pro hæretico & excommunicato publicè declaretur tanquam talis, vitari deberet, & absolvi non posset, nisi Ecclesiæ reconciliatus. *Dicitur* 2. *Plenè deliberata*, nam error in fide debet esse mortaliter malus: graves enim pœnæ non incurruntur nisi ob delictum grave. *Dicitur* 3. *Pertinax*, non quod debeat aliquis mordicùs errorem suum tueri, sed quod non credat mysterium quod advertit sibi esse sufficienter propositum, vel cognoscit illud teneri & doceri à verâ Christi Ecclesia, etiamsi à nullo sit monitus, vel correptus; si verò mysteria fidei alicui non sint proposita, aut quis contra fidem defendat propositionem ab Ecclesia damnatam; etsi ex ignorantiâ culpabili, crassa, vel supina, vel etiam affectata ob discendi tædium, vel similem causam, propriè non est pertinax, per consequens nec pœnas incurrit, modò infallibilem Ecclesiæ authoritatem in rebus fidei proponendis agnoscat, & paratus sit se corrigere, si sciret ab Ecclesia contrarium esse definitum. *D. Aug. epist.* 162. relatus in *c. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. *Sanch. t.* 2. *c.* 7. *n.* 20. *Laym. sup. c.* 3. *num.* 2. *Lugo disp.* 20. *sect.* 6. *à n.* 196.
Hinc patet homines rusticanos, ple- 15.
bejos, rudes, & simplices apud

ala-

acatholicos educatos contra fidem errantes, rarò incurrere excommunicationem, aliasque pœnas, vel enim statim ùt cœperunt de sua sectâ dubitare, inquisierunt in fidem nostram, & jam patet eos esse tantùm hæreticos materiales; vel culpabiliter neglexerunt inquirere, & tunc quidem peccarunt, attamen non sunt pertinaces quamdiu parati sunt ea credere, si debitè proponerentur; ideoque confessarii vel Parochi tales pro absolutione ab hæresi malè mittunt ad habentem potestatem specialem non sine eorum confusione, & molestiâ, sed ipsimet prævia in necessariis fidei instructione eos absolvere possunt, & debent. *Sporer t. 2. c. 3. num. 21. Dicitur* 4. *Exteriùs manifestata*, intellige verbo, signo, vel facto, quia Ecclesia non judicat aut punit merè interna: debet autem actio externè manifestativa esse mortaliter mala, ideoque qui hæresin internam manifestat consilii vel instructionis gratiâ, excommunicationem & reservationem non incurrit juxta dicenda *cas.* 105. *q.* 3.

16. QUÆR. V. An hæretici & infideles ad fidem cogi possint?

R. 1. Cogi possunt hæretici, quia per baptismum Ecclesiæ sunt subjecti. 2. Infideles non baptizati etiam subjecti Principi Catholico directè ad fidem cogi non possunt: Est *communis* cum *D. Th.* 2. 2. *q.* 10. *a.* 2. contra *Scotum*. Ratio est, quia Christi fides non vi sed voluntariè suscipienda est, secus magnum periculum esset fictionis & sacrilegii in suscipiente illam coactè, & ita habet consuetudo Ecclesiæ, quæ semper æmulanda est, ex qua colligitur voluntas Christi &c. Possunt tamen infideles à suo Principe cogi ut audiant verbum Dei, & sic coguntur Judæi Romæ; item ut abstineant à superstitionibus, idololatria, fornicationibus, usuris & aliis peccatis contra naturam & politicam gubernationem. 3. Infideles Christiano Principi non subjecti cogi possunt, ut admittant prædicatores fidei, quia Ecclesia habet jus mittendi suos prædicatores per universum Orbem; item cogi possunt ut abstineant à vitiis innocenti vel Reip. nocivis, v. g. ut abstineant à fraudibus, rapinis, immolatione vel comestione hominum, quia quilibet habet jus defendendi innocentem, imò si hæc faciant, universali usu & consensu etiam bellum iis inferri potest. *V. Azor p.* 1. *L.* 8. *c.* 24. *à q.* 2. Ex præmissis

*Deduces seqq.* 1. Interrogatus an sit Sacerdos, Monachus, an audiat Missam, an feriâ sextâ abstineat à carnibus, juxta *Tamb. Sporer sup.* non tenetur respondere, sed potest signis vel verbis æquivocis interrogationem eludere, sive interrogans sit persona publica, sive privata. Rationem dant, quia multi sunt Catholici qui nec sunt Sacerdotes, nec Missam audiunt, nec à carnibus abstinent, imò *Tamb.* §. 3. *n.* 3. dicit aliquem sine infidelitate posse negare se esse Monachum, Sacerdotem, aut Missam audire, quia hoc est cum levi mendacio negare statum, consuetudinem, actiones, non verò fidem: sed attendendum est, 17.

inter-

interrogante præsertim potestate publicâ, an non patiatur honor Dei, proximi salus, an in illis circumstantiis negare se esse Sacerdotem, Monachum, observantem jejunii &c. non sit idem ac negare se esse Catholicum, eò quòd interrogans fortè voluerit per hæc æquivalenter quærere an sis Catholicus.

18. 2. Interrogatus in Anglia etiam à privato an sit fidei Regiæ, affirmare non potest, etiamsi subintelligat fidem Regis Catholici; quia per fidem Regiam ex circumstantiis & intentione quærentis determinatè significatur fides Anglicana, quam affirmare est fidem veram negare, quod nunquam licet: idem est si interrogeris an sis religionis reformatæ vel evangelicæ, nam quamvis Religio Catholica per *Trid.* sit reformata & verè evangelica, si tamen ex circumstantiis per reformatam intelligatur Calvinistica, per evangelicam Lutherana; dicere se esse reformatum vel evangelicum, est negare fidem.

19. 3. Certum est non licere carnes comedere die vetito, quando comestio carnis habetur pro signo protestativo falsæ sectæ, ùt si hæretici cum Catholicis in eodem hospitio die veneris considentes vel convivantes ad explorandam aliorum fidem dicant, qui Evangelicus vel Papæ inimicus est, ex hoc ferculo carnium, ex hoc capone comedat; edere non licet, nisi cum protestatione quod ejusmodi esum non velit haberi pro signo falsæ religionis, cum etiam Catholicis ex certis causis carnes edere liceat. Si carnes non apponantur ad explorandam fidem, etiam inter hæreticos Catholico ex gravi causa, v. g. ne cum morris vel alterius gravis mali periculo prodatur, carnes edere licitum est; dixi *ex gravi causâ*, nam sola irrisio vel joci, quibus non comedens exponeretur, non sunt causa sufficienter excusans ab abstinentia, ùt habet *communis*.

20. 4. Etsi cœna Calvinistica sit signum de se protestativum falsæ religionis, ideoque intrinsecè malum, ipsum tamen panem occultè, & merè materialiter, absque scandalo comedere malum non est. *Laym.* sup.

5. Videns sacras imagines conculari, Sanctos blasphemari, Ecclesiam Catholicam risui exponi, eique falsa dogmata imputari, fideles scandalizari &c. tenetur etiam cum periculo vitæ (si cum fructu possit) Dei, Sanctorum, & Ecclesiæ honorem tueri, hæreticorum fallacias detegere, ùt sup. dixi.

21. 6. Si Princeps acatholicus jubeat omnes Catholicos frequentare templa hæreticorum, aut die veneris carnes edere, illicitum est obedire, & ita ad Catholicos in Anglia bis respondisse Pium V. testatur *Sanch.* sup. *c.* 4. *n.* 27. etiamsi Princeps protestaretur se per hæc tantùm velle obedientiam civilem; nam reverà intendit authoritatem addere hæresi, veræ fidei contemptum, & perversionem fidelium, ad quæ cooperari non licet: in Germania tamen furtivè aut ex curio-

sitate audire conciones hæreticorum, non est signum professivum hæresis, nec hæresi propterea additur authoritas, cum potius fiat in ejus contemptum : hinc secluso periculo seductionis, scandali, vel alterius mali non est mortale, imo nullum, si fiat ex justâ causâ, ut si miles vel filius-familias occultè Catholicus pergat conciones frequentare, ne ab officiali, vel patre-familias malè tractetur vel à vera fide retrahatur.

22. 7. Si privatus in hospitio dicat: si quis hìc adest Papista, surgat à me occidendus, nemo tenetur surgere; similiter si potestas publica in odium fidei jubeat ut Catholici se prodant portando certas vestes, ut solvant mulctam, è patriâ abscedant, non tenetur se prodere aut patriam relinquere, quia nemo in particulari interrogatur: quod si tamen aliqui antecedenter noti propterea censerentur à fide defecisse, ten rentur vestes portare, vel è patria abscedere: sed potestne fidelis instante persecutione semper fugere? &c. Si per ejus fugam periclitetur Dei honor, salus animarum, muneris v. g. Pastoralis observantia, fugere non licet: si solùm sis utilis non autem necessarius, potes, sed non teneris manere; si fugiendo vel ad tempus latitando rem Christianam magis promoveres, obligaris fugere vel latitare *Tamb.* §. 2. *num.* 6. De cætero fugere malum non est, suadente ipso Domino : *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Matt. 10. Neque hoc est negare fidem, sed manifestare,

8. Quoad communicationem cum hæreticis tenenda sunt sequentia. 1. Certum est peccare graviter, & excommunicationem reservatam incurrere omnes, qui cum hæreticis cõmunicant in crimine hæreseos iis credendo, fovendo, defendendo &c. 2. Peccant graviter qui communicant in sacris hæreticis, in eorum templis vel conviviis Psalmos cum ipsis cantando, organa vel campanas pulsando, quia hoc est externa eorum rituum approbatio, vel scandalosa communicatio in sacris; secus si organum vel campanæ pulsantur tempore, quo congregantur cives vel mercatores forensia tractantes. 3. Non licet matrimonium contrahere cum hæreticis, neque matrimonium contrahere coram ministro hæretico, quia hoc esset addere authoritatem hæresi, & in facto profiteri eum esse personam sacram, cui ex munere competat assistere; posset tamen ex causa permitti proclamationes fieri à ministro acatholico. Item non est illicitum ex causa politica v. g. ut proles in foro externo habeatur legitima, comparere coram magistratu acatholico, ratificare matrimonium coram Parocho Catholico contractum; similiter potest Catholicus amicitiæ vel honoris gratiâ interesse matrimoniis & nuptiis acatholicorum, quia hoc non est profiteri vel approbare eorum fidem, vel superstitiones; imo in Germania Parochus potest licitè assistere matrimoniis acatholicorum in sua Parochia habitantium, & si unus sit Catholi- 23.

cus,

cus, etiam benedicere nuptiis. *V. caſ.* 106. *num.* 11. & *caſ.* 110. *num.* 17.

24. 4. Non poteſt licitè peti, aut accipi Baptiſmus ab hæretico, niſi adſit gravis cauſa, vel neceſſitas, *Lugo d.* 14. *num.* 161. non enim hoc eſt intrinſecè malum, neque eſt agnoſcere hæreticum tanquam perſonam ſacram, aut miniſtrum baptiſmi ordinarium, ſed tanquam miniſtrum ſufficientem, quod verum, & ex juſtâ causâ licitum eſt; probabiliùs etiam licet agere patrinum in baptiſmo infantis acatholici; quia hoc eſt ſe obligare ad educandum filium in vera fide in defectu parentum, in quo nihil eſt mali. *V. caſ.* 89. *num.* 10. 5. Non licet famulari hæreticis cum perverſionis periculo, aut cum neglectu præceptorum Eccleſiæ de audienda Miſſa, de abſtinentia à carnibus &c. niſi quoad duo ultima gravis cauſa excuſet, ùt ſi apud Catholicos non poſſet haberi ſervitium ſimile & competens; ſi quis eſſet ablegatus in terras infidelium; ſi verſaretur in mari &c.

10. Circa communicationem cum 25.
Judæis Jus Can. *tit. de Judæis*, *C. Nullus c.* 28 *q.* 1. prohibet ſequentia 1. Cum eis habitare, non tamen eis ſervire, vel in Sabbatho cibos coquere. 2. Eorum azymis veſci. 3. Judæis medicis eorumque medicinis uti, ſi ab aliis æquè peritis haberi poſſint. 4. Cum eis ſimul in balneo lavare. 5. Eos invitare, vel ad eorum convivia accedere. 6. Eſſe obſtetrices vel nutrices infantum in eorum domibus, niſi cum ſpe converſionis eorundem. 7. Iiſdem legata in teſtamentis relinquere, aut hæredes, niſi ſint conſanguinei, inſtituere. 8. Iis officia publica committere. 9. Eorum eſſe mancipium: ſed in his omnibus attendenda eſt conſuetudo, quæ contra legem Eccleſiaſticam præſcribere poteſt, nec hæ prohibitiones extendi debent ad caſus in Jure non expreſſos, hinc licet cum eis ludere, ſaltare, mercari &c. modò abſit periculum perverſionis & ſcandali.

# CASUS XV.

## De Spe Theologica, & vitiis eidem oppositis.

PAncratius puer petit à Paro-cho doceri, 1. *Quid & quotuplex sit spes*; 2. *Quodnam ejus objectum materiale, formale*; 3. *Modus ea ad captum exponendi*; 4. *Qualiter spes sit necessaria*; 5. *Quando obliget*. 6. 7. 8. *Quid de desperatione*. 9. *De præsumptione*; 10. *Tentatione*; 11. *Quid de eo qui perpetuò optat frui mundo*; 12. *Vel ideo peccat quia putat aquè facilè plura quàm pauca peccata remitti*. 13. *Vel è contra putat peccata ob suam enormitatem nunquam remittenda*; 14. *Vel maledicit suæ diei*. Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid & quotuplex sit spes?

℟. 1. Spes in S. Scriptura variè sumitur; quandoque pro habitu spei 1. Cor. 13. *Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas*. Pro actu sperandi Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*. Pro ipso objecto materiali spei; *Spes quæ videtur, non est spes*. Ibid. Pro ipso Deo, cujus promissioni, & auxiliis innititur tanquam objecto formali; *Tu es spes mea*. Psal. 21. *Spes mea Deus*. Thren. 3.

℟. 2. Spes in genere, prout abstrahit à naturali & supernaturali, est desiderium & exspectatio boni absentis & ardui probabiliter futuri. Spes Theologica habitualis est habitus supernaturalis, quo homo tendit in Deum ùt beatè possidendum, ideoque dicitur virtus Theologica; Spes actualis est certa exspectatio beatitudinis ex Dei gratia, & nostris meritis. Ita quoad rem omnes cum *D. Th.* 2. 2. *q.* 18. *a.* 2. Seu explicatiùs: *Est desiderium efficax cujuscunque boni supernaturalis & ardui à Deo promissi, cum certa fiducia, & animi erectione ad illud consequendum*; Dicitur 1. *Desiderium efficax*, id est voluntas seria applicandi media opportuna; quia voluntas inefficax beatitudinis vel simplex complacentia stare potest cum desperatione. Dicitur 2. *Boni supernaturalis* conducentis ad vitam æternam, in quo distinguitur à spe naturali, quæ desiderat & exspectat bona naturalia. Dicitur 3. *Boni ardui*, verè enim beatitudo est ardua & difficilis omnem captum naturalem & vires humanas transcendens, ac sine supernaturalibus Dei auxiliis non consequibilis. Dicitur 4. *Boni à Deo promissi*, quia sicut nihil potest credi fide divinâ quin sit revelatum, sic nihil firmiter sperari, quod non sit à Deo promissum. Dicitur 5. *Cum certâ fiduciâ*, quia spes supponit fidem, quâ quis certo credat, quantum est ex parte auxiliorum Dei, se rem promissam, etsi difficilem, consecuturum; ex hac fide oritur animi confidentia, erectio & promptitudo ad superandas cum auxilio Dei quascunque occurrentes

diffi-

difficultates ; *Spes enim non confundit.* Ad Rom. 5. Quia tamen fides & promissio non est absoluta , sed sub conditione nostræ cooperationis & perseverantiæ, ideo ex hac parte spes non est certa, sed meritò timetur , *quia nescit homo utrùm odio , an amore dignus sit , sed omnia in futurum reservantur incerta.* Eccl. 9.

2. QUÆR. II. Quodnam sit objectum spei, & quinam actus ad eam pertinentes ?

R. 1. Objectum materiale spei primarium est beatitudo objectiva , seu Deus beatè possidendus ; secundarium sunt omnia auxilia divina , remissio peccatorum , & pœnarum , gratia actualis, & habitualis, uno verbo omnia bona à Deo nobis promissa in ordine ad supernaturalem beatitudinem , sicut omnia & sola revelata sunt objectum materiale fidei.

2. Objectum motivum formale spei prout spes est desiderium, est Bonitas Dei respectiva, seu ùt nobis bona; in tantùm enim spes est actus amoris concupiscentiæ , & in hoc differt ac imperfectior est charitate, quæ diligit Deum non præcisè quia nobis , sed quia in se est summè bonus & dignus amari. *D. Th. q. 17. a. 8.* Motivum spei prout est fiducia & erectio animi ac certa rei promissæ exspectatio , est omnipotentia divina , quâ potest Deus omnia dare , quæ promisit , & fidelitas , quâ certò dabit : hæc autem motiva rudibus ad captum exponi po-

3. terunt , quærendo v. g. quare potius credant se accepturos vestem à Principe promissam , quam promissam à paupere ? Respondebunt : quia Princeps potest dare vestem promissam , & etiam dabit , quia stabit suis promissis; è contra pauper vel non poterit dare, quod promisit , vel si possit , fortè tamen non stabit promissis , quia ipsemet eâ indiget : hoc igitur applicent Deo qui in dando est potentissimus , in servandis promissis fidelissimus.

3. Ad spem reducuntur complacentia , gaudium &c. de beatitudine sibi promissâ aut jam adeptâ , de mediis ad eam consequendam. Item timor , dolor , fuga , detestatio eorum quæ damnationem inducunt , & beatitudinem impediunt aut retardant , ùt peccata mortalia , & venialia , eorumque pœnæ : demum ad spem pertinet optare alteri salutem , quatenus hæc salus simul optanti bona est ; optare autem salutem , quia proximo bona est , non est actus amoris concupiscentiæ & spei , sed actus charitatis in proximum.

4. QUÆR. III. Qualiter spes sit necessaria ?

R. 1. Sicut fides de Deo ùt remuneratore omni homini ratione utenti est necessaria necessitate medii , secundùm dicta *Cas. præc.* sic & spes remunerationis : *Credere enim oportet accedentem ad Deum , quia est , & inquirentibus se remunerator sit.* Ad Hebr. 11. Qui textus de fide simul & spe intelligitur ; imò plures dicunt in statu naturæ lapsæ spem non tantùm esse necessarium mediũ salutis ex ordinatione divina , sed etiam ex natura rei. Rationẽ dant , quia natura post peccatum originale est ita infirma , ut ad actus virtutum arduos videatur efficaciter co-

nari non posse, quin per fidem & spem præmii erigatur. 2. Spes Theologica necessaria est necessitate præcepti naturalis & divini, ùt clarum est tum ex S. Scriptura ad Col. 1. *Si tamen manetis in fide fundati & stabiles, & immobiles in spe*: Tum quia ratio naturalis dictat hominem debere tendere in finem suum ultimum cognitione & affectu, cognitione per fidem, affectu per spem, & charitatem, fide enim cognoscimus Deum finem ultimum, spe exspectamus, charitate conjungi-
5. mur. 3. Præceptum spei per se obligat hominem cùm ad usum rationis pervenerit, & beatitudo ei per fidem fuerit proposita; Deinde sæpius in vita saltem per accidens, & quidem toties, quoties obligat præceptum confessionis, charitatis, contritionis: quia sicut sine fide formali vel virtuali hujusmodi actus haberi non possunt, sic nec sine spe saltem virtuali: homines tamen bene educati, & in fide instructi prudenter dubitare non possunt, quin huic præcepto satisfecerint, cùm toties spem eliciant, quoties amore cœlestis gloriæ, vel timore gehennæ actum bonum exercent, de peccatis dolent, confitentur &c. & vix fieri potest ut firmiter credens cælestem gloriam sibi esse præparatam, eam nunquam desideret aut ad eam promerendam non erigatur.

6. QUÆR. IV. Quæ sint vitia spei opposita?

R. Præcipuè sunt duo, desperatio per defectum, præsumptio per excessum. *Circa desperationem tenenda sunt seqq.* 1. Desperatio non est judicium de non obtinenda re sperata, etsi hoc ordinariè præcedat, sed est abjectio voluntaria omnis spei consequendi beatitudinem vel media ad eam sufficientia ex diffidentia de bonitate & misericordia Dei: in hac diffidentia consistit gravissima ejus malitia in Spiritum S. cui aditum in animam intercludit, & hominem directè à fine suo ultimo avertit, estque causa gravissimorum scelerum, fit namque ut desperantes de Dei misericordia, & salute, abjectâ salutis curâ absque fræno timoris se præcipitent in quævis crimina. Juxta illud ad Eph 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ*; usque tandem vitam pertæsi conscientiæ cruciatum ferre non valentes, sibi ipsis mortem inferant. 2. Desperationi 7.
sæpe conjunctum est crimen hæresis specialiter in confessione explicandum, ùt si ideo quis desperet, quia judicat Deum se salvare non posse, vel non velle; aut Deum se positivè reprobâsse ante prævisionem peccatorum, vel sua peccata esse irremissibilia, aut tanta, ut vincant Dei misericordiam, hæc enim omnia sunt contra fidem: qui verò ideo desperat, quia putat se ob nimia peccata esse indignum ulteriori gratiâ, vel putat Deum non amplius daturum auxilia efficacia, vel ob compertam suam infirmitatem & continuos relapsus arbitratur se non perseveraturum, sed certò damnandum; talis quidem peccat mortaliter, absque tamen peccato hæresis, quia non est de fide, quod Deus de facto hunc sit salvaturus, aut ei daturus auxilia efficacia, sed

quod

quod possit dare, ideoque tota malitia hujus desperationis est in eo, quod diffidat bonitati Divinæ, & abjiciat animum omnemque conatum ad
8. salutem. 3. Ob peccata & radicatos vitiorum habitus desperare de propriis viribus, & confidere in sola & immensa Dei misericordia non vitium, sed prima spei anchora est, & initium salutis: desperare sibique mortem inferre non ex diffidentia erga Dei misericordiam, & auxilium, sed quia res sibi non successit ùt voluit, quia jacturam fecit honoris, bonorum temporalium &c. non est desperatio directè oppositа spei, sed charitati propriæ, vel aliis virtutibus, ùt patet.

9. *Circa præsumptionem*, accipe seqq. 1. Præsumptio est præpostera fiducia de bonitate Dei & misericordia, quâ quis confidit beatitudinem, aut bona ad eam pertinentia consequi per media à Deo non ordinata, ùt si quis speret cœlestem gloriam per actus merè naturales, velut Pelagiani, vel justificationem per solam fidem sine propriis meritis, remissionem peccatorum per solam in meritis Christi fiduciam, ùt hæretici hujus temporis, talis præter peccatum præsumptionis habet crimen hæresis, quia de fide est beatitudinem acquiri non posse per actus merè naturales, neque justificationem, vel remissionem sine at vel contritione; qui verò sibi persuadet se esse prædestinatum, & ideo liberiùs peccat, pœnitentiam differt, aut confidit se opportuno tempore esse salvandum quidquid egerit, peccat quidem peccato præsumptionis, non tamen hæreseos; idem est de eo qui ex confidentia in Dei misericordia movetur ad reiteranda peccata, ad differendam pœnitentiam: *Dico*, qui ex confidentia in Dei misericordia movetur, nam si aliunde v. g. ex nimia objecti delectabilitate moveatur ad reiterandum peccatum, vel ideo differat pœnitentiam, quia jam videtur nimis difficile confiteri, aut abstinere à peccatis, quamvis simul credat & speret etiam post dilatam pœnitentiam aut reiterata peccata se veniam impetraturum, non est præsumptio, imò bonum est etiam tum, quando peccamus, sperare veniam & proponere confiteri. 2. Ad præ- 10.
sumptionem reducitur Dei tentatio, quâ quis temerè vult experiri Dei misericordiam exspectando extraordinarium vel miraculosum Dei auxilium, ùt si se exponat evidenti periculo peccandi confidens se miraculosè conservandum; aut cùm potest conservare vitam vel sanitatem corporalem mediis naturalibus, his neglectis intendat & confidat consequi medio supernaturali & extraordinario, nisi id fortè fieret ex speciali Dei instinctu, *V. cas. 65. n. 16.* 3. Pessima & blasphema præsumptio & Dei tentatio est, si quis per preces, eleëmosynas, Sacrificium Missæ, vel alia pia opera sperat à Deo consequi, quæ per se mala sunt, ùt turpem puellæ amorem, vindictam de inimico, victoriam injustæ litis &c. Ex dictis

*Deduces seqq.* 1. Optans perpetuò 11.
frui terrenis peccat contra spem, quia virtualiter contemnit objectum primarium spei, seu cœlestem gloriam, quam

quam postponit amori temporaliuꝫ: si tamen quis optet perpetuò frui mundo sine comparatione ad cœlestem gloriam ex amore vitæ præsentis, vel ut sic effugiat periculum æternæ damnationis, probabiliter excusatur saltem à mortali, *Castrop. Tamb. L. 2. in decal. c. 3. §. 1.*

12. 2. Qui pergit peccare ideo, quia confidit misericordiam Dei æquè facilè remissuram plura peccata, quàm unum, graviter peccat peccato præsumptionis, secus si ideo peccata reiteret, eo quod eâdem erubescentiâ vel labore possit confiteri plura quàm unum, quia non peccat ex confidentia in Dei misericordia, & quamvis *Bonaspei d. 4. n. 48.* putet tantùm venialiter contra spem peccare eum, qui ex præsumptione vel spe remissionis facit peccatum veniale, aut ad breve tempus pœnitentiam differt, communis tamen sententia est, hìc non dari parvitatem materiæ, gravis enim irreverentia est abuti divinâ misericordiâ ad peccandum etiam venialiter.

3. Qui temerè se exponit evidenti periculo mortis, volens experiri an Deus extraordinario medio sibi sit subventurus, tentat Deum, ideoque graviter peccat.

4. Qui timet aut putat sibi difficilem esse remissionem peccatorum 13. ob nimiam v. g. eorum enormitatem, per hoc præcisè non peccat, cùm revera remissio difficilis sit, non quidem ex parte Dei, sed ex parte pœnitentis, qui eò est indignior remissione, quò graviora commisit peccata; si tamen ideo abjiciat omnem spem & conatum ad salutem, aut peccatorum remissionem, peccat peccato desperationis.

5. Qui diei suæ maledicit, vel 14. dolet se esse natum ob tædium vitæ vel asperitates quas experitur, non peccat propriè contra spem; secus si ideo maledicat nativitati suæ, quia diffidit peccata sibi à Deo esse remittenda.

# CASUS XVI.

## De charitate Theologica, ejusque obligatione, & vitiis oppositis.

QUarantus Pastor ovium ignorat 1. *Quid sit charitas.* 2. *Ad quid obliget lex charitatis affirmativa, negativa.* 3. *An Deus debeat diligi super omnia appretiativè, intensivè.* 4. *Quoties, & quando.* 5. *An in articulo mortis; & quid in dubio an huic præcepto satisfecerit.* 6. *An proximus diligendus internè.* 7. *Qualiter externè.* 8. *Qualiter inimico ignoscendum.* 9. *Quid de odio proximi vel qualitatis in proximo;* 10. 11. *An liceat ei optare malum vel de eo gaudere.* 12. *Quis ordo dilectionis servandus.* 13. *An vitam vel*

*vel bona propria liceat postponere vitæ vel bonis alterius.* 14. *An conjuncti præferendi extraneis.* 15. *An innocens nocenti.* 16. *Quid sit maledictum, discordia;* 17. *Susurratio, &c.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid sit Charitas?

℟. Charitas Theologica sumpta pro habitu *est virtus à Deo per se infusa, quâ Deus diligitur propter se & proximus propter Deum.* Charitas actualis est amor benevolentiæ, & amicitiæ, quo Deo, proximo, & nobis volumus bonum, quia hoc Deo bonum est, & in hoc distinguitur ab amore concupiscentiæ, quæ vult Deo vel proximo bonum, non quia hoc Deo, vel proximo, sed quia ipsi volenti bonum est; ideoque ad spem pertinet.

2. QUÆR. II. Quid circa legem charitatis erga Deum?

℟. Lex charitatis in Deum duplex est, affirmativa, quâ præcipitur Dei amor, & negativa, quâ prohibetur omne odium, aversio, aut malignus in Deum affectus: odium autem aliud vocatur abominationis, quo quis Deum non secundùm se, sed secundùm aliquem ejus affectum sibi contrarium aversatur v. g. ob imposita difficilia præcepta, ob pœnas, adversitates immissas &c. Aliud dicitur odium inimicitiæ, quo impius Deum secundùm se odit, aversatur, eique malè vult, de ejus bonitate, potentia, gloria &c. tristatur: primum odium opponitur amori concupiscentiæ, secundum amori amicitiæ, utrumque est peccatum omnino grave, postremum longè gravissimum. *Circa præceptum affirmativum habe* sequentia.

1. Hoc obligamur Deum diligere super omnia, recta enim ratio dictat Summum Bonum esse summè amandum: Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, ex tota mente tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ: hoc est primum & maximum mandatum.* Matth. 22. Tum quia est actus virtutis excellentissimæ, & omnes aliæ virtutes tanquam media ad finem charitatis, qui est unio cum Deo, referuntur, ùt probat *D. Th. 2. 2. q. 44. a.* 1. Tum quia in charitate restaurantur omnes leges, qui enim amat Deum, eum solum adorat, non blasphemat, non assumit Nomen Domini in vanum &c. Qui diligit proximum sicut seipsum, non occidit, non mœchatur, non furatur &c. *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Ad Rom. 13. & *In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* Matth. 22. 2. Deus debet diligi super omnia *appretiativè*, id est, amans debet Deum habere in majori æstimatione, vel quasi pretio, quàm omnia alia, ita ut, si opus foret, amans mallet omnia alia, etiam seipsum perdere, quàm Deum Summum Bonum amittere, vel offendere: Item Deus debet præ omnibus amari *objectivè*, hoc est, Deo debemus plura bona velle quàm ulli creaturæ; Deo enim debemus velle suas perfectiones infinitas, honorem, adorationem & gloriam ab omnibus creaturis tanquam supremo Domino, & quamvis convenientissimum sit, ut Deus ametur super 3.

omnia etiam *intensivè*, hoc est, vehementiori, ardentiori, & teneriori affectu quàm omnia creata, ad hoc tamen ex præcepto non obligamur, ùt habet *communis*, ideoque sine peccato contingere potest, ut Deus minus intensè ametur quam creatura v. g. unicus filius, uxor, parentes, amici &c. cùm enim bona creatura sint sensibilia, & nobis præsentia, difficillimum foret in ea aliquando non ferri cum majori conatu, affectione & teneritudine, quàm in Bonitatem Dei à nobis solo intellectu apprehensam; neque obstat illud Matth. 10. *Qui amat patrem vel matrem plus quàm me, non est me dignus*, nam ex *communi* & *D. Th.* intelligitur de amore
4. appretiativo, non intensivo. 3. Lex charitatis erga Deum non tantùm obligat per accidens, quando scilicet quis aliter justificari non potest, sed etiam per se, & quidem sæpius in vita, uti jam certum est ex Propositionibus ab Innoc. XI. damnatis 6. *Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.* Ratio est, quia homo tenetur sæpius tendere in finem ultimum per fidem & spem, ùt supra dictum est, ergo à potiori per charitatem: & certò hujus actûs utilitas & summa necessitas debet ejus usum homini meritò reddere familiarissimum, attentô quod ex sententia *S. Bonav. Scoti in 2. dist. 41. q. un. D. Th. 2. 2. q.* 114. *a.* 4. actus aliarum virtutum supernaturalium fidei, spei, religionis &c. etiam in gratia facti non sint meritorii gratiæ, & gloriæ, nisi procedant ex actuali vel virtuali dilectione Dei super omnia, uti latè probat *Sporer t. 2. in decal. c. 5. à num. 15.*

4. Quoties præceptum amandi Deum obliget, est incertum, cùm nec lex, nec Ecclesia diem aut tempus determinet; ex communiori DD. sententia videtur obligare 1. Cùm homo sufficientem usum rationis & hujus præcepti cognitionem accepit, ùt docet *D. Th. 1. 2. q. 89. a 6.* & AA. gravissimi apud *Dubois* ad Prop. 1. ab Alex. VII. damnatam *n.* 31. 2. In 5.
articulo mortis, non tantùm per accidens, ratione tentationum, aut in defectu Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam per se, etiamsi moribundus sibi lethalis culpæ conscius non sit; quia videtur recta ratio exigere, ut homo se per amorem conjungat fini suo ultimo isto instanti, à quo pendet felix vel infelix æternitas. 3. Sæpius per vitam, ùt jam dictum est; fideles tamen qui sunt bonæ voluntatis, non facilè debent scrupulari, an præcepto charitatis erga Deum, vel proximum satisfecerint, nam horum actuum frequens est occasio, & reverà illos eliciunt, quoties Deo vel proximo favent suas perfectiones, gaudent quod illi bene sit, faciunt quæ illi placent, vitant quæ displicent &c. *Carden. differt. 6. c. 2. a. 3.*

QUÆR. III. Quid circa legem 6.
charitatis erga proximum?

℟. 1. Lex amandi proximum iterum alia est affirmativa, alia negativa:

Lege

Lege affirmativâ tenemur ad sequentia 1. Diligere omnem proximum amicum & inimicum; *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.* Matt. 5. Idque non tantùm actu externo eum v. g. à periculo mortis liberando, necessaria suppeditando, damnum in honore vel bonis fortunæ, si absque gravi incommodo fieri possit, impediendo; sed etiam actu interno, quo ei bene velimus, optemus bonum, ùt certum est ex Propositionibus ab Innoc. XI. damnatis: 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*: 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Proximus autem hìc dicitur omnis qui est capax ejusdem nobiscum beatitudinis. 2. Peccat contra charitatem, qui ex aversione proximo etiam inimico negat externa & communia signa dilectionis, id est talia, quæ fratri à fratre, civi à cive, Superiori à subdito exhiberi solent, ùt si fratrem, qui te offendit, nolis ùt antea, salutare, alloqui; Prælato ùt antea, non inclinare: Ratio est, quia hoc esset seipsum vindicare, odium exterius continuare & alteri ad idem ansam dare. *Dixi* 1. *Ex aversione*, nam si ex justâ causâ v. g. pater filio, Superior subdito per aliquod tempus consuetæ benevolentiæ signa subtrahant, ut sic eum ad agnitionem & emendationem adducant, utique non peccant. *Dixi* 2. *Signa communia*, nam non tenemur inimico exhibere signa dilectionis specialia, v. g. familiariter cum eo conversari, eum hospitio suscipere, mœstum consolari, ægrotum invisere &c. nisi fortè hæc signa exigeret gravis ejus necessitas, vel per ea sine gravi tuo incommodo eum possès Deo & tibi reconciliare. 3. Inimico veniam petenti teneris in- & externè remittere dando speciale signum, quod ob præsentem offensam ei officia charitatis subtrahere nolis; potes tamen petere satisfactionem, nisi hæc tibi foret inutilis, & alteri graviter damnosa, imò si tu primò vel principaliter dederis causam inimicitiæ, etiam teneris primò reconciliationem quærere. Si quis nolit inimico reconciliari, vel communia dilectionis signa exhibere, absolvi non potest: Sed quid si pœnitens dicat se quidem inimico ignoscere, sed non posse oblivisci injuriæ; se quidem non odisse, sed etiam non posse aspicere, alloqui, salutare sine motu amaritudinis, rancoris &c.? R. Talis interrogandus est qualiter non possit oblivisci, an solàm quoad memoriam & horrorem injuriæ acceptæ; an motus rancoris vel amaritudinis quos ad conspectum inimici experitur, sint involuntarii, velècontra an voluntarii, an conjuncti cum imprecatione alicujus mali, vel desiderio vindictæ? Si primum, absolvat in Domino, sæpe enim animorum aversio non tam est ex malitiâ, quam naturali geniorum diversitate: si secundum, non absolvat nisi omni rancore depositio.

7. 8.

R. 2. Præcepto negativo prohibemur odisse proximum juxta sequentes explicationes. 1. Odium definitur *à D. Th. 2. 2. q. 34. a. 1.* quod sit *alienatio seu aversio voluntatis ab eo,*

9.

*quod apprehenditur ùt malum, & noxium*: aliud est *inimicitiæ seu malevolentiæ*, quo quis aversatur personam proximi secundùm se, seu ei vult malum, quia ipsi malum est; est ex genere suo mortale; aliud est *odium qualitatis, seu abominationis*, quô personam aversamur non secundùm se, sed secundùm qualitatem ei adjacentem, potestque esse bonum, malum, vel indifferens, prout qualitas, quam in proximo odisti, bona, mala vel indifferens est; si odisti in proximo qualitatem bonam v. g. vitæ sanctitatem, humilitatem, temperantiam &c. odium malum est & fraternæ charitatis invidentia: si qualitas quam odisti, sit mala, ùt superbia, avaritia, luxuria, odium bonum est, nisi transeat in personam; si qualitas sit indifferens, ùt vanitas, honor, divitiæ, ipsum pariter odium est indifferens, & fit bonum vel malum, prout finis, ob quem
10. odisti, bonus vel malus est. 2. Circa odium malevolentiæ seu inimicitiæ accipe hanc regulam: *Inefficaciter velle, gaudere, desiderare, petere proximo grave malum sine rationabili causa, vel ex vindictâ, aversione, aut displicentiâ erga ejus personam, semper est mortale; Econtra velle grave malum v. g. paupertatem, mortem &c. in ordine ad majus bonum præsertim spirituale ipsius proximi, vel ad avertendum grave damnum Reipublicæ vel innocentis, per se non est peccatum*: Hinc licitum est inefficaciter velle vel optare infamiam, carcerem, imò ipsam mortem malefactori, ut confusus resipiscat à peccatis, vel mortuus desinat Reip. vel innocentibus nocere, modò non fiat ex vindicta, vel aversione. Item excusantur à peccato, qui sibi ipsis vel alteri optant mortem, ut liberentur à gravissimis doloribus vel adversitatibus, quia similia desideria formaliter sunt de bono, non de malo, ait *Palao L. 1. t. 6. d. 4. p. 1. n. 11.* Ob proprium temporale emolumentum non licet proximo optare mortem, vel aliud grave malum, vel de eo gaudere, ùt constat ex Prop. 3. ab Innoc. XI. damnatâ: *Si cum debito moderamine facias, potes absque mortali de vita alterius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*
NB. Ob temporale emolumentum seu 11.
lucrum acquirendum; nam ad avertendum *grave damnum* in re jam possessâ, adhuc valde probabile est licere, absque odio tamen & vindictâ, alicui inefficaciter desiderare mortem, v. g. latroni ne ab eo occidar vel bonis spolier *D. Th. 2. 2. q. 76. a. 2. & in 3. dist. 30. q. 1. a. 1.* & DD. gravissimi apud *Mendo d. 4. q. 1. & 4.* Ratio est, quia mihi ipsi licitè opto mortem, ut evadam ingens malum, ergo & alteri; deinde licitè occido injustum aggressorem, si id necessarium sit pro conservatione vitæ, & probabiliter etiam pro conservatione bonorum temporalium, ergo à potiori licebit aggressori mortem optare ut non occidat, non rapiat: neque hoc est gaudere vel optare alteri malum, quia ipsi malum, sed quia mihi bonum est, *S. Th. loc. cit.* Multò magis licebit gaudere de effectu bono

bono v. g. hæreditate ex alterius morte consecutâ, quia tale gaudium non terminatur ad mortem proximi, sed illâ præsuppositâ ad hæreditatem; periculosum tamen est hæreditatem desiderare ante mortem, quia tale desiderium facilè extendet se ad ipsam mortem, quam certum est non licere desiderare propter bonum temporale hæreditatis.

12. QUÆR. IV. Quis ordo in diligendo servandus?

℟. 1. Super omnia & præ omnibus tenemur diligere Deum. 2. Nos ipsos quoad bona spiritualia. 3. Proximum quoad bona spiritualia. 4. Nos ipsos secundùm bona corporalia. 5. Proximum secundùm eadem bona. 6. Nos ipsos & proximos secundùm bona temporalia. Ratio est, quia homo sibi ipsi est conjunctior, scilicet per identitatem, proximo per societatem, ergo seipsum magis amare debet quàm proximum, nam *qui sibi nequam, cui bonus erit?* Eccl. 14. 2. Quamvis homo bona sua temporalia possit postponere bonis temporalibus proximi, eò quod sit horum Dominus, non potest tamen per se loquendo vitam suam postponere vitæ proximi, nisi hic esset persona Reip. valde necessaria. 3. Licet se exponere periculo incerto ut proximus evadat certum, aliàs enim non liceret ministrare peste infectis. 4. Si proximus sit in extremâ necessitate spirituali id est in proximo periculo damnationis; ut si infans sine baptismo esset moriturus, aut jam moriturus petat instrui in necessariis fidei, teneris ei succurrere cum qualicunque vitæ & bonorum temporalium periculo, dummodo sit certa spes fructûs, neque aliud æquale vel gravius damnum tibi vel tertio immineat. 5. Curati, id est Pastores, Prælati, Episcopi tenentur suis subditis etiam in gravi necessitate spirituali, seu in periculo proximo peccati mortalis constitutis, à quo se ipsos non creduntur liberaturi, cum periculo vitæ succurrere *S. Th. 2. 2. q. 26. a. 5.* quia ex officio & vi taciti contractûs ad hoc obligantur, sicut miles ad prælium, & *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. 10. 6. In 14.
pari necessitate per se præferendi sunt sanguine juncti extraneis, etiam sanctioribus vel benefactoribus; quia sunt magis conjuncti: docet tamen *Bannes 2. 2. q. 26. a. 8.* insigni amico aut benefactori potius ex charitate subveniendum esse, quàm consanguineo non valde propinquo, & non bene merito. 7. Inter consanguineos in extremâ necessitate præferendi sunt parentes, & pater præ matre, quia ambo sunt principium vitæ, & pater principium excellentius; deinde filii, exposit uxor & fratres; an verò creditor in æquali necessitate præferri debeat debitori, dicam infra. 8. In communi & obvia necessitate omnibus præferenda est uxor, quia civiliter est una persona cum marito, post uxorem succurrendum est liberis, quia habent jus accipiendi alimenta à parentibus, post hos succurrendum parentibus. 9. Non obligaris semper 15.
innocentem præferre nocenti, v. g. non

13.

teneris saltem cum periculo vitæ occidere latronem, ut sic amicum tuum aliàs verosimiliter in peccato mortali occidendum eripias, nisi amicus esset proximè conjunctus, tunc enim fortè ex pietate obligaris. Ratio est, quia latro etiam occideretur in mortali, & uterque est proximus. *Si dicas:* Proximo in extremâ necessitate spirituali constituto etiam cum periculo vitæ propriæ teneor succurrere, sed amicus est hoc casu in extremâ necessitate spirituali, cùm supponatur existere in peccato mortali, & ob perturbationem & instans periculum non possit conteri vel confiteri, è contra latro non est in necessitate, cùm possit ab aggressione desistere, ergo. R. In extremâ necessitate spirituali teneor proximo subvenire cum periculo vitæ per medium certum, & quando non est æquale periculum damnationis in altero C. secus N. 10. Non teneris te permittere occidi à latrone, sed potes uti defensione occisivâ, etsi latro esset moriturus in peccato, tu verò in gratia, quia latro non est in necessitate; potest enim, si velit, desistere ab injusta invasione.

16. QUÆR. V. Quæ sint vitia charitati opposita?

R. Præter odium directè opponitur 1. *Invidia & Ira*, de quibus *cas.* 12 *n.* 1. *&* 14. 2. *Maledictum*, quo quis alteri malum imprecatur, quod si fiat seriò in materia gravi ex odio inimicitiæ, cum animo, ut malum eveniat, est mortale; secus si vel malum sit leve, vel imprecatio non sit planè deliberata, aut non ex animo, ut malum eveniat, sed ex impetu iræ ad expressionem sui doloris vel indignationis, aut tantum ad terrorem alterius v. g. filii, subditi, militis &c. est *communis* cum *Nav. c. 23. n 17.* 3. *Discordia*, quæ à *D. Th. q. 37. a.* 1. definitur, dissensio voluntatum circa bonum, quod ex charitate amare debemus; dissensio in malo bona & laudabilis est. 4. *Susurratio*, quæ est 17.
verbum seminans discordiam inter amicos, estque peccatum eò gravius, quò amici sunt magis utiles & necessarii, ùt parentes, filii, fratres, uxor, maritus: Susurro saltem ex charitate, juxta alios etiam ex justitia tenetur dissidentes reconciliare, & pro damno inde secuto satisfacere, idque certum videtur, si usus fuerit fraude vel mendaciis, quamvis enim propriè nemo habeat jus ad alterius amicitiam, habet tamen jus ne dolo vel fraude invitus eâ privetur, & susurro absolvi non potest, nisi præstitâ satisfactione & reconciliatione, si possit.

## CASUS XVII.

### De charitate, prout obligante ad eleëmosynam.

RAbanus dives 1. *Putat satis esse egenis internè compati.* 2. *Dubitat an detur præceptum eleëmosynæ; an obliget ex necessariis, vel solis superfluis.* 3. *Quotuplex sit necessitas.* 4. *An sit obligatio*

*gatio in necessitates proximorum inquirendi.* 5. *An pro vitâ proximi teneatur expendere magnam summam.* 6. *An extremè indigenti res danda sit gratis.* 7. *An medicus teneatur ægro pauperi gratis succurrere &c.* 8. *Quid in communi necessitate.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid sit Eleëmosyna ?

R. Est opus, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione propter Deum. Ita *D. Th. 2. 2. q. 32. a. 1. Dicitur* 1. *Opus*, quia non consistit in solo affectu internæ commiserationis, sed requirit actum externum, quô indigentia proximi sublevetur. *Dicitur* 2. *propter Deum* ; nam quamvis Eleëmosyna in S. Scriptura excellentissima habeat elogia, ùt Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Et Luc. 12. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, si tamen non fiat propter Deum seu ex motivo supernaturali, nullius apud Deum est meriti.

2. QUÆR. II. An detur præceptum Eleëmosynæ, & qualiter obliget ?

R. 1. De fide est dari præceptum eleëmosynæ fundatum in Lege naturali charitatis : *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Eleemosynam pauperis ne defraudes.* Eccl. 4. & Christus Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum &c. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Comminatio autem ignis æterni utique culpam gravem importat.

R. 2. Quoad obligationem hujus præcepti accipe hanc regulam: *Proximo in extremâ necessitate constituto sub mortali teneris succurrere, etiam cum aliqua jacturâ tui statûs ; in gravi teneris ex bonis superfluis, vel etiam aliquo modo necessariis ; in communi tantùm ex superfluis*: est quoad rem communis *D. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. Valent. d. 3. q. 9. p. 4. Laym. L. 2. t. 3. c. 6. Dicast. L. 2. de just. t. 2 disp. 9. àn.* 239. Ratio regulæ est, quod teneamur proximos diligere sicut nos ipsos, idque non tantùm *verbo & linguâ, sed opere & veritate.* 1. Joan. 3. Sicut ergo ratio exigit, ut propriam vitam conservemus cum aliqua, sed non notabili statûs jactura, & gravem necessitatem v. g. periculosum morbum tollamus impendendo bona aliquo modo necessaria ; sic & respectu proximi. Pro meliori regulæ intelligentia notandum est 1. Alia esse bona homini superflua, alia necessaria ; *necessaria* vocantur, quibus homo indiget ad suî vel familiæ sustentationem vel statûs conservationem, non tantùm pro nunc, sed etiam pro casu futuro, qui communiter accidere solet, ùt pro tempore morbi, senectutis, pro educandis, elocandis vel dotandis liberis *D. Th. a. 6.* & ibid. *Bannes, Cajetan. Sylv.* & alii communiter. Non item pro casu raro vel imaginario, ùt si ædes exurerentur, si cæcus vel claudus fieres, aut pro augmento statûs proximè probabiliter non futuri ; cætera omnia quæ ad vitæ & statûs conservationem modo explicato non requiruntur, dicuntur superflua, unde patet multos de facto reperiri qui habent superflua, quibus

quibus neque ad præsentem statum, neque ad altiorem (quem proximè sperare non habent) inchoandum indigent, ideoque Innoc. XI. meritò damnavit hanc Prop. 12. *Vix in sæcularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleëmosynam, quando tantùm tenetur ex superfluo statui.* 2. Necessitas proximi est triplex, extrema, gravis, communis; *Extrema* dicitur, quando ipsa vita periclitatur, ùt si certò vel probabilissimè timeatur mors, vel malum æquivalens v. g. amissio membri principalis, pedis, brachii, oculorum, injustus & perpetuus carcer, durissima captivitas, morbus incurabilis &c. *Gravis necessitas* est, quando prudenter timetur grave aliquod malium in animâ, corpore, honore, fortunâ, ùt periculum peccati, gravis morbus, magna suî, vel familiæ infamia, amissio statûs &c. *Necessitas communis* est, quâ homines communiter laborant absque notabili diminutione statûs, qualem fere patiuntur mendici triviales; & ii qui duro labore se suosque ægrè sustentant. Ex dictis

*Deduces seqq.* 1. Non est obligatio in necessitates proximorum inquirendi, nisi quis prudenter de iis dubitet; quod si dubium factâ inquisitione vinci non possit, ad nihil tenetur, quia libertas est in possessione: neque est obligatio statim credendi pauperibus publicè expositis ex morbo, nuditate, vel aliter signa extremæ necessitatis ostentantibus; nam persæpe id faciunt spe largioris eleëmosynæ. 2. Si plures sciant aliquem extremè indigere, omnes tenentur, cæteris paribus, succurrere per æquales partes; si alii vel non possint, vel moniti nolint, tu nihilominus teneberis cum aliqua, non tamen notabili statûs tui jacturâ, ùt si ex nobili cogereris fieri famulus, ex honesto opifice mendicus. Ratio est, quia ad conservandam propriam vitam vel recuperandam sanitatem non teneris omnes opes tuas impendere, vel è statu te dejicere, ergo nec pro conservandâ vitâ proximi. 3. Ex eâdem ratione non est obligatio etiam ex bonis superfluis conservandi vitam proximi per medium extraordinarium v. g per tria vel plura aureorum millia, per pretiosissimas medicinas, nisi vita talis hominis esset necessaria ad conservationem Reip., communitatis, exercitûs *S. Th. l. c. & DD. citt.*; tunc enim bonum commune exigeret majores expensas: quod aliqui extendunt etiam ad personas proximè conjunctas v g. patrem & filium, ita ut etiam pro horum vitâ aliquantò majores expensæ faciendæ sint, non tamen planè extraordinariæ. *Dian. p. 5. t. 8. res. 6.*

*Dices*: Si extremè indigenti non tenear subvenire per summam valde notabilem etsi mihi superfluam, ergo etiam licitè eum impedio ne talem summam mihi auferat. R. N. C. Extremè indigens habet jus, ut eum non impediam, quominus rem meam pro sublevanda extremâ necessitate accipere possit, quia tunc omnia respectu ipsius sunt communia, non tamen habet jus ut ego sponte ei tradam.

4. Con-

6. 4. Constitutus in extremâ necessitate potest vel per se, vel per alium, qui ex suis succurrere non potest, vel non vult, auferre sibi necessaria à quovis similem necessitatem non patiente *D. Th. ad* 3. Quia respectu talis omnia sunt communia: si tamen extremè indigens habeat alibi, unde solvere possit, vel saltem habeat in certâ vel probabilii spe, non teneor ei subvenire gratis, nisi in re levioris momenti, sed sufficit charitati sublevare præsentem proximi necessitatem, quod fieri potest vendendo vel mutuum dando cum onere restitutionis, nam qui emere vel mutuò accipere potest, non est in necessitate accipiendi aliena gratis. *Tolet. Bellarm. Vasq. Covar. Nav. Less. Dian. Sporer hic n. 56. Laym. n. 6. Dicast. n. 231.* imò in hoc convenire omnes testatur *Lugo de just. d. 16. num. 167. & num.* 170. id dicit esse certum. Si verò extremè indigens nec habeat in re, nec in probabili spe, communior & magis pia sententia cum *Bannes, Valent.* docet rem necessariam, nisi foret nimis pretiosa, ex præcepto eleëmosynæ dandam esse gratis, per consequens nec restituendam esse, etsi quis expost præter spem ad meliorem fortunam deveniat: quod si proximus tantùm indigeat usu rei tuæ v. g. equo ad effugiendum hostes, tunc sufficiet concedere solum usum cum obligatione rem ipsam restituendi, & compensandi damnum, & lucrum cessans, si quod Dominus equi obinde passus est; imo nec tenetur usum equi concedere gratis, si utens solvere possit, ut patet ex dictis. 7.

5. Pauperi periculosè ægroto tenetur medicus id sciens gratis subvenire arte saltem, si sumptu non possit: similiter jurisperitus tenetur patrocinari proximo injustè aliàs condemnando, non tantùm in causâ criminali, sed & civili, quando agitur de gravi jactura bonorum, *D. Th. Suar. de char. d. 7. sect. 4. num.* 4. Idem est de aliis, qui gravi morbo, inediâ, vel injusto carcere gravantur, si scilicet juvari possint absque gravi incommodo, vel damno proprio; justè ad carcerem vel mortem condemnatos non teneris redimere nequidem ex superfluis, sed potes mortem vel carcerem ad vindictam publicam permittere. 6. In com- 8.
muni necessitate teneris ex superfluis succurrere non quidem omnibus, sed quibus volueris vel magis indigere putaveris, pro quantitate facultatum; & in communi necessitate expedit pluribus aliquid, quàm uni totum tribuere; quantum autem in pauperes communiter distribui debeat, est incertum; *Tamb.* putat satis esse si ex 100. annuis aureis des duos; certò satisfaciunt qui dant decimam partem lucri, tum in gratiarum actionem, tum pro impetranda benedictione in futurum: qualiter autem divites, qui frumenta, cibos, vestes potius à vermibus corrumpi sinunt, aut in canes, equos, commessationes, luxum &c. superflua impendunt, quàm in pauperes petentes distribuunt, à statu peccati mortalis excusari possint, non video.

7. Ad eleëmosynam spectant omnia opera misericordiæ corporalis, ùt pascere esurientes, sitientes potare, vestire nudos, colligere hospites, redimere captivos, invisere infirmos, sepelire mortuos.

## CASUS XVIII.

### De charitate, prout obligante ad correctionem, & denuntiationem fraternam.

SAbinus Religiosus petit à Confessario 1. *Quid sit correctio fraterna*; 2. *An obliget*; 3. *Quid si proximus sit in periculo peccandi solum venialiter vel ex ignorantia*; 4. *Vel sit sola suspicio peccati*; 5. *Aut exigua spes fructus*. 6.-7. *Quis modus corrigendi vel deferendi ad Superiorem*; 8. *Quid si delictum sit occultum*. 9. *An excuset verecundia*. 10. *Quid si ipsemet sis malæ vitæ*. 11. *An meretrix vel infideles corrigendi*. Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid sit fraterna correctio?

R. Est monitio charitativa & conveniens, quâ conamur proximum revocare à periculo peccandi; dicitur 1. *Monitio charitativa*, quæ fiat ex charitate, & misericordia, non verò ex odio, ira vel vindicta. Dicitur 2. *Conveniens*, id est talis, ex qua prudenter possit sperari fructus, ùt latius infra explicabitur, sive illa fiat verbo, scripto, vel facto. Dicitur 3. *A periculo peccandi*, nam peccatum præteritum plenè emendatum, hoc est, non amplius conjunctum cum periculo relabendi, vel cum scandalo, aut cum nimiâ pœnitentiæ dilatione, non cadit sub præcepto correctionis fraternæ; quia cessat ejus finis, qui est emendatio.

QUÆR. II. Quid circa præceptum correctionis fraternæ? 2.

R. 1. Certum est dari tale præceptum; *Corripe amicum-corripe proximum*. Eccl 19. Et lex charitatis in Deum & proximum obligat, ut impediamus maximum Dei & proximi malum, cum per illud Deus plurimum offendatur, & proximus mortem animæ incurrat, ergo. Et quamvis proximus non sit in necessitate peccandi, cùm peccet liberè, est tamen in magnâ miseriâ & periculo peccandi, vel difficiliùs resurgendi, nisi tuâ correctione eum adjuves.

R. 2. Ut præceptum correctionis 3.
obliget, requiruntur sequentia 1. Peccatum proximi mortale, vel veniale; mortale teneris impedire sub mortali, veniale sub veniali, nisi sis Superior vel pater-familias, & advertas venialia proximè disponere ad mortale, vel grave damnum inferre disciplinæ, aut rei domesticæ; idem dicendum de peccatis committendis ex ignorantia, vel enim fiunt ex ignorãtia vincibili, & tunc sunt peccata formalia, & patet ea cadere sub præcepto correctionis fraternæ; vel fiunt ex ignorantia invincibili, & tunc

reve-

reverentia legis, contra quam fiunt, videtur exigere ut impediantur saltem tunc, quando facillimè possunt absque
4. alterius rubore & displicentia. 2. Notitia quasi certa peccati, nam in dubio, suspicione, vel rumore incerto non teneris proximum monere, imò nec expedit ob periculum tricarum, nisi credas proximum non ægrè laturum, neque privati est in vitam aliorum inquirere, hoc enim ad Superiorem spectat, qui tamen spontaneis delatoribus non facilè credat, neque in particularem inquirat, nisi peccatum dubium cedat in periculum communitatis. vel
5. tertii, & alia signa adsint. 3. Requiritur saltem probabilis spes fructûs seu emendationis, hic est enim finis correctionis; dico *probabilis*, nam si requireretur spes certa, vix unquam obligaret præceptum correctionis, cùm proximus liberè possit in peccato perseverare: si spes fructûs sit dubia & nullum inde malum timeatur, adhuc erit obligatio corrigendi; si verò majus sit periculum novi peccati, vindictæ, odii, vel contemptûs, correctio locum non habet, juxta illud Prov. 9. *Noli arguere derisorem ne oderit te*; Excipe Superiores, qui ex officio tenentur corrigere subditos, non tantum ex charitate ad ipsorum bonum, sed etiam ex justitiâ ad bonum commune, ne alii pervertantur, aut scandalizentur, etsi correptio ipsi correpto fortè obsit, *S. Th.* 2. 2. *q.* 7. *a.* 7. 4. Requiritur, ut correptio fieri possit sine tuo vel tuorum gravi damno, aut incommodo, si una harum conditionum absit, non obligat præceptum charitatis fraternæ.

QUÆR. III. An & qualiter liceat 6.
peccatū proximi denuntiare Superiori?

R. Denunciatio alia est *judicialis*, quæ fit Superiori in ordine ad vindictam publicam; alia *charitativa seu evangelica*, quæ fit in ordine ad avertendum spirituale damnum proximi: si delictum sit occultum, & tu solus illud efficaciter, & sine damno proprio corrigere possis, non potes sine detractione illud manifestare alteri, vel etiam Superiori. *D. Th.* 2. 2. *q.* 33. *a.* 8. Si verò solus efficaciter corrigere non possis, adhibe unum vel duos, si ita sit necessarium, & quidem eos quibus crimen jam notum est, vel alios, si tales non habes; si nec sic proficias, dic Superiori, ecce modum & regulam correctionis fraternæ, quam nobis præcipit Christus Dominus Matt. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum..... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Ratio est, quia non licet infamare proximum absque rationabili & justâ causâ, sed si possis proximum tuum emendare per te solum, vel manifestando delictum uni, non est justa causa illud manifestandi pluribus, ergo. *Dixi* 1. Si delictum occultum; nam si sit publicum, notorium, scandalosum, tunc proximus publicè corrigi, vel immediatè ad Superiorem deferri potest juxta illud 1. ad Tim. 2. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* *Dixi* 2. Si 7.
solus efficaciter corrigere possis; nam si secreta monitio minus prosit, vel non satis removeat pericula, & occasiones

peccandi, tunc etiam occulta debent Superiori denunciari, ut iis cum effectu occurrere possit, præsertim si peccata cedant in damnum Reip. vel innocentis, ùt conspiratio, hæresis, proditio, sufurratio, ita tamen ut occulta, nisi id bonum commune exigat, non denuncientur Superiori tanquam judici ad punitionem publicam, sed ùt personæ privatæ & pio patri, qui peccantes efficaciùs corrigere possit. *Excipe*, nisi quis ex statuto suæ religionis consentiat, ut etiam in criminibus occultis immediatè Superiori denunciari valeat, ùt PP. Soc. JESU, & Recollectæ quoad delicta in itinere à suo socio commissa, teste *Spor. t. 3. in decal. c. 6. num. 105.*

8. *Sed quid*, si quis in occulto sit graviter læsus, vel virgo violenter oppressa, an malefactorem possit denunciare judici? R. Cum *Lugo de just. disp. 37. n. 76.* Si crimen probare possit, licitè malefactorem denunciat etiam ad vindictam publicam; nam famæ privatæ præponderat bonum commune, contra quod esset, si scelerati homines scirent se posse impunè peccare absque metu pœnæ, quamdiu eorum delicta non essent divulgata: Imò *Tamb. in decal. L. 9. c. 2. §. 4.* non improbabiliter dicit etiam occultissima crimina Judici deferri posse ab ipso læso, vel ejus propinquis, ùt patre, fratre &c. secluso tamen odio, & desiderio injustæ vindictæ. Rationem dat, quia ad bonum commune spectat Judicem scire crimina, etiam occultissima, ut saltem generaliter possit inquirere & malefactori clam intendere, mediaque necessaria adhibere in futurum, & impunitas occulti criminis ansam daret criminosis liberiùs peccandi, foretque nimis durum injuriato, si ante delationem ipse cogeretur in testes & probationem necessariam inquirere. Adde, quod ex sententia *D. Th.* liceat occultum crimen revelare amico pro habendo solatio, cur non Judici pro bono communi & habendo majori solatio, & eventuali satisfactione, si successu temporis crimen forte probaretur? Ex dictis

*Deduces seqq.* 1. Non cadit in privatum in vitam aliorum inquirere, ùt sup. dixi, nisi esset vehemens suspicio de crimine Reip. vel aliis nocivo, & inquisitio per Superiorem fieri non posset. 2. Qui grave peccatum alterius, dum sine gravi incommodo potest, non impedit, peccat mortaliter, neque excusat verecundia, pusillanimitas, aut timor levis offensæ, vel reciprocæ correctionis, sæpe tamen contingit ut tam stricta obligatio non apprehendatur, aut quis judicet se hìc & nunc esse minus idoneum, tunc omissio correctionis erit tantùm venialis, *S. Th. a. 2. ad 3.* 9. 3. Non omnes æqualiter sunt corrigendi; subditus quandoque asperius est increpandus, quandoque mansuetè hortandus, prout ei fuerit in Domino utilius, æqualis amicè commonendus, Superior humiliter rogandus juxta illud 1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ùt Patrem.* 4. Si proximus sit in periculo damnationis, nisi eum ad pœnitentiam inducas, si ob peccata propria non potes eum fructuosè monere, teneris te emendare, vel saltem periclitanti significare propositum emendandi, qui enim tenetur 10.

netur ad finem, tenetur ad media non
11. nimis difficilia. 5. Non teneris cum gravi infamia adire meretricem, vel cum periculo vitæ infideles, ut eos convertas, quamvis fortè aliàs in peccato sint morituri; *Ratio* est, quia tales, vel sunt tantum in gravi necessitate spirituali, in quâ cum tanto incommodo privatus succurre non tenetur, vel saltem spes conversionis est omnino incerta, vel prudenter creduntur per alios fore convertendi; imò nec Pastor videtur obligatus cum infamia adire personam suspectam, hoc enim foret scandalosum, & Parochus redderetur suspectus, contemptibilis, & impotens apud alios fructificare.

## CASUS XIX.

### De charitate, prout prohibente scandalum.

TAborius in examine Synodali interrogatur 1. *Quid sit scandalum, activum, passivum.* 2. *Directum, indirectum.* 3. *Quale sit peccatum.* 4. *An attrahat malitiam peccati ad quod inducit.* 5. *Quid de loquente verba turpia coram multitudine, vel pingente obscœna.* 6. *Componente, exhibente, spectante turpes comœdias* 7. *An circumstantia sollicitationis in confessione exprimenda.* 8. *An parato ad majus malum liceat suadere minus.* 9. *Quid in materia justitiæ.* 10. *An liceat offerre occasionem peccandi, ut deprehensus emendetur.* 11. *Vel tentare ad peccatum.* 12. *An liceat inebriare ad impediendum gravius delictum.* 13. *An inducere ad veniale.* Pro resol.

1. QUÆR. I. Quid & quotuplex sit scandalum?

R. 1. Scandalum aliud est activum, aliud passivum. *Activum* est dictum vel factum, actio, vel omissio minùs recta præbens proximo occasionem peccati *D. Th. 2 2. q. 43. a. 1.* Dicitur 1. *Actio vel omissio minus recta*: id est, quæ vel in se sit mala, vel saltem habeat speciem mali. Dicitur 2. *Præbens occasionem peccandi*, id est liberiùs vivendi, virtutem aut statum religiosum contemnendi, de aliis temerè judicandi vel detrahendi &c. nam si des tantùm occasionem admirandi, suspicandi de te malè, sed non temerè sentiendi, propterea præcisè non committis scandalum, quia hæc sine peccato fieri possunt. *Scandalum passivum* est ipsum peccatum proximi, quod si oriatur ex occasione ab alio subministratâ, dicitur *datum seu pusillorum*; si oriatur ex sola peccantis malitia, dicitur *acceptum, & Pharisaicum*, à Pharisæis, qui ex optimis Christi actionibus sumebant occasionem peccandi eumque persequendi.

R. 2. Scandalum activum subdividitur in directum, & indirectum: *directum* est actio vel omissio, quâ quis ex proposito, jussu, suasu, sollicitatione vel exemplo intendit aliquem ducere in peccatum, idque vel formaliter intendendo ipsam ruinam spiritualem proximi, vel offensam Dei, quod propriè est dæmonum, & rarum in hominibus, nisi omnino pessimis, vel tantùm materialiter intendendo ipsam actionem peccaminosam v. g. furtum, fornicationem ùt sibi utilem vel delectabilem; *scandalum indirectum* est, 2.

quando quis alterius peccatum quidem non intendit, sed tamen sine justâ causâ ponit actionem, ex qua prævidet alterius ruinam probabiliter secuturam, ùt si Clericus detineat personam populo suspectam, etsi innocentem cum periculo detractionum; aut Religiosus loquatur verba indecentia, ex quibus prævidet Religiosos contemnendos, aut alios liberiùs victuros; aut si quis coram illis, quos novit furto addictos, narret alterius pecuniam esse negligenter custoditam; vel si quis coram marito zelotypo liberiùs jocetur cum ejus uxore non sine periculo suspicionum & gravium discordiarum.

3. QUÆR. II. Quale peccatum sit scandalum & qualiter in confessione explicandum?

℟. 1. Scandalum est peccatum ex genere suo mortale, non tantùm contra charitatem, sed etiam contra omnia præcepta, quæ ratione ipsius transgreditur scandalizatus, idque respectu scandali directi concedunt omnes, v. g. inducis Religiosum ad fornicationem, non tantùm peccas contra charitatem, sed & contra castitatem, & religionem, debesque non tantùm in confessione explicare ipsam inductionem, sed etiam numerum, & speciem mortalium, ad quæ directè induxisti; ratio est, quia ista peccata sunt tibi voluntaria utpote à te intenta.

4. ℟. 2. Probabiliùs etiam indirectè scandalizans contrahit omnem malitiam peccati, cujus occasionem dedit, ita ut in confessione debeat dicere: posui talem actionem, ex quâ prævidi tot, & tales personas talia peccata admissuras. *Acor, Sanch, Dicast, Steph. t. 3. d. 3. n. 70.* contra *Lugo, Tamb.* & alios: *Ratio est*, quia indirectè scandalizans non tantùm permittit proximi peccatũ, ùt volunt adversarii sed ad illud positivè concurrit, sine justâ causâ præbendo occasionem, ergo peccatum proximi est ipsi saltem interpretativè voluntarium; ergo omnem ejus speciem & numerũ tenetur in confessione explicare.

*Dices* 1. Ab actione scandalosâ teneor tantùm abstinere ex charitate, ergo per eam tantum pecco contra charitatem. 2. Si scandalizans contrahat omnem malitiam quæ est in peccato scandalizati, ergo si Religiosus laicum inducat ad fornicationem, peccabit contra castitatem, per consequens admittet sacrilegium. 3. Qui dicit alterius pecuniam esse malè custoditam, tenebitur ad restitutionem, si alius inde prævideatur eam furaturus. ℟. *Ad 1. N. Ass.* nam si per ebrietatem aliquem inducam ad blasphemiam, non tantùm pecco contra charitatem, sed etiam contra temperantiam, & religionem, ergo ex motivo harum virtutum etiam teneor ab ejusmodi scandalo abstinere. *Ad 2. N. ult. C.* nam quamvis Religiosus laicum inducens ad fornicationem peccet contra castitatem, eò quod castitas non tantum prohibeat actus venereos in se, sed etiam eosdem causare in alio, non tamen peccat contra votum, quia non vovit castitatem in alio, sed in se tantùm. *Ad 3.* C. seq. nam talis non purè permittit alterius furtum, ùt male supponit *Lug.*, sed ad illud positivè concurrit, talis enim narratio movet furem ad furtum. Ex dictis

5. *Deduces seqq.* 1. Histrio vel alii, qui

qui verba turpia coram magna multitudine, vel coram pueris & puellis proferunt, peccant mortaliter, quia exponunt se periculo aliquos ex iis scandalizandi, hoc est ad cogitationes, oblectationes, vel motus turpes inducendi &c. 2. Non tantùm ii qui pingunt imagines valde obscœnas, vel eas retinent, mortaliter peccant ratione periculi turpis delectationis, sed etiam ordinariè ii, qui similes picturas fixè contemplantur, quia fere semper est periculum, ut vel tum, vel postea inde habeant turpes cogitationes, motus &c. *Nec obstat*, quod fortè tales cogitationes vel motus non sequantur; *Nam* sufficit quod sine causâ eorum se
6. periculo exponant. 3. Propter eandem rationem etiam mortaliter peccant qui componunt vel exhibent comœdias obscœnas; item qui eas spectant, nam & hi exponunt se periculo turpis complacentiæ vel motuum, & revera approbant, ac solvendo comœdis stipendiũ fovent comœdiam mortaliter malam, & si sint Clerici, insuper peccant peccato gravis scandali, quia dant laicis ansam comœdias liberiùs adeundi, undè patet quanta sit obligatio Principum ac Magistratuum ejus-
7. modi comœdias prohibendi. 4. Qui alium jussu, consilio, vel exemplo suo induxit ad peccandum, debet in confessione exprimere, quod alium induxerit. *Nec obstat*, quod alius de se paratus fuerit; *Nam* licet tunc non causetur voluntas peccandi, causatur tamen actuale exercitium peccati. Si vir sollicitet fœminam ad turpia, secuto actu non est opus exprimere sollicitationem, quia cùm viri plerumque primò petere, vel sollicitare soleant, id ex plerumque contingentibus prudenter præsumitur, quamdiu non exprimitur contrarium. *Lugo hic n. 142. Spor. t. 5. c. 1. n. 20.* Aliud est de fœmina sollicitante, aut si sollicitatio viri effectum non fuit consecuta, tunc enim juxta omnes explicanda erit. 5. Proba- 8.
bile est, & in praxi tutum, quod liceat parato ad majus malum suadere minus malum, si aliter majus impediri non possit. *Less. Lugo, Sanch. L. 2. d. 11. n. 15. Steph. t. 3. d. 3. n. 79. Dian. p. 5. t. 7. res. 18. Ratio* est, quia non suadetur absolutè minus malum, sed ex supposito quod velit facere majus; seu propriè non suadetur malum (quod vellet non fieri) sed permutatio majoris mali in minus, quæ bona est, idque confirmatur exemplo *Lothi Gen.* 19. ubi ad avertendam sodomiam præsentavit filias suas stuprandas. Certò videtur esse licitum suadere minus malum contentum in majori, ùt in homicidio continetur mutilatio, in adulterio fornicatio, furtum 10. aureorum in furto 20. *Ratio* est, quia tum propriè non suadetur aut intenditur minus malum, sed tantùm, ut paratus & determinatus ad majus malum unam ejus partem omittat. *Econtra* si unum malum in altero non contineatur, ùt si volenti occidere suadeam ebrietatem, major est difficultas, quia talis nullo modo est determinatus ad ebrietatem nequidem implicitè, ideoque suadens ebrietatem videtur ad illam determinatè movere; *nihilominus* valde probabile est, illud licere, quia propriè non suadeo aut intendo ebrietatem, quam vellem non fieri, sed omis-

sionem

sionem homicidii, seu commutationem homicidii in ebrietatem, ùt patet consideranti: in materiâ tamen justi-
9. tiæ probabiliùs non licet furi suadere, ut à Cajo furetur minus, ne aliàs furetur plus à Titio, aut ut vulneret Cajum aliàs occisurus Titium, quia Cajus æquè habet jus in suum corpus, quam Titius in suum, & æque jus in suum minus, quam Titius in suum majus, ergo licitè suaderi non potest ut unius jus potius violetur quàm alterius; licebit tamen in genere, non determinando personam, in particulari proponere hanc veritatem, quod sit minus malum furari parùm, quàm multum, aut furari à divite, quàm à paupere. *Spor. n.* 60. *Ratio* est, quia habeo jus ad proponendam ejusmodi veritatem in genere, & si ipse inde moveatur ad furandum minus, vel ad furandum à divite potius quàm à paupere, id non fit ex mea propositione, sed ex aliquali ejus emendatione.
10. 6. Potest maritus (idem est de aliis) ex justâ causâ, eò quòd v. g. aliâ viâ emendari non possit, permittere adulterium uxoris, fornicationem filiæ &c. ut deprehensæ corrigantur, est *communis*: imò mihi valde probabile & in praxi tutum videtur, quod liceat aliquo modo dare ansam vel occasionem peccandi, subministrando materiam de se indifferentem, ut si herus relinquat cistam apertam, ut famulum deprehendat in furto; è domo abeat, & inopinè redeat, ut uxorem in adulterio deprehensam emendet. *Ratio* est, quia hæc videtur tantùm esse remota cooperatio ad alterius peccatum per actionem de se indifferentem, quod ex justâ causâ licet; neque intenditur proximi peccatum, quod odio habetur, sed tantùm emendatio & correctio, casu quo peccare voluerit: idem videtur dicendum de custodibus gabellarum, sylvarum, hortorum, qui studiosè se abscondunt ut deprehendant, & ab ulteriori transgressione deterreant transgressores. *Nav. Sanch. Laym. hic n.* 5. Oppositum tamen est tutius & probabilius; quia etsi apertio cistæ, abitus mariti de se sint quid indifferens, in his tamen circumstantiis sunt sollicitativa ad peccatum, & ùt talia intenduntur, etsi ad bonum finem, non enim sunt facienda mala ut eveniant bona. 7. 11.
Multò minus licebit aliquem subornare, qui proximum tentet ad peccatum, v. g. uxorem ad adulterium; hoc enim erit duplex scandalum, unum respectu tentantis, quem inducit ad illicitam sollicitationem, & alterum respectu tentati, cui das occasionem consentiendi illicitæ sollicitationi. 8. Pro- 12.
babiliter licet alicui præbere vinũ fortissimum, cujus virtutem ignorat, ut ex eo inebriatus abstineat ab homicidio, adulterio, vel simili delicto, quod commodiori viâ impediri non potest, secundùm dicta *casu* 12. *n.* 9. 9. In- 13.
ducere aliquem ad peccandum venialiter, est tantùm veniale; nisi inductus per hoc fortè pateretur grave damnum in spiritualibus, ut contingere posset in homine valde sancto. *Ratio* est, quia quamvis peccatum veniale sit majus malum, quàm omnia mala temporalia, tamen in genere suo est aliquid leve, & facilè reparabile, sicut ergo aliquis non peccat mortaliter illud causando in se ipso, sic nec causando in aliis.

CASUS

# CASUS XX.

## De actione, à qua quis abstinere debet, ut evitet scandalum.

### Item de cooperatoribus ad peccatum alienum.

VAlentia dubitat. 1. *An ad vitandum lapsum proximi teneatur abstinere ab opere licito vel præcepto.* 2. 3. *An liceat alterius peccato cooperari.* 4. *An puella possit conversari cum adolescente, à quo turpiter amatur.* 5. 6. *Quid de muliere nimium se ornante &c.* 7. *An liceat scribere vel portare litteras sollicitantes ad peccatum.* 8. *An ferre vel acceptare munera ad malum finem.* 9. 10. *Quid de vendente fucos muliebres, gladios, chartifolia, venena, &c.* 11. *Quid de famula subserviente Dominæ fornicaturæ.* 12. *An peccet matrimonium contrahens cum peccatore vel voto obstricto.* 13. *Vel Sacramenta petens ab excommunicato.* 14. *An potest reddi debitum conjugi contra votum petenti.* 15. *An recipi fures, meretrices, aut iis domos locare.* 16. *An carnes vetitas apponere.* 17. *An hæreticis arma vel victualia advehere, cuniculos fodere &c.* 18. *An pro hoste patriam occupante tributa exigere, subscribere.* 19. *An mutuò dari pecunia ad usuram, injustum bellum &c.* 20. *An juvare judæos vel hæreticos in ædificandis suis templis.* Pro resolut.

QUÆR. I. An & quæ actiones omitti debeant in ordine ad evitandum proximi scandalum? 1.

R. Ad evitandum proximi peccatum est obligatio aliquoties abstinendi ab opere licito non præcepto, si quis commodè possit: est communis. Dicitur 1. *Aliquoties*; quia semper abstinere ab opere aliàs licito videtur nimis durum. Dicitur 2. *Si quis commodè possit*; nam charitas non obligat ad impediendum peccatum proximi cum gravi incommodo. Dicitur. 3. *Ab opere non præcepto*; Nam an ad evitandum scandalum sit obligatio abstinendi ab opere præcepto v. g. ab audienda Missa, jejunio &c. est incertum; negat *Castrop.* affirmant communiùs alii, quia in tali casu præceptum non obligat, & facilè possumus à re præcepta abstinere, ut supponitur, ergo aliquoties ad hoc tenemur. Utraque sententia est in praxi tuta.

QUÆR. II. An & qualiter alterius peccato cooperari liceat? 2.

R. Nunquam licet cooperari per actionem, quæ proximè & directè influat in alterius peccatum qui enim sic concurrit, reipsâ vult ipsum peccatum;

tum ; *Licebit tamen ex rationabili causa, & metu gravis incommodi ponere actionem de se bonam, vel indifferentem, ex qua remotè & præter intentionem prævidentur proximi peccatum :* Est Regula certa ab omnibus recepta ; sed quænam actio proximè vel remotè hìc & nunc ad alterius peccatum concurrat ; Difficillimum est judicare, maximè post prop. 51. ab Innoc. XI. damnatam, quæ sic habet : *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si metu notabilis detrimenti id faciat, putà ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Ex hac damnatione constat, quòd actio de se indifferens, & remotè tantùm ad peccatum adjuvans, ùt aperire januam, deferre scalam &c. ex circumstantiis possit adjuvare proximè, ideoque fieri omnino illicita; hæ autem circumstantiæ in propositione damnata
3. sunt : 1. Quod fiat *scienter*, seu à sciente, quòd herus velit inferre stuprum ; nam in dubio herus non præsumitur malus, adeoque nec erit illicitum ejus mandatum exequi. 2. Quod fiat *multoties.* 3. Quod fiat *ex insufficienti causa,* qualis est semel vel bis à Domino percuti, torvis oculis aspici, è domo expelli ; an autem ejusmdi cooperatio famuli saltem liceat ex metu mali gravissimi, mutilationis, vel mortis, non est certum ; meritò id negat *Lacroix l. 2. n. 254.* Viva *opusc. 1. q 4. a. ult.* Quia cooperatio ex circumstantiis directè & proximè tendit in peccatum, ideoque est intrinsecè mala, nec ex ulla circumstantia honestari potest ; per quas autem actiones in particulari, & quibus ex causis ad alterius peccatum cooperari liceat, non potest certâ regulâ definiri ; quæ probabiliora sunt, dabunt resolutiones seqq.

1. Puella nesciens, aut negativè 4.
dubitans, an ab adolescente turpiter ametur, potest eum ex rationabili causâ ad alloquium de se honestum admittere ; quia in dubio adolescens debet præsumi bonus : quod si ex moribus adolescentis, vel ex clandestinitate alloquii (ùt fieri assolet) prudenter timeat in se vel in adolescente turpes cogitationes, motus, affectus, vel actus, peccat mortaliter eum admittendo : à potiori hæc tenent de osculis, & amplexibus turpibus, quamvis ipsa in illa non consentiret, modò possit sine gravi incommodo vel infamia adolescentis (ùt plerumque potest) impedire ; nam hæc magis sunt periculosa, & multò magis excitant ad Venerem ; familiarior tamen conversatio, vel amplexus honesti inter sponsos de futuro ad conciliandum vel conservandum honestum amorem in ordine ad matrimonium non sunt peccatum saltem mortale, etiamsi prævideantur motus

tus turpes, modò non intendantur, & abſit periculum conſensûs.

4. 2. Puella ſe ornans convenienter ſtatui, ut honeſtè placeat, & habeat honeſtos procos, non peccat : imò & cultus ſuperfluus de ſe tantùm venialiter malus eſt ; ſi tamen ſciret aliquem in particulari ex ſuo ornatu lapſurum, teneretur ſaltem ſub veniali unâ aut alterâ vice ab ornatu etiam honeſto, citra tamen grave incommodum, abſtinere : ſi per ornatum intendat placere turpiter amanti, vel in ejus gratiam ſe ornet, etiamſi ipſa eum turpiter non amet, tamen peccat mortaliter; idem eſt ſi à turpiter amante ſine neceſſitate admittat compreſſiones manuum, nutus furtivos, multò magis ſi ſimilia reddat, tunc enim turpem amorem approbat, fovet, excitat. Eadem eſt ratio, ſi datâ operâ ſe conſpiciendam ſiſtat, vel occurrat turpiter amanti; ſecus ſi caſu vel etiam ex juſtâ causâ in ejus conſpectum veniat, ne ſcilicet longo tempore privetur libertate exeundi, è feneſtrâ proſpiciendi &c.

6. 3. Mulier adhibens ornatum de ſe ſcandaloſum, ùt notabilem denudationem pectoris, peccat mortaliter, nec abſolvi poteſt niſi dimittat; nam ſi verba turpia coram pluribus prolata, aut etiam pictura venerea publicè expoſita communiter reputantur mortale, ob periculum ſcandali in uno vel altero, quomodo non erit mortale talis denudatio, quæ magis ad venerem provocat quàm verba aut pictura! caveant igitur ab his nuptæ & innuptæ, ne fiant rete diaboli ad illaqueandas animas.

7. 4. Nulla ex cauſa, nequidem metu mortis, videtur licitum ſcribere vel ſcienter deferre literas ſollicitantes ad libidinem, duellum, vel aliud peccatum : ita communiter omnes poſt propoſitionem 51. ab Innoc. XI. damnatam : *Ratio* eſt, quia tales actiones videntur immediatè & directè tendere ad peccatum, & ſicut verba ſunt ipſa externa ſollicitatio ex ſuâ inſtitutione ad impetrandum conſenſum ordinata, ſic & ſcriptura; profectò ſi ſcienter apportare ſcalam, aperire januam, humeros ſubmittere hero ad ſtuprandam virginem aſcendenti, ſit proximè & directè concurrere ad peccatum heri, cur non ſcribere aut portare litteras obſcœnas, vel ſimiles? *Dico obſcœnas*: nam litteras amatorias, petentes honeſtas nuptias & ſcribere, & portare licebit.

8. 5. Nec videtur licitum ferre munera ad malum finem ex quacunque etiam cauſa, quia hoc eſt ſollicitare, & per conſequens proximè operari ad peccatum; neque poterit virgo taliâ munera liberè acceptare, quamvis etiam proteſtaretur ſe nolle conſentire in peccatum, tamen acceptando munera illud reipsâ fovet, datque ſpem explendi aliquando deſiderii; *Dixi liberè*, nam ſi puella metu mortis v.g. cogeretur acceptare talia dona, ſciret offerens ſe nunquam ha-

biturum ſpem cum ea peccandi, ideoque ipſa non cenſebitur fovere peccatum. Oppoſitum eſt de portante munera aut litteras ad turpem finem; nam quamvis portans id faciat ex metu graviſſimi mali, tamen ipſa portatio manet externa ſollicitatio, ideoque directa cooperatio ad peccatum, quod eſt intrinſecè malum.

9. 6. Non eſt illicitum ex gravi causâ cooperari alterius peccato remotè & materialiter, præbendo materiam de ſe bonam, vel indifferentem, etſi alius eâ prævideatur abuſurus ad peccatum; ſic enim ipſe Deus permittit divitias avaris, quos tamen ſcit iisdem eſſe abuſuros ad ſuppreſſionem pauperum aliaque ſcelera. Ex eodem capite excuſantur mercatores, qui, ne patiantur notabilem lucri diminutionem, faciunt vel vendunt fucos muliebres, gladios, taxillos, chartifolia, etiamſi ſciant emptores non tantùm aliquos in genere [ alioquin enim vix ullus rem talem vendere poſſet ] ſed etiam aliquem in particulari iis abuſurum ad peccandum. Eſt communiſſima apud *Nav. Sanch.* l. 1. mor. c. 7. *Dian.* p. 3. t. 6. reſ. 44. p. 5. t. 7. reſ. 59.

10. *Dices* 1. Volenti ſe vel alium occidere non poſſum vendere gladium vel venenum: 2. Volenti fornicari non poſſum procurare ſcortum; ergo nec licet vendere vel procurare fucum muliebrem vel chartifolia, quibus quis ſcitur abuſurus ad peccandum. 3. Non licet apportare ſcalam, humeros ſubmittere aſcenſuro ad ſtuprandam virginem, ergo nec vendere vel procurare ornatum muliebrem, quâ fœmina intendit ſeducere adoleſcentes. 4. Saltem leve illud lucrum quod quis habet ex tali venditione, non eſt cauſa ſufficiens vendendi venenum, quo quis ſe vel alium intendit occidere. Reſponſio eſt difficilis, nihilominus *R. ad* 1. *N. aſſ.* nam etſi non ex quâlibet, tamen ex graviſſimâ causâ, metu v. g. mortis licebit vendere gladium, venenum &c. quo quis certò creditur abuſurus; quia in pari periculo major eſt habenda cura vitæ propriæ, quàm alienæ. *Ad* 2. *N. C.* præſentia ſcorti ex ſe eſt inductiva & irritativa ad venerem, præſertim reſpectu hominis ad luxuriam diſpoſiti, eſtque quaſi externa ſollicitatio vel petitio, ut ſcortum conſentiat & cooperetur in rem turpem, ergo eam procurare videtur proximè & directè concurrere ad libidinem; ideoque forſan nec metu mortis licitum; econtra ornatus vel fucus muliebris ſunt res de ſe indifferens, quâ quis bene vel malè uti poteſt. *Ad* 3. *N. C.* procurare ſcalam, ſubdere humeros aſcendenti ad ſtuprandam virginem in circumſtantiis propoſitionis damnatæ eſt proximè cooperari peccato; vendere autem veſtes, ornamenta &c. eſt tantùm cooperari remotè, quod ex juſta cauſa licet, qualis eſt, ſi vendentes non uno, ſed paulatim deberent

care-

carere pluribus emptoribus, & notabili lucro. Unde *patet ad* 4. Nam quò majus est peccatum, quod timetur, & quò actio propinquiùs influit, eò major requiritur causa, ut quis ad illud etiam remotè cooperari possit, ideoque ad vendendum venenum, quo quis vult uti ad occidendum hominem, requiritur causa gravissima, ad alia & communia, causa minus gravis v. g. notabilis lucri diminutio.

11. *7. Sanch. Laym. Tamb. Busenbaum hic n. 4. Sporer. n. 99.* excusant famulam: idem est de famulo: quæ ex officio famulatûs scienter subservit Dominæ fornicaturæ, eam ornando, vestiendo, ad amasium comitando, cibos coquendo, lectum sternendo, januam aperiendo &c. Ratione dant; quia hæc tantùm remotè concurrunt ad peccatum: Sed si hæc omnia simul sumpta scienter facta remotè concurrant, cur non dicetur licitè concurrere famulus scalas apportans, januam aperiens, humeros hero ad stuprandam virginem ascendenti submittens? Quod tamen licere damnatum est, & certè non video, quomodo servus per humeros deducens herum ad fenestram proximiùs concurrat ad peccatum, quàm famula januam aperiens, lectum sternens, ducens pellicem ad amasium &c.

12. 8. Quamvis ex justâ causâ quis possit contrahere matrimonium cum persona in peccato mortali constituta, ùt habet *communis*, quia hoc est alterius peccatum ex causa permittere, non potest tamen contrahere cum habente votum castitatis; quia hoc esset acceptare personam Deo antecedenter obligatam, quod videtur injuriosum Deo & intrinsecè malum, nec Parochus potest ejusmodi matrimonio assistere, nisi ex gravissimâ causâ, quia ex officio debet procurare quantum potest, ut Sacramenta administrentur dignis.

13. 9. Parochus excommunicatus non toleratus, vel publicus percussor Clerici, non potest extra extremam necessitatem licitè administrare Sacramenta, ùt dicam suo loco, ideoque extra talem necessitatem etiam Sacramenta ab eo peti non possunt, quia hoc esset petere aliquid, quod alter sine peccato dare non potest, quod nunquam licet, quia esset petere peccatum: Potes tamen ex justâ causâ v. g. ut satisfacias communioni annuæ aut lucreris indulgentias, Sacramenta petere à Parocho excommunicato tolerato, vel etiam concubinario, si alius ad manum non sit; *Ratio* est, quia ex justâ causâ petis, quod alter potest & debet tibi dignè conferre; si ergo indignè conferat, sibi imputet.

14. 10. Si conjux voto castitatis obligata debitum petit, teneris ex charitate dissuadere, si tamen non persuadeas, debitum reddere potes, quia uteris jure tuo; melius facis ipse petendo ac præveniendo, sic

enim ipsa jam obligata reddere ampliùs non peccabit.

15. 11. Caupo recipiens scienter fures, usurarios, meretrices, cum probabili periculo, ne alii per eos patiantur damnum vel scandalum, peccat mortaliter; quia eorum peccata fovet; idem est, si usurariis, vel meretricibus suas domos sine justâ causâ elocet, justa autem causa elocandi erit, si in civitate talis elocatio sit permissa, & aliis sine gravi damno elocari non possint.

16. 12. In civitatibus, in quibus Catholici hæreticis permixti vivunt, potest caupo ex gravi, in urbe merè Catholica ex graviori causa vendere & apponere hospitibus id petentibus carnes, aut similes cibos vetitos: Quia hoc est tantum remotè cooperari ad alterius peccatum ex justa causa; justa autem causa videtur esse, si timeat hospites notabiliter minui, aut gravia verbera, rixas, & contumelias; ex eodem capite excusantur qui vinum vendunt illis, quos probabiliter putant se inebriaturos, solum autem lucrum, quo carerent, si præcisè illud vinum non venderent, non videtur causa sufficiens *S. Th. 2. 2. q. 150. a. 1.* Idem est de artifice, qui servos habet acatholicos, quibus si in Quadragesima carnes non subministret, pateretur aliquod murmur: Secus si eum cum gravi damno desererent, eò quòd similes è Catholicis habere non possit. Nunquam tamen licebit ad cibos prohibitos aut largiores haustus cum prudenti timore ebrietatis vel abusûs provocare, quia hoc esset eorum peccata directè intendere, quod est intrinsecè malum.

17. 13. Catholicus inter hæreticos habitans potest ex timore gravis damni, quale esset, si à communi mercimonio, & lucro cum notabili damno familiæ excluderetur, hæreticis arma, victualia, sarcinas advehere, cuniculos fodere, remigium ducere: Idem ex gravi metu verberum vel mortis licet captivis Christianis apud Turcas, tum quia id est tantùm remotè cooperari, tum quia ejusmodi metus est sufficiens causa excusans; quod si tamen ejusmodi auxilia negando possent Christianos vel Catholicos magno periculo eripere, vel victoriam causare, obligarentur ex charitate vitam propriam postponere bono communi Reip. vel Ecclesiæ. *Nav. Mol. Laym. l. 2. t. 3. c. 13. n. 5.*

18. 14. Si hostis injustè occupet patriam, possunt priores officiales sua officia retinere animo impediendi malum majus, & facilius restaurandi causam justam, etsi cogerentur injustum tributū exigere, vel etiam solvere, nisi hæc cedant in majorem oppressionem legitimi Principis, Ecclesiæ, vel Reip. *Ratio* est, quia nec legitimus Princeps, nec subditi sunt inviti, si enim non fiat per hos, fiet per pejores ab hostibus substitutos, *Laym. l. c. Spor. n. 105. Croix 275.*

Quod

Quod iidem etiam extendunt ad subscriptionem decreti de exigendo iniquo tributo, quod non videtur admittendum, eò quòd subscribere tributo iniquo sit approbare & confirmare grave alterius peccatum, imò est reale mendacium; subscribens enim in facto testatur ejusmodi tributum esse justum, ideo enim exigitur subscriptio: Non tamen tenebitur ad restitutionem; quia, ùt dictum est, Princeps & subditi non sunt inviti.

19. 15. Ex causâ justâ licet usurario aut injustum bellum gerenti pecunias mutuò dare, eundemque in numerando, computando, transportando juvare, quia hæc omnia remotè se habent ad peccatum usurarii, non tamen licet nomine usurarii contractum usurarium inire, quia hic habet speciem rapinæ; sicut ergo nomine alterius non licet aliena rapere, sic nec inire contractum usurarium nisi excuset extrema necessitas, de qua alibi.

16. Excusantur, qui ex gravi causâ, ad lucrandum v. g. panem, juvant ædificare vel restaurare Synagogas Judæorum, vel templa hæreticorum; nam quamvis illa templa serviant ad malum finem, scilicet cultum falsum, tamen ædificatio ad illud se habet remotè. 20.

EX

# TRACTATU
## DE JURE ET JUSTITIA,
### CASUS XXI.

### De Natura & divisione juris ac justitiæ.

*AMmon Princeps à Cambsore suo sub pensione annua suscipit pecuniam. 6. Solutionem vel differt, vel omnino negat, sub prætextu communis necessitatis*, ibid. *quam tamen postea in usus privatos vel superfluos impendit, & quia Cambsor his offensus debitam Principi reverentiam negat, seque communibus civium oneribus subtrahit, Princeps in pœnam etiam prædia ei adimit, & in bonum commune conver-*

*vertit, convertit.* 7. *Tandem ut ab illius protestationibus liberetur, illum quamvis artis bellicæ ignarum cohorti militari præficit, ut primus in acie primus pereat.* 8. Pro resolutione.

QUÆRES I. Quid & quotuplex sit jus?

1. R. 1mò: Jus variè accipitur, aliquando pro scientia juris, sic qui novit leges, dicitur juris peritus, quandoque pro ipsis legibus & sic dividitur in jus naturale & positivum, in jus Canonicum & civile, jus autem hic significat liberam & legitimam facultatem disponendi de re aliquâ, licitè ab alio non impedibilem; dicitur primò legitima facultas, id est, facultas disponendi conformiter legibus justitiæ; nam contra leges de re aliquâ disponere non est juris, sed violentiæ & injustitiæ; dicitur secundò ab alio non impedibilis, quia jus activum, de quo hic sermo est, fundat in aliis obligationem jus illud non impediendi, quia vocatur jus passivum seu debitum præstandi vel omittendi aliquid, ut juri activo alterius satisfiat.

2. R. II. Jus præcipuè dividitur in jus in re, & ad rem, *jus in re* seu reale est, quo ipsam rem habeo mihi obligatam, ut eam apud quemcunque detentorem repetere possim, *jus ad rem* seu personale est, quo non res ipsa sed persona aliqua mihi ex delicto, vel contractu obligata est aut rem aut pretium ejus tradere; *jus in re* fundat actionem realem, per quam ipsam rem repeto, & mihi vendico: *Jus ad rem* fundat actionem personalem contra personam ex contractu vel delicto obligatam, ut si vendas equum Titio, & hic non soluto pretio iterum vendat & tradat eum Sempronio, non habet amplius jus in re seu actionem realem repetendi ipsum equum, qui pleno jure transiit in Sempronium; sed actionem personalem non contra Sempronium, qui nec ex contractu nec ex delicto tibi est obligatus, sed contra Titium, qui obligatur tibi pretium equi exsolvere ex contractu emptionis.

3. R. III. Jus aliud vocatur *jurisdictionis* & est potestas authoritativè disponendi de subditis in eorum utilitatem, aliud *proprietatis* seu dominii, estque potestas disponendi de re aliquâ tanquam suâ; jus dominii iterum aliud est perfectum, aliud imperfectum, *perfectum* est facultas disponendi ad omnem usum sibi possibilem authoritate propriâ, vendendo, oppignorando, elocando, donando &c. dominium *imperfectum* est facultas disponendi tantùm ad aliquos usus: Species dominii imperfecti sunt *ususfructus*, *usus*; ususfructus est jus utendi simul & fruendi re alienâ salvâ ejus substantiâ, ad usumfructum pertinent feudum, emphyteusis &c. Usus est facultas tantùm utendi re alienâ v. g. habitandi in domo absque eo quòd eam alienare vel fructus elocationis percipere possim.

QUÆR. II. Quid & quotuplex sit justitia? R. I.

4. ℟. I. Justitia propriè dicta est *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, magis theologicè est habitus inclinans ad ponendam æqualitatem inter jus activum unius & passivum alterius, æqualitas autem hæc consistit in eo, quòd alicui tantum detur quantum justè potest exigi, estque objectum formale *quod* virtutis justitiæ, objectum autem formale *quo* seu motivum justitiæ est honestas hujus æqualitatis v. g. numeratio pecuniæ objectum materiale remotum est ipsa res æqualiter debita v. g. pecunia.

5. ℟. II. Justitia præcipuè dividitur in legalem, distributivam & commutativam, *legalis* dicitur quæ ponit æqualitatem inter jus altum, quod tempore necessitatis in bona & labores civium habet respublica, & jus passivum seu debitum legale quod habent subditi ut tempore necessitatis subveniant reipublicæ; justitia *distributiva* est virtus ponens æqualitatem inter jus activum quod habent subditi ut recipiant bona & dignitates reipublicæ juxta proportionem meritorum, & debitum reipublicæ vel Principis, ut tribuat præmia vel officia dignioribus. Justitia commutativa ponit æqualitatem inter partem & partem reipublicæ seu inter privatum & privatum vel quasi privatum, quia etiam integræ communitates possunt inire contractus per modum privatorum vel inter se vel etiam cum uno ex subditis, & sic contrahentes obligabuntur ex justitia commutativa, nam ut contrahentes non exercent jus altum neque justitiam distributivam, ùt patet ex his.

Ad Casum ℟. 1mò: Inter Princi- 6.
pem suscipientem pecuniam & Cambsorem intercedit sola justitia commutativa, quia ineunt contractum censûs, omnis enim contractus fundatur in justitiâ commutativâ, contra quam peccat Princeps injustè differendo solutionem, cum onere compensandi omne lucrum cessans & omne damnum emergens. 2dò: Princeps potest imò in communi necessitate tenetur à subditis subsidium exigere, servatâ tamen proportione ad cujuslibet facultates, ùt dicetur suo loco, quodsi Cambsor nollet quotam suam contribuere, posset Princeps pensionem ei debitam pro rata huc impendere & hoc faciendo exercet actum justitiæ tum legalis, tum commutativæ; nam Princeps quà superior & caput communitatis tenetur ex tacito pacto, quà pars vel membrum communitatis tenetur ex justitia seu debito legali procurare bonum commune eo modo quo potest, econtra si Princeps illa subsidia non convertat in necessitatem communem, sed ad privatos vel superfluos usus, peccat contra justitiam legalem & commutativam, teneturque ad restitutionem non ob læsam justitiam legalem sed ob læsum tacitum contractum de procu-

7. rando bono communi. 3. Quamvis Campsor justè his offendatur, tamen obinde reverentiam debitam Principi negando peccat contra charitatem & honorem Principi debitum, subtrahendo se communi civium oneri peccat contra justitiam legalem, quare Princeps ei salvo tamen moderamine prædia in pœnam justè adimit, adimendo exercet justitiam vindicativâ, quæ juxta communioré est quarta species justitiæ, quatenus scilicet intendit æqualitatem inter pœnam & delictum, etsi simul intercurrant aliæ justitiæ, tum commutativa quatenus ex officio & quasi contractu tenetur malos punire, bonos præmiare, tum legalis quatenus ut pars reipublicæ tenetur ejus bonum procurare pro qualitate officii putida membra amputando, secando &c. 4. Princeps hominem ignarum artis bellicæ præficiens cohorti peccat contra justitiam distributivam, quæ exigit talia munia imponi capacioribus: exponere autem aliquem primum in acie in quâ videtur certò occidendus, per se loquendo principi licitum est, cùm unus ex militibus debeat esse primus; dico per se, nam si hoc fiat ex privata vindicta utì videtur hic fieri, est homicidium, si fiat ob commissum crimen ad vindictam publicam est actus justitiæ vindicativæ. 8.

# CASUS XXII.

## De modis acquirendi rerum dominium.

BArtholus quærit. *1. Quot modis res acquirantur. 2. Quid de animalibus mansuetis custodiam egressis. 3. Sylvestribus. 4. Apibus, columbis. 5. Piscibus. 6. An venatio sit prohibita clericis. 7. An Princeps possit eam prohibere omnibus. 8. An tunc debeat stare pro damno per feras causato. 9. Quid de venantibus contra prohibitionem. 10. Quid si unus feram vulneravit. 11. Quid de gemmis & lapillis in littore mari vel flumine. 12. Fodinis. 13. Sylvis, pascuis. 14. Rebus derelictis. 15. 16. 17. 18. Thesauris. 19. Quid de accessione per nativitatem, alluvionem &c. 20. Per industriam. 21. Mixtionem, confusionem.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quot modis acquiri possit rerum temporalium dominiũ? 1.

R. Variis. 1. Per contractum dominii translativum, donationẽ, emptionem, mutuum, &c. De quibus suo loco. 2. Per præscriptionem, de quâ Cas. seq. 3. Per inventionẽ, de quâ Cas. 45. n. 8. & inf. n. 17. 4. Per accessionem. 5. Per occupationem de quibus in præsenti, est autem occupatio rei vacantis vel derelictæ corporalis aprehensio cum animo eam habendi

ut suam. Res *vacantes* dicuntur quæ nullum habuerunt Dominum & harum aliquæ sunt animatæ, ùt feræ in silvis, pisces in aquis, aves in aëre, quæ acquiruntur venatione & piscatione, aliæ sunt inanimatæ ùt gemmæ, lapilli in littore maris vel fluminum, res *derelictæ* vocantur quæ Dominum habuerunt, sed habere desierunt, ùt missilia principum, thesauri dudum reconditi &c.

2. QUÆR. II. Quid circa occupationem animalium in genere?

℟. Sequentia 1. Animalia mansueta & domestica quæ ex naturâ suâ non sylvescunt ùt bos, ovis, canis, gallina, etsi custodiam Domini sui longiùs egressa fuerint non amittunt priorem Dominum, sed ubicunque reperta vel etiam ab incendio, naufragio vel lupo erepta Domino sunt
3. restituenda. 2. Animalia sylvestria fera, vaga, fiunt primò occupantis, ùt ursi, cervi, apri, lepores, cuniculi, aves &c. *L. 1. ff. de acq. possess.* Manentque sub ejus dominio quamdiu in custodiâ coërceantur, adeò ut omnis qui illa quovis modo è custodia extrahit furtum committat cum onere ea Domino restituendi; si verò è custodiâ emissa vel profuga consuetudinem redeundi amiserint (quod tunc censetur fieri si ter vel quater non redierunt nec facilè recipi possunt) tunc tanquam sylvestria & communia iterum à quovis occupari possunt, quod idem dicendum est de apibus, si extra
4. conspectum Domini avolantes recipi non possunt §. *apum* instit. De rerum divis. item de columbis, si columbarium per aliquot dies deseruerint; quocirca tamen attendenda est locorum consuetudo. Difficultas hic est, an liceat columbas meliori escâ propositâ vel aliis artificiis ex alieno columbario allicere, ut consuetutinem redeundi amittant, suppono enim columbaria seclusâ lege speciali prohibente esse licita, ùt probat *Molin.* dis. 48. ℟. Id per se non licere præsertim si accedat fraus ut si alliciantur proposito semine odorifero, vel aliis illecebris; nam quamvis animalia consuetudine redeundi omissâ fiant primò occupantis, quamdiu tamen consuetudinem illam retinent, non licet ea allicère ad consuetudinem deserendam, sicut non licet ea irritare ut ruptâ custodiâ fugiant *Lugo d. 6. n. 43.* Si tamen absit fraus & columbæ suâ sponte ad alium redire desinant, & tuis ob meliorem escam commaneant, meritò te saltem ob communem consensum & consuedinem excusant *Sylvius 2. 2. q. 66. a. 2 Less. c. 6. dub. 6. n. 28.* 3. Si custodia 5.
ferarum magnæ sit vastitatis & magis constituta ex natura loci quàm hominum industriâ ùt cervi in magnis saltibus, pisces in stagnis & lacubus, ita ut captura existat difficilis & dubia, adhuc retinent naturalem libertatem ideoque fiunt primò occupantis *Covarruv. Molin. Laym. c. 3. t. 1. c. 5. n. 12.*

QUÆR. 3. Quid circa venatio- 6.
nem? Q 2 ℟. Se-

R. Sequentia. 1. Venerari per se licitum est, prohibetur tamen clericis c. 1. & 2. *de clerico venatore* & in *Trid. sess.* 24. c. 12. *de reform.* Et adhuc magis religiosis per Clem. I. §. *porro.* hæcque prohibitio non intelligitur de venatione quieta, minimè tumultuosâ cum retibus, laqueis & paucis canibus, sed de ea, quæ fit cum clamore, armorum equorumque strepitu *Castrop. Laym. n. 15. Lug. n. 51. Sporr. t. 6. c. 1. n. 156. Metzger t. 11. d. 27. a. 1. n. 6.* Imo clericum ex capite venationis secluso scandalo non facilè esse damnandum mortalis docet *Molina d. 44.* Et pœna suspensionis in clericos venatores per Concilium Aurelianense lata vel est usu abrogata vel non arguit culpam gravem, cùm tantum sit ferendæ sententiæ. 7. 2. Possunt quidem Principes in locis publicis sibi venationem reservare & aliis prohibere etiam ob solam recreationem, quia Princeps pro bono publico laborat, ideoque dignum est, ut ei recreationes debitæ ex publico retribuantur *Less. h. t. 4. de just. q. 6. a. 4.* Omnem tamen venationem in omnibus sui principatûs locis prohibere nimis est durum, nec in jure nec sufficienti ratione fundatum; nam ad illorum recreationem sufficit, quod quædam loca illis reserventur 8. *Sylv. l. c.* teneturque Princeps damna, quæ feræ ob prohibitionem multiplicatæ vicinis agris vel pratis inferunt resarcire, nisi Domini prædiorum ex contractu oneroso vel gratis consenserint *Molin. d. 27.* Ubi explicat modum restituendi & obligationem quam confessarii principum habent negandi eis absolutionem quamdiu efficax remedium adhibere nolunt, neque justa est prohibentium excusatio, quod forsan permittant ferarum occisionem, quoties in alienos agros eruperint, quia non tantùm tenentur hoc permittere, sed etiam operam dare ne subditi ex ferarum multitudine damnum patiantur, *Covar. ad reg. peccatum p. 258. Sylvius a. 2.* Simili modo graviter peccant & restituere tenentur, qui ad venandum egressi per suos famulos, equos vel canes damna inferunt alienis segetibus, prædiis &c. *Navarr. c. 17. n. 125. Angel. Sylvest. V. Venatio.* 9. 3. Qui tempore indebito v. g. quando feræ sunt prægnantes, aut in fundo alieno contra prohibitionem Principis venantur, feras quas capiunt suas faciunt nisi locus sit circumseptus, quia manent communes, peccant tamen sed plerumque tantùm venialiter nisi grave damnum inferant segetes conculcando, sobolem ferarum extinguendo, vel abigendo, hâc enim ratione multum nocent, non autem quod capiant aliquas feras magni valoris, cùm illæ ante captum non spectent ad Dominum fundi vel aliquem alium, sed sint nullius *Sylv. l. c.* transgressores justè puniri possunt, rarò tamen pœnâ corporali vel capitali, nisi damnum illatum esset valde grave vel

cum

cum contumaciâ aut quasi contemptu continuatum. 4. Fera lethaliter vulnerata ab uno ita ut moraliter effugere non possit non est capientis, sed ejus qui vulneravit & insequitur, quia eam jam moraliter cepit, & ita habet praxis, si vulnus non est lethale aut percussor deposuit animum eam insequendi fit capientis: si fera à duobus est vulnerata, dubitatur autem an ex primo vulnere erat moritura, dividenda est, si tuo laqueo irretita certò evasisset, nisi alius tenuisset, tota est tenentis, in dubio iterum est dividenda; *Lugo, Sporer* L. c.

10.

11. QUÆR. IV. Qualiter per occupationem acquirantur res inanimatæ?

℟. 1. Lapilli, gemmæ, uniones, conchilia in mari vel flumine reperta fiunt primò occupantis *ff. de rerum divis. §. lapilli*, dico occupantis non videntis, nam si unus gemmam primò videat, alter verò priùs apprehendat, erit apprehendentis non autem videntis, idem est de insulâ in mari repertâ nunquam inhabitata vel

12. dudum deserta. 2. Fodinæ lapidum, cretæ, arenæ, salis, carbonum, tanquam pars vel fructus fundi pertinent ad fundi Dominum, idem jure antiquo valebat de venis metallorum argenti, auri &c. modò solent eas Principes sibi reservare in usus publicos ita tamen ut Domino fundi compensetur damnum, quod infertur loco *Less. Laym.* sup. *Lug.* Lug. n.

13. 106. 3. Sylvæ vel pascua si sint sub certo Domino sive alicujus privati sive totius communitatis absque crimine furti & obligatione restitutionis ab aliis occupari vel defructuari non possunt, quoad ligna arida tamen domini non solent esse graviter inviti maximè respectu pauperum. *Sylv. l. c.* si subditi in sylvis ad suum pagum vel communitatem spectantibus contra prohibitionem ligna cedant ad usus sibi suæque familiæ necessarios, modò non faciant magnam stragem, non peccant graviter neque ad restitutionem obligantur, quia sunt pars communitatis dominium habentis, & ejusmodi leges respectu subditorum plerumque sunt merè pœnales *Salonius* ad q. 62. a. 3. *Tolet.* l. 5. c. 20. *Less. Azor* p. 3. l. 5. c. 17. Econtra cædentes lignà vel depascentes. pascua communitatis alienæ peccant mortaliter, nisi & alii eorum sylvis & pascuis communibus utantur damnumque mutuò compensent vel ex praxi constet vicinos contentos esse solâ multâ transgressoribus imponi solitâ. *Salon. Rodriq.* p. 1. c. 38. *Molin. Azor. Vasqu. Laym.* L. c. si respublica sylvam vel pascuum commune alicui elocavit, subditi non possunt absque furto ligna cædere vel pascuis uti, quia locatarius jus acquisivit ideoque est rationabiliter invitus.

QUÆR. V. Quid circa res derelictas & thesauros? 14.

℟. *Imò*: res *derelictæ* vocantur, quas Dominus non ampliùs vult esse

è numero rerum suarum, nec curat eas recuperare, etsi facilè possit, unde patet res metu naufragii vel incendii ejectas vel ex tali periculo ereptas non esse derelictas, nec fieri primò occupantis *l. navigia Cod. de furtis*, quia Dominus ideo non abjicit quod habere nolit sed ut evadat velletque recipere si posset, & si bona naufraga sint Christianorum, occupantes sub excommunicatione reservata in Bullâ Cœnæ ea restituere tenentur, nisi procul à fluctibus abrepta Dominus sciens ubi sint ea recipere non curet, vel tanta sit temporis longinquitas ex quo perdita sunt, ut Dominus vel ejus hæredes non possint ea moraliter recognoscere nec aliquis sit qui sciat ad ipsos pertinere, tunc enim verè censentur derelictæ *Less.* L. 2. c. 5. n. 67. *Lugo* n. 111. *Haun.* T. 5. n. 152. *Sporr.* n. 167. *Croix.* L. 3. p. 2. n. 90.

15. R. II. Circa thesaurum tenenda sunt sequentia. 1. Thesaurus in jure definitur, *vetus pecuniæ vel similis rei depositio, cujus non extat memoria*, sive in terra, muro, arbore, sive alibi reconditus fuerit, si extet rei memoria vel Dominus aut ejus hæredes cognosci possint, non est propriè thesaurus, nec est inventoris, sed Domino vel ejus hæredibus restitui debet; unde patet quid dicendum sit, si emisti vas tabaci, saccum lanæ hostibus ereptum in quo invenis aurum vel aliud pretiosum, si Dominus omnino ignoratur, ipsâ inventione acquiris tibi thesaurum nec quidquam teneris venditori restituere; quia inveniisti in re tuâ, nec venditor fuit Dominus thesauri nec eum tibi vendidit, utpote sibi ignotum, sed lanam tantùm, cujus pars non est thesaurus latens, ideoque si non à te sed ab alio in tua lana reperiretur ex media parte foret inventoris: Econtra si scire possis quis aurum in lanâ deposuerit non fis Dominus auri, quia non est thesaurus, sed res aliena, tibi per errorem tradita. Nec *obstat*: quòd ignorans latere aurum per triennium bonâ fide saccum habueris, quia ignorans non possidet per consequens nec præscribit, vid. Cas. 55. a. n. 7. ubi dicam quod sciens latere in alieno agro vel sacco thesaurum illum absque injuriâ pretio ordinario emere possit. 2. Thesaurus sive casu 16.
sive ex proposito repertus in fundo quoad dominium utile & directum proprio totus est inventoris, nisi sit repertus arte magicâ vel à legibus reprobatâ, tunc enim post & non ante sententiam judicis cedit fisco *L. 10. C. Tit.* 15 *Sylvius* q. 66. a. 5. *Lugo*, *Sporer* L. c. 3. Thesaurus casu repertus in fundo alieno ex mediâ parte debetur Domino fundi, & quidem ante sententiam, quia hæc constitutio non est in pœnam sed ex æquitate naturali; studio quæsitus & inventus cum consensu Domini totus est inventoris, sine consensu vel cum consensu fraudulenter obtento repertus totus debetur Domino *L. ne-*

*vo*

mo C. de Thesaur. quia tamen lex quoad illam medietatem est pœnalis, integer thesaurus non debetur Domino nisi post sententiam judicis

17. *Sylv. Rebell. Less. Laym. sup.* 4. Si penes unum est dominium fundi directum, penes alium dominium utile, ut in fundo, emphyteusi, tunc thesaurus à 3tio aliquo in tali fundo absque dominorum consensu quæsitus & inventus ex æquo inter utrumque Dominum dividendus est; si unus ex partialibus Dominis thesaurum invenit, tunc dimidium totius ad inventionem pertinet non minus quàm si extraneus casu invenisset, alterum dimidium iterum dividendum erit inter utrumque usufructuarium scilicet & proprietarium *Sporer.* n. 173. excipiunt *Rebell. Molin. Metzger.* a. 2. n. 7. usufructuarium, quia thesaurus non est fructus fundi, multò magis excipiendus, qui fundum in locationem, commodatum vel pignus accepit, ita ut illis non plus debeatur de thesauro quàm illi qui in fundo planè alieno thesaurum cum

18. vel sine consensu Domini reperit. 5. Thesaurus casu inventus in loco publico sub nullius proprietate constituto etsi sit sub dominio jurisdictionis ut Ecclesia, cœmiterium, forum, viæ publicæ, flumina, totus est inventoris, si ex industriâ sit inventus aut locus publicus speciali jure proprietatis spectet ad Principem vel Magistratum, tunc dimidia pars erit fisci vel Ecclesiæ *inst. §. de rerum divis. Covarr. Bald. Less. Sylv. Sporer.* l. c. 19.

QUÆR. VI. Quid & quotuplex sit accessio & qualiter per eam acquiratur dominium? R. *Accessio* est jus quo res aliqua ideo fit tua, quia rei tuæ tanquam præsuppositæ & principaliori accedit, alia est naturalis, alia industrialis; accessio *naturalis* fit primò per *nativitatem*, sic Dominus ancillæ fit Dominus prolis etsi pater sit liber, partus enim sequitur ventrem, Dominus pecoris fit Dominus fœtuum, Dominus fundi fit Dominus arborum quæ in illo crescunt, nam accessorium sequitur principale *reg. jur. 42. in 6.* 2. fit per *alluvionem*, alluvio autem est incrementum quod alluente flumine uni prædio demitur, & alteri adjcitur, quod si fiat latenter & quasi insensibiliter dicitur alluvio *latens*, & pertinet ad eum cujus fundo adjcitur, si avulsio fiat per manifestum fluminis impetum, dicitur incrementum *patens* v. g. vis fluminis partem [ intellige notabilem ] de tuo prædio detraxit, & meo attulit, palam est eam tuam permanere nisi longiore tempore fundo meo adhæserit, arboresque quas secum traxit in meo fundo radices egerint, ex eo tempore censetur meo fundo acquisita *L. adeo §. planè: de acq. rer. dom.* Si nata fuerit insula vel flumen alveum mutet, alveus relictus aut nova insula accedit prædiis vicinioribus, nata in medio flumine fit communis iis, qui ab utraque parte fluminis prope ripam præ-

dia

dia possident, *ut L. adeo & §. praterea* de rerum divis.

20. B. II. Accessio *industrialis* fit per plantationem, inædificationem, intexturam, scriptionem, pictionem, quo etiam reducitur, specificatio, mixtio secundùm sequentes explicationes. 1. Quidquid ædificatur, seritur, plantatur, postquam radices egit, cedit solo utpote principaliori *instit. de rerum divis.* Unde si ædificasti in alieno fundo, Dominus fundi fit Dominus ædificii, & quidem si id feciſti scienter in foro externo, nihil repetere potes, etiamsi domus diruatur, si bonâ fide egisti tenetur Dominus pretium materiæ & operarum solvere. *L. adeo ff. de acq. rer. dom.* si ex alienis lignis in proprio fundo ædificasti fis Dominus ædificii, sed ex jure civili cogi potes ad ligna in duplum vel triplum solvenda, & si domus dissolvatur teneris ligna reddere in specie. 2. Si annulo tuo accedat gemma, pes vel ansa poculo, Dominus principalis fit Dominus accessorii etsi hoc fortè sit pretiosius *L. 23. §. 2. ff. de rerum vindicat.* si tamen accessorium sine detrimento separari possit *Spor. Lug. n. 160.* docent non transferri dominium; olim scriptura chartæ cedebat per §. *littera instit. de rerum divis.* nunc verò quia charta est vilis pretii cedit Scripturæ sicut &
21. tabula, colorque picturæ; 3. *Specificatio* est inductio novæ speciei in rem aliquam ità ut in commercio humano fiat alia res v. g. ex lana pannus, ex frumento farina, secus si tantùm ex lana alba fiat nigra, ex spicis excutiatur frumentum, quia manet eâdem res; ut specificatio transferat dominium requiritur primò bona fides, quia *L. 12. §. ad exhibend.* dicitur, quod scienter faciens ex meis olivis oleum vel ex meis uvis vinum non fiat Dominus olei vel vini, ideo utique quia id facit scienter hoc est malâ fide *Haunold. t. 5. n. 107. Croix n. 125.* Contra Bachovium, Wesenbecium. Deinde requiritur ut materia ad priorem speciem reduci non possit v. g. ex alieno frumento feciſti panem vel cereviſiam, ex alienis uvis vinum, ex alieno corio calceos, ex vino acetum, ex quercu asseres, fis Dominus panis, cereviſiæ, vini &c. ita tamen ut tenearis Domino rei satisfacere in quantum ex ejus re factus es ditior; Econtra si materia aliena ad priorem formam reduci possit non transfertur dominium v. g. ex meo argento feciſti poculum, ex meis asseribus navim non fis Dominus poculi, vel navis, quia poculum potest iterum in argentum conflari, navis in asseres dissolvi. 4to: *Mixtio* quâ 22.
res solidæ miscentur, v. g. pecunia cum pecuniâ, triticum cum tritico, vel *confusio* quâ confunduntur res liquidæ oleum cum oleo, vinum cum vino, tunc tantùm transferunt dominium, si tuæ rei potiori vel notabili (ut meritò requirit *Lugo* n. 166.) bonâ vel malâ fide indiscernibiliter admiſceas alienam tacito saltem animo

mo eam tibi acquirendi, & quidem si id facias bonâ fide solum teneris restituere Domino in quantum ex permixtione factus es ditior, si malâ fide, teneris ad rem & omne damnum emergens, si mixtio facta est casu vel mutuo consensu vel ita ut res mixtæ discerni & separari possint, nulla fit dominii translatio sed singulis competit actio in rem arbitrio judicis discernenda. *Instit. de rerum divis.* idem est si rem alienam misceas tuæ cum animo non acquirendi dominium, ut si frumentum tuæ custodiæ commissum ut melius conservetur misceas tuo. *Lug. Sporr. L. c.*

## CASUS XXIII.

### De modo acquirendi dominium per præscriptionem.

*Canutus ex hæreditate, donatione, emptione varia bona & jura possidet, quærit, an titulo præscriptionis in conscientia retinere possit. 1. 2. 3. Res sacras, jus decimandi, & immunitatem à decimis. 4. Res communes, publicas. 5. Furtivas apud defunctum depositas. 6. Quid de actibus meræ facultatis. 7. Aut de jure redimendi pignus vel rem venditam. 8. De obligatione obedientiæ. 9. Quid si scivit vel dubitavit an res esset aliena vel retinuit rem animo inquirendi vel adhuc dubitet factâ inquisitione. 10. 11. Quid si antecessor bonâ fide possedit vel de hoc sit dubium. 12. Quid si habeat malam fidem respectu proprietatis, non respectu usufructus, aut ab initio habeat malam expost bonam fidem vel econtra. 13. Quid de servitute rusticâ & urbanâ. 14. Quid de debito personali ex mutuo vel empto. 15. Quid si intervenit error juris, v. g. 40. annis bonâ fide possedit bona Ecclesiæ sine consensu capituli empta. 16. Qualiter noceat vel prosit bona aut mala fides antecessoris. 17. 18. 19. 20. Quid si desit titulus. 21. 22. Aut possessio civilis vel naturalis vel non possit probari possessio intermedia. 23. Quid de tempore possessionis mobilium & immobilium rerum ad pupillos vel Ecclesiam spectantium. 24. 25. 26. Quid de possessione immemoriali ejusque probatione. 27. Quid de bonis fisco incorporatis, denuntiatis, commissis, 28. Quid de præscriptione delictorum. 29. Quid de præscriptione dormiente. 30. Aut interrupta. 31. Pro resolut.*

QUÆR. I. Quid sit præscriptio & an teneat in foro conscientiæ? 1.

RE. I. *Præscriptio* est acquisitio juris vel dominii per possessionem bonâ fide cum titulo tempore debito continuatam, ita quoad rem omnes. In rigore differt ab usucapione, sicut

effectus à causa, hîc tamen pro eodem fere accipiuntur.

2. ℟. II. Præscriptio non tantùm in foro externo locum habet, ita ut completâ præscriptione, repetenti rem suam negetur actio seu non audiatur in judicio, sed etiam in foro interno conscientiæ, ita ut qui rem vel jus alterius per tempus à lege definitum cum bona fide & titulo possedit, verum ejus acquisiverit dominium possitque tutâ conscientiâ retinere, aut si ad alium devenerit vel priori Domino per errorem restituta fuerit, eam tanquam suam repetere & à quocunque possessore vindicare valeat; est communis cum D. *Thom.* quodl. 12. à. 25. *Scoto* in 4. dist. 15. q. 2. a. 2. *Sylv. Molin. Less. Lug. Haun.* t. 5. n. 164. *Herman. Thes. 25. Pyrhing, Schmaltzgrüber, Engel, Krimer in L. 2.* decret. tit. 26. contra paucos qui vel absolutè negant vel cum *Medina* saltem requirunt culpabilem negligentiam prioris domini. vel cum *Barth. Bald. Covarruv. Felin.* de præsc. *n.* 7. admittunt præscribi dominium utile, non verò directum. Probatur 1*mo*. Lex dicitur rerum Domina potestque ex justa & publica causa uni jus adimere & transferre in alium, ùt facit in jure alluvionis & jure belli *C. licet adeo* §. 1. *Leg.* 30. §. *ult. ff. de acquir. rerum. dom.* est autem justa & publica causa transferendi per præscriptionem dominium directum & utile, ne incerta sint semper rerum dominia. *L.* 1. *ff. de usuc.* ut evitentur infinitæ lites *L. ult. ff. pro suo*; ut quietentur conscientiæ possidentium *L. cum notissimi Cod. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* item ut homines cautiores fiant; ergo. Probatur. 2*dò*. Jus Canonicum quod præcipuè salutem animarum considerat multis locis approbat præscriptionem, ùt *C. novit* 12. *de jud. c.* 2. *de constit. in* 6. *& C. fin. de præscript.* reprobat solam præscriptionem cum mala fide, utpote quæ habet adjunctum peccatum; ergo supponit præscriptionem cum bona fide à peccato & restitutione immunem esse.

Dices 1*mò*: Nemo debet locupletari cum alterius injuria & jactura *reg.* 48. *in* 6. Sed hoc fit in præscriptione, quæ dominium rei à vero Domino transfert in tertium; ergo. ℟. *N. min.* Nam regula tantùm vetat ne quis injustè & privatâ authoritate locupletetur cum alterius damno, non autem prohibet locupletationem justam quæ fit authoritate reipublicæ & legum.

Dices 2. Lex pœnalis nitens præsumptione falsa non obligat in conscientia, sed talis est lex præscriptionis quæ fundat se in negligentia Domini quæ sæpe non intercurrit sed sola ignorantia, ergo; *Conf.* Si judex tibi adjudicet rem quam postea certò cognoscis esse alienam, teneris eam in conscientia restituere, ergo à pari, si lex præscriptionis tibi rem aliquam addicat, si certò scias esse alienam obligaris & hanc restituere. ℟. *N. min.*

*min.* Lex præscriptionis præcipuè non intendit pœnam negligentiæ sed quietem publicam & cessationem litium. Ad *Conf. n. C.* Judex non confert jus sed tantùm declarat quis videatur habere jus, lex præstriptionis confert jus.

3. Dices *3tiò*: Leges præscriptionis intendunt præcipuè quietem publicam seu finem litium, sed hunc finem obtinent, si elapso præscriptionis tempore in foro externo Dominus rei non audiatur, quamvis in foro interno maneat obligatio restituendi ergo: *Conf.* 1. Leges ad amputandas lites etiam statuunt, ut defraudans infra dimidium non possit conveniri in foro externo, nihilominus manet obligatio restituendi in foro interno, ergo à pari hic. *Conf.* 2. *Novella 9.* Præscriptionem vocat improbum subsidium, impiam temporis allegationem. R. Leges non tantùm, finem litium intendunt sed etiam quietem conscientiarum, quæ haberi non potest nisi præscriptio in foro conscientiæ transferat dominium. Ad *Conf. 1. n. C.* Leges non approbant læsionem infra dimidium tanquam justum titulum acquirendi rem alienam, sed tantùm non concedunt contra lædentem actionem in foro externo ne multiplicentur lites, econtra leges tam Canonicæ quàm civiles præscriptionem approbant dicuntque per eam rei alienæ dominium acquiri, ideoque licitè retineri posse. *Nov. cit.* loquitur de præscriptione malæ fidei, quam homines iniqui contra Ecclesias perperam allegabant.

QUÆR. II. Quæ sint conditiones requisitæ ad legitimam præscriptionem? 4

R. Sunt 4. Res apta præscribi, bona fides, justus titulus, & possessio per tempus à legibus definitum continuata.

Quoad *res aptas præscribi* sciendum est omnes præscribi posse, nisi à jure specialiter prohibeantur, prohibentur autem seqq. 1. Res sacræ, Monasteria, Ecclesiæ, calices, jura spiritualia, puta jus cognoscendi & judicandi causas Ecclesiasticas, jus beneficia conferendi, jus decimandi, &c. quæ sicut de jure Canonico non possunt à Laicis possideri, sic nec ab iis præscribi C. *Causam* 7. de præscript. nam sine possessione præscriptio non procedit, *reg. 3. in 6.* Possunt tamen à laicis præscribi ipsæ res decimales seu bona Ecclesiæ non spiritualia, imò & immunitas à solvendis decimis cum titulo tempore 40. annorum, sine titulo tempore immemoriali, ùt docet communis cum *Covarruv.* Var. resol. L. 1. c. 17. n. 10. *Krimer n. 2299.* 2. Præscribi 5. non possunt res communes & publicæ, ut forum, viæ, plateæ, pontes. *L. 9. ff. de usuc.* Ratio est, quia nemo privatus ea potest possidere quia sunt omnium; neque liber homo præscribi potest ut fiat servus etsi cum quis bonâ fide ùt servum emerit, cit.

*L. 9.* neque hæreditas nondum divisa, quia manet communis & possidens non suo sed omnium cohæredum vel sociorum nomine possidet

6. *Schmaltz 9. 5.* Res furtivæ vel immobiles vi possessæ neque à fure vel invasore, neque à tertio quodam usucapi possunt antequam à vitio furti vel violentiâ purgatæ fuerint, purgantur autem dupliciter vel per lapsum 30. vel 40. annorum, vel per hoc quòd in manus Domini denuo reversæ fuerint. *L. 3. & 4. C. de præscript. 30. & 40. ann.* Unde infert Engel, res mobiles rarò præscribi per triennium; cùm enim à primo detentore ordinariè malâ fide alienentur, eo ipso vitio furti afficiuntur, nisi in Casu quo hæres apud defunctum res depositas commodatas vel locatas tanquam res defuncti bonâ fide apprehenderit & alienârit, tunc enim accipiens eas tempore ordinario præscribere poterit, non verò ipse hæres, quia hic repræsentat eandem cum defuncto personam, sicut ergo iste defectu possessionis ea præscibere

7. non poterat, sic nec hæres. 4. Non procedit præscriptio in rebus vel actibus meræ facultatis, id est talibus, quæ homines citra ullam obligationem vel conventionem pro arbitrio suo facere solent vel omittere, nisi quis ab exercitio ejusmodi actuum fuerit prohibitus, & prohibitioni acquieverit, tunc enim censetur in quasi possessione, se autem in putativâ obligatione constituisse. *Covarr. Gaill. L. 1. obs. 18. n. 4.* Unde si quot annis Ecclesiæ vel hospitali cuidam certam pecuniæ quantitatem vel alimenta donâsti, cogi non potes ut imposterum dones *c. 61. Caus. 16. q. 1.* similiter licèt Monachi ex alieno Monasterio Abbatem longissimo tempore elegerint, nequeunt tamen sub titulo consuetudinis vel præscriptionis ad hujusmodi electionem imposterum continuandam compelli *C. Abbate 25. de V. S.* item si nunquam domum tuam altius ædificaveris, vel molendinum collapsum restauraveris, non erit contra te præscriptum quin pro libitu id facias, nisi alius te prohibuerit, & tu prohibitioni acquieveris, *Pyrrhin. 9. nu. 16.* quæ omnia etiam locum habent in 8.
iis quæ ex pacto fiunt liberæ facultatis, veluti in pacto de retrovendendo seu redimendo quandocunque placuerit, ita ut nec in his admittatur præscriptio, cùm adsit scientia juris alieni & mala fides in præscribere volente *Gaill. sup.* ubi hanc sententiam dicit in Camera Imperiali esse receptam; idem communiter censent DD. de jure luendi pignus, ita ut debitor nullâ præscriptione impediatur, quominus oblatâ pecuniâ pignus repetere possit, tum quia creditor non possidet pignus ùt suum, tum quia in potestate debitoris situm est pignus datum quandocunque voluerit solutione debiti redimere *Gaill.* l. c. *Mynsing.* Cent. 6. observ. 70. n. 20. *sic*: Non admitti- 9.
tur

tur præscriptio contra obedientiam & visitationem *c. 12. & 16. h. t.* Intellige *extinctivè*, ita ut jus visitandi & exigendi obedientiam penitus extinguatur, seu penes nullum permaneat, ne homines fiant acephali sine capite, sicut locutæ, ùt ait *Eng. n. 7.* Cæterùm obedientia & jus visitandi, instituendi & destituendi clericos uti & cætera jura Episcopalia *translativè* præscribi & ab uno Superiore in alium v. g. ab Episcopo ad Prælatum inferiorem transferri possunt; *Abbas hic n. 15. Pyrrh. n. 21. Kriemer à n. 2213. Schmalzgr. n. 52. 6.* Qualiter præscribi non possint limites Provinciarum, Diœcesium, Parochiarum vid. apud AA. cit. quia hæc magis Canonistas quàm Theologos concernunt.

10. QUÆR. III. Quid circa bonam fidem ad præscriptionem requisitam?

R. Tenenda esse sequentia: 1. *bona fides* est credulitas, quâ quis ex causa saltem probabili, sibi rationabiliter persuadet rem quam possidere incipit esse suam vel non alienam. 2. Certum est, quòd possessor malæ fidei qui scit vel credit rem esse alienam nullo tempore nequidem immemoriali præscribat *Reg. 2. in 6. c. fin. h. t.* ubi dicitur: *quoniam omne quod non ex fide est, peccatum est; Synodali judicio definimus, ut nulla valeat sine bona fide præscriptio tam canonica quàm civilis, cùm generaliter omni constitutioni & consuetudini sit derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari, unde oportet, qui præscribit in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Quibus verbis corrigitur jus civile, quod solum initio præscriptionis bonam fidem requirit, ita ut mala fides ex post superveniens non officiat, imò in præscriptione 30. vel 40. annorum simpliciter malam fidem admittebat per *l. 3. & seq. de præscrip. 30. vel 40. ann.* 3. Qui cum dubio an res sit sua vel aliena, absolutè possidere incipit, peccat, ideoque habet malam fidem, & præscriptionem inchoare non potest, si incipiat possidere, animo inquirendi & reddendi rem Domino, casu quo comperiat esse alienam non peccat, hæc tamen possessio non sufficit ad præscribendum, quia si res fuit aliena, noluit eam possidere ut suam, si autem fuit sua non indigebat præscriptione *Covar. Molin. Less. Lug. d. 7. n. 22.* 4. Si de re jam bonâ fide possessâ incipiat dubitare, tenetur inquirere, & si post adhibitam moralem diligentiam dubium vincere non possit, licitè rem retinet, quia in dubio melior est conditio possidentis, per consequens possessionem & præscriptionem bonâ fide continuat; si post adhibitam diligentiam adhuc dubitet, probabiliter pergit præscribere, nam quamvis peccet retinendo rem conscientiâ practicè dubiâ, quia tamen revera non est obligatio restituendi, non est ratio cur cesset præ- 11.

scriptio magis, quàm si quis detinet rem animo superbo vel conditionato non restituendi, etiamsi sciret esse alienam, quam tamen nunc certò credit esse suam. *Eng. n. 14.* communior tamen cum *Lugo n. 13. Less. c. 6. n. 13. Pyrrh. n. 58.* dicit tunc impediri præscriptionem, quia *c. fin. cit.* derogat omni præscriptioni, quæ absque peccato mortali non potest observari. 5. In dubio regulariter præ- 12.
sumendum est aliquem bonâ fide possedisse, nisi contrarium probetur, quia delictum non facilè præsumi debet *Gloss. in c. diligenti 17. h. t.* Idque verum est etiamsi absque titulo possideat, nisi contra jus commune rei possessionem acquisierit & possessionis suæ causam ac titulum alium afferre nequeat quàm quòd longo tempore pacificè possederit *Covarr. Abbas n. 14. & 15. Laym. c. 8. n. 10. Pyrrh. n. 48. Dicast. d. 10. n. 195. Schmaltzg. n. 80.* 6. Si prior 13.
possessor à quo rem donatione, permutatione, emptione accepisti, bonâ fide possedit, tu autem ab initio dubites, teneris inquirere; si verò factâ inquisitione dubium resolvere non possis, licitè pergis possidere, quia succedis in jus tui antecessoris, qui suborto dubio licitè poterat continuare possessionem, ergo & tu; nam non simpliciter possessionem incipis, sed continuas ab alio bonâ fide cœptam neque alterius delictum in dubio præsumere debes *Lugo n. 64.* 7. Si habeas malam fidem respectu proprietatis fundi, bonam autem fidem respectu ususfructûs, poteris præscribere usumfructum *Lugo n. 28.* Si ab initio habuisti malam fidem, expost autem superveniat bona fides, à tempore bonæ fidei incipis præscribere, colligitur *ex Reg. jur. 36. in 6. pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* 8. Libertas à servitute rustica 14.
quâ obligor ad aliquid patiendum v. g. ut quis eat per meum agrum, utatur meo puteo, præscribi potest cum scientia juris alieni, quia, cùm non tenear proximum monere, ut utatur jure suo, possum absque peccato tacere, & suo tempore præscribere, econtra ut præscribam libertatem à servitute urbana requiritur ignorantia invincibilis juris alterius, quia debet intervenire actus, quo agam contra jus alienum, v. g. debeo contra jus vicini facere prospectum in ipsius hortum vel stillicidium, in ejus tectum, quod si agam scienter, facio ei injuriam & procedo malâ fide *Laym. n. 12. Eng. n. 18.* 9. Ad præ- 15.
scribendam libertatem à debito personali v. g. mutui etiam requiritur bona fides seu ignorantia juris alieni, quâ quis credat se nihil debere, quia v. g. debitum putat esse solutum vel condonatum vel memoriâ excidit, si sciat esse debitum nullo unquam tempore præscribet. *Felin. Molin. d. 66. n. 5. Less. c. 6. n. 19. Covarr. Mynsc. cent. 4. obs. 6. Gaill. l. 2. obs. 18. n. 17. Barbos. in coll. ad c. fin. h. t. Pirh. n. 51. Haun. n. 91. Schmaltzg. cum aliis n. 62.*

*62. contra Vasquez & alios.* Prob. 1. Qui habet conscientiam rei alienæ non præscribit *c. fin. h. t.* sed talis debitor habet conscientiam rei alienæ, ergo. 2. Qui scienter detinet rem alienam nunquam præscribit, etiamsi Dominus rem suam non repetat, ergo similiter qui scienter est alteri obligatus ex mutuo vel alio contractu. 3. Debitor conscius debiti vel habet animum solvendi casu quo debitum exigatur vel non, si habet, jam non possidet jus activum creditoris tanquam suum, consequenter nec est in conditione jus illud præscribendi, cùm sine possessione non currat præscriptio *c. 3. de reg. jur. in 6.* Si non habet animum solvendi est in mala fide Theologica seu peccato, cum quo non subsistit præscriptio.

*Dices* 1. Debitor habet animum solvendi debitum, si creditor exigat intra tempus à jure præscriptum, sin minus vult retinere ùt suum, ergo jus creditoris verè possidet nec est in mala fide Theologica, quia non obligatur solvere, antequam debitum exigatur, ùt ex praxi notum est, ergo. 2. Jura volunt omnem actionem lapsu 30. annorum extingui *L. sicut 9. L. omnes 4. cod. de præscript. 30. ann.* Ergo etiam actio ad debitum extinguitur seu præscribitur lapsu 30. annorum. R. *n. c.* Si hoc sufficit, ergo etiam depositarius vel precariò utens re alienâ præscribet, quia nec vult, nec tenetur rem depositam vel precariam restituere antequam alter exigat. Deinde vel debitor ante lapsum 30. ann. debitum retinet ut suum, & tunc peccat & est in mala fide, vel non retinet ut suum & non possidet. Ad 2. Jura ad summum volunt, pro foro externo extingui omnem actionem lapsu 30. annorum, hoc est non amplius audiri in judicio, non autem volunt præscribi vel transferri dominium rei alienæ scienter possessæ. 10. Ignorantia seu 16.
error facti non obstat præscriptioni, neque ignorantia juris dubii vel controversi, bene tamen ignorantia juris clari etiamsi sit invincibilis, quia hæc causat malam fidem non theologicè, sed fictione juris, ùt apertè habetur *L. 4. 7. 8. ff. de jur. & facti ignor. L. 31. de usucap.* adeo ut nec in conscientia præscriptionis jure quis uti possit, nisi sit persona, in qua toleratur ignorantia juris ut minorennis, miles, fœmina, rusticus non habens consultorem *Molin. Eng. Pirh. L. c. Kriemer à n. 235 & plures apud Schmaltzg. n. 67.* Hinc qui emit bona Ecclesiæ sine consensu Capituli etsi invincibiliter putet hunc consensum non requiri præscribit, in possessione tamen longissimi temporis consensus & alia necessaria præsumuntur interveniſſe, nisi doceatur contrarium. Ratio est: quia præscriptio jure humano introducta est, ergo locum non habet, ubi jus prohibet, sed prohibet cum ignorantia juris clari, ergo. Oppositum tamen sustinet *Andr. Rath de usuc. c. 12. assert. 43. & probabile dicit Leß.*

*Leſſ. Palao. Haun.* probárque *Lug. n. 32.* Quia jura præſumunt ignorantiam juris clari conjunctam eſſe cum peccato, ſi ergo revera conjuncta non ſit, præſcriptionem non impedit, imò ignorantiam juris clari in ſola præſcriptione ordinarii non verò longiſſimi temporis 30. vel 40. annorum locum habere docent *Covarr. Leſſ. Haun. n. 203. Rob Konig hic n. 37.* Quia ad præſcriptionem longiſſimi temporis jus civile admittit malam fidem, de jure Can. tantùm excluditur illa mala fides, quæ peccatum eſt, ſed invincibilis ignorantia juris clari non eſt peccatum. Oppoſitum docent *Engel n. 15. Krimer n. 2354.* Quia jura ſimpliciter dicunt errorem juris ad uſucapionem non prodeſſe, & quamvis ignorantia juris clari non ſit peccatum ſeu mala fides Theologica, eſt tamen mala fides juridica ſeu interpretatione juris,
17. utraque ſententia eſt probabilis. 10. Bona fides anteceſſoris in tantũ prodeſt ſucceſſori bonæ fidei, ut tempus anteceſſoris ad ſuam præſcriptionem computare poſſit, v. g. emiſti fundum per 5. annos bonâ fide à venditore poſſeſſum, ſi tu ſimiliter per 5. annos bona fide poſſideas, compleviſti præſcriptionem longi temporis, idque ſive ſit ſucceſſor univerſalis ſeu hæres, ſive particularis ex emptione, donato, legato. §. 7. & 8. *inſt. de uſuc.* Ratio eſt, quia author tradit rem cum omni jure, quod ipſe habuit, ſed præſcriptio ab ipſo bonâ fide inchoata eſt pars juris, ergo. Econtra 18.
mala fides anteceſſoris etſi non noceat ſucceſſori particulari, quominùs præſcribere poſſit inchoando à propria poſſeſſione bonæ fidei per d. §. 8. *inſtit. L. 5. ff. de diverſ. temp. præſc.* Nocet tamen ſucceſſori univerſali ſeu hæredi, ut licèt ipſe ſit in bonâ fide, à ſe tamen præſcriptionem inchoare non poſſit, niſi ſpeciali & alio quàm hæreditatis titulo foret munitus *L. 11. Cod. de acq. poſſ. L. 11. ff. de diverſ. temp. præſc.* quod *Covarruv. Palao, Eng. n. 16. Schmaltzg.* aliique communiter ita intelligunt, ut ejuſmodi hæres nec longiſſimo tempore præſcribere poſſit; Ratio eſt, quia ſucceſſor univerſalis in jure eſt eadem perſona cum defuncto, ſuccedítque in omnia jura & obligationes, ejuſque poſſeſſio cenſetur eadem cum poſſeſſione anteceſſoris, ergo ſicut hic nunquam potuiſſet præſcribere, ſic nec ejus hæres. Deinde hæres ſuſcepit in ſe omnes obligationes defuncti, ſed inter has eſt obligatio reſtituendi rem malâ fide poſſeſſam, ergo. Idque probabilius etiam tenet de hæde mediato ſeu hæredis hærede *Lug. n. 61.* nam ſicut primus hæres 19.
ſuſcipit in ſe omnes obligationes ſui immediati anteceſſoris, ſic & ſecundus ſui anteceſſoris, nec propterea duplex fictio cadit in eandem perſonam, ùt volunt *Covarr. Eng. Krim.* ſed ſecundus hæres fictione juris repræſentat ſolùm immediatum anteceſſorem, cujus etiam obligationes ſuſci-

suscipit, inter quas est obligatio restituendi malâ fide possessa à primo ante-
20. cessore: attamen Prælato vel successori in beneficio non nocet mala fides antecessoris, quia non habet causam suam ab antecessore, sed ab electione Capituli vel collatione Superioris. *Panorm. Zoes. h. t. n. 14.* Nec mala fides Prælati nocet Capitulo in bonâ fide existenti *Rath. Eng. n.* 17. neque mala fides Procuratoris vel tutoris nocet Domino vel pupillo si uterque bonam fidem habuerit, & res ipsa non sit aliquo vitio reali v. g. furti affecta *L. 11. pro emptore L. 198. ff. de R. J.*

21. QUÆR. IV. Quid circa titulum?

℟. Seqq. 1. Per titulum hic intelligitur quævis causa habilis ad transferendum dominium, velut emptio, donatio, solutio debiti, legatum, hæreditas, res derelicta; unde habens talem titulum in jure dicitur possidere pro emptore, pro donato, pro soluto, pro hærede, pro legato. 2. Titulus alius est *verus*, qui nullo substantiali vitio laborat, ut valida emptio, donatio; alius est *coloratus* seu apparens, qui occultâ laborat nullitate, ùt si bonâ fide à Titio emisti agrum quem putabas esse Titii, cùm tamen sit Caji. Alius est *existimatus*, qui prudenter creditur intervenisse, & tamen non intervenit, ùt si ex hæreditate possideas rem, quæ à patre tuo dicitur esse empta, cùm tamen empta non sit; alius denique est *præsumptus*, quando nequidem allegari potest determinatus titulus, sed ob longitudinem temporis præsumitur titulus interveniss̃e. 3. Ad præscriptionem non requiritur titulus verus, ùt patet, quia hic se solo absque præscriptione dominium transfert, ut valida donatio. 4. In præscriptione brevis vel longi temporis 3. 10. vel 20. annorum debet allegari & probari posse certus titulus coloratus vel existimatus, ùt clarum est ex *L. nullo Cod. de rei vindicat.* 5. In præscriptione 22
longissimi temporis 30. vel 40. annorum ordinariè non est necesse allegare vel probare titulum, sed jura ex diuturnitate temporis titulum præsumunt, nisi jus commune præscribenti resistat, tunc enim non sufficit sola bona fides, sed insuper titulus allegari & probari vel de immemoriali tempore doceri debet, ut si quis contra Ecclesiam Parochialem præscribere velit decimas, præter possessionem 40. annorum oportet, ut doceat de titulo vel tempore immemoriali.

QUÆR. V. Quid circa possessio- 23.
nem?

℟. I. *Possessio* in genere est corporalis detentio vel insistentia rei, animo eam habendi ùt suam; dico *corporalis*, quia rerum incorporalium v. g. jurium aut beneficiorum non est vera sed quasi possessio. 2. Possessio alia est *facti*, quâ insistitur, rei rei præscindendo an justè vel injustè; alia est *juris* quâ justè rei insisti-

tur. Possessio facti iterum alia est *naturalis*, quâ quis corpore & animo insistit rei, alia *civilis*, quâ solo animo res tenetur, & si alius insistat facto & re. Qui detinent rem non ùt suam sed nomine alterius ut depositarius, commodatarius, locatarius &c. non possident neque unquam præscribunt, sed ut quis possideat rem vel jus alienum, debet iis uti tanquam suis. 3. Vulgaris & recepta est juris regula, quòd sine possessione non currat præscriptio. *c. 3. de R. J. in 6.* Et quidem ad inchoandam præscriptionem concurrere debet possessio naturalis & civilis, ad complendam verò civilis sufficit, licèt possessor naturali exciderit, vel eam ex causa absentiæ reliquerit, *L. 1. 6. & 25. ff. de acq. possess.* Censetur tamen etiam civilis possessio seu animus possidenti amissus, si quis re suâ ab alio occupatâ sciens & potens, præparatoria recuperationis non fecerit aut vacuam ad 10. annos reassumere neglexerit. *L. 37. §. 1. ff. de usurp. & usuc.* 4. Ad probandam possessionem continuam plerumque sufficit ostendere principium possessionis & possessionem pro præsenti, quia intermedia præsumitur, nisi probetur contrarium *L. 16. Cod. de prob. Pax Jord. Palao. Covarr. Reg. possess. p. §. 1.*

QUÆR. VI. Quale tempus à jure requiratur ad complendam præscriptionem?

24. R. Varium requiri pro diversitate rerum, nam aliqua præscribuntur tempore brevi hoc est triennio vel infra, alia tempore longo hoc est 10. vel 20. ann. alia tempore longissimo 30. vel 40. vel plurium annorum, alia denique tempore immemoriali juxta sequentes explicationes. 1. Res mobiles etiam ad Ecclesiam Romanam vel quamcunque spectantes cum titulo & bonâ fide præscribuntur triennio, sine titulo annis 30. ut ex jure probant *Covar. Molin. Less. c. 6. n. 22. Laym. n. 13. Palao Pirh. n. 90.* quod tamen *Panorm. Hostiens. Petra tom. 2. fol. 425.* non admittunt de rebus Ecclesiæ mobilibus valde pretiosis, has enim sicut in alienatione ita & in præscriptione dicunt comparari rebus immobilibus, eo quòd præscriptio sit species alienationis *L. 28. ff. de u. s.* Ideóque volunt non præscribi nisi tempore longissimo cum titulo; excipiuntur etiam res mobiles furtivæ vel immobiles vi possessæ, quæ non nisi 30. annis præscribuntur, ut sup. dictum est: 2. Res immobiles (ad quas reducuntur census, reditus annui, usus-fructus, servitus, beneficia, jus patronatûs, jus decimarum &c.) spectantes ad privatos præscribuntur cum titulo inter præsentes 10. inter absentes 20. sine titulo 30. annis, neque tunc attenditur, an præsentes vel absentes fuerint *L. 3. de præs.* præsentes dicuntur, qui in eadem Provincia vel ùt explicat *Pirh. n. 59.* qui in eadem civitate vel sub eodem regimine,

ne, & clerici qui in eadem Diœceſi habitant, quod ſi quis partim abſens partim præſens fuerit, tempus abſentiæ duplicari debet per *L. 12. & Auth. quod ſi quis C. de præſc. longi temp.* neque hoc tempus de momento in momentum ſed de die in diem computari debet, ita ut ad completam præſcriptionem ſufficiat diem ultimum eſſe inchoatum, etſi necdum plenè ſit elapſus, ùt habet communior cum *Krimer n. 2393.* 3. Contra legem civilem præſcribitur 10. contra legem Canonicam 40. annis, vel ut habet *Lugo n. 94. & D. D. cit. Caſ. 5.*
26. *n. 16.* etiam decennio 4. Res immobiles & jura Eccleſiarum olim præſcribebantur tricennio per textum & *Gloſſ. in c. 3. h. t.* modò regulariter 40. anni requiruntur, etiam cùm una Eccleſia præſcribit contra aliam *c. 4. 6. & 8. h. t.* quod etiam locum habet in rebus hoſpitalium, cauſarum piarum, civitatum *Novel. 111. c. 1. nov. 131. c. 6. de SS. Eccleſ.* & DD. communiter; dico regulariter, nam contra Eccleſiam Romanam hoc eſt Lateranenſem & ſummum Pontificem, non admittitur niſi centenaria præſcriptio, & contra Benedictinos ex privilegio Eugen. IV. ſola ſexagenaria, contra Mendicantes & Ciſtericenſes in Hiſpania & per communicationem in ſuperiori Germania ſola centenaria à diverſis Pontificibus conceſſa ut cit. juribus probant *Molin. Iſſ. Engel n. 33.* & in hac longiſſimi temporis præſcriptione non requiritur titulus niſi jus reſiſtat, vel ſit vehemens præſumptio poſſeſſionem malâ fide vel ex juris errore acquiſitam, tunc enim neceſsè erit probare titulum apparenter juſtum per quem elidatur præſumptio malæ fidei, vel probanda eſt præſcriptio immemorialis. 6. *Immemorialis* 27.
poſſeſſio tunc requiritur, quando jus commune reſiſtit, & non adeſt titulus, nam immemorialis poſſeſſio inducit præſcriptionem tituli, habetque vim privilegii in capace poſſeſſionis *c. 1. h. t.* eſtque maximæ authoritatis in jure nec comprehenditur ſtatuto aut lege generalibus verbis prohibente præſcriptionem per clauſulam *non obſtante præſcriptione.* Dicitur autem poſſeſſio immemorialis, cujus initium excedit hominum memoriam, cenſetur autem excedere hominum memoriam, ſi excedat 100. annos, nec conſtet de ejus initio; 100. enim anni ſunt finis vitæ hominis longævi *d. L. fin.* Unde differt à poſſeſſione centenaria, quod de ejus initio conſtet, ideóque ſi jus commune reſiſtat, debet in centenaria allegari & probari titulus, quod non eſt opus in poſſeſſione immemoriali, de cujus initio non conſtat *Pirh. n. 127.* Neque obſtat præſcriptioni immemoriali, quòd ante 200. vel 300. annos alius poſſiderit, modò hujus poſſeſſionis memoria non exiſtat, quod probari poteſt teſtimonio ſenum qui nunc vivunt, teſtanturque quod à 40. annis ſemper viderint, &

à majoribus audiverint sic esse, quòd sit & semper fuerit communis opinio & fama de hoc facto, neque extet contrarii vel initii memoria *Navarr. Covarr. Molin. d. 76. n. 5. Mynſ. obſ. 30. 7.* Bona fisco jam in-
28. corporata tam mo-quàm immobilia nonnisi longissimo tempore usucapiuntur §. *res fisci junctaGloß. inst. de usuc.* Si verò fisco nondum sint incorporata, sed, eò quòd quis sine hærede mortuus sit, vacantia & fisco denuntiata, quadriennio acquiruntur, *L. 1. C. de quadr. præsc.* Si ob crimen fisco commissa sunt, quinquennio actio fisci extinguitur *c. 2. d. præs. in 6.* Excipe bona fisco Ecclesiastico commissa ob crimen hæresis, quæ contra Romanam Ecclesiam 100. contra
29. alias 40. annis præscribuntur. 8. Delicta regulariter præscribuntur 20. annis non tantùm quoad accusationem sed etiam ex communiori quoad inquisitionem, excipitur accusatio adulterii, lenocinii, & peculatûs, quæ quinquennio eliditur *L. 5. C. ad L. Jul. L. 7. ff. ad L. 7. de peculat.* præterea aliqua crimina valde enormia ùt læsæ Majestatis, parricidii nullâ præscriptione extinguuntur *L. fin. ff. ad leg. Pomp. de parricid. L. 19. §. 1. ff. ad leg. Corn. de falſ. L. 4. Cod. de apoſt.*

QUÆR. VII. Quid sit dormire & interrumpi præscriptionem?

30. R. I. *Dormire* dicitur præscriptio tunc, quando legitimè inchoata ob impedimentum superveniens suspenditur, & quiescit, ita ùt remoto impedimento denuo procedat, possitque tempus subsequens uniri cum præcedente deducto solùm tempore intermedio inutili, sic dormit contra pupillum durante ætate pupillari, contra minorem durante minorennitate *L. 3. C. de præs. 30. vel 40. ann.* contra Ecclesiam sede vacante aut Prælato excommunicato, suspenso vel aliter agere impedito *c. 4. & 15. h. t.* item tempore sævientis belli, grassantis contagionis, dum non est in loco, qui jus dicat, quia generaliter non valenti agere non currit præscriptio *c. 13. Caus. 16. q. 3. C. 10. h. t.* In his casibus etiam datur minorennibus, Ecclesiis aliisque ex causa reipublicæ absentibus, captivitate vel exilio detentis restitutio in integrum contra præscriptionem jam completam, idque quadriennio à die quo quis majorennis factus vel quo Ecclesiæ vel ei qui causâ reipublicæ, studiorum vel alio justo titulo abfuit integrum fuit re intellectâ restitutionem petere *c. 1. & 2. h. t. in 6. L. ult. Cod. de temp. in integ. reſtit.*

R. II. *Interrumpitur* præscriptio 31.
vel naturaliter vel civiliter, *naturaliter* interrumpitur, si aliquid desit ex requisitis substantialibus, putà si desinat bona fides, aut jam cognoscatur non adesse titulus, qui adesse credebatur, vel denique amittatur naturalis & civilis possessio etiam per injuriam; D. D. in L. *naturaliter* ff. de usurp. & usucap. *Civiliter* interrumpi-

rumpitur per litis contestationem, hoc est uno judicialiter rem petente, altero negante, non verò per solam citationem *L. motæ litis 26. Cod. de rei vindic.* unde possessor lite motâ dicitur constitui in fictâ malâ fide, ita ut à die litis contestatæ nec fructus amplius lucretur, sed conservare, & actori, si obtineat, restituere teneatur *L. 8. §. 7. de usurp.* L. *certum. 22. C. de rei vindic.* quoad effectum
32. verò utriusque interruptiones duæ sunt notabiles differentiæ, prima quòd naturalis interruptio absolutè respectu omnium adversariorum interrumpat præscriptionem text. & DD. in *L. 5. ff. de usurp. & usuc.* Econtra civilis interruptio tantùm se habet respectu illius, qui litem movit, ideoque non obstante lite à Cajo motâ potest præscribi contra Titium *L. 2. C. 1. quibus res judicata.* 2da differentia est quòd possessio & præscriptio naturaliter interrupta de novo inchoanda sit, civiliter autem interrupta tunc demum interrupta manet, si sententia condemnatoria contra possessorem sequatur, si verò possessor victoriam obtineat, vel per pactum aut transactionem à lite recessum sit, proinde tunc possessionis continuatio habetur ac si lis mota nunquam fuisset *Felin. Laym. Eng. l. c.* Si verò actor sponte à lite desistat, & instantia per lapsum triennii perempta sit, is erit effectus interruptionis civilis, quod ad præscribendam ejusmodi actionem requirantur 40. anni à die, quo actor à lite destitit *l. ult. C. de præsc. 30. vel 40. ann.* Unde si intra illud tempus lis denuo ab actore vel ejus hæredibus moveatur & evincatur, res licèt aliàs fuisset præscripta restitui debet *Eng. Krim. l. c. Pirh n. 134.* hæc Theologo de præscriptione sufficiant, qui plura volet legat citatos aliósque Canonistas.

## CASUS XXIV.

### De Dominio Clericorum.

DEsiderius Clericus dubitat. 1. *An sit Dominus bonorum patrimonialium.* 2. *Quasi patrimonialium, & quæ hæc.* 3. *Ecclesiasticorum necessariorum.* 4. *Superfluorum.* 5. 6. *An hæc ex justitiâ sint eroganda in pauperes.* 7. *An ex iis possint ali proles.* 8. *Solvi debita.* 9. *Quid si debita contracta sint culpabiliter.* 10. *An ex superfluis possint consanguinei ditari, ali in studiis.* 11. *An ornari Ecclesia aliàs satis ornata.* 12. *An Clericus plus sibi indulgere possit quia est ditior, nobilior &c.* 13. *An donatio ex superfluis sit valida, an obliget ad restitutionem.*

*nem.* 14. *Quæ hic sit materia gravis.* 15. *An Clerici testari possint ad causas pias vel profanas.* Pro resolut.

1. QUÆR. Quale dominium in sua bona habeant Clerici & ad quos usus teneantur impendere?

R. Bona Clericorum in triplici sunt differentiâ 1. Sunt bona *patrimonialia*, inter quæ numerantur omnia quæ Clerici independenter à beneficio Ecclesiastico possident v. g. ex hæreditate, legato, donatione, arte vel propriâ industriâ; Certum est quòd Clerici perfectum horum habeant dominium, ita ut de iis ad libitum disponere, contrahere aut testari possint sicut Laici.

2. 2dò. Sunt bona *quasi patrimonialia* ea scilicet quæ non acquirunt tanquam fructus beneficii, sed tanquam laboris Ecclesiastici stipendium. v. g. pro Missis, concionibus, cantu, administratione Sacramentorum, funeralibus, anniversariis, quæ vocari solent jura stolæ; ad quæ à plerisque reduci solent præsentiæ chorales. *Azor. Lugo d.* 4 *Clar. Gonzales* apud *Bonac. 1. to. tr.* 4. *punct.* 2. adẽo ut horum habeant plenum dominium. Ratio est quia hæc omnia dantur in stipendium laboris; sicut ergo alii stipendiarii, qui Ecclesiæ deserviunt velut Musici, Syndici, sacristæ, grammatici fiunt absoluti Domini suorum stipendiorum ita ut ea pro libitu in profanos usus licitè & validè convertere possint, sic & Clerici; sed quid si sit ingens excessus inter laborem & remunerationem, v.g. Clericus pro una præsentia vel pro uno anniversario accipit 10. aureos, an adhuc ejusmodi bona censebuntur industrialia. R. cum communi affirmativè, quia non dantur intuitu beneficii sed laboris, sicut si Pastor pro Benedictione nuptiarum vel funeralibus alicujus Magnatis accipiat 100. qui utique inter industriales computantur, ergo etiam ii quos Canonicus accipit ratione præsentiæ vel anniversarii, similiter ad quasi patrimonialia *Cajet. Vasq. Haunold. Sotus de Just. lib. 10. q. 4. a. 3.* reducunt reditus Capellaniæ etiam perpetuæ ad certas Missas, & meritò si reditus non multum excedant stipendium ordinarium Missarum, secus numerandi sunt inter fructus beneficiales, Capellania enim perpetua indubiè est verum beneficium. Nec refert, quòd dentur intuitu laboris, nam reditus beneficiorum etiam non dantur otiosis. *Nav. Metzger t.* 11. *d.* 29. *a.* 1. *n.* 4. 3. Habent *bona Ecclesiastica* 3. id est reditus & pensiones annuas ratione beneficii in sustentationem ad præstanda officia Ecclesiastica, & horum aliqua sunt *necessaria* ad honestam suî suæque familiæ sustentationem, ad quam etiam pertinent honestæ recreationes, hospitalitas, moderata convivia, donationes non tantùm remuneratoriæ sed & liberales convenienter statui & dignitati, plus enim in his potest sibi attribuere Episcopus quàm Decanus, plus Decanus

nus quàm simplex beneficiatus ; alia sunt *superflua*, quæ scilicet supersunt honestæ sustentationi : de necessariis iterum est communis sententia, quòd Clerici horum sint absoluti Domini, ita ut si ex iis aliquid sibi per parsimoniam subtrahant, illud possint licitè in usus profanos impendere *S. Thom.* 2. 2. q. 185. a. 7. & ibid. *Sylvius, Sotus, Covarruv. Corduba, Vasq. Arragon. Less. c. 4. d. 6. Barbos. Molin.* d. 143. *Lugo d. 4. n. 2. Metzg. a. 2. n. 6.* contrà *Nav. Antonin. Sylvest. Panormit.* aliosque plures, quorum sententiam *Sporer. t. 4. c. 1. n. 99.* vocat probabilissimam. Ratio nostra est, quia Clerici recipiunt reditus suos tanquam justum stipendium officii spiritualis in necessariam sustentationem, nam dignus est operarius mercede suâ *Luc. 10.* sicut ergo alii officiantes fiunt Domini totius sui stipendii, sic & Clerici. 4. Clerici etiam sunt veri Domini superfluorum D. D. cit. probatur tum ex *Trident. Sess. 21. c. 1. de refor.* ubi universaliter sæpe dicitur, quòd Clerici absentes non faciant fructus suos, ergo supponit, quòd præsentes faciant suos, sed fructus facere suos est acquirere eorum dominium, ergo : Tum ex *C. quatuor 12. q. 2.* ubi *Gelas.* Papa dicit totam quartam partem esse Clericorum & non solùm partem congruæ sustentationis ; tum denique Ratione, quia beneficiati acquirunt omnes fructus eodem titulo beneficii, ergo sicut necessariorum fiunt Domini ita & superfluorum etsi cum gravi obligatione superfluos impendendi in usus pios. *Trid. Sess. 25. c. 1. de reform.* & Theologi omnes. 5. an autem hæc obligatio superflua applicandi in usus pios sit ex justitia, ita ut applicantes ad usus profanos teneantur ad restitutionem, an verò ex virtute religionis, Charitatis vel alterius, probabiliter utrimque disputatur, Verius videtur esse obligatio justitiæ *Valent. tom. 3. d. 3. Tanner. Tom. 3. d. 4. q. 6. Laym.* L. 4. t. 2. c. 3. n. 3. & omnes qui negant Clericos reditum Ecclesiasticorum habere dominium, quos magno numero adducit *Navarr. de redit. q. 2. Lugo* sup. *Leuren. L. 3. q. 584.* & optimè *Reiffensthuell L. 3. decret. tit. 25. n. 56.* Probatur *primò* : quia qui accipit aliquid cum onere ut ejus partem det alteri, si non dat peccat contra justitiam & tenetur ad restitutionem ex lege naturali justitiæ, atque Clerici tam amplos reditus habent cum onere & tacito pacto ut superflua in eleëmosinas vel alias causas pias impendant, ideo enim dicunt. SS. PP. superflua esse bona pauperum, imò esse furtum & sacrilegium, quando in usus profanos convertuntur, concordant Canones c. *revertimini. C. decimæ. 16.* q. 2. c. *similiter.* c. *juxta.* & seqq. *Prob. 2.* Clerici juxta omnes obligantur superflua expendere ad usus pios teste *Lugo n. 9.* sed non purè ex lege Ecclesiasticâ, aliàs enim Ecclesia posset in hâc lege sua dispen-

sare

sare, quod plerique adversarii negant, & foret contra mentem fundatorum, neque ex virtute Charitatis ut quidam volunt, quia charitas non obligat ad eleëmosynam nisi quando est proximi necessitas, quæ non semper adest, neque ex virtute religionis, quia ista bona superflua non sunt magis sacra & Deo dicata, quàm bona necessaria, ergo sicut non peccat, qui bona necessaria in usus profanos expendit sic nec expendens superflua. *Dices* 1. Fundatores nec in 6.
literis Fundationum nec alibi expressserunt, quòd darent reditus cum onere expendendi superflua in pauperes, ergo ejusmodi onus seu obligatio justitiæ non est asserenda, sicut si eleëmosynam dem pauperi, eâ intentione ut eam dividat cum socio, si eam intentionem non exprimam non obligatur pauper ex justitia eam dividere. 2. Clerici omnes suos reditus etiam superfluos accipiunt eodem titulo scilicet in stipendium officii vel laboris spiritualis uti Cantores, Pensionarii, Musici, sicut ergo hi non tenentur superflua in usus pios impendere, sic nec Clerici. 3. Ex Bulla Sixti IV. de Anno 1474. & Julii III. edita Anno 1550. & Pauli V. de 8. April. 1606. quæ incipit *In Eminenti*, Clericis Romanis & in Romæ districtu ad 10. milliaria habitantibus conceditur libera facultas de omnibus reditibus Ecclesiasticis liberè dispensandi inter vivos & mortuos, sed hoc Pontifex concedere non posset, si superflua ex naturali obligatione justitiæ essent erogan-
da in usus pios, ergo: R. *ad* 1. Hoc sufficienter expressserunt hoc ipso quòd in literis fundationum bona sua voluerunt esse patrimonium Christi in sustentationem Clericorum & pauperum vel aliter ad honorem Dei quod non fit si impendantur in usus profanos. Ad 2. *n.C.* aliter dat Ecclesia illa bona Cantoribus, Musicis &c. aliter beneficiatis, Cantoribus dat distribuendo in actu exercito ad pios usus, beneficiatis dat, ut ipsi nomine Ecclesiæ tanquam ejus Ministri ea ad usus pios impendant & ita habet communis fidelium sensus, qui ideo putant peccare beneficiatos, si superflua non convertant in usus pios, non verò Cantores, Musicos. Ad 3. Etsi Papa universaliter sic dispensare non possit, potest tamen in Casu particulari ex Causa redundante in bonum spirituale Ecclesiæ, idque ex præsumpto consensu fundatorum; & sic reditus indirectè applicantur ad usus pios ita exigente necessitate. Ex dictis

*Deduces* seqq. Clericus potest & 7.
tenetur ex bonis Ecclesiasticis alere & dotare suas proles non tantùm legitimas ante clericatum susceptas, sed etiam spurias, si indigeant, jure enim naturali illis à patre alimenta debentur, si verò à matre habeant sufficientia bona adventitia vel pater habeat patrimonialia, tunc ex his alendæ & dotandæ sunt *Navarr. Laym.*

8. *Lym. L. 4. t. 2. c. 3. n. 4.* 2. Clericus si aliunde non habeat potest & debet debita à se in Clericatu sive antecedenter contracta solvere ex reditibus Ecclesiasticis, quia tunc censetur pauper, solvere autem pauperi debita est opus pium, imò si debita contracta sint tempore Clericatûs ad necessariam sustentationem vitæ vel causam piam, potest ea solvere ex reditibus superfluis, quamvis etiam habeat alios reditus ex patrimonio. *Ratio est*, quia potest reditus superfluos impendere ad necessariam suî sustentationem præteritam & præsentem; sic enim sunt potiùs reditus necessarii, quàm superflui; item potest eos impendere ad causam piam, solvere autem debita in favorem Causæ piæ contracta est virtualiter eos impendere ad Causam
9. piam, ergo. Si Clericus tempore Clericatûs contraxisset debita non pro necessaria sustentatione, neque ob causam piam sed propter excessum in alimentis, lusu, vestibus, recreationibus, tenetur ea solvere ex patrimonialibus, aut proprio labore acquisitis, vel si talia non habeat debet parciùs vivere, seryato tamen statu, ut paulatim tantùm de sustentatione ordinaria subtrahat, quantùm sufficit ad solvenda debita. *Ratio est.* Quia talia debita culpabiliter contraxit, & potest sine mutatione Statûs sibi aliquid ex ordinaria & honesta sustentatione subtrahere, cùm hæc non consistat in indivisibili, sed habeat summum medium, & infimum, ut si summi sumptus pro annuo victu sint 400. medii sint 350. parcissimi & infimi 300. poterit sibi 100. vel 50. & plures omni anno salvâ honestâ sustentatione subtrahere & unà cum reliquis quæ super- 10.
sunt applicare in usum pium. 3. Bona patrimonialia aut quasi patrimonialia, & ea quæ sibi per parsimoniam ex necessariis subtraxit, potest expendere ad usus profanos vel dare cognatis quibuscunque etiam non indigentibus, eosque ditare; ex superfluis autem potest tantum alere in studiis eos, quos vel parentes non possunt vel nolunt, in studiis sustentare, aut promovere, nec potest ditare, aut plus dare quàm ad conditionem & Statûs decentiam indigent, quia alias non erit usus pius ad quem superflui reditus impendi debent, ita omnes teste *Reiffenst.* n. 72. 4. Reditus superfluos impendere in ornamentum Ecclesiæ aliàs sa- 11.
tis ornatæ adhuc est usus pius, quamvis id fiat ex malo fine scilicet vanæ gloriæ, adeoque nec peccatur contra justitiam, nec contra religionem, neque facit ad rem quòd fortè prætereantur Ecclesiæ magis indigentes, nisi Clericus in his esset beneficiatus, tunc enim cæteris paribus saltem ex æquitate, imò juxta *Lug. L. c.* ex obligatione Ecclesiæ suæ præ aliis ex superfluis subvenire deberet. 5. Clericus habens plura patrimonialia potest ex iis splendidius vivere, non verò ex proventibus Ecclesiasticis, quia

in his est cæteris par. *Nec obstat*: Quod fortè sit doctior, nam per hoc non est constitutus in altiore dignitate aut gradu: quod si esset nobilis parentelæ, imbecillis & debilis complexionis, aut deberet plura in medicos profundere, posset servato moderamine sibi plùs in sustentationem attribuere, quàm cæteri robusti & validi, saltem si aliunde non habeat, quia hæc respectu ipsius non superflua, sed necessaria sunt: 6. Clericus 13. ex provêntibus Ecclesiasticis etiam superfluis licitè emit prædia si ea detineat in usus pios, secus si ea donet amicis non indigentibus, donatio tamen est valida, quia donans est verè Dominus superfluorum quamvis cum obligatione ea applicandi ad usus pios, nec tenentur donatarii donata reddere; si tamen malâ fide acceptassent, scientes donantem non habere alia bona quæ in earum locum impendat ad Causas pias, possent per judicem cogi ad restitutionem, quia acceptârunt ea in præjudicium causæ piæ, cui ista prædia debebantur, sicut ii, qui aliqua acceptant in fraudem creditorum: Clericus verò qui ex reditibus superfluis aliquid impendit in usus profanos debet tantundem sumere ex reditibus patrimonialibus illúdque applicare ad causas pias, etiam juxta eos, qui negant eum obligari ad restitutionem. *Ratio est*, quia cùm habeat patrimonialia adhuc potest satisfacere menti fundatorum, & profundendo Ecclesiasticos reditus pepercit patrimonialibus, *Fillius. Azor.* sup. *Lugo. n.* 43. 7. Quamvis quoad bona superflua clericorum, requiratur multò 14. major materia ad peccatum mortale quam in furto, tamen vigesima pars si proventus superflui excedant 100. florenorum communiter reputatur materia gravis, ita ut si 5. vel 6. florenos tunc usui profano impendantur peccetur mortaliter. *Sporer.* sup. 8. quamvis Clericus in 15. vitâ de reditibus superfluis ad causas pias disponere possit, non tamen potest de iis testari nequidem ad causas pias sine licentia summi Pontificis, Episcopi vel Capituli, nisi consuetudo sit contraria, quæ contra legem Ecclesiasticam prævalere potest; sed debet post mortem ea relinquere Ecclesiæ à quâ accepit C. 1. c. *adhoc* 8. c. *quia nos 9. de testam.* imò *Navar. Vasq. Tanner. Molin.* 147. *n.* 31. *Laym.* sup. *Abbas Pirh.* l. 3. *n.* 42. *Krimer. n.* 2142. *Engel. n.* 3. *Reiffenst. ibid. nn.* 335. Contra *Covarruv. Garc. de benef. p.* 2. *c.* 1. *n.* 16. *Less. c.* 19. *n.* 43. *Zoes. Haun. t.* 2. *de just.* probabilius docent non posse consuetudine introduci ut Clerici de reditibus Ecclesiasticis superfluis testari valeant ad Causas profanas, unde improbant Consuetudinem quæ in multis locis Germaniæ & alibi dicitur reperiri, *Ratio est*, quia ejusmodi consuetudo utpote contra legem naturalem & divinam foret irrationabilis & corruptela, quia

quia Clerici superflua in profanos usus convertentes peccant mortaliter contra legem naturalem justitiæ, charitatis vel religionis ut fatentur ferè omnes, & in dubio an consuetudo contra legem sit rationabilis præsumptio est pro lege, ut cum communi docet ipse *Schmaltzgr.* L. 1. tit. 4. *n.* 8. ob probabilitatem tamen sententiæ oppositæ tutò quis retinere potest, quod ex tali testamento vel donatione accepit.

## CASUS XXV.

### De dominio seu potiùs paupertate Religiosorum in particulari.

EBorius aspirans ad Religionem ex Confessario petit. 1. *Ad quid ex voto paupertatis obligentur Religiosi Prælati, invalide professi &c.* 2. *An sint Domini famæ, honoris, rerum spiritualium* 3. *An superiores dare possint licentiam ad superflua & illicita.* 4. *Qualis Licentia requiratur.* 5. *An sufficiat præsumpta.* 6. *Quæ hic sit materia gravis.* 7. *An complacens sibi in divitiis peccet contra paupertatem.* 8. *An sufficiat Licentia dolo vel metu obtenta.* 9. *Vel data à superiore inferiore contra prohibitionem superioris.* 10. *Quid de manufactis vel scriptis.* 11. *Quid si res occultetur.* 12. *Vel recipiantur plures res modicæ.* 13. *Vel convertantur ad alium usum vel concedantur alteri.* 14. *Vel acceptetur res cum animo eam dandi pauperibus, vel lectâ missâ amico remittatur stipendium.* 15. *Vel deponatur apud tertium aut sine Licentiâ quis prandeat alibi.* 16. *An Religioso concedi possit peculium.* Pro resolut.

QUÆR. I. Ad quid Religiosi obligentur ex voto paupertatis ? R. Omnes & singuli Religiosi solenniter professi per votum paupertatis à se in perpetuum abdicarunt, non tantùm omne rei temporalis dominium sed & usum ac dispositionem independentem à voluntate superioris, ita ut nec validè nec licitè de re temporali sine consensu superioris disponere possint, ita quoad rem omnes & clarum est tum ex *Trid. Sess. 25. c. 2. de regul.* tum ex jure Can. *C. 12. q. 1. C. super c. cum ad Monast. de statu Monach.* ubi adjungitur pœna : *quod si proprietas apud quenquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur.* 1.

*Dicitur* 1. Omnes & singuli, ita etiam ipsi Prælati, Procuratores, Oeconomi, Administratores &c. si rem

quamcunque sive domestico sive extraneo largiantur, aut expendant aliter quàm ordinis Statuta consuetudo aut voluntas superiorum postulat, peccant contra justitiam & paupertatem, & si ejusmodi donatio vel alienatio sit vana, superflua aut damnosa, est ipso jure irrita & restitutioni obnoxia, quia Prælati non sunt bonorum communium Domini sed Administratores *c. 2. de donat*: *Dicitur 2dò*: Solenniter professi, nam Religiosi S. J. qui tantùm simplex paupertatis votum emittunt retinent dominium radicale, ita ut propter tale votum non possint quidem sine licentiâ Superiorum de suis disponere licitè, probabiliùs tamen possint validè, ut contra *Molin.* docet *Sanch.* L. 7. moral. c. 18. q. 2. Sed cui acquirit qui ignorans est invalidè professus? R. Sibi & non Monasterio, quia mansit capax dominii. Nec refert quod putârit se acquirere Monasterio, nam error est in substantiâ sicut si quis solvat indebitum, vel det dotem Titiæ extraneæ cùm putet se dare nepti, quæ tamen acquisivit quà membrum v. g. ex reculis fratris defuncti per divisionem cum aliis illa reddere tenetur, quia per errorem venit in talem participationem; econtra Monasterium restituere debet quæ ab ipso data sunt intuitu professionis, quia error est Causa principalis donationis. *Dicitur 3*. Omnis rei temporalis hoc est pretio vel pecuniâ æstimabilis; nam Religiosi retinent dominium & jus in famam & honorem S. Th. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 4. item jura spiritualia eligendi, præsentandi, conferendi, beneficia possidendi, à censuris absolvendi &c. & ad talia jura acquirenda, retinenda vel recuperanda nomine suo agere non prohibentur, *Navarr. Less. L. 2. c. 4. dub. 5. Dicitur 4.* Omnem usum & dispositionem à voluntate seu consensu superiorum independentem, nam cum consensu superiorum non prohibentur Religiosi de temporalibus disponere, modo dispositio non sit ad usus superfluos aut statum paupertatis dedecentes, aut à regula & consuetudine ordinis non permissos, sicut enim de his ipse superior licitè disponere non potest, sic nec suis disponendi licentiam concedere. *Mirand. Pelliz. Hyacinth. Donatus to. 4. tr. 13. q. 10. Reiffenth. l. 3. decret. tit. 35.* ubi dicit in hoc omnes convenire, & quamvis probabile sit quod docet *Lugo d. 3. n. 137.* licentiam datam ad usus superfluos & illicitos esse validam, & ideo Religiosum non peccare contra paupertatem, modò non excedat statum pauperis, attamen id tantum tunc verum judico, quando ipsa religio, quæ rerum communium domina est, ob bonum commune & conservationem famæ superioris vel subditi censetur consentire, & ex hoc capite valet emptio quâ Religiosus cum licentia superioris emit vel acceptat superflua; magna enim in publico oriretur confusio si ejusmodi pretium vel

2.

3.

res

res cum consensu Superioris Monasterio jam acquisita deberet restitui.

QUÆR. II. Qualiter religiosus peccet contra votum paupertatis?

4. R. *Toties peccat contra hoc votum, quoties rem aliquam pretio æstimabilem, sive ex bonis Monasterii, sive aliunde acceptam, absumit, retinet, occultat, permutat sine expresso, tacito vel prudenter præsumpto superioris consensu.* Ecce regulam generalem ab omnibus approbatam, quam infra ad Casus particulares applicabimus; consensus *expressus* vocatur, qui verbis, scripto vel alio signo manifestè exprimitur, *tacitus* est tolerantia Superioris, cùm scilicet videt aliqua à suis accipi & expendi, absumi; & cùm possit, non contradicit, aut religiosum sine viatico mittit ad studia, balnea &c. Hoc ipso tacitè vel implicitè dat licentiam accipiendi, & expendèdi ad hoc necessaria, consen-
5. sus *præsumptus* est, quem prudenter mihi persuadeo Superiorem daturũ, si rogaretur vel sciret talem rem à me absumi, recipi, vel expendi, qui tamen consensus præsertim in rebus alicujus momenti locum non habet, nisi urgeat necessitas, & Superior adiri non possit; si enim præsumpta licentia semper sufficeret, Superior pro licentia nunquam esset rogandus, quod manifestè repugnat disciplinæ regulari: vel enim Superior prudenter creditur licentiam daturus, si rogaretur, & jam tum habetur licentia præsumpta, ideóque non erit opus eam rogare; vel creditur non daturus, & stultè rogatur; si tamen sciatur Superior moraliter non esse invitus, quoad rem ipsam eo quod rogatus illam facilè concederet, etsi aliquantulum ægrè ferat, non peti licentiam, talis usus non excedet peccatum veniale, ùt cum communiori docet *Laym. l. 5. t. 5, c. 6. n. 4.* in dubio an superior consentiat, semper est interrogandus, si possit; fatendum tamen est Superiores magìs esse invitos, si subditi sine licentia sibi usurpent res Monasterii, quàm si res aliunde datas, quia magìs damnificatur Monasterium. *Nec obstat*: Quòd res aliunde religiosis oblatæ & acceptatæ Monastetio pereant, nam quamvis hoc sit, quia tamen illæ res dantur intuitu religiosorum, & aliàs Monasterio sint indebitæ, earum jactura tanti non fit, quanti earum, quæ Monasterio ex propriâ industriâ vel fundis obveniunt. Hinc etiam major requiritur 6.
materia ad peccatum mortale in usu extraneorum quàm in usu Monasterialium; cæterùm in materia paupertatis ex communi sententia loquendum est, sicut in materiâ furti, ideoque Regula S. Augustini dicit proprietarios *furti judicio esse condemnandos*; sicut autem in furto filiifamilias ad mortale requiritur materia major, ùt dicam Cas. 31. n. 3. quàm in furto extranei, quia pater respectu filiifamilias est minus invitus, sic in usur-

patione vel furto religiosi, non quòd religiosus per omnia æquiparandus veniat filio, cui pater etiam superflua permittere potest, sed quod respectu religiosi major materia requiratur, quàm respectu extranei, quia Superior est minùs invitus si religiosus, quàm si extraneus res Monasterii auferat vel absumat extraneus. *Si dicas* 1. Superior ob bonum disciplinæ religiosæ tenetur esse magis invitus respectu religiosi quàm pater respectu filii. 2. Inde oritur nimia conscientiarum laxitas. 3. Superior tenetur esse magis invitus, ut religiosus peccet, cum ejus peccatum ex officio teneatur impedire & corrigere, quàm si extraneus. ℟. 1. Concedi posse totum. ℟. 2. Id verum esse si nimia conscientiarum laxitas & disciplinæ aliter non conservabilis necessitas id exigat, id autem non tenet regulariter. *Ad* 2. Ex oppositio oritur nimia conscientiarum restrictio & pariter dicam conscientiam filii nimium relaxari, si sciat patrem respectu sui esse minùs invitum, item peccatum filii magis debet displicere magisque corrigi & impediri à patre, quàm peccatum extranei, ergo pater magis tenebitur esse invitus in furto respectu filii quàm extranei per consequens minor materia requiretur ad grave furtum filii quàm alterius, quòd nemo admittit, dico ergo Superiorem & patrem debere esse magis invitos quoad modum & rationem peccati, quod à suis fit, & ab ipsis corrigi debet, non autem quoad rem ipsam. Ex dictis

℟. 1. *Deduces* seqq. Religiosus complacens sibi in divitiis prioris vitæ, aut dolens se eas reliquisse absque affectu vel desiderio aliquid habendi vel usurpandi independenter à voluntate Superiorum, non peccat propriè contra votum paupertatis, sicut non peccat contra votum castitatis, qui dolet se castitatem vovisse; ejusmodi tamen affectus multum adversatur perfectioni religiosæ, & ad minimum est veniale otiositatis vel sensualitatis. 7.

2. Licentia dolo puta falsum allegando vel verum reticendo obtenta, est invalida; neque à peccato proprietatis excusat Superioris tolerantia vel consuetudo, quam Superior difficulter v. g. sine pacis turbatione, querelâ, & murmure tollere non potest, tunc enim Superior non consentit, sed purè permittit; licentia metu vel importunis precibus extorta est quidem valida, utpote simpliciter voluntaria, attamen est contra perfectionem obedientiæ, quia non tam subjicit subditi voluntatem Superiori, quàm voluntatem Superioris subdito; Superior dans licentiam, in genere intelligitur eam dare tantùm ad usus licitos non superfluos, si tamen usus in se non sit superfluus, etsi ex circumstantia fiat illicitus, non repugnat paupertati, ut si religiosus ex pecuniis ad honestam recreationem concessis cum sociis biberet ad ebrietatem, 8.

tatem, vel cum scandalo in taberna publica, quia talis magis peccat quoad modum, quàm quoad rei sub-
9. stantiam : *Laym. n. 14. 3.* Si Superior antecedens dedit licentiam, valet etiamsi ab officio discesserit, item valet licentia data à Prælato inferiore contra prohibitionem Superioris vel statutorum ordinis, nisi addita sit clausula irritans, quia Prælato inferiori per hoc non est sublata potestas ordinaria, & multa sunt prohibita, quæ tamen sunt valida *Croix l. 4. n. 115.* 4. Religiosus sine licentiâ aliquid exponens non tantùm peccat contra paupertatem, sed tenetur ipsam rem repetere, si in se vel in æquivalenti adhuc existat, quia res
10. manst sub dominio Monasterii. 5. Si religiosus sine licentiâ donet amico picturam à se factam vel donet librum pretiosum v. g. choralem à se conscriptum peccat contra paupertatem, quia licèt religiosus sit Dominus proprii laboris & artis, tamen illud quod labore & arte acquirit, cedit Monasterio, nisi amicus subministraverit materiam, & ipse nomine amici operatus fuerit, tunc enim quamvis peccare possit contra obedientiam, si nempe id faciat contra prohibitionem Superioris, non tamen contra paupertatem; idem est de donatione reliquiarum, precum, missarum; quorum religiosus quidem est Dominus, attamen inobedientiæ crimen admittit, si de iis contra voluntatem Superiorum disponat, idem est de conceptibus, notationibus, compositionibus proprio studio in chartam conjectis, hæc enim tanquam partus proprii laboris & pars vel potiùs imago conceptûs interni probabiliter reputantur inter Spiritualia vel saltem Superiores quoad hæc non solent esse multum inviti. 6. Contra paupertatem pec- 11.
cat, qui res undecunque acceptas, abscondit, occultat, ne Superior sciat, auferat, aut de iis pro libitu disponat, imò etiamsi rem cum licentiâ acceptam abscondat, ne Superior eam mutatâ mente tollat, est communis cum *Sporer t. 5. c. 1. n. 64.* 7. 12.
Si religiosus sine licentiâ plura modica recipiat, vel expendat usque ad materiam gravem, probabiliùs peccat mortaliter, quia hæc uniuntur in ratione gravis damni sicut plura parva furta *Pellizz. t. 4. c. 2. n. 35.* Ubi excipit modica esculenta, eo quod in his Superiores non videantur esse inviti quoad substantiam, sed purè quoad modum, at si hæc accrescant in grave damnum rei domesticæ, vel regularis disciplinæ, etiam in his Superiores probabiliùs censeri debent inviti quoad substantiam, maximè si sint minùs benigni, parci, tenaces.
8. Peccant, qui res ad certum usum 13.
concessas ad alium usum convertunt, ut si pecunias pro emendis libris vel vestibus datas ludendo, vel potando absumant, item si libros, vestes, & similia sibi concessa aliis concedant, etiam ad nudum usum, vel permutent,

tent, aut accommodent; hic tamen à mortali plerumque excusat materiæ parvitas, nisi materia permutata foret pretiosa, rara, vel conjuncta cum damno Monasterii, tunc enim esset mortale, quia permutatio (idem est de mutuo) transfert rei dominium.

14. 9. Si rem ab amico præsentatam nec tibi nec Monasterio acceptes, sed intendas eam nomine dantis donare pauperi vel alteri amico cui donans jusserit, vel tu donare volueris, aut etiam tibi ipsi applicare, sed petitâ prius licentiâ non peccas contra paupertatem *Sanch. Lug. d. 2. n. 54. Ratio est*, quia alteri tantum locas laborem tuum absque hoc, quod ullam rei commoditatem independenter à voluntate Superiorum desideres. 10. Si amicus tuus à Paulo accepit stipendium, ut legi faciat Missam, potes Missam legere & stipendium non acceptare, sed remittere & amicus tuus illud retinere; *Ratio est*, quia non teneris acceptare, sed potes Missam legere gratis, & amicus satisfecit intentioni petentis procurando Missam, ergo potest retinere stipendium illum in finem datum; idem est si lectâ Missâ ipse suscipias stipendium non animo tibi vel Monasterio acquirendi, sed nomine offerentis illud expendendi in pauperes, vel amicos, etsi offerens hoc nesciat; quia postquam legendo Missam satisfeciisti ejus intentioni, certò de ejus consensu præsumere

15. potes. 11. Si rem tibi præsentatam non acceptes, sed deponi facias apud amicum, ut datâ opportunitate cum licentiâ Prælati eâ utaris, non es proprietarius, nec peccas, & si id facias ideo, quia pro nunc & ab hoc Superiore non confidis te acceptaturum veniam, quam speras accipere ex post vel ab alio; *Ratio est*, quia neque vis habere dominium, neque usum rei à Superiore independentem. 12. Quamvis ex communissimâ religiosus sine omni licentia comedens & bibens apud exteros peccet contra paupertatem, rarò tamen per hoc peccat mortaliter, quia hæc materia vel censetur levis, vel Superiores, quoad rem ipsam non sunt multum inviti, cùm nullum damnum inferatur Monasterio. 13. Certum est Superiorem religioso 16. non posse peculium, vel quamcunque rem concedere irrevocabiliter, hoc enim repugnat voto substantiali paupertatis ideóque professio facta sub conditione, ut liceat habere proprium vel alicujus rei dispositionem à Superiore independentem, est ipso jure nulla *c. Monachi c. cum ad Monasterium de statu Monach.* potest tamen Prælatus concedere peculium, si per peculium intelligatur res apud Superiorem depositа vel portio quædam pecuniaria, religioso ad iter, studia, negotia, vel similem honestum usum assignata, item potest religioso imponi administratio villarum, prædiorum, aliorumve bonorum immobilium non suo sed Monaste-

nasterii nomine revocabiliter & sub obligatione reddendæ rationis, nisi id speciali Ordinis statuto prohibeatur; imò jure antiquo poterant etiam concedi bona stabilia ad usumfructum vel usumpensionis & reditus annui ex bonis Monasterii vel parentum quibus religiosi dependenter à voluntate Superiorum in vel extra Monasterium sustentarentur, id tamen jure novo videtur correctum per *Trid. Sess. 25. c. 2. Fagn. in c. 2. de statu Monach. Hyacinth. Donat. L. 2. Reiffenst. à n. 5.* Quamvis contrariam consuetudinem si alicubi reperiatur, non audeat damnare *Laym. n. 13.* meritò admonens Superiores ad abrogandam ejusmodi consuetudinem, modò religiosis aliâ viâ de necessariis provideri possit, S. congregatio abominans Monasteria in quibus perfecta communitas non servatur, sæpe prohibuit ne amplius Novitii vel Novitiæ ad ejusmodi Monasteria recipiantur. Teste *Fagnan. n. 63.*

## CASUS XXVI.

### De dominio Communitatis religiosæ & dispositione Superiorum Officialium & Beneficiatorum.

FAbius religiosus interrogatur; *1. Cui acquirat religiosus, apostata transiens ad aliam religionem. 2. Religiosus promotus in Episcopum vel Parochum. 3. An Monasterium succedat in omnia bona professi etiam emphiteutica feudalia; 4. An hæreditas religioso relicta à Monasterio adiri possit ipso invito, vel à religioso repudiari & quid si ea conditione sit relicta, ut non ad Monasterium sed religiosum pertineat. 5. Qualiter bona Monasterii valeant alienari. 6. An Prælatus repudiare possit hæreditatem vel legatum. 7. Quid circa contractus vel negligentias Officialium.* Pro resol.

QUÆR. I. Cui religiosus acquirat?

R. D. Janſen Pars I.

R. 1 mò. Cùm religiosus sit incapax omnis dominii, quidquid acquirit, regulariter acquirit Monasterio *c. Abbates 18. q. 2. c. cum ad Monasterium de stat. Monach.* Qui voverunt stabilitatem in loco acquirunt illi Monasterio, in quo vota emiserunt, alii communiter Monasterio in quo non ut hospites, sed ut subditi morantur. 2. Religiosus apostata vel fugitivus acquirit Monasterio, quod deseruit, vel illi Ecclesiæ, quæ cum bonâ fide suscepit, sicut servus lucratur Domino putatitio. 3. Religiosus ad aliam religionem transiens tempore novitiatûs acquirit primo Monasterio, ita ut si ea, quæ ei tunc ex testamento, legato obveniunt, aut quæ proprio labore 1.

bore acquirit sine læsione paupertatis & justitiæ secundo Monasterio, vel aliis donare non possit, nisi foret tes exiguî momenti, hanc enim ex æquitate putat *Lugo* deberi secundo Monasterio, quod religiosi curam & 2. gubernationem habet. 4. Religiosus quamvis habeat dominium beneficii, vel dignitatis legitimè acquisitæ, possitque agere ad illam retinendam vel recuperandam, eandem tamen nec licitè nec validè acquirere potest sine licentiâ Superiorum, quia non habet proprium velle vel nolle, & si assumptus ad Cardinalatum vel Episcopatum aliquid post mortem relinquat, illud cedit Cameræ Apostolicæ vel Ecclesiæ Episcopali. 5. Religiosus beneficiatus v. g. Parochus etsi habeat redituum administrationem, & de iis ad causas pias & sui sustentationem disponere possit sicut clericus sæcularis, nisi Ordinis statuta vel consuetudo legitimè introducta aliud præcipiant, *D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 2. Navar. Rodr. tit. 1. Reg. 99. 9 34. a. 7. Leß. L. c. 41. dub.* 11. *Reiffenst. L. 3. tit. 24. à. n. 47.* Attamen mortis causâ de nulla re disponere potest, sed quæ ex reditibus beneficii supersunt, jure debentur Ecclesiæ, in qua beneficium habuit; dico ex reditibus beneficii, nam quæ religiosus beneficiatus acquirit, arte, industriâ, juribus stolæ, eleëmosinis, hæreditate, legato, aut ex pensione, vel peculio sibi concesso, ea acquirit Monasterio juxta vulgatam regulam, quidquid acquirit regularis, acquirit Monasterio, idem tenet de fructibus beneficii Monasterio incorporati; dixi 2. de jure communi, nam ex consuetudine, privilegio ût in S. Ordine nosto Præmonstratensi fieri potest, ut religiosus etiam in beneficio non unito acquirat suo Monasterio *Zypæus L. 3. consul. 1.*

QUÆR. II. Cui cedat hæreditas vel legatum religioso relictum?

R. Regulariter cedit Monasterio, si illud bonorum in communi sit capax juxta sequentes explicationes. 1. si Novitius profiteatur nullâ factâ dispositione succedit Monasterium, si Monasterium sit bonorum incapax veluti Capucinorum & Minorum de Observantiâ, succedunt hæredes ab intestato *Auth. ingressi Cod. de SS. Eccl. & Auth. nunc autem C. de Episc. Leß. Azor. Pirh. l. 3. tit. 27. à n. 33.* Si tamen professus liberos vel ascendentes habeat, tenetur his relinquere legitimam *Auth. Si qua mulier Cod. de SS. Eccl. Pirh. n. 35. & seqq.* An verò Monasterium etiam succedat in emphyteutica & feudalia est incertum, saltem ea probabilius retinere potest ad vitam religiosi, si enim professus mansisset in sæculo poterat ea possidere ad vitam, ergo & jam, quia per possessionem religionis non debet fieri pejoris conditionis *Eng. lib. 3. tit. 31. n. 37. Reiffenst. l. 3. t. 20. n. 101.* ita tamen ut intra annum à morte professi teneatur ea vendere *Laym. Pirh. tit.* 3.

18.

4. *18. n. 53. & ibid. Reiffenst. n. 251.* 2. Si religiosus scriptus sit hæres, Monasterium potest immediatè adire hæreditatem inscio aut etiam invito religioso *Abb. Les. Lugo de just. d. 3. àn. 94. Pirh. n. 40.* contra plures, qui dicunt id fieri debere mediante religioso; *Ratio est*: quia religiosus per votum castitatis & obedientiæ omne suum velle circa hæc transtulit in Superiores. 3. Etsi religiosus sine licentiâ Superiorum possit ex justâ causâ repudiare donum sibi oblatum, legatum tamen vel hæreditatem nec validè nec licitè, *Ratio est* voluntas Superiorum, qui videntur consentire in primum; & non in secundum *Nav. Lug. L. c. Dicast. L. 2. t. 15. d. 1. n. 228.* 4. Si hæreditas eâ lege relinquatur, ut ad religiosum & non ad Monasterium pertineat, voluntas testatoris ità explicanda est, ut usus & commoditas ad religiosum pertineat dependenter à Prælato, dominium verò ad Monasterium; *Sanch. L. 7. Mor. c. 17. n. 4. Laym. Reiffenst. n. 23. Ratio est*, quia quamvis dispositionem ità interpretari opotet, ut potius valeat, quàm non valeat, ideóque si Prælatus consentiat, ut usus & commoditas rei ad religiosum pertineat, valet legatum; secus corruit, quia non est impleta conditio, nisi religiosus commoditatem compententem sibi resignet, *Sanch. n. 9.* Si conditio legato adjecta sit planè impossibilis, ut lego hanc rem religioso eâ conditione, ut ipse habeat rei dominium, conditio habetur pro non adjecta, & legatum censetur validum *DD. cit.* nisi constet testatorem huic conditioni voluntatem suam seriò alligâsse; v. g. dicendo: volo, ut religiosus habeat rei dominium non Monasterium, alioquin legatum non valeat. In dubio præsumendum est pro valore actûs.

5. QUÆR. III. An & qualiter Monasterium obligetur ex contractu religiosi?

R. 1. Monasterium non obligatur contractu religiosi vel etiam Prælati, quo alienat, aut distrahit immobilia vel mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, ut gemmæ, vasa aurea, nisi adsit justa causa, id est necessitas, evidens utilitas, pietas, vel incommoditas & serventur solennitates à jure ad alienationem Ecclesiasticam requisitæ, puta tractatus Capitularis, consensus majoris partis Capituli cum subscriptione, nisi consuetudo aliud habeat, nec non consensus Superioris cui Ecclesia subest, juxta cujusvis Ordinis statuta, quòd si alienatio facta quidem sit cum debitâ solennitate, sed Ecclesia probetur enormiter læsa, competit ei beneficium restitutionis in integrum. *Abbas in c. fraternitatem n. 5. de donat.* nomine autem contractûs alienativi in hâc materia Ecclesiis favorabili, non tantùm venit venditio, permutatio, donatio, transactio super jure vel re immobili

census perpetui, ac vitalitii, & similes in quibus totum dominium transfertur, sed etiam in quibus simpliciter vel ad longum tempus transfertur dominium utile, ùt feudum, emphytensis, locatio in longum tempus. *Extr. inter commun. de reb. Eccl. non alien. 2.* Prælatus absque consensu
6. Capituli aliisque solennitatibus, Ecclesiæ obesse potest in juribus acquirendis *Abbas & Can. in c. tua de his quæ fiunt &c.* Idcóque validè repudiat donationem Ecclesiæ suæ oblatam, & assumens Novitium validè renuntiat hæreditati, quæ post ejus professionem & mortem patris Monasterio erat obventura, *Sylv. Sanch. l. 7. c. 6. n. 4. Riccius decis. 96. & 99.* hæreditatem verò & legatum mortuo testatore videtur Prælatus repudiare non posse, eo quòd Ecclesia habeat jus ad rem & ejusmodi juris abdicatio in materia Ecclesiis favorabili censeri debeat prohibita, juris Ecclesiastici alienatio & hæreditas ac legatum non tam Prælato quàm Monasterio relinquitur. *Bald. Azor. Ricc. resol. 97. n. 1. Engel lib. 3. decret. tit. 13. n. 9.* aut si juxta sententiam probabilem *Menochii Sanch. Pirh. l. 3. t. 13. n. 41.* renuntietur, Ecclesia habet beneficium restitutionis in integrum propter malam Prælati administrationem, ùt cum communi docet idem *Ricc. Vasq. Laym. Pirh. n. 42. Reiffenst. sup. Dicast. n. 237.* 3. Alii contractus qui 7.
fiunt à Prælato juxta Ordinis constitutiones vel etiam ab officialibus cum expresso vel tacito Superiorum consensu, veluti emptiones, venditiones, permutationes rerum mobilium etiam non requisito Capitulo firmi sunt & validi. 4. Religiosus Superior, vel œconomus non tantùm peccat bona Monasterii sine justa causa vel licentia alienando, sed etiam negligenter administrando, & si quæ bona vel jura ejus culpâ pereant, tenetur exactiori diligentiâ neglectum suum quantum potest compensare, cùm ob votum paupertatis aliam restitutionem facere non possit, qualiter Monasterium bona religiosi debita teneatur solvere ante professionem contracta dicam Cas. 47. n. 21.

CASUS

# CASUS XXVII.

## De injustitia & in specie de illegali circa tributa, gabellas &c.

GAbriel Princeps 1. *Varia tributa exscribit.* 2. *Quæstores sub prætextu insufficientis stipendii tributa augent, & munera extorquent.* 3. *Et quia hæc luxu nimio absumpta sunt perdurante eadem necessitate nova exiguntur.* 4. *Esculentis & capitibus imponuntur.* 5. *Vectigalia & contributiones à peregrinis & Clericis extorquentur.* 6. *Plerique se subducunt tum quia putant tributa non obligare in conscientia.* 7. *Tum quia est communis persuasio de tributi injustitia vel saltem est dubium.* 8. *Et ipse Princeps & Consiliarii tributum suspectum habent.* 9. *Nihilominus plerique illud approbant, alii se absentant.* 10. *Exactores non obstante dubio solutionem extorquent.* 11. *Etiam à pauperibus, econtra ab aliis se sinunt corrumpi.* 12. *Defraudantes gabellas eodem pretio cum aliis merces vendunt & in his omnibus Confessarius dissimulat.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit injustitia. R. Injustitia in genere est alieni juris violatio; sicut autem datur triplex, justitia legalis, distributiva, & commutativa, sic & triplex injustitia, prout harum una violatur, de violatione justitiæ distributivæ, & commutativæ dicam in seqq. in præsenti de injustitiâ illegali, quæ committitur in defraudatione tributorum, gabellarum &c. tributum autem in genere significat omne id quod Princeps vel Magistratus à subditis exigit in ordine ad sustinenda onera communia: pro diversitate materiæ, de quâ exigitur, sortitur diversa nomina, impositum mercibus in vel extra Provinciam vehendis vocatur gabella vel vectigal à vehendo, si fundis simpla, si comestibilibus licentia vel accisia pro more regionum, si singulis capitibus capitatio, si transeuntibus pro conservatione pontis, viæ, vel custodiæ pedagium.

QUÆR. II. Quæ conditiones requirantur ut tributum vel vectigal sit justum? R. Sequentes. 1. Legitima authoritas imponentis, qualem habent Imperatores, Reges, Principes, Magistratus, in terris alium superiorem non agnoscentes, & alii de horum licentiâ, consuetudine vel præscriptione: quæstores, telonarii & similes si nesciente Principe vel nova tributa imponant vel imposita absque legitimâ authoritate augeant, non tantùm peccant contra justitiam cum obligatione restitutionis,

sed & incurrunt excomunicationem latam in Bulla Cœnæ, unde merito à Confessariis redarguendi & seriò hortandi sunt telonarii, præfecti & similes officiantes, qui sub prætextu extraordinarii laboris, insufficientis stipendii &c. inscio Principe certas sibi pensiones exigunt, aut munera
3. extorquent. 2. Requiritur justa causa, hoc est necessitas aut magna communis utilitas vel condigna Principis sustentatio spectatâ ejus dignitate, statu, & meritis in rempublicam, quòd si Princeps tributum diutius continuet vel plùs imponat quàm necessitas exigat, aut ludo, luxu, conviviis aliterve inutiliter absumat, tenetur damnum illatum refarcire tantumdem solvendo ex suis in subsidium communitatis, aut si ex suis non habeat, tenetur parciùs vivendo tantundem congerere, quantum sufficit ad reparandum damnum, servato tamen statu suæ dignitati congruo, quòd si periculum sit in morâ & tributa malè absumpta pro nunc à Principe compensari nequeant, tenebitur populus nihilominus contribuere, sic exigente bono communi, ita tamen ut Princeps ad meliorem fortunam deveniens pro
4. damno debeat satisfacere. 3. Debita proportio, ita ut divites plus contribuant, quàm egeni, & ii magis graventur, quos causa magis concernit, hinc contributiones quæ esculentis & aliis ad quotidianum usum necessariis, aut etiam singulis capitibus imponuntur debent esse moderatæ, ita tamen ut major pars tributorum sumatur ex fundis & mercibus, aliàs enim pauperes, qui sæpe numerosam habent familiam, si non plus saltem æqualiter cum divitibus gravantur. 4. Ut tributum 5.
imponatur solis subditis, indirectè tamen & per accidens tributo gravari possunt etiam non subditi v. g. Peregrini & viatores, qui merces in provinciam invehunt vel avehunt, qui propterea justè coguntur solvere vectigalia, pedagia; hoc enim pacto illis conceditur jus mercimonii, jus transitûs. Item Clerici hoc ipso quòd vino frumento oleo & similibus imponantur collectæ, indirectè iis gravantur, quatenus ob impositam collectam ea coguntur cariùs solvere, directè tamen neque Clerici, neque eorum bona à laicis collectari possunt, quia ab eorum jurisdictione planè sunt exempti. Si verò bona laicorum non sufficerent ad levandam communem necessitatem, possunt Clerici cum licentiâ summi Pontificis aliquid contribuere, imò si agatur de speciali eorum commodo, ut si aliquorum agri inter quos etiam sunt Ecclesiastici, alluvione deperdantur, tenentur Clerici cum Laicis æqualibus pro ratâ sumptibus impetum fluvii cohibere, idem est de reparatione viæ, fontis, vel pontis illis specialiter proficuorum.

QUÆR. III. Qualis sit obligatio 6.
solvendi tributa? & an defraudantes tene-

teneantur ad restitutionem ? R. Multi cum *Navarr.* docent legem tributorum præsertim vectigalium respectu exterorum esse merè pœnalem nec obligare in conscientiâ, alii apud *Moya t. 1. q. 8. n. 6.* fatentur quidem gabellas obligare in conscientiâ, sed tunc tantùm quando exiguntur, hæc sententia vera est ubi sic habet consuetudo, tunc enim accedit tacitus superioris & populi consensus & plura ideo exscribuntur ; præscindendo autem à consuetudine probabilius est tributa deberi in conscientia ex jure naturæ & divino, etiamsi non exigantur, *Matth. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*; ad *Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. Ratio est*, quia tributa non debentur ut pœna sed ex justitia legali nec non ex tacito pacto, ut Magistratus & Principes suscipiant in se curam populi, econtra populus contribuat ea, quæ pro Principis sustentatione & bono communi sunt necessaria, ideoque qui tributa defraudant peccant contra justitiam & tenentur ad restitutionem, ita communior cum *Sporer*
7. *t. 5. c. 5. nn. 150.* Si tamen tributum communi famâ & persuasione populi reputetur iniquum aut non impendi ad communes usus, ut non rarò nunc contingit, non obligare docet *Sylvest.* V. gabella *3. q. 3. n. 29.* maximè si sit noviter impositum, imò plures quos citat & sequitur *Sporer nu. 154.* docent tributa non obligare in dubio positivo, quando scilicet est probabilitas pro & contra justitiam tributi ; Rationem dant, quòd in dubio debiti melior sit conditio debitoris possidentis rem suam, & ei qui petit, incumbit probatio debiti, atque subditus hic est debitor & possidet rem suam & Princeps non probat sufficienter justitiam tributi, ergo; neque in dubio parendum est superiori quando agitur de interesse superioris ipsius, & de spoliando subdito re possessâ, tunc enim superior in causa propria meritò præsumi debet partialis : hæc sententia verè est probabilis & tuta in praxi, opposita tamen videtur probabilior, nam in dubio debiti non semper est melior conditio debitoris, quando scilicet pro creditore seu Principe est præsumptio qui est in possessione potestatis exactivæ, & Princeps cum suis Consiliariis præsumitur de justitia tributi melius posse judicare, quàm quilibet privatus, ideoque ipsi parendum est, non enim agit rem suam sed communem; Nec obstat quòd etiam subditi sint in possessione suæ pecuniæ, nam possessio potestatis exactivæ prævalet sic exigente bono communi, ne quilibet in quolibet dubio vel probabilitate se tributis subducat.

QUÆR. IV. Quid circa subsi- 8.
dium charitativum ? R. seqq. 1. Tributo valde affine est subsidium charitativum, quod Episcopi à Clericis exigere solent. 2. Hujusmodi sub-

subsidium ut sit justum, debet esse moderatum & peti à Clericis Episcopo subjectis ex manifesta & rationabili causa v.g. ad defendendam Ecclesiam contra hostes, ad solvenda gravia debita, aut pro fabricâ Ecclesiæ pro profectione ad Concilium. *c. cum apost. c. conquerente de offic. ord. 3.* subsidium justum Clerici Episcopo subjecti solvere tenentur, & si nolint etiam excommunicationis censurâ compelli possunt, ùt colligitur ex *jurib. cit.* & quamvis *DD.* communiter à subsidio eximant Ecclesias regulares, praxis tamen quotidiana in hâc Colonienſi & aliis Diœcesibus docet contrarium. 4. Generales Ordinum tallias aut subsidia charitativa à suis exigere posse, si aliunde non habeant pro gubernatione ordinis necessaria, docent *Barbos. Pirh. L. 3. t. 39. n. 54. & ibid. Reiffenst. n. 23.*

9. QUÆR. V. Quæ hinc pro praxi sint deducenda? R. seqq. 1. Princeps ut licitè tributum exscribat, debet illi esse saltem probabilius illud esse justum, quia hic agit ut Judex qui tenetur sequi probabiliora secundùm dicta *Cas. 3. n. 8.* qualiter obligent tributa, & quæ conditiones ad eorum justitiam requirantur, constat ex dictis. 2. Ut etiam Consiliarii licitè Principi tributum consulant, aut approbent, debet illis probabilius esse, quòd tributum sit justum, quia sic exigit bonum commune, & ipsi tunc sunt quasi judices inter Principem & subditos, ùt dixi *Cas. cit. n. 20.* consulere vel approbare tributum injustum nunquam licet, est enim suadere peccatum: an verò Status, Consiliarius, & similes quorum est tributa approbare, saltem metu gravis mali vel mortis tributo injusto licitè subscribere valeant, non est planè compertum; probabilius videtur, quòd non; quia hoc reipsa est approbare, ratificare, & confirmare gravissimum alterius peccatum, & injustam subditorum oppressionem estque reale & nocivum mendacium, nam subscribere est in facto testari & dicere tributum esse justum quod tamen scitur esse injustum, ideo enim exigitur subscriptio *V. Cas. 20. n. 16.* imò nec videntur se absentare posse, tenentur enim ex officio stare pro bono communi & Principi injustitiam tributi remonstrare & dissuadere, ad hoc enim accipiunt dicetas vel salaria, si tamen ex suâ contradictione nullum sperarent fructum, sed tantùm sui odium & persecutionem; ab aliquibus non improbabiliter excusantur. 3. Executores tributorum pos- 10
sunt præsumere ea esse justa, ideoque licitè ea exigere, quamdiu non adest moralis certitudo de injustitiâ, sicut miles tamdiu potest militare, quamdiu non est certus de injustitiâ belli: *Ratio est*, quod cujuslibet privati non sit judicare de justitiâ tributi vel belli, & in dubio an lex sit justa obtemperandum sit superiori

juxta

juxta communem Theologorum. 4. Princeps vel Magistratus injustè agit, si aliquos à tributis eximat totum onus reliquis relinquendo, nisi ejusmodi exemptio fiat ex causa in bonum commune redundante v. g. ob merita in remp. vel factam reipublicæ compensationem. 5. Pauperes
11. qui solvendo tributa se & familiam suam alere non possunt, aut in gravia debita inciderent, excusantur ob impotentiam & ideo quæstores possunt ab iis non petere, *Sylv. in resolut. p. 2. V. restitutio. Cas. 4.* Econtra si exactores tributa justa non exigant ab iis, qui solvere possunt vel dissimulant, aut se corrumpi sinunt, peccant tam ipsi, quàm corrumpentes contra justitiam cum obligatione restitutionis, quia sunt causa injusta talis damni: si verò tributum sciatur esse injustum possum corrumpere exactorem, ut mecum dissimulet, sicut possum latroni offerre partem pecuniæ ut non tollat totam, hoc enim est redimere injustam vexam. 6. Qui defraudavit 12.
gabellas non tenetur propterea merces infra commune pretium vendere, quia pretium taxandum est secundum onera quæ communiter omnes subeunt, quamvis unus vel alter ea non subeat. 7. Communiter hìc monent Theologi, ut quando non satis constat, quòd tributa sint justa aut ad bonum commune impendantur, ante factum subditi hortandi sint ut solvant, id enim exigit reipublicæ pax & debita principi obedientia; post factam autem tributi defraudationem si pœnitens sibi saltem probabiliter persuadeat tributum esse injustum (ut in tantâ tributorum multitudine hodiedum facilè contingit) ad compensationem non sit condemnandus.

# CASUS XXVIII.

## De injustitiâ distributivâ.

HAbius dubitat 1. *Quid sit acceptio personarum.* 2. *An ad beneficia Ecclesiastica sub mortali sit eligendus dignior.* 3. *An ad officia sæcularia.* 4. *An liceat aliquid promittere pro beneficiis.* 5. *An vendere officia vel aliquid accipere ut inter æquè dignos unus præferatur.* 6. *An liceat officia dare cognatis.* Pro resol.

QUÆR. I. Quid circa injusti- 1.
tiam distributivam. R. Injustitia distributiva consistit in *acceptione personarum*, quâ in distributione bonorum communium, in collatione beneficiorum, officiorum, in judiciis, in honoris exhibitione attenditur

non ad merita personæ & utilitatem communem sed ad circumstantias impertinentes, v. g. consanguinitatem, amicitiam, potentiam, munera, &c. hoc vitium est ex genere suo mortale, adversatur enim bono communi & prohibetur *Eccl. 42. ne accipias personam ut delinquas.* Jacobi 2. *si autem personas accipitis, peccatum operamini.* Dixi bonorum communium, id est ad communitatem pertinentium, nam acceptio personarum locum non habet in bonis propriis, hæc enim cuilibet pro libitu dari possunt, cùm uni non magis debeantur quàm alteri; aliàs enim Deus esset acceptor personarum quando peccatoribus maximè
2. indignis suas dat gratias. 2. Peccat mortaliter non tantùm is qui ad beneficia Ecclesiastica assùmit vel promovet indignum, sed etiam qui relicto notabiliter digniore præficit dignum, est communissima cum *D. Th. 2. 2. q. 63. a. 2.* & quoad beneficia majora curam animarum habentia velut Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Decanatus, Parochias nunc omnino certa ex *Trid. Sess. 24. c. 1. de reform.* ubi dicit *eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Idem magis confirmat propositio 47. ab Innoc. XI. damnata: quoad beneficia minora & simplicia etiam communis est sententia, ea sub peccato conferenda esse dignioribus, & ratio est eadem, quia id exigit bonum commune & fidelitas eligentis vel conferentis beneficium, electio tamen vel præsentatio digni relicto digniore est valida, ùt dicam *Cas. 80. num. 20.* 3. Ex eâdem ratione dignitates, munia, & officia sæcularia dignioribus sub peccato conferenda sunt, cùm enim hujusmodi officia non spectent ad Principem vel collatorem, sed ad communitatem, cujus ipsi sunt Administratores, peccant contra officium & fidelitatem communitati debitam, conferendo ea minùs digno si dignior commodè haberi possit, sicut contra fidelitatem & justitiam peccat Oeconomus, qui relicto eo servo, qui potest annuè lucrari 100. conducit eum qui potest tantùm lucrari 50. conferens beneficium vel officium indigno vel ei; qui creditur illud malè administraturus, tenetur ad omne damnum reipubl. vel Ecclesiæ inde obveniens, ad nihil autem tenetur digno vel digniori prætermisso; quia ante actualem collationem vel præsentationem nullum habent jus rigorosum, sed tantum majorem dignitatem ad officium vel beneficium; dignior autem hic dicitur non præcisè, qui doctior, sanctior, vel nobilior est, sed qui consideratis circumstantiis personæ, loci, temporis, incolarum, &c. communitati, vel Ecclesiæ cui præficitur, creditur fore utilior,
3. Ex

lior, ideóque si Ecclesia vel respublica indigeat defensore contra hostes, cæteris paribus potentior eligendus erit utpote dignior, si agatur de conservanda inter cives pace, inter dignos dignior erit, qui magis à populo diligitur, si ad necessitatem publicam vendantur officia, dignior reputatur qui inter æquales plùs obtulerit.

4. QUÆR. II. Quæ hinc inferenda pro praxi? R. seqq. 1. Dare vel promittere pecuniam vel quodcunque pretio æstimabile in ordine ad impetrandum sibi vel suis beneficium Ecclesiasticum, est simonia jure divino & naturali prohibita, & omnis provisio ex tali promissione facta est ipso jure nulla, ùt ex professo dicam *Cas. 66.* 2. Officia sæcularia 5. vendi possùnt, si concurrant hæc quatuor: 1. Supremi Principis authoritas. 2. Capacitas seu dignitas ementis. 3. Pretium moderatum, ut emens ad recuperandas expensas non cogatur abuti officio. 4. Utilitas communis. Sed quid si Princeps Ministro det potestatem inter æquè dignos eligendi quem voluerit, an possit accipere pecuniam ut hunc eligat præ illo. R. Posse nisi Princeps vel lex illud prohibeat, quia unus non habet majus jus quàm alter, & *Ratio est*, quia eligere hunc præ alio æquè digno est pretio æstimabile & in liberâ potestate eligentis constitutum, ergo pro eo potest accipere pecuniam: neque fit injuria reipublicæ quia confertur æquè digno nec dignior haberi potest ùt suppono, neque fit injuria offerenti pecuniam quia hic recipit rem pecuniâ æstimabilem: *Dices 1.* Neque Princeps neque ejus Minister est Dominus beneficiorum sed tota communitas, ergo Minister pro tali officio non potest acceptare pecuniam sine consensu communitatis, venderet enim rem alienam sine consensu Domini. 2. Est acceptio personarum, quia unus præfertur alteri ob circumstantiam ad bonum commune & capacitatem personæ impertinentem scilicet ob pecuniam. 3. Ut officia licitè vendantur debent vendi pro interesse publico non privato. 4. Sunt multæ leges id prohibentes, quas adducit *Sanch. L. 2. cons. c. 1. dub. 56.* R. *ad 1.* Minister non est quidem Dominus officii, est tamen Dominus suæ electionis, & hæc est pretio digna, adestque consensus saltem præsumptus Principis, & communitatis, cui per talem acceptationem nullum fit præjudicium. *Ad 2. n. ass.* acceptio personarum tunc tantùm locum habet, quando ob causam impertinentem præteritur dignus vel dignior. *Ad 3.* Ut officia promiscuè & nomine communitatis vendantur, debet pretium cedere ad interesse publicum, non autem semper. *Ad 4.* Illæ leges vel non sunt usu receptæ vel loquuntur de distributione pecuniæ ex justitiâ debitæ vel alterius

æquivalentis, non verò de distributione officiorum *Lugo de just. d. 34. num. 35.* cujus disparitatem dabo *Cas. 55. nn. 18.* 3. Magistratus, Gubernatores &c. gravissimè peccant si officia communia faciant quasi hæreditaria pleraque conferendo suis age vel cognatis non sine periculo turbarum & seditionum; tunc enim consanguinei quamvis alioquin scientiâ & virtutibus cæteris pares vel etiam superiores, minùs forent digni, quia pro conservanda communi pace minùs utiles. 4. Si exorta seditio aliter componi non possit quàm submovendo priores officiantes, hi non tantùm licitè amoveri possunt sed & debent sic exigente bono communi, fructus tamen percepti vel commeriti illis relinqui debent, uti & restitui pretium ex communi ærario; si officia illis pro bono communi vendita fuerint, possentque in tali casu illis substitui à plebe postulati, etsi sint minus digni, vel etiam inhabiles eâ tamen conditione, ut intra breve tempus se qualificent vel vedditâ reipublicæ pace officia dignioribus cedant. Ratio horum est conservatio vel restitutio pacis publicæ.

6.

## CASUS XXIX.

### De furto,

JAson Neo-Theologus examinatur 1. *Quid sit furtum.* 2. *Quotuplex.* 3. *Quale peccatum.* 4. *Quæ sit materia gravis.* 5, 6. 7. 8. *Qualiter solvantur contraria.* 9. *An furtis assueti peccent mortaliter furando rem levem.* 10. *An plura furta levia faciant unum grave.* 11. *An post illatum grave damnum quid leve auferens semper peccet mortaliter & quid si à diversis modica auferas.* 12. 13. *Quid si fiat cum aliis.* 14. *Quid si alter ex ablatione rei levis multum sit contristandus.* 15. *Quid si plures servi jussu Domini auferant multa modica.* 16. *Quid si quis inadvertenter complevit materiam gravem.* 17. *An modica per longa intervalla coalescant?* Pro resol.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit furtum? R. 1mò: Furtum est *injusta & occulta rei alienæ contrectatio*, hoc est acceptio vel detentio Domino rationabiliter invito. *Dicitur 1mò: contrectatio occulta*, nam si fiat Domino vel illo, qui loco Domini rem tenet præsente, & reluctante, cum aliquo metu vel violentiâ; dicitur rapina, quæ distinctam habet malitiam à furto ob violentiam quam infert, *S. Th. q. 66. a 4.*

Di-

dicitur *2. rei alienæ*, quæ scilicet est sub alterius dominio vel quasi dominio, unde non tantùm admittis furtum, si Petro aufers rem Petri, sed etiam si eidem auferas rem tuam ipsi in pignus datam, quia pignus est creditori obligatum, & sub ejus quasi dominio: dicitur *3. Domino rationabiliter invito*, hinc furioso volenti occidere licitè aufers gladium, item libros hæreticos non habenti facultatem eos retinendi, quia non possunt esse rationabiliter inviti.

2. R. II. Furtum aliud est *simplex*, aliud non *simplex*, quod præter rationem furti adhuc aliam habet malitiæ speciem velut rapina de quâ jam dixi & Sacrilegium seu furtum rei sacræ vel rei non sacræ è loco sacro; item furtum aliud dicitur *qualificatum*, quod habet speciale nomen & pœnam in jure, ut *peculatus* seu furtum rei ad Principem seu fiscum pertinentis, *plagium* quod est furtum hominis liberi & inviti; *abigeatus* seu abductio pecorum è grege; aliud denique vocatur *manifestum* in quo scilicet fur præsente inclamatione & persecutione cum re furtivâ eodem die deprehenditur antequam eò deveniat, ubi cum furto manere constituerat; aliud *non manifestum*, in quo fur non ità deprehenditur.

3. QUÆR. II. An & quale peccatum sit furtum?

R. Furtum esse peccatum est de fide ex præcepto 7mo decalogi, *non furtum facies*; est autem ex objecto seu genere suum mortale, ità ut manendo intra speciem furti absque hoc quòd adveniat nova species malitiæ v. g. Sacrilegii vel rapinæ, possit quis peccare mortaliter, utì iterum certum est; directè enim furtum repugnat charitati & justitiæ, quis enim dicet furantem 100. imperiales non peccare mortaliter; fit autem furtum veniale vel etiam nullum peccatum: 1. Ratione indeliberationis vel ignorantiæ, ùt si quis vel bonâ fide vel cum levi culpâ ignoret hanc rem esse alienam, vel credit Dominum non esse invitum; 2. Fit veniale ex parvitate materiæ, quænam autem materia constituat hic peccatum mortale vel veniale, non ex solâ quantitate rei ablatæ æstimandum est; sed simul ex circumstantiis personæ ditioris vel egentioris, damni majoris vel minoris inde secuti: Recta enim ratio dictat esse gravius peccatum auferre solidum pauperi quàm eundem auferre ditissimo Principi, & ùt ait *D. Thom. opusc. de erudiendis Principibus L. 7. c. 8.* in amissione unius gallinæ plus pauper gravatur, quam multum dives gravaretur in mille marcis, & cùm in hâc materiâ multum practicâ Theologi diversissimas ineant vias, aliis nimiùm rigorosè, aliis nimis laxè materiam gravis furti determinantibus.

QUÆR. III. Quæ sit materia furti gravis?

R. Esse diversissimas hâc in re

doctorum sententias, quas refert *Dicast. L. 2. t. 2. d. 9. n. 17.* sed his omissis dico: Illa qualitas videtur esse materia gravis & sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ in unum diem sufficit ad sustentationem hominis, cui res ablata est, per sustentationem autem hic intelligitur id, quo homo ad victum, amictum & habitationem pro sola sua persona indiget, quia autem consideratâ cujusvis hominis conditione unus pro sustentatione plùs requirit quàm alter v. g. Rex plùs quàm Princeps, Princeps plùs quàm nobilis, aut mercator, & hi plùs quàm plebei, hinc etiam major quantitas statuenda est respectu unius quàm alterius, & in specie respectu Regis, & quorumvis etiam ditissimorum sufficient duo ducati, respectu Principis unus ducatus, respectu nobilis vel mercatoris valde divitis unus imperialis, respectu mediocriter divitis medius, respectu rustici una tertia vel quarta pars, respectu pauperis unus solidus; quia hæc videntur respectu horum sufficere pro unius diei sustentatione. *Laym. Lib. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 3. Spor. t. 5. c. 5. n. 29. Croix L. 3. p. 1. à n. 984. Metzger tr. 12. d. 40. a. 1. n. 7.* & in re consentiunt *Angel V. furtum n. 34. Sylv q. 2. Lopetz p. 1. c. 92. Vasq. Valent. d. 5. q. 6. Ratio est*, quia gravitas furti æstimanda est, tum ex damno illato, tum ex voluntate Domini ægrè ferentis rem sibi auferri, furtum enim est ablatio rei alienæ invito Domino; sed est grave damnum auferre rem æquivalentem sustentationi unius diei, sicut esset grave damnum aliquem privare uno die victu, amictu & habitatione, & Dominus quoad hoc rationabiliter graviterque censetur invitus, datúrque ei justa causa gravis tristitiæ, indignationis, ac solvendæ amicitiæ, ergo.

*Objicies* 1. Duo ducati non videntur sufficere pro sustentando rege, uno die, ergo malè statuuntur pro materiâ gravis furti respectu regis *Conf.* 1. Videtur irrationabile si Rex propter amissionem duorum ducatorum graviter contristaretur aut solveret amicitiam. 2. Rex debet potiùs velle amittere duos ducatos, quàm velle, ut proximus illos accipiendo graviter peccet, ergo non est rationabiliter invitus. *R. ad 1. n. ass.* nam loquimur de sustentatione solius personæ secluſa aulæ pompa *ad 1. & 2. conf. n. ass.* Rex meritò indignatur & invitus est etiam quoad duos ducatos, si enim tam notabilem summam furari liceat uni, licebit omnibus, quod cedet in gravissimum reipublicæ præjudicium, quòd fur peccet ipsius malitiæ tribuendum est, nec ideò tenetur quis ei permittere rem suam, & certè si argumentum teneret, nullus quoad qualemcunque quantitatem posset esse invitus, imò quò res esset notabilior eò minùs deberet esse invitus, eò enim magis fur peccaret, quid absurdius? 5.

*Obji-*

6. *Objicies* 2. Solidus pauperis in communi æstimatione non plùs valet quàm solidus divitis, item pauper non habet majus jus in suum solidum, quàm dives in suum, ergò utrique fit æqualis injuria & æquale damnum & per consequens æquale peccatum contra justitiam, etsi magis peccetur contra charitatem auferendo pauperi, ità *Illsung. R. ad 1. n. c.* damnum non tantùm judicatur ex valore quem res ablata habet in æstimatione communi, sed etiam ex utilitate quam adfert habenti, ergò cùm solidus sit pauperi utilior, quàm diviti, cùm pro eo possit habere congruam unius diei sustentationem, eum auferendo ei fiet majus damnum & gravior injuria. *ad 2. R. dist.* pauper non habet majus jus materialiter conc. formaliter n. jus formaliter spectatur secundùm utilitatem & necessitatem habentis, jus autem in unum solidum non est tam utile & necessarium diviti quàm pauperi; cum per carentiam unius solidi pauper fiat multò miserabilior quàm dives, ùt constat ex q. 2. ideoque per ejus ablationem pauperi fiet major injuria.

7. *Inf.* 1. Qui homini diviti in famâ detrahit dicendo, v. g. de viro valde honorato quòd sit fur vel mendax, non minùs imò plus peccat, quàm si id dicat de milite vel alio homine exiguæ famæ, ergò etiam minùs peccat, qui furatur diviti quàm pauperi. *R. n. conseq.* argumentum probat pro nobis, nam sicut in detractione non debet tantùm attendi, quid dicatur, sed etiam de quo & cui, ex hoc enim augetur vel minuitur damnum, sic & in materia furti, & sicut injuria major est de homine honorato dicere, quòd sit mendax, quia majus patitur damnum in famâ, sic major injustitia est furari solidum pauperi, quia majus damnum patitur in fortunâ.

*Inf.* 2. Si materia gravis respectu nobilis v. g. sit imperialis, ergò qui furatur imperialem minùs uno obulo non peccabit mortaliter. R. aliqui concedunt seq. ex eâ ratione, quod si maneat mortale, & si dêsit unus obulus, ergò etiam manebit mortale, si desint duo, ergo etiam si tres, & sic deinceps, usque dum deveniam ad materiam certò levem vel ad determinatum obulum qui necessariis sit ad constituendum mortale: alii *communiùs* negant sequelam, quia parvum pro nihilo reputatur & Dominus moraliter censetur æquè invitus sive unus obulus plus sive minus auferatur, quod non tenent, si desit pars notabilis v. g. una tertia. 8.

QUÆR. IV. An & quando furtum in materia levi fiat peccatum mortale? 9.

R. Id fieri tribus præcipuè modis. 1. Per intentionem furandi seu injustè acquirendi rem gravem, unde furtis assueti quamvis rem levem furentur plerumque tamen peccant mortaliter, quia ordinariè habent intentionem furandi quantum pos-

possunt, item qui injusto pondere, mensurâ vel ulnâ intendunt se locupletare, in singulis defraudationibus etiam minimis peccant mortaliter, quia singulæ fiunt ex proposito acquirendi materiam notabilem, idem est de caupone, qui solet modicum aquæ vino admiscere. *Less. de just. L. 2. c. 12. d. 7.* 2. Fit grave per multi- 10.
plicationem non quòd multa furta levia simul sumpta faciant unum peccatum mortale, sed quòd illud furtum, quo ultimò completur materia gravis sit peccatum mortale, quia conjunctum cum prioribus infert & complet grave damnum v. g. ter furatus es solidum ter peccasti venialiter, si addas furtum quartum hoc furtum est mortale, quia jam injustè accipis & detines medium imperialem, quem suppono esse materiam gravem respectu mediocriter divitis, intellige nisi solidos prius ablatos jam restitueris, vel saltem ad materiam levem restituere intendas, tunc enim non uniuntur in ratione gravis damni, *Sotus L. 5. q. 3. a. 3. Vasq. Valent. Salon. 22. q. 66. a. 6.* & plures apud *Sanch. Dian. Lug. d. 16. an. 38.* sed quid si pro non possis tres solidos prius ablatos restituere, & tamen fureris quartum per quem completur materia gravis. R. Vel habes voluntatem saltem conditionatam priores solidos restituendi si aliquando potueris, & non peccabis mortaliter, quia nec approbas prius damnum, neque injustè detines materiam gravem cùm velis eam restituere quando poteris, secùs si hanc voluntatem non habeas, & hâc ratione conciliantur *DD.* pro & contra sentientes. Quid denique si illato jam 11.
gravi damno iterum quid leve fureris ab eodem vel tertio? R. Si non habeas animum priùs ablata restituendi saltem usque ad materiam levem & tamen advertas ad hanc obligationem peccas mortaliter toties quoties, quia vis augere & de novo retinere materiam notabilem injustè ablatam sive ab eodem sive à tertio; si verò non advertas, peccas tantùm venialiter, ùt per se patet; quod si res parvæ à diversis auferantur, requiritur ad mortale dimidio & juxta *Lugo* duplo major materia, & ut primum devenitur ad materiam notabilem peccatur graviter, quamvis enim nulli fortè in particulari gravis fiat injuria, fit tamen communitati, vel saltem injustè detinetur res aliena notabilis cum gravi obligatione eam restituendi, *Sot. Lop. Salon. Navarr. Sanch. Less. Laym. Lug. L. cit.* & plures cum *Dicast. n. 64.* 3. Si plu- 12.
res communi consilio, consensu & probabiliùs etiam exemplo se moveant ut quivis modicum vinum, modicam pecuniam auferat, paucas uvas decerpat, ità tamen ut simul sumpta faciant materiam gravem, peccant singuli mortaliter, quia singuli suo consilio vel exemplo influunt moraliter in totum damnum, si verò invicem se non moveant, non

pec-

peccant graviter rem levem auferendo, quamvis sciant ab aliis rem levem vel gravem jam esse ablatam vel auferendam; *Ratio est*, quia tunc non sunt causa neque physica neque moralis damni ab aliis illati, sed tantùm illius quod ipsi inferunt, *Sotus 4. de just. q. 7. a. 3. Medina, Less. l. 2. c. 12. d. 9. Salon. q. 2. a. 7. Sanch. l. 7. mor. c. 21. n. 22, Lug. n. 55. Croix n.* 13. *1001. Si dicas:* Qui vulnerato infligit leve vulnus ex quo moritur, item qui ferè ebrio præbet ultimum haustum ex quo inebriatur, peccat mortaliter; ergo etiam qui post levia furta per alios facta superaddit novum, per quod completur damnum grave. R. *N. C.* mors & ebrietas consistunt in indivisibili, puta in privatione vitæ & rationis, & ante ultimum vulnus (idem est de ultimo haustu respectu ebrietatis) nequidem pars mortis extitit, sed tota mors seu vitæ privatio sequitur post vulnus ultimum, & ideo quamvis priora vulnera etiam tanquam concausæ disponant ad mortem, tamen tota mors moraliter tribuitur vulnerationi ultimæ, econtra damnum grave v. g. imperialis ablatus non consistit in indivisibili, neque totum sequitur ad ultimum furtum, quod suppono esse unius v. g. solidi, sed major ejus pars jam præcessit, & causata est per alios absque influxu ultimi furtuli, & certè si paritas teneret, magis peccaret, qui furatur ultimum solidum, quàm qui furatus est priores septem; suppono enim hos respectu hominis valde divitis esse materiam levem, imperialem verò esse materiam gravem, consequens autem quis admittet? 4. Auferens rem exiguam v. g. florem rarum & singularem, monetam 14. cupream sed valde antiquam & charam, primos fructus ex arbore speciali affectu expetitos ad honorandos v. g. amicos vel offerendos Ecclesiæ, ex quorum amissione prævidet Dominum graviter contristandum, & ità fore invitum, ac si res magni momenti fuisset ablata, peccat mortaliter, non quidem contra justitiam, quia nullum grave damnum infert in rebus fortunæ, ùt suppono, sed contra charitatem propter gravem tristitiam & molestiam alteri immerito causatam, & si prævideat propterea lapsurum in blasphemias, vindictas, etiam peccat peccato scandali, *Less. Layman, Sporer l. c.* 5. Si plures servi jussu Domini auferant, vel singuli iniquè consumant 15. exiguum quid, quamvis ipsi non peccent mortaliter, si se invicem non excitent, vel moveant, Dominus tamen postquam à servis simul sumptis materia gravis accepta vel consumpta est, peccat mortaliter, quia mandando est causa moralis totius damni. 6. Qui multoties par- 16. va, sive ab eodem, sive à diversis auferendo complevit materiam gravem etiam inadvertenter & absque intentione diteſcendi, vel magnam summam acquirendi, tenetur eam

restituere, etsi non peccaverit mortaliter, quia totum damnum seu omnes partes damni scienter intulit, idque certum est, si res accepta adhuc in se vel in æquivalenti existat; aliàs enim injustè detineret rem alienam notabilem, ùt dicam suo loco.

17. 7. Si per longa intervalla singulis v. g. mensibus modicum quid præsertim à diversis auferatur, id juxta plures non coalescit in unum grave furtum, sed verius est tandem coalescere, quia manet damnum datum & obligatio restituendi, & quidquid per vices accedit, auget prius damnum & obligationem restituendi; requiritur tamen dimidio vel duplo major materia, prudentis judicio metienda, quia domini ejusmodi furta minùs sentiunt & minùs sunt inviti. *Tamb. L. 8. t. 2. c. 3. Croix n. 1011.*

# CASUS XXX.

## De furtis Conjugum.

KAndria materfamilias quærit ex Confessario. 1. *An ipsa vel domestici aliquid insscio marito surripientes peccent, & quæ hic sit materia gravis.* 2. *Ad quem spectet dos, bona paraphernalia, antiphernalia, superlucrata.* 3. *An maritus bona dilapidans aut uxor surripiens teneantur ad restitutionem.* 4. *Quid liceat uxori si maritus sit absens, fatuus, vel non det medicinas, eleemosinas, ornatus muliebres &c.* 5. *Quid si maritus sit dives.* 6. *Quid si maritus rogatus facilè consentiret, aut ipsa acquisivit ex parsimonia.* 7. *An excuset larga dos ab uxore allata.* 8. *An marito bona communia vel dotem dilapidante uxor possit uti occultâ compensatione, quid si dos casu pereat.* Pro resol.

QUÆR. I. Quid circa furta domesticorum in genere? 1.

R. Seqq. 1. certum est domesticos, id est uxorem, proles, servos, ancillas peccare contra justitiam cum obligatione restitutionis, si marito, patre vel hero rationabiliter invito aliqua surripiant, major tamen requiritur materia, ut peccetur mortaliter, quia respectu horum domini sunt minùs inviti, quàm respectu extraneorum, & quidem communiter maritus censetur minùs invitus respectu uxoris, cum qua facit unam civiliter personam, quàm pater respectu filii, & pater minùs respectu filii, qui est aliquid patris, quàm respectu servi. 2. Quantitas sufficiens ad mortale ex re ablata & ex circumstantiis judicanda est, minùs enim

invi-

invitus est Dominus dives, liberalis, amicus, quàm avarus, pauper, parum amans, minùs si domestici furentur esculenta, quàm si pecunias, minùs si res communis, quam si rara, minùs si furentur ad proprios usus, quàm ad dandum aliis, minùs si consumant quàm si vendant &c.

QUÆR. II Quid circa bona & furta conjugum?

2. R. 1. Bona conjugum sunt quadruplicia, 1. Est *dos* seu illud quod uxor dat viro ad sustinenda onera matrimonii, hujus dotis dominium naturale habet uxor, dominium verò civile seu usumfructum & administrationem maritus, nisi in dotem detur res mensurata v. g. 100. maldera hordei, vel æstimata v. g. domus assignato ejus valore & pretio, tunc enim maritus fit dotis Dominus, eò quòd talis traditio dotis habeat vim emptionis, ideóque omne periculum dotis ad maritum pertinet, ità ut si dos quomodocunque pereat, maritus soluto matrimonio teneatur pretium æstimatum vel rem mensuratam in eo valore, quem tempore traditionis habebat, restituere; quem in finem uxor habet hypothecam privilegiatam præ omnibus creditoribus in omnia bona mariti. 2. Sunt bona uxoris *paraphernalia* seu propria, quæ uxor ex hæreditate, legato, aut labore familiæ non debito acquirit; horum dominium, ususfructus, & administratio, nisi consuetudo loci aliud habeat, est penes uxorem. 3. Sunt *bona antiphernalia* seu contradotalia, quæ maritus assignat in recompensationem dotis; horum dominium & administratio est penes maritum, ususfructus vel penes uxorem vel penes maritum, prout iterum habet consuetudo. 4. Sunt *bona communia* & superlucrata; quæ quoad usum & administrationem spectant ad solum maritum, quoad jus autem & dominium ex mediâ parte ad uxorem, ità ut maritus ea notabiliter dilapidando non tantùm peccet mortaliter, sed etiam teneatur ad restitutionem; alii tamen non improbabiliter sustinent, superlucrata pertinere ad solum maritum, sicut illa ad solam pertinent uxorem, quæ ipsa per suam industriam aut ex censu paraphernalium lucratur, per consequens dicunt maritum, si ea dilapidet, non teneri ad restitutionem, & sic habere consuetudinem testatur *Croix Lib. 3. p. 1. n.* 1020.

3. R. II. Circa furta & injustitiam inter conjuges tenenda sunt seqq. 1. Maritus si dilapidet vel notabiliter vitiet dotem, vel bona propria uxoris, vel etiam communia, peccat graviter contra justitiam cum obligatione restitutionis. Econtrà si uxor ex bonis, quæ mariti dominio vel administrationi subsunt, ipso rationabiliter invito notabile quid auferat, peccat mortaliter cum obligatione restituendi ex bonis propriis paraphernalibus, si habeat, vel post mortẽ mariti ejus hæredibus ex dote vel

aliunde acquisitis. *Ratio est* : quia maritum injustè privat dominio aut administratione; dixi marito rationabiliter invito, nam si maritus consentiat, aut propter diuturnam absentiam, morbum, vel fatuitatem uxor vel simul vel sola familiam gubernet, & bona administret, ipsa facere potest honestas donationes, eleëmosinas, & omnes expensas, quas vir gubernans rationabiliter faceret, vel facere deberet, aut si vir in victu, amictu, medicinis, donatiunculis, honestis recreationibus ea irrationabiliter neget, quæ in simili casu à patribus familias ejusdem conditionis concedi solent, non peccat uxor ea ad illum finem accipiendo; idem est si maritus opulentus, sed tenax nullas daret eleëmosinas nequidem ordinarias, aut proximis præsertim cognatis in gravi vel extremâ necessitate constitutis non subveniret, illa ejus defectum ex bonis communibus supplere posset, *D. Th. in 4. dis. 15. q. 2. a. 5. March. trib. 2. tit. 4. sect. 2. Sylv. Molin. Less. L. 2. c. 12. dub. 14.* quia ipsa jure divino data est marito non in ancillam, sed in adjutorium, & in defectu mariti ad ipsam spectat gubernare familiam, & maritus non tantùm tenetur uxori dare præcisè necessaria ad victum & vestitum, sed etiam quæ pertinent ad honestas recreationes, & decentes eleëmosynas & ita habet consuetudo, quæ uxori jus certum tribuit teste *Dicast. n. 198.* pro pace 4. tamen domesticâ suadendum est uxori ut in his marito obediat, & marito ne se minùs rigidum exhibeat &c. Si verò maritus det sufficientes eleëmosynas, aut sit tenuis fortunæ, tunc ipsa ex propriis si habeat, parentibus, fratribus, vel prolibus ex priori thoro subvenire debet, vel si id faciat ex bonis mariti tenetur ex dote suâ hæredibus mariti, nisi hic remiserit, damnum compensare *Nav. Less. dub. 18. n. 88. 2.* Quamvis *Dian. p. 2. t. 15. resol. 34.* cum *Bannes* & aliis dicant uxorem divitis singulis annis posse auferre vigesimam partem totius lucri & reditûs annui, impendendam in eleëmosynas & honestas donationes, id tamen non videtur admittendum, si maritus sit liberalis in dandis eleëmosynis & concedendis uxori honestis pro statu donatiunculis, aut si uxor acciperet in ordine ad usus vanos vel illicitos; ad hos enim maritus magis est invitus; & quis dicet maritum etiam divitem annuò v. g. habentem 100. millia, non esse graviter invitum, si uxor ad usus præsertim profanos vel illicitos furetur annuò 5. millia. 5. 5. Non peccat uxor, si accipiat aliqua, quæ maritus facilè & certò concederet, si rogaretur, quia adest licentia præsumpta & plerumque justa causa petendi, ne se ostendat velut ancillam; similiter non tenetur ad restitutionem si quid iniquè accepit, sed maritus prudenter præsumitur 6. restri-

restitutionem condonasse *Molin. d. 274.* & alii communiter. 4. Si maritus bona communia dilapidet, uxor licitè subducit ea, quæ sibi & familiæ prudenter credit fore necessaria, quia bona communia ex mediâ parte ad ipsam spectant, & in defectu mariti ipsius est providere familiæ. *Navarr. Molin. Dicast. nu. 203.* 5. Uxor licitè retinet ea quæ per parsimoniam reservat ex iis, quæ maritus ei pro vestitu vel familiæ sustentatione ad certum tempus liberaliùs assignavit, quia reputantur fructus industriæ. *Palud. Nav. Molin. d. 234.* 6. Non excusat uxorem
7. à furto quòd largam attulerit dotem, nam quamvis propterea ad mortale requiratur major quantitas, eò quòd maritus tunc censeatur minùs invitus, quàm si nullam aut exiguam dotem attulisset, tamen non excusatur à mortali, si ad notabilem
8. materiam pervenerit. 7. Si maritus bona communia vel superlucrata dilapidet, potest uxor in illis locis, in quibus saltem per consuetudinem certum jus habet ad medietatem se per occultam compensationem servare indemnem, multo magis familiæ reponere necessaria; similiter si maritus dotem ab uxore allatam absque spe recuperationis dilapidet vel negligat, potest uxor ex bonis mariti sibi maturè providere de indemnitate, aut si maritus post mortem bona propria relicturus sit ex iisdem ante omnes creditores petere solutionem dotis quia de jure habet hypothecam privilegiatam in omnia bona mariti ad assecurandam dotem, si tamen res dotalis non mensurata neque æstimata sine culpâ mariti periisset v. g. domus casu conflagrasset, ad nihilum teneretur maritus, neque ejus hæredes, quia res dotalis tunc mansit sub dominio uxoris, ideoque & huic periit, secus si res dotalis fuerit mensurata v. g. 50. plaustra vini aut domus certo pretio taxata, tunc enim dominium & periculum rei etiam casuale ex dispositione legum transiit ad maritum.

## CASUS XXXI.

### De furtis filiorum, servorum, &c.

JAbin filiusfamilias dubitat 1. *Qualiter disponere possit de bonis castrensibus, quasi castrensibus, adventitiis, profectitiis.* 2. *An & qualiter surripiens aliquid de bonis paternis teneatur restituere, & quid si fratres etiam sint furati vel pater credatur remissurus si rogaretur vel restitutionem non petat.* 3. *Quæ hic sit materia gravis.* 4. *An filio laboranti pro patre debeatur salarium, & si non detur, occultè*

*cultè compensare possit.* 5. *Quid si servi pecunias, esculenta, &c. surripiant, aliis donent,* 6. *Labori se subtrahant, ægrotent vel servitium deserant.* 7. *Fragmenta rei elaborandæ retineant,* 8. *Aut aliquid ex pretio rerum pro Domino emptarum sub prætextu, quod mercatores remiserint.* 9. *Vel expensas fecerint.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid circa filiosfamilias eorumque bona? ℟. 1. *Filiusfamilias* dicitur qui est constitutus sub patriâ potestate, *patria potestas* est jus à legibus introductum, quod pater vel unus ex ejus ascendentibus habet in filium vel procreatione vel saltem rescripto Principis legitimum & in certa ejus bona, sive filius sit naturalis sive adoptivus in quacunque ætate donec emancipetur, emancipatio olim fiebat multipliciter, modò censetur filius emancipari per hoc, quòd uxorem ducat, & seorsim habitet.

℟. II. Bona quæ filius habere potest sunt quadruplicia, 1. *Castrensia,* quæ filius in castris sive ex testamento, donatione, aut legato à commilitonibus facto, sive ex peculio castrensi aut etiam ex famulatu regis acquirit. 2. *Quasi castrensia,* quæ quidem in castris non acquiruntur sed in jure habentur quasi castrensia, qualia sunt, quæ filius acquirit ex officio publico Judicis, Doctoris, Advocati, Syndici, Medici, Prætoris, ex Clericatu, donatione Regis, propriâ parsimoniâ, &c. horum bonorum uti & præcedentium filiusfamilias si pubes sit plenum habet dominium & administrationem, ideoque de his pater filio invito disponere non potest; bona *adventitia,* quæ filio adveniunt per artes mechanicas, fortunâ, donatione, hæreditate vel legato ex lineâ maternâ, horum dominium directum est penes filium, dominium utile penes patrem, si tamen res sit usu consumptibilis, ùt pecunia, frumentum, &c. tenebitur pater ad restitutionem si eis utatur, quia filius erat eorum Dominus proprietarius. 4. Bona *profectitia* sunt quæ filius accipit à patre vel intuitu patris, horum dominium & ususfructus est penes patrem, nisi fortè pater dederit filio aliquid in patrimonium vel ad suscipiendos S. Ordines.

QUÆR II. Quid circa furta filiorumfamilias? ℟. seqq. 1. Peccat filius si patre invito aliquid surripiat ex bonis quæ sunt sub patris dominio vel administratione, ùt certum est ex illo Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre & dicit hoc non esse peccatum particeps homicidæ est*; teneturque restituere ipsam rem ablatam si adhuc existat vel æquivalens ex bonis castrensibus vel quasi castrensibus si habeat, vel si non habeat, deducere in divisionem hæreditatis cum fratribus, nisi fortè & hi similiter sint furati, aut hi aut pater remittat vel certò credatur remissurus si rogaretur, quem præ ve-

re-

recundia rogare non audet, *Nav. Leſs. dub. 13. n. 7. Dicaſt. n. 184.* aut ſi pater aut fratres ſciant nec ſatisfactionem petant cenſentur condonare, *Burghab. cent. 2. Caſ. 36.* 2. Pro materiâ neceſſariâ ad mortale filii reſpectu patris valde divitis & benefici ab aliquibus non improbabiliter ſtatuuntur 20. vel 30. aurei, ſi filius ſit unicus & non impendat ad uſus illicitos, aut tales, in quibus pater omnino ſcitur eſſe invitus: reſpectu patris mediocriter divitis 3. vel 4. aurei, ab aliis plùs ab aliis minùs, tu prudens Confeſſarie id non tantùm ex re acceptâ ſed & ex facultatibus patris, ejus liberalitate, & affectu in filium, ex liberorum pluralitate, ex accipientis ætate & uſu dijudica, ita ut conſcientiam non nimium laxes, nec temerè ſcrupulum peccati mortalis in- 4. jicias. 3. Quamvis poſſit pater filio in domo paternâ laboranti laborem ſuum ſpecialiter compenſare abſque hoc quòd aliis filiis faciat injuriam, ad hoc tamen non tenetur ex juſtitiâ, *Sylv. V. Peculium 1. qu. 12. P. Navarr. L. 3. c. 1. n. 76. Moya. t. 6. d. 4. n. 41. Laym.* & alii apud ipſos contra *Barth. Leſſ. Lopetz. Dicaſt. n. 187. Ratio eſt*, tum quia opera induſtrialis filii ex jure & conſuetudine debetur patri, tum quia filius à patre habet victum, amictum, inſtructionem & curam paternam, neque pater ſe filio obligavit ex contractu ſicut ſervo conductitio, ergo non eſt unde oriatur obligatio juſtitiæ, multò minùs poterit filius ejuſmodi laborem ſibi occultè compenſare, occulta enim compenſatio locum non habet niſi quando debitum eſt certum, hic autem ad ſummum eſt probabile. 3.

QUÆR V. Quid circa furta famulorum, opificum, &c. R. ſeqq. 1. Certum eſt & hos ſi invito aliquid notabile furentur, peccare mortaliter cum obligatione reſtituendi, vel ſi non habeant ſaltem per extraordinariam diligentiam, laborem, & obſequia compenſandi, reſpectu tamen famulorum etiam aliquantò major quantitas requiritur æſtimanda ſecundùm opulentiam & liberalitatem Domini ac circumſtantias *Caſ. præc. nu. 1.* inſinuatas. 2. Quamvis multorum ſit ſententia, minuta domeſticorum furta in alimentis non coaleſcere in materiam gravem, eò quòd Domini tantùm videantur inviti quoad modum ſi domeſtici ea conſumant, ſi autem extraneis donent vel vendant, certum eſt etiam invitos eſſe quoad materiam, quod ſemper videtur dicendum, ſi materia tandem fieret notabilis etiam in eſculentis præſertim pretioſioribus & extraordinariis, etiamſi ipſimet domeſtici ea abſumant, quis enim credat Dominum non eſſe invitum quoad ſubſtantiam ſi ſervus multa pretioſa electuaria, aut etiam mediam vel integram melioris vini amam intra annum abſumeret? 3. Servi ſæpiùs partem temporis labori debito 5.

bito subtrahentes furtum & quidem mortale committunt, quamprimum per ejusmodi negligentiam damnum grave Domino illatum fuerit; an verò famuli qui ante tempus servitium deserunt, vel ex eo dimittuntur amittant integrum salarium, & qualiter tempus absentiæ vel ægritudinis iis subtrahi possit dicam *Cas. 57. n. 15.* Item an operam suam plu-
7. ribus elocare possint, ibid. *n. 14.* 4. Famuli, opifices, sartores, textores, molitores, aurifices, surripientes fragmenta & reliquias materiæ sibi ad elaborandum traditæ peccant, prout supra dictum est de furtis minutis factis eidem vel diversis, nisi forsan fragmenta sint tam exigua, ut Domini non censeantur ea curare, vel tacitè remittere, eò quòd non repetant cùm facilè possint. 5. Si mer-
8. cator sartori vel famulo pro hero aliquid ementi partem pretii remittat vel aliquid donet, ut potiùs à se quàm ab alio emat, possunt id per se loquendo retinere, si tamen alibi idem minoti pretio habere possint Domino injuriam faciunt, idem est si rigidiùs mercando aliquid de communi pretio subtrahant, & sibi retineant, *Ratio est*; quia non suo sed nomine committentis emunt, ergo pars de pretio subtracta non ipsis sed committenti debetur; 6. Si 9.
tibi, amico vel famulo committatur, ut alteri frumentum pretio indeterminato vel determinatè tribus aureis emas, tu autem industrius emas duobus & medio, non potes medium aureum tibi retinere, quia liberè hanc industriam posuisti, si tamen expensas fecisti, vel minoris emeres, v.g. ivisti ad remotiorem urbem, poteris has expensas compensare saltem ex præsumpto Domini consensu, quia hæ expensæ ei fuerunt utiles, *V. Cas. 41. n. 24.*

## CASUS XXXII.

### De Causis à furto excusantibus.

MAbbo varia aufert. 1. *Sub prætextu necessitatis gravis vel quasi extremæ.* 2. *Non obstante quod Dominus rei sit in necessitate simili.* 3. *Aut res sit valde pretiosa,* 4. *Eam habere potuerit, labore, emptione, mutuo, vel humili petitione.* 5. *Et habeat alibi in re vel in spe.* 6. *In extremâ necessitate consumit res sibi commodatas, depositas, mutuatas.* 7. *Excusat se titulo occultæ compensationis.* 8. *Quia aliàs cogetur famulos dimittere vel ipse famulari.* 9. *Quia aliter liberari non potest à pœnâ carceris vel capitis.* 10. *Quia non recepit dignum labori suo stipendium.* 11. *à suo debitore mutuum accipit ani-*

*animo compensandi, etsi juratò promiserit mutuum reddere.* Pro resol.

1. QUÆR. I. Quæ Causæ excusent à furto? R. 1. Excusat necessitas *extrema*, quando scilicet est certum periculum amittendæ vitæ vel membri principalis, morbi incurabilis, extremæ infamiæ, vel timetur malum morti æquivalens, non tamen excusat necessitas *gravis*, quâ non extremum sed grave malum in corpore, fama, vel fortuna timetur, ùt jam certum est ex Prop. 36. ab Innocentio XI. damnata: *Permissum est furari non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.* Pars prima etiam est communis & certa cum *D. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. & q. 32. a. 3. Bannes ibid. dub. 2. Soto. Medin. Valent. d. 3. q. 9. p. 4.* Ratio est, quòd res temporales datæ sint à Deo tanquam media ad conservandam vitam, ergo vitâ periclitante proximus rationabiliter invitus esse non potest quominus ea tibi illum in finem usurpes, & hoc sensu in extremâ necessitate fiunt omnia communia: divisio enim bonorum jure gentium introducta est, obligatio conservandi vitam est juris naturæ. *Dices* furari est intrinsecè malum, ergo nulla necessitas potest furtum facere licitum. R. C. totum, necessitas non facit furtum licitum, quia furtum essentialiter fit domino rationabiliter invito; sed necessitas impedit furtum, quia facit ut dominus non possit esse rationabiliter invitus. Idem tenet de necessitate *quasi extrema*, seu de periculo proximo necessitatis extremæ. *Lugo d. 16. n. 154.* & certum esse dicit *Sporer t. 5. n. 103.* Accipe tamen sequentes limitationes. 1. Si possessor 2.
rei in simili extremâ necessitate existat vel per tuam ablationem in eam incideret, non potes rem ejus accipere, quia tunc melior est conditio possidentis, ex eâdem ratione si tu rem alienam v. g. triticum sive bonâ sive malâ fide apud te detineas, in extremâ necessitate illud consumere poteris, quamvis dominus rei sit in eâdem, quia tu possides & ordo charitatis id exigit vel saltem permittit, *Less. lib. 2. c. 16. n. 14.* 2. Probabilius 3.
non licet privato in extremâ necessitate surripere rem valde pretiosam, v. g. tria vel quatuor aureorum millia, maximè si hæc necessaria sint ad conservandum statum domini, *Lugo àn. 148. Ratio* est, quia dominus rei tunc rationabiliter est invitus, non enim obligatur ex charitate plùs expendere pro conservandâ vitâ alienâ, quàm propriâ, non tenetur autem conservare vitam propriam per media valde pretiosa & extraordinaria. *v. Cas. 18. n. 4.* 3. Si rem necessariam 4.
habere possis labore, emptione, mutuo, humili petitione, non potes eam furari, quia non est necessitas accipiendi aliena, quando aliquis sibi proprio labore, mutuo vel petitione subvenire potest: sed quid si extremè indigens ex erubescentia nolit petere, an peccet mortaliter rem notabilem auferendo, negant *Less. Sporer n. 18.* Econtra pro certo affirmat *Coninq dis. 27. de char. dub. 10. n. 158.* Sed videtur distin-

distinguendum ; si auferas à Paulo rem quam Petrus erat paratus dare si peteres, peccas mortaliter, quia Paulus meritò est invitus ut ab illo fureris rem, quam ab alio facili petitione obtinere poteras, secùs si eam fureris à Petro, quia hic quoad rem supponitur non esse invitus, utpote eam
5. daturus si rogaretur. 4. Si extremè indigens habeat alibi, vel saltem in spe unde solvere possit, non potest rem alienam accipere gratis, sed accipere debet sub onere mutui seu sub obligatione transactâ necessitate restituendi nisi res sit exigua, quam Dominus prudenter credatur concedere gratis, idque certum esse dicit *Lugo n. 170.* quia necessitas non exigit rem dari gratis, quando alter habet unde per mutuum sublevari posset, sicut non obligat ad dandum dominium rei, quando necessitas solo usu tolli potest, ut patet, aliàs enim indigens equo meo ad effugiendam mortem non teneretur illum cessante periculo reddere, si verò pauper sit re & spe, res vel usus rei dandus est gratis ut
6. dixi *Cas. 17. àn. 6.* 5. Qui in extremâ necessitate consumit quod antea acceperat commodatum, depositum, & probabiliter etiam furto ablatum, si tempore consumptionis nihil habeat in re neque in spe, non tenetur restituere, quod consumpsit, etsi expost præter spem fiat melioris fortunæ, quia si res mansisset apud Dominum, poterat eam accipere & consumere absque obligatione restituendi, ergo & existentem apud se; aliud est, si res transiisset in accipientis dominium ut res mutuò accepta, quia tunc manet obligatio prioris contractûs & indigens non consumpsit rem alienam, sed propriam. *Less. sup. n. 9. Dicast. l. 2. de just. t. 2. d. 19. n. 273.*

Nr. II. A furto excusat occulta *compensatio*, quâ creditor ex bonis debitoris clam tollit quantum sibi novit deberi ; *S. Thom. q. 66. a. 3. ad 5. Valent. Lugo d. 16. n. 86. Dicast. n. 89. Ratio est*, quia non peccatur in re cùm res ex justitiâ debeatur, neque in modo dummodo serventur sequentes conditiones : 1. Ut id quod accipitur sit debitum ex justitia & non tantùm ex charitate vel gratitudine. 2. Debitum debet esse certum, & liquidum, non autem dubium aut tantùm probabile, quia tunc melior est conditio possidentis, possessio enim est certum jus retinendi, contra quod nulla valet probabilitas. 3. Debet viâ juris aut alio modo sine notabili damno vel molestia aut sine gravi offensione & inimicitiâ debitum recuperari non posse, defectus hujus conditionis plerumque tantùm erit veniale, nisi alia incommoda inde oriantur. *Dian. To. 1. tr. 2. R. 48.* 4. Debet fieri ex bonis creditoris, non autem ex re alienâ apud debitorem depositâ vel ad ipsum missâ & nondum acceptatâ, imò si debitor apud te ipsum rem suam deposuisset, non posses tuum debitum ex re depositâ
7. com-

compensare in foro externo, *c. bona fides, 2. de depositis, L. ult. Cod. de depos.* potest tamen in foro interno si debitum certum aliâ viâ recuperari non possit *Sylv. V. compensatio q. 2. Laym. hic c. 9. n. 10. Pirh. L. 3. Decret. tit. 16. n. 11. Reiffenst. ibid. nu. 19.* 5. Si commodè possit, debet fieri ex rebus ejusdem speciei cum re debitâ, aliàs enim debitor sine causâ cogetur rem suam permutare. 6. Cavendum est damnum temporale, & spirituale debitoris, hinc moneri debet, de extincto debito, tum ne maneat in mala voluntate non solvendi, tum etiam ne ipse vel hæredes ejus idem debitum cogantur bis solvere; hæc tamen monendi obligatio non est ex justitia, quia usus es jure tuo, sed ex charitate, à qua excusaris, si sine læsione amicitiæ, famæ vel alio incommodo monere non possis. 7. Debet caveri damnum proximi habentis fortè jus prælationis in re in qua fit compensatio. 8. Debet caveri periculum infamiæ, ne ipse vel alius tanquam fur traducatur nisi fortè gravis vel extrema necessitas excuset, tunc enim licet uti jure suo, & alterius damnum ex gravi causa permittere. 9. Debet compensatio fieri in bonis ejusdem ordinis, hinc si quis te injustè diffamavit non potes hanc injuriam compensare surripiendo pecuniam, quia hæc bona sunt incommutabilia & fama per pecuniam non recuperatur. *Dices 1.* Lumen naturæ dictat, quòd nemo debeat esse Judex in propria causa. 2. Quòd reus non debeat condemnari inauditus. 3. Quòd non liceat injuriam propriâ authoritate vindicare. R. *N. assumpta,* nam quando debitum est certum & Judex adiri non potest, nihil obstat quo minùs ipse jus meum defendam accipiendo rem ex certa justitia debitam idque recta ratio tunc exigit, quia non adest aliud medium procurandi æqualitatem justitiæ, neque hoc est seipsum vindicare sed rem æquivalenter suam recipere: Nec refert, quòd occultus compensator in foro externo præsumatur fur, nam hoc inde fit, quia Judex ignorat adesse omnes conditiones requisitas. Ex dictis

*Infer* seqq. 1. Nobilis è statu suo excidens ita ut famulos & equos cogatur dimittere, aut artem mechanicam exercere, honestus civis mendicare, artifex instrumenta sua vendere, hi omnes sunt in gravi necessitate, si verò rationabiliter timeant sibi proximè defutura vitæ necessaria sunt in gravi necessitate urgente seu quasi extrema; in qua per se & alios aliena sibi necessaria surripere possunt, etiam adhibitâ vi si rogati dare nolint, aut resistant: quia habent jus rigorosum, ne impediantur accipere rem sibi extremè necessariam. 2. Si necessitas levari possit per occultam compensationem è rebus debitoris fa- 8.

ctam, vel per mutuum; non est licitum auferre res alienas nisi forte abesset omnis spes reddendi mutuum tunc enim non tenetur magis damnificare offerentem mutuum, quàm quemvis alium; neque in extrema necessitate, licitum est plùs accipere, quàm necessarium est pro levandâ necessitate, 3. Si quis justè
9. v. g. ob delicta timeat carcerem perpetuum vel etiam condemnari ad mortem famis, est quidem in extrema necessitate, sed sicut tunc nemo tenetur ei succurrere sed ob bonum justitiæ publicæ carcerem vel mortem ejus potest permittere; sic nec ipse ad sibi succurrendum aliena rapere potest; si verò injustam mortem vel carcerem timeat, utique rapto alterius equo fugere potest; ita tamen ut periculum elapsus equum restituat & si possit Domino equi de damnis obinde illatis satisfaciat. 4. Famuli quamvis judicent
10. mercedem suam esse iniquam tamen ex bonis heri sui eam compensare non possunt, nam Innoc. XI. damnavit hanc 37. prop. *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè suis heris surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt. Ratio est*: quia tale debitum vix unquam est certum; sponte enim pro tali mercede famulari promiserunt; & herus eorum operâ fortè non indiguit, vel alios pro eadem mercede habere potuit, aut per instructionem, spem promotionis vel recommendationis laborem compensavit, ergo non est certum quòd illis quid amplius ex justitia debeatur, nisi ab hero vi, metu vel fraude fuissent coacti ad laborandum pro iniquo stipendio vel cogerentur ad laborem non conductum, tunc enim illis certa fieret injuria, quam cogens teneretur re- 11.
parare. 5. Si Petrus tibi debeat 100. ex mercè venditâ, & ipse illubenter solvat, licitè ab ipso accipis centum mutuò animo compensandi, & quamvis juratò promittas eos certo die solvere adhuc poteris uti compensatione, quia compensatio est revera solutio, cùm per eam remittatur jus æquale debito: si tamen ex-vel implicitè jurasti non compensare, eò quòd Petrus forsan aliâ conditione mutuum dare noluerit; debes stare juramento, quod servandum est, quandocunque licitè servari potest; *Lugo n. 117.*

CASUS

# CASUS XXXIII.

## De injustitia in bonis corporis & speciatim de occisione sui & Innocentis.

NOrca *Virgo per nimias abstinentias vitam abbreviat. 1. 2. Et si medici dicant pro conservatione vitæ vinum, maritum, scissionem rupturæ esse necessaria, nihilominus ea admittere renuit. 3. 4. Se Tyranno offert imò rogat, ut pro fide orthodoxa occidatur. 5. Peste infectis cum periculo vitæ inservit. 6. Tempore incendii ex alto se præcipitat. 7. In mari constituta ne in manus hostium incidat petit à militibus ut navim incendant. 8. De crimine multum anxia seipsam judici fistit, & timore tormentorum occulta vera & falsa fatetur. 9. Ad laqueum condemnata intendebat illum ipsum sibi injicere, & ut citius suffocaretur jejunare. 10 Sed à custode carceris dimissa & impregnata ne occidatur vel infametur abortum sub prætextu, quòd fœtus sit mortuus vel nondum animatus pharmaco aut immodico saltu causat 14, 15. 16.* Pro resolut.

QUÆR. I. An aliquando liceat se ipsum occidere vel mutilare?

1. R. I. Nunquam licet se ipsum occidere directè, id est ex proposito & intentione, excepto unico casu quo Deus ipse hoc juberet: Omnes cum *D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5.* hoc enim esset contra jus Dei, qui solus habet dominium vitæ & necis, contra charitatem propriam, contra bonum generis humani, cujus indicium tollitur.

R. II. Neque licitum est se ipsum occidere indirectè ponendo scilicet actionem vel omissionem ex quâ prævideatur secutura mors, nisi gravis hoc agendi vel omittendi causa excuset, unde deduces 1. Non peccare Carthusianos cùm in omni morbo & periculo vi voti carnes respuunt *Dian. p. 1. t. 2. R. 29.* ubi excusat omnes, qui amore virtutis renuunt bibere vinum vel edere carnes, & si peritus medicus dicat, sic vitam ad 10. annos protrahi posse, quia prolongatio vitæ est incerta, & justa causa abstinendi imò experientia docet per moderata jejunia, abstinentias & mortificationes vitam potiùs protrahi, quàm abbreviari, econtra qui per indiscretas macerationes vitam notabiliter minuunt peccant mortaliter, sicut qui vitam infantis minueret animo citiùs eum ad cœlum mittendi. *Pet. Nav. Laym. hic. n. 5. Dicast. d. 10. n. 545. 2.* Peccant peccato homicidii, qui sine gravi causâ

se probabili vitæ periculo exponunt, veluti funambulones imperiti, duellantes aut venenum sumentes ad experiendam virtutem theriaci, non sumptâ prævie experientiâ in bruto,
3. 3. Graviter peccant, qui nolunt se à mortis periculo liberare, quando possunt facili medio, sumendo v. g. in lethali morbo medicinas ordinarias; dico medio facili, nam remedia
4. nimis sumptuosa vel difficilia v. g. sciſſionem calculi vel rupturæ, abscisſionem brachii, tibiæ &c. nemo pro conservatione vitæ admittere tenetur, ut docet communis cum *Less. L. 2. c. 9. dub. 13. n. 96.* ideóque nec videntur à Superiore etiam religioso præcipi posse, nisi remedium foret certum & talis homo bono communi necessarius, similiter excusatur puella, quæ ad videndas & tangendas partes verecundas renuit admittere medium, quia hæc sunt remedia extraordinaria & sæpe magis difficilia quàm ipse morbus; unde etiam excusantur, qui pro vita conservanda nolunt ducere uxorem, patriam vel domicilium cum magno incommodo mutare &c. 4. Gloriosum est amore Dei pro tuendâ fide vel aliâ virtute se mortis periculo exponere, imò se Tyranno sponte offerre, si id exigat honor Dei & proximi ædificatio, ut constat exemplo plurium SS. Martyrum, secus si id nec Deo gloriosum, nec proximo sit utile sibique in fide & charitate non satis firmato periculosum, ideóque pessimè agunt, qui temerè idola confringendo vel in hæreticos declamando se ipsos periculo & Ecclesiam majoribus persecutionibus exponunt, & adversariis iniquè sæviendi occidendique ansam præbent; multò minus licebit petere vel suadere Tyranno, ut se innocentem pro fide vel republica occidat, hoc enim esset suadere, & rogare, quod alter sine peccato facere non potest. 5. Licitum & maximè meritorium est se amore proximi vitæ periculo exponere, serviendo, invisendo, Sacramenta administrando, ægris peste infectis aut alio morbo contagioso laborantibus, item se objiciendo telo vel ictui ad servandum Principem, parentem vel personam bono communi necessariam, id enim excusat amor boni communis & reverentia in Superiores & parentes: an verò vitam alterius proximi liceat præponere vitæ propriæ ei v. g. in æquali necessitate cedendo panem vel in naufragio tabulam, vel se supponere in vicem amici injustè occidendi, disputatur in utramque partem probabiliter; *Verjus Tamb. L. 6. c. 1. §. 1. n. 5.* docent id non licere, quia in pari casu ordo charitatis videtur exigere, ut plus diligatur vita propria quàm aliena, à potiori si amicus meus foret justè condemnandus, non possem me ejus loco supponere, esset enim judicem inducere ad condemnandum innocentem. 6. Ad evitandam 6. 7. mortem crudelissimam à Tyranno miti-

minitatam vel ab incensa domo aut navi imminentem licitè te dimittis in terram vel in aquam cum manifesto vitæ periculo *Lug. d. 10. sect. 2. n. 50.* quia hoc non est directè se occidere vel mortem intendere, sed velle minus periculum præ majori aut crudeliori, quin ipsa bruta instinctu naturæ se talibus modis salvare nituntur, inquit *Less. dub. 6.* idque certum esse judico, si sit aliqua spes vitæ per præcipitium conservandæ; at quid si ex præcipitio nulla sit spes vitæ, an ad evitandam mortem v. g. crudelissimam ex incendio imminente adhuc liceat se præcipitare? pro affirmativâ quam timide sustinet *Lugo.* est, quòd quamvis præcipitatio sit certò conjuncta cum morte, tamen illa non intenditur, sed intenditur sola evasio mortis crudelioris ideóque est tantum occidere se indirectè, quod ex gravissimâ causa licet; *prob. à pari*, quamvis transfossio iniqui transgressoris foret conjuncta cum certâ ejus morte, quia tamen non intenditur, sed sola vitæ propriæ conservatio, ideo ejusmodi transfossio tanquam homicidium indirectum est, licita ergo & præcipitatio etsi certò conjuncta cum morte propriâ. Pro *negativa* est 1. Si Tyrannus minetur excidium urbi, nisi Petrum Innocentem è turri sine spe vitæ præcipites, non licet præcipitare, quia esset directè occidere Innocentem, ergò nec teipsum metu exustionis. 2. Metu incendii vel ut dolores ignis non sentias, non potes te sclopeto trajicere, guttur præsecare, ergo nec è turri dejicere, si enim guttur præsecare sit directè se occidere, cur non se præcipitare, cùm utrumque ùt supponitur sit ex se & infallibiliter cum morte conjunctum; responderi tamen posset *ad 1. n. c.* Tyrannus intendit per præcipitationem Petri mortem Innocentis, ergo si in hoc ejus petitioni satisfacias, directè occidis innocentem, aliud est si Tyrannus te incluserit ad mortem crudelissimam, vel eam exspectes ab igne imminente & tu sponte te è turri dimittas, tunc enim nec tu nec Tyrannus præcipitationem intendit ùt medium ad mortem, sed ùt medium mortem qualitercunque evadendi, *ad 2.* similiter *n. c.* qui sibi guttur præscindit, ut non sentiat dolores incendii, intendit immediatè ipsam mortem, ùt medium non sentiendi dolores ignis, præcipitans verò intendit evadere mortem ditiorem etsi cum periculo novæ mortis quam vellet non sequi. Nec obstat: quòd præcipitatio sit infallibiliter conjuncta cum morte, nam trajectio injusti aggressoris etiam est infallibiliter cum ejus morte conjuncta, nec propterea dicor directè intendere ejus mortem, sed solam vitæ propriæ conservationem. 7. *Less. n. 32. Dicast. n. 583.* non improbabiliter excusant militem, qui ad evertendam turrim vel munimentum hostile incendit pulverem tormentarium, etsi prævideat se in

7.

momen-

momento opprimendum, item eum qui incendit naves ne eum magno reipublicæ damno in manus hostilem deveniant, etsi ipse vel sit simul exurendus vel saltem in mari submergendus. Rationem dant: quia est causa gravissima ejusmodi actionem ponendi & mors sequitur indirectè præter intentionem; sicut si in turri hostili sciantur existere personæ innocentes certò interimendæ, adhuc eam licebit incendere, vel in eam tormenta dirigere, quia illarum mors non intenditur. Exemplum exhibet S. Script. in Samsone, qui ut multos hostium sterneret columnas ædificii subvertit, cum inevitabili propriæ vitæ jacturâ. 8. Reus potest 9. se ipsum offerre judici ad pœnam capitalem & ab eo petere ut cum dignâ mortis pœnâ puniat, hoc enim non est se ipsum occidere, sed petere, ut judex exerceat actum justitiæ, quod potest & plerumque facere tenetur, *Lugo n. 38.* 9. Non peccat reus, qui ad declinandam gravissimam torturam fatetur crimen occultum verum, secus si falsum, quia tunc inducit judicem, ut ignoranter occidat Innocentem *Molin. d. 37.* 10. 10. Justè condemnatus ad mortem famis non tenetur admittere panem occultè oblatum, neque fugere etsi possit, sed potest amore justitiæ publicæ mortem permittere; si verò esset injustè condemnandus teneretur panem admittere & fugere, si posset, quia non est causa mortem iniquam permittendi, excipe casum martyrii quando honor Dei & fidei permissionem mortis exigit, *Tamb.* §. 2. *n.* 6.

11 Etsi reus justè condemnatus se 11. ipsum è mandato judicis probabiliter occidere possit sumendo v. g. venenum, incidendo sibi venam, è scala se dejiciendo, gladio vel sclopeto trajiciendo &c. Quia id non facit authoritate propriâ sed judicis, cujus ministrum agit *Tolet Haun. de just. t. n. n. 613.* tamen certum est ad hoc non teneri, quia nimis durum & crudele est hominem sui ipsius esse carnificem, imò nec potest, si Judex non mandet, ideóque strangulandus peccat, si jejunet, ut citiùs suffocetur, quia tunc occideret se authoritate propriâ, potest tamen omnia facere, quæ implicitè mandantur ùt genuflectere ad excipiendum ictum, scalam, vel rogum ascendere &c. *Dices* cum *Lugo*, nemo potest respectu sui exercere actum justitiæ, cùm justitia essentialiter sit ad alterum, sed occidere reum est actus justitiæ scilicet vindicativæ, ergo. 2. Judex non potest se ipsum judicare, ergo nec reus se ipsum occidere. 3. Vel judex justè mandat reo se occidere, vel injustè, si primum, reus erit obligatus obedire, & per consequens se occidere, quod est contra communem, si secundum obedire non poterit. ℟. *ad* 1. *dist.* punire reum est actus justitiæ inter judicem & rempublicam, cui judex ex quasi contractu obligatur *c. inter reum & se*

*ip-*

*ipsum*, ideóque reus se ipsum jussu judicis occidens, non respectu sui sed respectu reipublicæ, exercet actum justitiæ. *ad 2. n. c.* judex debet esse Superior reo judicato, nemo autem respectu sui. *ad 3.* judex ob causas id justè imperare potest, sed & reus ob nimiam difficultatem justè excusatur.

12. QUÆR. II. An aliquando liceat occidere Innocentem?

R. 1. Numquam id licet directè, seu ex proposito sive authoritate publicâ sive privatâ; *insontem ac justum non interficies, Exod. 23. v. 7. Ratio est*, quia solus Deus est vitæ humanæ Dominus, contra cujus jus peccat homo vel respublica aliquem innocenter sine mandato divino occidens; unde non licet occidere obsides, etsi eorum Principales non servent fidem; neque licet Magistratui occidere Petrum innocentem, etsi Tyrannus toti urbi minetur excidium, potest tamen Magistratus jubere Petro, ut pro communi bono se Tyranno sistat, aut si nolet eundem tradere in pœnam inobedientiæ. *Dices*: licet abscindere membrum etiam sanum de corpore, ut servetur totum corpus; ergo & civem de communitate, ut servetur communitas. *Confirmatur*, pro bono communi potest civis exponi manifesto vitæ periculo, ergo & occidi. R. *n. c.* unum membrum corporale in esse & vivere dependet à physico influxu alterius, non autem civis à cive, sed quilibet sicut habet esse adæquatè distinctum ab altero, sic & jus distinctum in suam vitam. *ad confirm.* R. 1. *retorq.* civis pro necessitate communi obligatur se vitæ periculo exponere, si jubeatur; ergo obligatur etiam se ipsum occidere; quod nemo dicit, R. 2. *n. c.* mandare ut cives pro conservandâ communitate se vitæ periculo exponant, spectat ad potestatem gubernativam, quam constat habere rempublicam, occidere verò est actus dominii in vitam hominis quod soli Deo competit, vel homini de ejus permissione, quam certum est non dedisse, sed econtra prohibuisse; an verò judex occidere possit eum, qui publicè probatus est nocens, etsi privatâ scientiâ sciat esse Innocentem, in utramque partem disputatur; affirmant *D. Thom. q. 67. a. 2. Cajet. Bannes. Valent.* sed ex ratione probabiliùs negant *Less. Nav. Sylv. q. 67. a. 2. Lugo d. 37.* quia hoc esset directè occidere Innocentem; nam sententia judicis directè præcipit mortem, & ipsa executio directè infert. *Nec dicas*: quòd judex directè tantùm intendat servare ordinem juris; nam *contra est*: quòd non detur ordo juris contra jus naturale, sed jus naturale vetat occidi Innocentem, ergo. Deinde ad minas Tyranni projicere in aquas infantem, est directè occidere, etsi projiciens intendat conservationem urbis, & ordo juris quem intendit judex est propter bonum communi-

tatis; ergo si pro ipsâ communitate servandâ non liceat occidere Innocentem, minùs id licebit ad servandum justis ordinem.

13. R. II. Neque licitum est indirectè Innocentem occidere, hoc est agere aliquid, ex quo præter intentionem mors Innocentis sequatur, nisi ex causâ gravissima. Unde resolves seqq. 1. Si iniquum aggressorem aliter fugere non possis, quàm in via angusta conculcando Innocentem, vel occidendo infantem, quo aggressor pro scuto utitur, non peccas; quia non intendis mortem Innocentis, sed solam vitæ propriæ defensionem. *Less. Lug. Tamb. L. c.* 2. Nullo casu
14. nequidem ad evitandam mortem vel extremam infamiam licet in se vel in alio directè procurare abortum, sive fœtus sit animatus, sive inanimatus, ùt nunc certum est ex propos. 34. damnatâ ab Innoc. XI. *licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. Ratio est*: vel enim fœtus est animatus & jam homo in corpore & anima occiditur, vel non est animatus & directè destruitur duplex semen & inchoata generatio; sicut ergo nullo casu directè licet destruere unum semen per pollutionem, sic multominus semen duplex per abortum; quandonam autem fœtus animetur est incertum, plerique medici censent fœtum masculinum animari circa diem à conceptione 30. vel 40. fœmineum verò circa diem 60. vel 80. qui concurrit ad abortum fœtûs animati, excommunicationem & irregularitatem incurrit; si fœtus certò sit mortuus & matri noxius, indubiè expelli potest; quia non ampliùs habet rationem fœtûs, sed humoris noxii; gravissimè peccat mulier si immodico labore, saltu vel intemperantiâ fœtui noceat, etsi hoc non intendat, sed solùm prævideat; ad servandam tamen vitam vel sanitatem si aliud medium non supperat, potest licitè adhibere medicinam de se non ordinatam ad expulsionem fœtûs, v. g. balneum, sectionem venæ, etsi per accidens etiam sequatur occisio fœtûs animati, quia si talis medicina non sumatur, periclitatur vita matris & simul infantis; si autem medicina aliter non conduceret ad sanitatem quàm expellendo fœtum, non liceret sumere, quia directè intenderetur expulsio fœtûs tanquam medium necessarium ad sanitatem, quod est intrinsecè malum. *Lugo n. 132.* 4. Ad evitandam infamiam vel
16. mortem ab extrinseco inferendam nequidem licitum est uti medicinâ, quæ indirectè tendit ad expulsionem fœtûs; *Ratio est*, quia talis medicina non prodest ad impediendam infamiam vel mortem ab extrinseco inferendam, nisi quatenus occidit vel expellit fœtum; ergo qui illam sumit directè, intendit expulsionem fœtûs.

15.

*Dices* 1. Saltem licebit directè ex-

expellere fœtum inanimatum, si ex eo mors matri immineat, quia talis fœtus est aggressor vitæ; sicut ergo possum occidere furiosum, qui vitam aggreditur, sic & fœtum expellere; si enim ex tali causa liceat interimere hominem jam generatum, cur non & fœtum expellere, qui est tantùm inchoata generatio. 2. Pro conservatione totius licet abscindere partem vel membrum etiam sanum, ut si pede vel manu ligatus atrocem mortem ab imminente igne, hoste, vel ferâ aliter effugere non possis; atqui fœtus est pars uteri, ergo. 3. pereunte matre certò peribit fœtus, ergo præstat expulso fœtu conservare matrem, quàm utrumque perire. R. Argumentum nimium ideóque nihil probare; probat enim licere expulsionem fœtûs etiam animati, item pollutionem & expulsionem veri seminis humani, si ex ejus nimietate timeatur mors, quia tunc semen aggreditur vitam; dicendum igitur sicut nullo casu licita est directè quæsita pollutio, eò quòd ob nimiam ejus delectationem & hominum in eam propensionem homines parum de generanda prole curarent, hâc delectatione contenti, non sine speciei humanæ detrimento; sic à potiori intrinsecè mala est fœtûs expulsio; si enim hæc aliquo casu liceret, majus esset periculum & confidentia fornicandi, à qua aliàs absterrere solet timor prolis partúsque futuri. In forma *ad 1. n. c.* directè expellere fœtum est intrinsecè malum ob rationem datam, non verò occidere aggressorem vitæ. *ad 2.* pariter dicam licitum esse expellere semen, quia magis est pars hominis quàm fœtûs; itaque *n. c. disp.* est quòd membrum corporis unicè & principaliter sit ad bonum totius, ideóque pro conservando toto licitè abscinditur, fœtus principaliter à natura non intenditur propter matrem, sed propter speciei humanæ propagationem. *ad 3.* dico iterum probari licere directam effusionem seminis veri sed periculosi, quia mortuo individuo etiam semen peribit; sicut igitur non licet conservare individuum per effusionem veri seminis, sic nec matrem per expulsionem fœtûs.

# CASUS XXXIV.

## Qualiter liceat occidere malefactores & injustos aggressores.

ORbius judex dubitat 1. *An liceat omnes malefactores occidere, an etiam Principem Tyrannicè imperantem. 2. An malefactor proscribi possit à quolibet liberè occidendus. 3. An occidi possit deprehensus in adulterio. 4. An occidi possit aggressor. 5. Quid si sit amens vel moriturus in mortali? 6. An adulter vel banditus queat se defendere, an malefactor vel etiam Innocens contra satellites. 7. Vel contra eum qui decrevit occidere; 8. An aggressus teneatur fugere. 9. An liceat occidere invasorem honoris vel pudicitiæ, 10. Aut bonorum temporalium. 11. Saltem si sint magni momenti.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. An liceat occidere malefactores?

R. Licet authoritate publicâ non privatâ, dummodo crimen sit morte dignum & noxium reipublicæ, & servetur ordo juris, est communis cum *D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 2. & 3.* partim contra *Waldenses*, qui id simpliciter negabant, partim contra *Scotum in 4. dist. 15. q. 3. a. 2.* qui id tantùm ad Casus in S. Scripturâ expressos extendit. *Prob.* quia Scriptura generaliter dicit: *maleficos non patieris vivere*, Exod. 22. & Apostolus ad *Rom.* 13. de principie ait; *non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ratio est*; quia illicitum esse non potest, quod ad conservandam socialem politicam & quietam hominum vitam est omnino necessarium; sed occidere malefactores reipublicæ noxios ita est necessarium, ergo: dixi authoritate publicâ; nam summè periculosum & intolerabile foret reipublicæ, si quilibet privatus malefactores occidere posset; unde resolves seqq. 1. Tyrannus injustè invadens regnum vel principatum à quolibet cive occidi potest, quia quilibet habet jus vim iniquam reipublicæ illatam propulsandi, idque fit non tam authoritate privatâ quàm publicâ ex communi reipublicæ consensu, *S. Th. Lib. 2. de regim. Principum c. 6.* regno autem jam quietè possesso Tyrannus vel etiam Princeps legitimus, sed tyrannicè imperans, à quolibet occidi non potest, ùt patet ex propositione Joannis Huss damnatâ in Conc. Constant. *Sess. 15. quilibet Tyrannus licitè potest à quocunque subdito interfici*; ideoque tunc ad Superiorem, vel si talem non habet, ad judicium publicum totius communitatis recurrendum erit; quæ illum regno privare poterit, si nolit ab in injuriis desistere; accepit enim Princeps vel Rex potestatem suam ab ipsa republica, non

in

in destructionem, sed ædificationem. *Suar. d. 13. de bell. Sect. 8.* & plurimi apud *Dicast. 501.* 2. Malefactores reipublicæ noxii à Principe vel Magistratu licitè proscribuntur à quibusvis liberè occidendi, etiam proposito occisionis præmio; quia tunc quilibet constituitur Minister publicus justitiæ; requiruntur tamen 4. Conditiones: 1. Ut scelus sit notorium, quod aliter puniri non potest; 2. Ut bannitus vel proscriptus non occidatur ex odio, vel privatâ vindictâ, sed ex zelo justitiæ publicæ; 3. Ut occisio non fiat extra territorium proscribentis, nisi Dominus territorialis expressè vel tacitè consentiat, qualiter semper consentire cum communi Juristarum docet *Dian. p. 5. t. 4. res. 24.* 4. Ut non fiat à Clerico, id enim prohibet Ecclesia *C. sententiam: ne Clerici*, neque à proximè conjuncto, patre, vel filio; id enim vetat reverentia & pietas, nisi gravissimum reipublicæ malum, quod rarum est, aliter averti non posset; tunc enim prævaleret bonum commune. *3tiò* licitè occidi non potest deprehensus in adulterio, etiam ab ipso judice, nisi servato juris ordine: patet ex propositione 19. ab Alex. 7. damnata: *Non peccat maritus propriâ authoritate occidens uxorem in adulterio deprehensam*; *Ratio est* Charitas Christiana & justitia; quibus maximè repugnat hominem adeo imparatum & impœnitentem citra ullam necessitatem non servato juris ordine occidi; leges civiles quæ videntur id permittere vel sunt iniquæ, & per jus Canonicum correctæ, vel tantùm remittunt pœnam homicidis debitam; aliud est de Bannitis, qui sunt hostes reipublicæ & aliter occidi non possunt; ùt supponitur.

QUÆR. II. An occidere liceat injustum vitæ aggressorem, *1y.* Licere servato moderamine inculpatæ tutelæ, ita ut non plus noceatur, quàm pro defensione vitæ est necessarium; ideoque si aggressus fugiendo, clamando, vel vulnerando possit se liberare, non licebit occidere; est communis & certa, tum ex utroque jure *L. 3. ff. de just. & jur. C. jus naturale dist. 1. C. significasti 2. de homicid.* ubi dicitur vim vi repellere omnia jura omnesque leges permittunt: tum ex Consensu DD. cum *D. Th. sup. a. 7.* *Ratio* sumitur ex ipsâ lege naturæ, & ordine charitatis, quibus quisque vitam propriam præferre potest alienæ, & sui defensor non tam occidit authoritate privatâ, quàm publicâ ab utroque jure concessâ, neque propterea directè intenditur mors, sed sola actio defensiva, ex qua præter intentionem mors tanquam effectus sequitur, sicut Medicus intendit solam sectionem venæ tanquam medium ad sanitatem, non verò dolorem vel debilitatem, quam ex sectione prævidet futuram, *Bannes, Salon. in 2. 2. q. 64. a. 7.* & ibid. *Sylv.* Ex dictis resolves seqq. *1mò.* Etsi in gratia constitutus ex Charitate vel pietate possit permit-

mittere mortem propriam, si invasor sit parens, filius, frater, superior vel persona reipublicæ necessaria, aut peccator in disgratia moriturus; ad hoc tamen non tenetur, quia ipse non est certus de statu gratiæ, & invasor se ipsum juvare potest, & tenetur desistendo à violentia. 2. Licitè occiditur aggressor, etsi per aggressionem formaliter non peccet, ùt furiosus, ebrius, amens, quia infert injuriam materialem gravissimam. 3. Adulter cum uxore deprehensus & propterea invasus à marito potest se defendere defensione etiam occisivâ si opus est, quia maritus nullum jus habet vitam
6. ejus aggrediendi. 4. Bannitus non potest se defendere contra aggressores vitæ in provincia proscribentis, neque malefactor vim inferre satellitibus se capere volentibus, quia justè aggrediuntur, imò quamvis quis innocenter esset capiendus ad mortem, satellites occidere non posset, nisi forent conscii ipsius innocentiæ, quia ita postulat commune bonum, ut Ministris officium publicum bonâ fide exercentibus vis non inferatur, *Steph. t. 4. d. 5. n. 10. 5tò*: Si aggressor inflicto vulnere fugiat, non licet eum in fuga lædere vel occidere, quia hoc non esset se defendere ab injuria futura, sed vindicare præteritam, 6. Quandocunque me ipsum justè defendo, aggressorem mutilando vel occidendo, etiam alius eodem modo
7. me posset defendere. 7. Si quis decrevit & paratus sit me occidere, sed nondum aggrediatur, occidi non potest, quia necdum vim infert; si verò aliquid agat vel proximè paret se ad occidendum, aut de facto struat insidias, non teneris exspectare primum ictum, sed potes prævenire; & si opus est occidere; *Lug. disp. 10. n. 157. Spor. t. 5. in decal. c. 2. n. 150. Metzger. t. 12. d. 27. a. 4. n. 2.* dicit, id esse certum, quia tunc adest præsens & actualis moraliter transgressio, v. g. latrones in via ante te & retro obsident, ut nullus sit effugii locus, quin prævenias occidendo; aut quis miscuit tibi lethale venenum, quod evitare non possis, quin artificio vel astu illud apponas vel propines ipsi authori; aut si Dominus convocet servos ad te occidendum, & fugere non possis quin occidas Dominum viam intercludere volentem, omnes hos licitè occidis, quia jamtum actu vitam aggrediuntur. Quod si aggressio nõ sit proxima & actu moraliter præsens, sed remota; v. g. nõsti pro certo quòd inimicus tuus decreverit te datâ occasione vel per se vel suos occidere, juxta Lug. & alios, adhuc poteris prævenire occidendo; sed in praxi non videtur id posse admitti, tum quia sic facilè turbabitur respublica aperiendo ostium ad patranda homicidia occulta, tum quia vix unquam deerit alius evadendi modus se v. g. præmuniendo, judicem implorando, animum inimici per amicos emolliendo, se ad tempus seducendo &c. *Less. Haun. t. 2 c. 6. cont. 4. Metzger n. 4. 8vò.* Non te- 8.
neris fugere invasorem, si per hoc gravem incurras ignominiam, ut si

sis

sis vir nobilis, vel persona militaris, hanc sententiam *Croix lib. 3. p. 1. nu. 803.* dicit communissimam. *Ratio* est: quia adest moralis necessitas se defendendi: Clericis verò & religiosis aut etiam laicis plebeis & vilibus rarò probrosum est fugere, imò nemini, etiam Principi vel nobili, si aggressor sit amens, ebrius, pater, filius vel superior, ideoque tunc erit fugiendi obligatio.

9. QUÆR. III. An liceat occidere injustum aggressorem honoris vel famæ? v.g. quis minatur vel nititur tibi, tuæ religioni aut familiæ inferre gravem calumniam, spargendo falsa crimina, falsò apud judicem accusando, testando &c. R. Non licere, idque nunc certum videtur non tantùm respectu Religiosorum & Clericorum, de quibus expressè loquitur propos. 17. ab Alex. VII. damnata, quæ sic habet: *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel suâ religione spargere volentem occidere &c.* Sed etiam respectu laicorum; nam propositiones sequentes loquuntur indefinitè; ut 18. ab eodem damnata; *licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum vitare*; & 3oma damnata ab Innoc. XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit*; *idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.* *Ratio* damnationis est, quia occisio infamatoris non est aptum medium propulsandi infamiam; vel enim calumniam intentatam in judicio idoneè probare potes, & tunc authoritate judicis sine homicidio honorem tueri teneris; vel non potes probare; & occidendo majorem incurres infamiam, quia traheris ad judicium & condemnaberis ut homicida; deinde occisio infamatoris ejus dicta non convincit falsitatis, ergo est ineptum medium recuperandæ vel conservandæ famæ: his non obstantibus, si quis velit tibi impingere alapam valde ignominiosam, nec absq; gravi dedecore fugere possis, aut quis velit uxorem vel filiam opprimere, rem magni momenti auferre, adhuc probabile est, quòd possis opponere gladium; si invasor vicissim opponat, jam non tantùm honorem, pudicitiã, aut bona temporalia, sed & vitam aggreditur, pro qua conservanda occidi poterit, *Carden. 2. crisi d. 21. c. 2. art. 4. Sotus, Navarr. Less. Lug. d. 10. n. 185. Cajet. Metzg. t. 12. d. 37. n. 8.* apud *Dicast. n. 66.* & specialiter pudicitiam contra quemcunque violentum stupratorem defendi posse, si opus est defensione occisivâ, præsertim si adsit periculum consensûs, uti plerumque adest, docet *Sylvest. Navarr. Valent. Dian. p. 2. t. 15. resol. 16. Sylvius q. 9.* & alii communiter.

QUÆR. IV. An liceat occidere invasorem bonorum temporalium? 10.

R. 1. Non licet pro conservatione rei exigui momenti, vel pro jure inchoa-

choato, aut re nondum possessâ, patet ex prop. 31. damnatâ ab Innoc. XI. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* 32dâ: *non solum licitum est defendere defensione occisivâ quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus, &c.* 33â: *Licitum est tam hæredi quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem. Ratio* est; quia ejusmodi res aliis mediis recuperari possunt, vel ex charitate contemni debent, pro conservanda vita proximi in peccato plerumque morituri, & talis occidendi licentia rempublicam infinitis involveret turbationibus, sicque intelligendus videtur *S. August. Lib. 1. de lib. arbit. C. 5.* ubi dicit, eos non esse immunes à peccato, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt. ℟. II. II. Res magni momenti, si aliter conservari vel recuperari nequeant, contra invasorem defendi possunt, defensione occisivâ; *Cajet. Clar. Navarr. Lopez, Sotus, Metzg. n. 7. Dicast. n. 47. Sylv. quæst. 8.* vocat communem, *Spor. nu. 154.* dicit esse certam, si bona non tantùm sint magni momenti, sed etiam pro conservanda vita & statu valde necessaria, idque extendunt etiam ad Clericos & Religiosos; quia hi æquè ac Laici jus habent ad tuenda sua vel Monasterii bona; neque à jure prohibentur; dicunt tamen eos, si ex hâc causa occidant, defectu lenitatis probabiliùs fieri irregulares, etsi oppositum etiam sit probabile. *Probatur* 1. Quia temporalia per se sunt necessaria ad vitam conservandam, & charitas non exigit facere magnam jacturam bonorum temporalium pro vita proximi, nisi ad summum in gravi vel extremâ necessitate; invasor autem non est in necessitate sed malitia, à quâ si non desistat, uti potest & debet, sibi imputet, quòd lædatur in vita. *2dò*: Id exigit communis securitas & permittitur utroque jure *L. 4. ff. ad L. Aquile. C. interfecisti de homicid. c. olim. de restit. spoli*: Ideoque non privatâ sed authoritate à legibus concessâ occiduntur; *3tiò.* Id probat consuetudo orbis, jure gentium introducta, quâ bella geruntur solorum temporalium causa cum cæde plurimorum hominum; non autem solus ille qui actu res tuas invadit, sed & qui rebus ablatis fugit, in fuga antequam ad locum tutum pervenerit, occidi potest; si res aliter recuperari nequeat, quia tamdiu censetur actualis invasor: summa autem, pro qua conservanda quis licitè occidi potest, debet esse multò major, quàm ea quæ est materia gravis furti. *Carden.* statuit pro divite 40. aureos, pro paupere, qui suis multum indiget, sufficerent aurei 3. 4. vel quinque: *Dices*: Non licet occidere invasorem famæ

famæ & honoris, cùm tamen bona famæ sint altioris ordinis, ergo nec invasorem temporalium bonorum. *2dò: Exod. 22.* reputatur homicida, qui furem diurnum occidit. *3. C. suscepimus de homicidio*, dicuntur peccâsse, qui pro conservandis rebus transitoriis fures occiderant. *4.* Aliàs etiam possent occidi testes iniqui, & Judex, qui cum gravissimo damno meo iniquam feret sententiam. *5.* Ordo charitatis exigit bonum vitæ præponi temporalibus. *R. ad 1. n. C.* honor non est tam necessarius ad conservandam vitam quàm bona temporalia, & occisio calumniatoris non est medium aptum recuperandi honoris, ùt suprà ostensum est; *Ad 2.* Lex illa judicialis agit de foro externo, in quo occidens furem diurnum præsumitur excessisse moderamen inculpatæ tutelæ, eò quòd fur diurnus clamando vel aliter facilè abigi, aut saltem dignosci, & apud judicem accusari possit; secus, & ipse licitè occidi poterit. *Ad 3.* Dictum C. loquitur de iis, qui excesserant moderamen. *Ad 4. n. C.* occidere testem vel judicem est contra bonum commune; eò quòd homines meritò deterrerentur à ferenda sententia, & testimonio etiam justo, quod non tenet de occisione furis privati; *Ad 5.* Ordo charitatis tunc ad summum exigit vitam proximi præponi, si proximus sit in gravi vel extremâ necessitate, in quali non est iniquus invasor; Resolutio Casûs satis constat ex præmissis, ea repetere superfluum duco.

## CASUS XXXV.

### De Bello & Duello.

PYrrhus Princeps interrogat ex Consiliariis *1. Qualiter liceat bellum offensivum & defensivum? 2. Quid si causa bellandi sit dubia, vel solùm probabilis? aut adsit odium, vana gloria? 3. An in belli socios vocari possint infideles, 4. An quis militare possit in bello injusto, vel sub Principe Acatholico. 5. Quid in dubio. 6. An fides & pacta servanda hostibus infidelibus vel hæreticis, num in his Papa dispensare possit, 7. An liceat duellum ad propulsandam notam infamiæ, 8. An ad determinandam litem, 9. Ad finiendum bellum. 10. An saltem liceat in loco condicto comparere ex gravi metu vel cùm scitur pugnam esse impediendam. 11. Quas pœnas incurrant Principes duella permittentes, duellantes, cooperantes, spectantes, Clerici. 12. Quid de privatione sepulturæ. 13. An hæ pœnæ incurrantur ipso facto, & ab iis absolvere possint regulares. 14. Quibus casibus*

*istæ pœnæ non incurrantur.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid & quotuplex sit bellum?

℟. Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam; quæ differt à seditione, quæ est concitatio civium ad pugnam; à rixa quæ est pugna paucorum, à duello quæ est pugna singularis ex condicto. 2. Bellum aliud est defensivum, quo vis iniqua repellitur, & hoc cuivis privatâ authoritate licitum est, defensio enim est juris naturalis, cum hâc tamen disparitate, quòd privatus non possit plùs facere, quàm præcisè opus est ad propulsandam vim iniquam; potestas autem publica potest ultra procedere ad bellum offensivum, in vindictam illatæ injuriæ; ut verò bellum offensivum, quo vis infertur, justum & licitum sit, requirit sequentes conditiones: *imò* ut geratur à Principe vel Magistratu superiorem non agnoscente. *S. Tho. 2. 2. q. 40. a. 1. & ibid. Cajet. Arrog. Bann. Valent. Saar. d. 13. de charit. Sect. 2. n. 1. Dicast. à n. 282.* 2. Ut fiat ex justa causa v. g. ad recuperanda injustè ablata, ad restituendam pacem, & securitatem publicam, ad subjugandos rebelles. In dubio, an subsit justa belligerandi causa, Princeps, Consiliarius, omnesque cooperatores peccant gravissimè bellum inferendo cum obligatione compensandi omnia damna inde exorta; tenetur ergo habere judicium saltem practicè certum de justitiâ belli; si pro utraque parte stet æqualis probabilitas & simul pro una possessio, illa bello impeti non potest, sicut non potest condemnari à judice. *3tiò:* Ut non fiat ex odio, vanâ gloriâ, aut privatâ vindictâ, sed amore boni communis; defecto tamen hujus conditionis, dummodo aliunde adsit justa bellandi causa, non erit obligatio restitutionis: sed quid si Princeps Catholicus in belli socios vocaret vel etiam juvaret infideles? 3. ℟. Id ex natura sua non esse malum, præsertim si bellum geratur contra alios infideles, ordinariè tamen non licet Principi Christiano uti auxilio infidelium contra Christianos ob gravissima scandala & mala inde oriri solita, eò quòd nec fœdera servent, nec personis, locis aut Reliquiis Sacris honorem deferant, omnia profanent, infantes ad seducendum abripiant. *Sylvius. Rodriq. Regin. L. 21. n. 100.* ex dictis

Inferes *segq. 1.* In bello evidenter injusto nemo militare potest, ùt per se patet; quare gravissimè peccant, qui in bello religionis assistunt Principi Acatholico, vel infideli; ejusmodi enim bellum cùm tendat in destructionem Ecclesiæ, & propagationem infidelitatis, justum esse non potest; si Princeps Acatholicus contra Catholicum gerat bellum justum, per se loquendo non est illicitum sub illo militare, dummodo absit periculum perversionis, & scandali, & sacrilegii. 2. Si dubium sit de justitia belli, subditi

3.

4.

5.

diti & milites antecedenter inscripti possint & tenentur Principi bellum imperanti obedire. *Gloss. in C. quid culpatis 23. q. 1.* quia possessio est pro authoritate Superioris, idque exigit bonum commune. Aliud est de extraneis, qui non videntur militiam amplecti posse, nisi sit gravis & fundata præscriptio pro ejus justitiâ; cùm enim Principi non sint subjecti, sponte, & sinè causâ exponerent se periculo gravissimæ injuriæ inferendæ; si pro utráque parte sint motiva gravia, posset quis pro parte, pro qua volet, militare; *Dian. p. 4. T. 4. R. 32.* Vid.
6. *Grotium L. 2. C. 1. 3.* Fides & pacta hostibus etiam infidelibus vel hæreticis servanda sunt, etsi forsan bello injusto sint extorta; nam id exigit securitas Societatis humanæ, ne pacta temerè rupta graviores post se turbationes trahant, neque in his Papa dispensare potest, nisi cedant in grave præjudicium religionis, vel fidei Catholicæ.

7. QUÆR. II. Quid circa duellum? R. seqq. duellum græcè monomachia est duorum vel etiam plurium certamen, uno indicente, altero acceptante, est peccatum gravissimum & duplex homicidium, dum vitam proximi injustè aggreditur, & suam periculo exponit. 2. Non est licitum ex odio vel vindictâ, ùt per se clarum est, neque ad ostentationem virium, aut ad propulsandam notam ignaviæ, ùt patet ex propos. 2. ab Alex. VIII. damnatâ: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Ratio* est: quòd illa nota consistat in mera apprehensione imprudentium, & evitari possit, si provocatus dicat; ego tuâ condictione opus non habeo, hoc gladio paratus sum omni loco, & tempore contra quemvis aggressorem me defendere: aliud est de fugâ in actuali aggressione, quæ homini nobili vel militari ex natura rei omnium hominum judicio ignominiosa ducitur; duellum autem recusans non censetur fugere, sed legem Dei & naturæ observare: 3. Neque 8.
licet authoritate judicis ad indagandam veritatem vel justitiam Causæ, ad terminandam litem vel purgandam suspicionem criminis, quia est medium fallax & superstitiosum ad illum finem; frequenter enim contingit innocentem succumbere, & hoc modo exspectare à Deo ostensionem veritatis vel innocentiæ, est formalis Dei tentatio; *C. 1. & 2. de purgat. vulgari. S. Thom. q. 95. a. 8. Laym. Metzg. Dicast. n. 213.* 4. Probabiliùs 9.
licet offerre & acceptare duellum, si id necessarium sit ad infringendas hostium vires vel animos, vel ad finem belli victoriámque facilius consequendum. Exemplum habetur *Lib. reg. 1°.* de David & Goliath: *similiter*, si Judex duos ad mortem condemnatos jubeat congredi, quia tunc alter alterius Minister justitiæ constituitur; etsi Judex peccet, si id faciat ad solam suam & spectantium oblectationem.

nem. 5. Si inimicus dicat : auferam rem tuam, vel occidam te, nisi cras in isto loco mecum congrediaris; non licet congredi, potes tamen te defendere etiam occidendo, si impetaris : & quamvis *Less. Laym. Sporer* non improbabiliter excusent virum nobilem in aula, vel militarem in castris, qui provocatus se sistit meræ defensionis gratiâ, ne alioqui ob suspicionem ignaviæ dignitate, officio vel favore Principis vel Ducis privetur, eò quòd per provocationem fiat actualis aggressio non tantùm honoris, sed & officii ac dignitatis, quæ inter temporalia magni momenti reputantur; Verius tamen est id non licere, etsi permissum sit dicere: *Hoc ense me defendam ubicunque me aggressus fueris, exire autem ad locum conflictum non est hominis Christiani. Dices*: exire ad locum condictum est actio indifferens, ergo licita erit saltem ex tam gravi causa. R. *n. ass.* exire ad locum condictum in his circumstantiis, non est actio indifferens; sed realis duelli acceptatio. 6. Alii excusant eos, qui provocant vel acceptant duellum, quando certi sunt non secuturam pugnam vel impediendam absque periculo gravis incommodi, sed id plerumque est scandalosum & in praxi periculosum.

11. QUÆR. III. Quid circa pœnas duellantium?

R. seqq. 1. *Trid. Sess. 25. C. 19. de reform.* excommunicat Imperatores, Reges, Principes &c. qui in suis territoriis concedunt locum ad exercendam monomachiam, & eosdem locis vel castris, in quibus duella permittuntur, privat, si ea ab Ecclesia obtinuerint, & si feuda fuerint, statim redeunt ad Dominum; *2dò:* Eandem excommunicationem, perpetuámque infamiam incurrunt, & ut homicidæ puniri jubentur duellantes, & eorum patroni. *3.* Hæc communicatio extenditur ad omnes, consilium, operam, vel favorem præstantes, litteras provocatorias scribentes, scienter deferentes, arma ministrantes, etiam non secutâ pugnâ, ut in terminis habet Bulla Clem. VIII. Item ad spectatores, qui palam, & studiosè accedunt, quia tales suâ præsentiâ censentur eos animare; secus, si ex occulto vel obiter & in transitu aspiciant, aut si ex composito quidem accesserint, sed pugna in effectu non sit secuta; tunc enim reverà non fuerunt spectatores. *4.* Clerici duellantes præter excommunicationem, incurrunt privationem omnium beneficiorum & inhabilitatem ad ea imposterum obtinenda; potest tamen in his, nisi homicidium vel mutilatio secuta fuerit, Episcopus dispensare; *Pyrrh. L. 5. T. 14. n. 5.* 5. Privantur 12.
sepulturâ Ecclesiasticâ, qui in ipso conflictu decedunt; si duellans moriatur in alio loco vel post intervallum temporis dato signo pœnitentiæ, non est privandus sepulturâ; quia talis non censetur mortuus in ipso conflictu, & pœnalia utpote odiosa strictè sunt

sunt interpretanda; si duellum sit notorium, ipso facto incurritur privatio sepulturæ; si non sit notorium, requiritur sententia declaratoria; ideóque tunc res ad Episcopum vel ejus Vicarium deferenda est; etiamsi dederit signa pœnitentiæ, ùt habet Agenda Colonienſis edita anno 1720. pag. 156. si Ordinarius longè absit, debet mortuus sepeliri, etsi Episcopus crimine ex post publicato possit corpus facere exhumari. 6. Quam-
13. vis excommunicatio, suspensio, interdictum, & ex praxi Ecclesiæ etiam privatio sepulturæ incurrantur ipso facto, infamia tamen, privatio beneficiorum, & amissio bonorum cùm privent jure acquisito, requirunt sententiam declaratoriam. 7. Dictam excommunicationem Greg. XIII. & Clem. VIII. extendunt ad duella etiam privata, eámque reservârunt soli Papæ, *Laym.* tamen *hic c. 5. n. 4.* dicit, has constitutiones in Germania & partibus septentrionalibus in tanto rigore non esse receptas; saltem probabiliùs est cum *Bonac. Comit. L. 6. mor. q. 17. Regin. to. 2. L. 21. n. 83. Filicet. Pirh. n. 3. Tamb. de Confess. L. 3. c. 7. n. 15. Sporer n. 112.* Episcopos & mendicantes ac cum iis participantes exceptis Italis extra urbem (hi enim specialiter excipiuntur apud *Maran. in summa Bullarii V. Casus reservatus fol. 119.*) ab hac excommunicatione si crimen occultum sit absolvère posse, sicut possunt ab aliis Casibus Papæ extra Bullam Cœnæ reservatis, ùt dicam Cas. 116. q. 3. in irregularitate autem secuto homicidio etiam occulto solus Papa dispensare potest.

QUÆR. IV. An semper prædictæ 14.
pœnæ incurrantur?

R. Quamvis omne duellum authoritate privatâ sit illicitum, pœna tamen, quia est strictæ interpretationis, sæpe non incurritur, ùt 1*mò*. Si conflictus fiat armis ineptis ad graviter vulnerandum v. g. pugnis, levi baculo, quia non est certamen grave. 2. Si locus vel tempus non designetur, requiritur enim designatio loci & temporis copulativè, *Dian. p. 3. t. 13. resol. 59.* aut si tantùm designetur locus vel tempus in genere v. g. tecum pugnabo, quamprimum mihi extra urbem occurreris. 3. Si subitâ irâ gladios extrahant, aut durante eodem calore iracundiæ in alium locum pergant tutiùs pugnaturi, quia non est propriè duellum sed continuatio prioris rixæ. 4. Consulens non incurrit, si consilium revocavit, quantum potuit, licèt secutum sit duellum; *Diana & alii*: si verò consilium non revocavit, incurrit, duello etiam non secuto, quia consilium ratione sui, & non tantùm ratione effectûs prohibetur. 5. Superior non tantùm mandans, sed & permittens, aut pro condigno non puniens incurrit excommunicationem contra præceptum Tridentini, quia non adhibet media necessaria ad extirpandum nocentissimum reipublicæ cri-

men. 6. Ministrans arma amico, qui absque eo æquè citò & audacter erat pugnaturus aliis armis, tantùm ut cum minori periculo pugnet, per se loquendo neque peccat, neque pœnam incurrit, quia non facit, ut amicus duellet; sed ut duellet cum minori periculo, in quo nihil est mali, dummodo non dentur arma contra pactum duellantium inæqualia; *Croix L. 3. p. 1. n. 854.* intellige, si duellum impedire non possit, aliàs enim ad hoc obligabitur ex charitate.

# CASUS XXXVI.

## De injuriis in bonis famæ & honoris.

QUeruloſa *in honore & fama plures læsit irridendo, subsannando 1. De personis cognitis & incognitis temere suspicando, judicando. 2. 3. 4. falsa crimina ad tuendum honorem proprium imponendo, occulta Superioribus vel etiam aliis consilii & solatii causà aperiendo. 5. Crimina eorum aliis exprobrando. 6. Propria manifestando. 7. Bona malè interpretando, remissè laudando. 8. Mendaces, fures, superbos, spurios, meribibulos &c. nuncupando. 9. De persona indeterminatè. 10. Dicendo crimen ùt auditum. 11. Coram uno viro gravi, vel coram marito. 12. Eidem, vel diversis detrahendo in materia levi. 13. Detractionibus attendendo, non impediendo, in vitam inquirendo. 14. Publica in & extra locum publicitatis etiam oblivione sepulta verbo, scriptóve propalando. 15. Et seqq. secreta pro- & commissa etiam iniquè detecta sub prætextu boni communis & privati revelando. 19. Et seqq.* Pro resolut.

1. QUÆR. I. Quid sit fama, honor, & quæ vitia iis opposita?

Rſp. 1. Fama est multorum existimatio bona, vel mala, de vita vel moribus alterius: honor est externa testificatio de alterius bonitate vel excellentiâ. *S. Thom. 2. 2. q. 103.* si fiat verbis, dicitur laus, quæ si clarescat, dicitur gloria, honor prout contradistinctus à fama seu intrinseca existimatione est minus bonum, quàm fama, quia minùs est extrinsecè significari, quàm internè judicari bonus. Rſp. 2. Bonæ famæ opponitur suspicio, judicium temerarium, detractio, honori opponitur genericè contumelia, quæ est testificatio de vitiis vel defectibus alterius & plerumque fit in præsentia dehonorati, quamvis etiam fieri possit in ejus absentia, ùt si quis dehonoret ejus statuam; si dehonoratio fiat objiciendo culpam, propriè dicitur contumelia; si objiciatur defectus naturalis v. g. cæcitas, deformitas, vocatur convitium; si indigentia, in qua alteri succurristi, improperium; si fiat verbis vel gesticulationibus, subsannatio; si lusu verborum ad excitandam in alio erubescentiam, irrisio vel illusio:

hæc

hæc omnia ex genere suo sunt mortalia, & reipsa talia, si dent alteri justam causam solvendi amicitiam, vel gravis contristationis.

2. QUÆR. II. Quid circa suspicionem & judicium temerarium?

R. Seqq. 1. suspicio est quædam inclinatio intellectûs in unam partem, quæ si sit de defectu proximi sine rationabili causa, dicitur temeraria, ad quam reducitur assensus debilis vel dubius de defectu alterius; judicium temerarium in præsenti materia est assensus de malitia alterius ex modo tendendi firmus & quasi certus, ita ut judicans nolit ulteriùs in veritatem inquirere nec à judicio desistere, cùm tamen non adsit causa vel judicium sufficiens ita judicandi: causa sufficiens vocatur, quæ utcunque est conjuncta cum tali effectu; causa insufficiens, quæ rarò vel nunquam: v. g. vides de nocte juvenem furtivè ingredi domum mulieris suspectæ, est causa sufficiens suspicandi aliquid contra sextum præceptum; secus si clarâ die talem
3. domum transeat vir honestus; majora tamen indicia requiruntur ad judicandum, quàm suspicandum. 2. Suspicio temeraria est ex genere suo tantùm veniale; est communis cum *D. Th. q. 60. a. 3.* ubi citat S. August. *Ratio est*; quia suspicio non tollit simpliciter æstimationem, sed leviter tantùm diminuit, aut reddit dubiam; per accidens tamen fieri potest mortale, ùt si Superior non tantùm temerariè suspicetur, sed & ideo graviter puniat, ab officio removeat, suffragium neget. 3. Judicium temerarium 4.
est ex genere suo mortale contra justitiam, quia temerè tollit bonam de proximo existimationem, ad quam ille jus habet, usque dum probetur malus, est communis & certa. *Luc. 6. nolite judicare & non judicabimini. S. Th. l. c.* ut autem actu sit mortale, debent concurrere hæc tria: 1. Judicium deliberatum, firmum, & quasi indubitatum de determinata persona; si enim judicium non sit firmum, erit mera suspicio vel dubium, aut si non sit de persona determinata vel cognita, nulli determinatè fiet gravis injuria. 2. Materia gravis, qualis sufficit ad mortale detractionis. 3. Notabilis temeritas, qualis non est, si probabile judicetur certum; oritur autem temeritas vel ex malitia propria, vel ex odio & invidia; facilè enim de iis malè judicamus, quibus malè afficimur, vel demum ex longæva experientia, ex quo capite senes magis sunt suspicioси.

QUÆR. III. Quid sit detractio? 5.

R. Est injusta & occulta alienæ famæ denigratio. *S. Th. q. 73. a. 1.* dicitur 1. *injusta*, nam quamvis nullo casu licitum sit alicui falsum crimen imponere, hoc enim foret perniciosum mendacium intrinsecè malum, utì nunc certum est ex prop. ab Innoc. XI. damnatis. 43. *Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.*

*dere. 44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* V. dicend. Cas. 46. n. 18. sæpe tamen licitum est verum, sed occultum proximi crimen revelare, si id necessarium sit ad avertendum grave damnum reipublicæ, vel proximi; unde non peccant qui servato fraternæ correctionis ordine occultum alterius crimen Superiori manifestant, ut emendetur, occasio peccandi tollatur, indignus ad officium non promoveatur; aut amicum monent, ab eo ut sibi caveat, quem sciunt esse furem, seductorem, ejus vitæ insidiatorem, ut abstineat à matrimonio noxio, item ad habendum auxilium, consilium, solatium in gravi afflictione &c. cautè tamen hic procedendum, ne scilicet citra necessitatem aut pluribus quàm oportet vel siniſtrâ intentione occultum crimen detegatur; *si dicas*: pro habendo auxilio vel solatio in gravi necessitate non licet auferre pecuniam, ergo nec famam per manifestationem criminis occulti, quia fama multò est pretiosior pecuniâ R. *n. c.* proximus in pecuniam habet verum jus, in famam autem postquam crimen admisit non habet jus fundatum in vera virtute & innocentia, sed in falsa hominum existimatione, quam falsitatem ex justa causa manifestare licet; dicitur 2. *occulta*, in quo specie distinguitur à contumelia, sicut furtum à rapina; detractio enim fit absenti, contumelia præsenti, cùm scilicet verus vel falsus defectus in faciem exprobratur; quod si fiat aliis præsentibus, includit detractionem; & duplicem specie malitiam specialiter in confessione explicandam. dicitur 3. *alienæ famæ*; 7. nam se ipsum infamare occultum v. g. crimen propalando non est propriè detractio, cùm non fiat invito famæ Domino, neque peccatum mortale, sed solùm veniale prodigalitatis; homo enim est perfectus famæ Dominus non minùs quàm pecuniæ; sicut ergo prodigendo pecuniam peccat tantùm venialiter, sic & prodigus famæ; dico per se, nam sicut manifestatio proprii criminis per accidens potest esse actus virtutis, si scilicet sit utilis vel necessaria ad emendandum proprium vel alienum peccatum, ad tollendas suspiciones, odia, dissensiones, vel injustas vexas aliorum, sic & per accidens fieri potest mortale, ut si manifestes tuum delictum cum jactantia, complacentia, cum infamia tuæ familiæ vel communitatis religiosæ vel complicis, cum gravi scandalo vel damno spirituali tuorum, eò quòd in officio tuo sine bona fama fructificare non possis; hic enim valet: curam habe de bono nomine *Eccl. 4.* dicitur 4. *famæ* 8. *denigratio*; nam per detractionem non semper tota fama tollitur, sed minuitur, obscuratur, denigratur, idque vel directè 4. modis, falsum crimen

men imponendo, verum aggravando, occultum manifestando, bona malè interpretando; vel totidem modis indirectè, alterius bonitatem negando, extenuando, tacendo quando silentium æquivalet assertioni defectûs alieni, frigidè laudando: omnes hos modos exprimunt vulgati versus: imponens, augens, manifestans, in mala vertens, qui negat aut minuit, tericet, laudatque remissè.

9. QUÆR. IV. An & quale peccatum sit detractio?

Rx. 1. Est peccatum contra charitatem & justitiam, & quidem gravius furto; quia privat majori bono scilicet famâ; *S. Thom. a. 2.* detractores Deo odibiles *Rom. 1.* ut autem detractio sit culpa mortalis, requiruntur tria: 1. perfecta deliberatio, cujus defectu à mortali excusantur, qui ob ignorantiam, passionis vehementiam vel linguæ præcipitantiam ad malitiam gravem non advertunt; 2. materia gravis, quæ ex se vel circumstantiis proximum graviter infamet, sive illa sit peccatum mortale sive veniale, sive defectus merè naturalis, potest autem idem esse respectu unius graviter esse probrosum, & non respectu alterius; sic de viro sancto & valde honorato dicere, quòd sit mendax, de religioso, quòd sit amans puellarum, quòd furtum vel duellum admiserit, est mortale; non item si hæc dicantur de milite vel juvene nobili, quia hi potiùs de his gloriari quàm erubescere solent; similiter dicere de puella, quòd sit superba, garrula; de germano quòd sit bibulus, ex parentibus hæreticis natus, plerumque tantùm est veniale; dicere autem de aliquo honestæ reputationis, quòd sit spurius, aut de honesta matrona, quòd sit meribibula, in Italia & Hispania est valde probrosum ideóque mortale. 2. Referre crimen non nominatâ 10.
personâ non est mortale, nisi ex circumstantiis dignosci possit, vel ejus
infamia redundet in infamiam aliorum; ùt si quis dicat aliquem religiosum ex illo monasterio esse adulterum, ex illa familia aliquam fuisse sagam &c. tunc enim erit mortale cum onere restitutionis tantò gravius, quò plures personæ cognoscuntur esse in tali monasterio, vel familia. 3. Referre crimen non ùt cerò commissum, 11.
sed ut ab aliis auditum est mortale, si sit periculum (ùt plerumque est) ne quis audientium illud credat vel divulget ùt verum, *Metzg n. 12.* si audientes illud prævideantur credituri vel divulgaturi, non in vim tuæ narrationis, sed ex temeritate aut malitia, adhuc erit mortale contra charitatem, illis sine justa causa crimen proximi occultum & graviter probrosum referre; quia præbetur ansa, ut alii grave damnum in fama inferant; 4. Sine causa manifestare crimen grave viro unico ac taciturno, 12.
adhuc est mortale, quia valde grave est etiam apud unum prudentem de gravi crimine sine causa infamari. *Lug. d. 14. n. 51.* etsi etiam oppositum,

quod cum aliis docet *Leß.* videatur probabile ; unde *Lugo* à mortali excuſat conjuges de occultis aliorum criminibus confabulantes ſinè periculo ulteriùs divulgandi,item qui ſolatii causâ in confeſſione complicem revelant,vel de illata ſibi injuria querulantur : qualiter crimina occulta judici vel Superiori denuntiari poſſint ; dixi Caſ. 19. n. 5. 5. Qui multis
13. & diſtinctis detrahit in materia levi, non peccat mortaliter ; aliud eſt de furtis minutis,quæ fiunt diverſis; hæc enim coaleſcunt in unam ſummam notabilem,& cùm furta furi ſint multum utilia, ideóque magis attractiva quàm læſiones famæ, hinc ſi per minuta furta poſſet citra mortale corradi materia valde notabilis , cujusvis bona eſſent in periculo, ideo quilibet meritò eſt graviter invitus vel ſaltem tota hominum communitas ita exigente bono communi. Econtra *ſi dicas* aliquid leve,quod ſimul cum præcedentibus levibus detractionibus à te vel ab alio factis notabiliter famam minuit,peccas mortaliter ; ſicut ſi poſt levia vulnera infligas vulnus occiſivum ; quemadmodum enim mors conſiſtit in indiviſibili & ideo moraliter tribuitur ultimæ læſioni,ad quam tota ſequitur,ſic & gravis infamia conſiſtit in judicio indiviſibili de gravi alterius malitia , & quamvis quælibet levis detractio ad illud judicium diſponat,attamen quia illud totum indiviſibiliter ſequitur ad ultimam detractiunculam , huic moraliter imputatur , ſicut mors ultimæ læſioni vel ebrietas ultimo hauſtui. V. Caſ. 31. n. 13. de obligatione reſtituendi famam dicam infrà. 6. Non tan- 14.
tùm qui detrahit ſed & qui interrogando,applaudendo, animando ſunt cauſa cœptæ vel continuatæ detractionis , peccant contra juſtitiam lædendo eum, cui detrahitur, & contra charitatem alium ad detractionem inducendo ; audiens verò detractionem,etſi teneatur eam, ſi commodè poteſt, impedire vel dare ſaltem ſignum diſplicentiæ,aut aliò ſermonem divertere , ſi tamen id ex verecundia, levi timore vel negligentia omittat, neque in eam inducat vel complaceat,plerumque tantùm peccat venialiter , nisi fortè ſit Superior , cui ex officio incumbat detrahentem corrigere. *D. Th. a. 4.*

QUÆR. V. An ſit detractio,ma- 15.
nifeſtare crimen proximi notorium ſeu publicum ?

Reſponſio conſtabit ex ſeqq. 1. notoreitas criminis alia vocatur juris, quando aliquis in judicio de eo eſt condemnatus vel confeſſus;alia facti, quando crimen in hominum conſpectu ita fuit commiſſum , ut nullâ tergiverſatione celari poſſit ; alia famæ,quæ ex ſufficientibus indiciis orta hominum relatione divulgata eſt ; quot autem numero hominibus res cognita eſſe debeat,ut facto vel fama cenſeatur eſſe publica , difficillimum eſt definire. *Laym. Molin. Lug. n. 70.* pro regula dicunt tunc crimen reſpectu

pectu cohabitantium & vicinorum esse publicum & revelabile, quando limites secreti & occulti ita egreditur, ut attentâ quantitate communitatis & conditione hominum crimen scientium illud certò credatur in notitiam vicinorum deventurum; unde regulariter, si communitas constet ex 8. hominibus, sufficit quòd sciant 3. vel 4. si ex 30. sufficit sciri à septem vel 8. si ex 100. satis est, si sciant 15. vel 20. si in oppido sint domus 400. sufficit quòd sciant 8. vel 10. diversarum domorum, si civitas habeat 500. incolas, satis erit 30. v. 40. per civitatē dispersos cognovisse, ut de illo ulterius apud ignaros ejusdem urbis loqui liceat. Si crimen diffamatum est in Curia vel in loco illustri, ex quo facilè in alia loca dimanabit, censetur no-
16. torium in toto regno, *Auth. cit.* 2. Si crimen est publicum per sententiam judicis, illud ubique etiam in locis remotissimis verbo, scripto, vel typo revelare licet, ita ut nequidem contra charitatem peccetur; quia sicut ipse judex suam sententiam posset ubique publicare, sic & alii; ideo enim damnantur facinorosi, ut omnibus etiam remotissimis sint exemplo: econtra si crimen est publicum facto, vel famâ, vel per confessionem rei aut depositiones testium nondum latâ sententiâ, probabiliùs solùm revelari potest in loco, in quo est publicum vel facilè publicandum, *Platel. p. 3. àn. 773.* quia ibi & non alibi amisit jus ad famam; unde non excusantur, qui crimen in unâ domo, & à potiori in uno Monasterio vel Ordine, aut in uno Senatu publicum referunt extraneis, quia tale crimen est tantùm publicum respectu hujus loci, Monasterii, vel Senatûs. *Lug. Metzg. t. 12. d. 39. à. 3. n. 10.* 3. Plures docent, peccari 17.
contra charitatem, si crimen etiam in loco, ubi publicum est, sine causa manifestetur ignorantibus, probabiliùs tamen contradicit *Lugo n. 68.* quia ibi non habet jus ad famam, & expedit bono communi, ut quis dignatur qualis publicè est, ne alii ex ejus actionibus decipiantur; sicque habet totius orbis consuetudo; sermo autem est de crimine vero, etsi ab initio per injuriam manifestato; nam quamvis injuria non tollat jus ad famam, tollit tamen publicitas ad injuriam secuta, crimen verò falsum etsi notorium ulteriùs divulgare non licet, quia foret mendacium in damnum proximi; nec publicitas tollit jus ad famam nisi conjuncta cum veritate. 4. Crimen facto vel famâ 18.
publicum, sed oblivione sepultum, denuo manifestare est detractio; sicut enim fama per criminis publicationem amittitur, sic cessante criminis memoriâ recuperatur, & redit ad statum, quem habebat ante publicationem; aliud est de crimine per sententiam judicis publico, quia facultas publicandi semel à judice data & non revocata perseverat etiam cessante criminis memoriâ.

19. QUÆR. VI. Quid circa revelationem ſecreti?

℟. Revelatio ſecreti eſt crimen valde affine detractioni & detractionem ſæpe includit, quando ſcilicet propalatur defectus occultus ſecretò commiſſus. Secretum autem naturale aliud vocatur promiſſum, quando nullo prævio pacto promittit quis tacere quod audivit obligátque ex juſtitia, fidelitate, vel ſola urbanitate, prout quis intendit ſe obligare; aliud dicitur commiſſum per expreſſam vel tacitam conventionem de non revelando, obligat ex juſtitia pro qualitate materiæ; tacitâ autem conventione ſeu ex officio ad ſecretum tenentur conſiliarii Principum, officiales belli, advocati, medici, chyrurgi, obſtetrices, & probabiliùs omnes quibus conſilii, auxilii, vel ſolatii causâ ſecreta committuntur, hoc ipſo enim, quòd ſecreta ſuſcipiunt tacitè ad non revelandum ſe obligant; ſi ex occultatione ſecreti reipublicæ, tibi vel
20. alteri immineat grave malum v. g. urbis proditio, mors Innocentis, gravis infamia, jactura bonorum, ſecretum etiam commiſſum revelari poteſt, quia nemo cenſetur ſe voluiſſe obligare ad ſecretum cum tanto incommodo; ſecreta tamen reipublicæ vel exercitûs, quæ ſine ingenti damno boni publici manifeſtari non poſſunt, etiam cum periculo vitæ & tormentorum ſervanda ſunt; ſalus enim reipublicæ præponi debet vitæ propriæ. 3. Non tantùm eſt contra juſtitiam ſecretum ſibi commiſſum prodere, ſed & alienum ſecretum invito rationabiliter Domino acquirere, v. g. aperiendo ejus litteras, corrumpendo conſiliarios &c. Nec ob- 21.
ſtat, quòd forſan literæ ſint negligenter cuſtoditæ vel fruſtratim abjectæ, per hoc enim quòd quis literas laceret vel malè cuſtodiat, non reſignat juri ad ſecretum, ſicut non reſignat juri ad pecunias in ciſta aperta relictas, ſed ideo lacerat literas, ne ſecretum earum innoteſcat; pro avertendo tamen malo reipublicæ licet hoſtium literas intercipere earúmque ſecreta expiſcari, uti habet quotidiana praxis à nemine improbata. 4. Si notitiam ſecreti per vim vel fraudem aut injuſtam literarum 22.
apertionem conſecutus es, non potes revelare, niſi ille, cujus ſecretum noviſti te vel alium injuſtè vexet, & vexam aliter repellere non poſſis; ſicuti enim tunc licitè acquirere poſſes alieni ſecreti notitiam, aperiendo v. g. ipſius literas, ſic & eâdem uti, ad te vel alium defendendum.

EX

EX

# TRACTATU

DE

# RESTITUTIONE

## CASUS XXXVII.

### De natura Restitutionis & ejus Radice ex injusta damnificatione.

REtorius Neo-Pastor interrogatur. 1. *Quid sit restitutio?* 2. *Quæ ejus radices?* 3. *An restituere obligetur, qui desiderat vel gaudet de damno alteri illato aut fert sententiam quam falsò putat esse injustam.* 4. *Quid de culpâ latâ, levi, levissimâ,* 5. *Quid de damno gravi cum culpa levi.* 6. *Quid si fur inadvertenter complevit materiam gravem.* 7. *Qualiter solvantur opposita.* 8. *Quid de culpa in contractu commissa.* 9. *An sufficiat sola culpa juridica.* 10. *Qualiter obligetur indirectè damnificans.* 11. *An incendens ædes teneatur ad omnia in iis contenta; vel confringens vas, projiciens gemmam, &c. teneatur ad valorem incognitum; quid de occidente equum amici quem putat esse inimici.* 12. *Quid si ex veneno incautè à te custodito moriatur inimicus diu ad necem quæsitus, vel ex furto rei levis prævideas Dominum præ mœrore moriturum vel innocentem occisurum.* 13. *Quid si fureris res Titio commissas eâ intentione ut Titio imputetur furtum, vel ponas infantem ad ædes Titii ut ipse reputetur pater.* 14. *An in periculo tenearis rem alienam præferre tuæ.* 15. *Quid si pereat res tibi commodata, mutuata &c.* 16. *Quid de Confessario ex culpabili ignorantiâ suadente restitutionem, dum non est, vel contra.* Pro resolut.

QUÆR. 1. Quid sit Restitutio & quæ ejus radices? 1.

℟. 1. Restitutio est juris læsi redintegratio, seu est actus justitiæ commutativæ, quo res iniquè accepta redditur, vel damnum illatum compensatur, est necessaria necessitate præcepti: reddite omnibus debita *ad Rom. 14.* Dico: *justitiæ commutativæ*; nam communis cum *D. Thom. q. 62. a. 1.*

docet, ex læsione alterius virtutis vel justitiæ sive legalis sive distributivæ non oriri obligationem restitutionis; *Ratio* est; quia ùt inquit S Doctor, *restituere nihil aliud est, quàm iteratò statuere aliquem in possessionem rei suæ*, & in restitutione attenditur æqualitas rei ad rem, quæ ad justitiam commutativam pertinet, ideoque restitutio supponit læsionem juris rigorosi in re vel ad rem; sed quando violatur v. g. justitia distributiva, præterendo digniorem, non violatur jus rigorosum, quia dignior habet tantùm jus condignitatis seu majoris aptitudinis, rec res v. g. officium ante collationem est res sua, sed communitatis, ad quod cessat habere jus, si alteri fuerit collatum, quia non ampliùs manet res communitatis; obligatio autem restitutionis post violationem supponit manere jus, quod restitutionem exigat; eodem modo ex læsione justitiæ legalis non oritur obligatio restitutionis, nisi per accidens, ratione justitiæ commutativæ plerumque conjunctæ, quatenus scilicet subditi ex quasi contractu tenentur alere Principem, eique necessaria pro bono communi contribuere: Econtra Princeps ex tacito pacto obligatur contributiones in bonum commune impendere, mala reipublicæ avertere, officia dignioribus conferre &c. quod si non faciat, tenetur ad omne damnum Reipublicæ emergens, non ex justitia legali vel distributiva, sed ex commutativa his conjuncta.

Rz. II. Radices, ex quibus obligatio restituendi oritur, bene assignantur tres: 1. Injusta acceptio vel damnificatio, quando quis res alterius vel malâ fide accepit, vel destruxit. 2. Res accepta, ex hac tenetur omnis, apud quem res aliena sive bonâ sive malâ fide existit. 3. Contractus, potest enim homo se obligare ad indemnisandum alterum, etiamsi ipse res ejus nec detineat nec læserit; addunt alii pro quarta radice legem; nam lege positivâ sæpe jubetur restituere, qui rem alterius nec læsit, nec detinet, nec contractum iniit, ùt si tuum animal læsit meum, lege civili juberis restituere: hæc tamen radix reducitur ad primam, cùm ejusmodi lex præsumat culpam, quæ si non intercesserit, non erit obligatio in conscientia ante sententiam judicis. 3.

QUÆR. II. Quid circa obligationem ex injusta damnificatione?

Rz. I. Ut damnificator teneatur restituere, debet damnum à parte rei esse secutum; quomodo enim reparabitur damnum, quod revera illatum non est. Hinc quamvis internè sit injustus, qui de proximi damno gaudet, aut illud inferre intendit non secuto effectu, ad nullam tamen restitutionem tenetur, ut si Judex ferat sententiam, quam falsò putat esse iniquam, vel fureris pecuniam, quam credis esse alienam, cùm tamen sittua.

Rz. II. Debet damnum esse secutum ex ejus culpa; pro quo notandum, quòd culpa alia sit *Theologica*, quæ 4.

quæ idem est quod peccatum & offensa Dei; alia *juridica*, quæ est omissio diligentiæ debitæ in asservanda vel tuenda re aliena. Hæc iterum est triplex: lata, levis, leviſſima; latam admittis si non adhibes diligentiam, quam ejusdem conditionis homines adhibere solent, levem si omittas diligentiam, quam adhibere solent diligentiores, leviſſimam si non adhibes diligentiam, quam adhibere solent diligentiſſimi. Exempli gratiâ, rem curæ tuæ comiſſam relinquis ante fores, committis culpam latam, si relinquas in cubiculo sed non clauso, admittis culpam levem, si cubiculum clauſiſti, sed non tentasti an bene, admiſiſti culpam leviſſimam, si res tuæ custodiæ commiſſa auferatur; his addi solet culpa latiſſima seu dolus apertus, quam admittis, si rem furi tradas. Item latior seu dolus præsumptus, quam incurris, si rem relinquas in domo furis; culpa lata, latior, latiſſima plerumque conjuncta sunt cum culpa theologica gravi. Itaque qui damnum dedit, probabiliùs non tenetur restituere ex sola culpa juridica, sed adesse debet culpa theologica, quæ verè sit peccatum, nisi intercesserit contractus, de de quo *q. seq.* vel ex damnificatione factus sit locupletior. *Bannes. Sylvius 2.2.q.62.a.4. Leſſ. Sporer. t.2.c.2. n.41. Lug. diſ.8.n.54. Ratio* est, quia damnum sine culpâ theologicâ non est voluntarium nec moraliter imputabile, sed habet se quasi casu, vel ab amente illatum; sed nulla debetur restitutio pro damno non imputabili, casu vel amente illato; ergo.

§. III. Si damnum sit in materia levi, ad obligationem restitutionis sufficit culpa venialis; si damnum sit grave, requiritur culpa theologica gravis, vel saltem damnum plenè voluntariè illatum. Ideoque si cum negligentiâ vel inadvertentiâ venialiter culpabili incendiſti ædes, occidiſti hominem, vel aliud grave damnum causasti, ad nihil teneris. *Sotus. Leſſ. Rhedingus & Auth. cit. Ratio* est, quia tale damnum non est plenè voluntarium, & culpa venialis non est simpliciter delictum & injuria, ergo nec esse potest radix gravis obligationis: Deinde ex contractu vel voto non oritur gravis obligatio, nisi sint perfectè voluntaria; ergo nec ex damnificatione; nec *dicas*; esse obligationem restituendi aliquid proportionatum culpæ veniali; *Contra est.* Votum & contractus imperfectè voluntarii nequidem obligationem venialem inducunt, ùt habet communis; ergo nec damnificatio gravis ex simili indeliberatione procedens. Deinde illa pars proportionata culpæ veniali vel est quid notabile, & tunc non erit venialis, sed mortalis obligatio delicto veniali improportionata, vel est materia levis, & hæc determinari non poterit. *Dixi, vel saltem damnum plenè voluntarium*; nam per accidens fieri potest, ut delictum sit veniale, damnum 5.

num autem grave plenè voluntariè illatum v. g. decies furatus es solidum, sed ex post priùs advertis te complesse materiam gravem, peccasti tantùm venialiter, attamen obligaris ad restitutionem, non tantùm si solidi adhuc existant vel ex iis factus sis ditior parcendo rei tuæ, sed etiamsi casu perierint; *Ratio* est manifesta; nam quamprimum abstulisti primum solidum, tenebaris restituere eum, etsi casu periisset, ergo & secundum; idem est de reliquis, ergo teneris restituere omnes decem, & si non restituas, peccas mortaliter, quia scienter continuas damnum grave, ergo teneris sub mortali restituere non tam ob culpam venialem, quàm quia totum damnum plenè scienter intulisti. Contra dicta

6.

7. Objici possunt sequentia. 1. Omnis injuria formalis exigit reparationem, damnificatio gravis ex culpa levi est injuria formalis, ergo. 2. Hic unus damnum pati debet, vel Dominus domûs omnino innocens, vel qui domum cum culpa levi incendit, est autem contra æquitatem naturalem ut innocens potiùs patiatur, quàm qui aliqualis causa damni extitit. 3. Qui accipit rem alienam, prudenter præsumens Dominum non esse invitum, si ex post resciat revera invitum fuisse, tenetur restituere, & tamen nullam culpam admisit. 4. Si occidas canem Titii cum intentione satisfaciendi, non peccas saltem mortaliter, & tamen obligaris restituere. 5. Si abstulisti aureum putans invincibiliter esse materiam levem peccasti tantùm venialiter; nihilominus postquam cognoscis esse materiam gravem, teneris sub mortali restituere, etsi aureum amiseris; quia plenè scienter damnificasti in aureo. 6. Peccatum veniale causat pœnam purgatorii, & sæpe excommunicationem minorem, quæ sunt pœnæ graviores, quàm obligatio gravis restituendi; ergo etiam causat gravem obligationem restituendi. R. *Ad 1.* Omnis injuria exigit reparationem damni plenè voluntariè illati, *C.* secus *N. Ad 2. N. assumptum*: æquitas naturalis exigit ut res pereat Domino, nisi alius sit causa perfectè voluntaria damni, aut se ex contractu ad damnum reparandum obligarit, neutrum hic est. *Ad 3.* Vel res, quam ex præsumpto Domini consensu accepisti, adhuc existit in se vel æquivalenter, eò quòd propter eam peperceris rei tuæ, & tunc obligaris ex re accepta; si casu periit, ad nihil teneris, non ex re accepta, quia nihil ejus existit, nec factus es ex ea ditior, neque ex injusta damnificatione, quia feeisti id bonâ fide absque omni culpa, Domino ùt prudenter putabas non invito. *Ad 4.* Occidens canem Titii cum animo satisfaciendi se obligat ex interpretativo contractu ad restituendum, aliàs enim non excusaretur à mortali, inferrque damnum plenè voluntariè, sicut

sicut & ille, qui scienter aufert aureum, etsi putet eum esse materiam levem. R. *Ad .6 N.C.* pœna purgatorii respectu gehennæ & fori alterius vitæ est quid leve, sicut & excommunicatio minor quid leve reputatur: econtra obligatio gravis restituendi est quid grave respectu hujus vitæ, & culpæ veniali improportionatum.

8 QUÆR. III. Quæ culpa in contractu vel officio admissa obliget ad restitutionem? R. Quamvis communior sententia doceat, quòd contractus cedentes in solam utilitatem accipientis velut commodatum obligent ex culpa levissima juridica, *C. unico de commod.* contractus cedentes in utilitatem utriusque, ùt locatio, ex levi, *L. contractus de reg. juris*, contractus cedentes in utilitatem solius dantis velut depositum ex dolo & culpa lata, *l. cit.* idque ante sententiam judicis etiam in foro conscientiæ, etsi nulla intercedat culpa theologica. Rationem dant, quòd hæ leges sint justæ, & homines saltem virtualiter intendant contrahere juxta præscriptum harum legum; ergo vi contractûs obligantur ex sola culpa juridica à legibus expressâ, etsi nulla adsit culpa theologica, estque conforme æquitati naturali, ut eò exactior diligentia adhibeatur in servanda re aliena, quò
9 plus commodi ex ea percipitur; nihilominus probabilissimum est in foro conscientiæ, ante judicis sententiam neminem obligari ad compensationem damni ex sola culpa juridica, secluso speciali pacto assecurationis, sed omnino requiritur culpa theologica, uti explicatum est qu. præced. *Sa. V. culpa n. 2. Henriq. de irregul. c. 25. Sotus l. 5. de justit. q. 7. a. 2. Ledesma. Dian. p. 2. de cont. resol. 29. Lug. d. 8. nu. 106. Esparza. Haunold tr. 2. c. 2. n. 250. Reiffenst. Theol. mor. tr. 8. dis. 2. n. 41. 47. & seq. Sporer. n. 234. Ratio est 1.* Homines nec tenentur, nec volunt se juxta has leges, quas plurimi ignorant, obligare; sed secundùm legem naturalem, quæ solùm obligat ad reparandum damnum ex culpa theologica datum; nemo enim est, qui rei sibi commodatæ, locatæ vel in pignus datæ putet majorem ex justitia se custodiam habere debere, quam ipse Dominus rei suæ adhibere solet, scilicet ordinariam & humanam pro qualitate rei, magis vel minus pretiosæ, in majus vel minus commodum conceſſæ. 2. Hæ leges vel sunt merè pœnales, non obligantes in conscientia ante sententiam, vel in tanto rigore non sunt receptæ. 3. Advocati, Medici, Chirurgi, Artifices aliique similes obligantur ex contractu cedente in utilitatem utriusque (verè enim operam suam ergà stipendium locant alteri) & tamen non tenentur ex sola culpa juridica levi, sed requiritur lata theologica, ùt fatentur plerique, ergo nec alii. 4. Commodatarii, locatarii, &c. ad nihil

nihil obligantur, si res v.g. equus commodatus vel locatus pereat mero casu; sed si non intercedat culpa theologica, quoad conscientiam, verè res casu perit; ergo. Ex dictis deduces Regulam generalem: *quòd extra speciale contractum assecurationis res semper pereat suo Domino, nisi perierit ex alterius culpâ theologicâ.*

10. QUÆR. IV. Qualiter ad restitutionem obligetur, qui indirectè damnificat, seu qui alterius damnum quidem non intendit, prævidet tamen illud ad suam actionem secuturum? R. Ut talis restituere obligetur, debet damnum non tantùm esse prævisum, sed & actio ab ipso posita physicè vel moraliter in damnum prævisum influere; nam si illud non ex ipsius actione, sed aliunde sequatur, ipse non est causa damni, per consequens nec obligatus illud restituere, etiamsi præviderit aut etiam intenderit. v. g. Occidisti Petrum, quod homicidium prævides imputandum Paulo propter inimicitias, quas Paulus habuit cum Petro, ad nihil teneris Paulo ratione imputationis, quamvis illam intenderis; quia sola interna intentio non causat obligationem restitutionis, sed physicus vel moralis influxus in damnum; tua autem actio hoc casû non fluit in imputationem; non enim ideo occisio Petri imputatur Paulo, quia tu occidisti, sed quia Paulus habuit inimicitias cum Petro; econtra si usus es vestibus aut gladio Pauli, sepeliveris occisum in horto vel cellâ Pauli, teneris ad omne damnum ex imputatione homicidii emergens, quia actio tua, seu usus vestium & talis sepultura est causa, quòd homicidium imputetur Paulo; imò quamvis non sis causa imputationis, debes tamen resarcire illa, quæ Paulus propter tuum homicidium debuit restituere hæredibus Petri; cùm enim ipse loco tui innocenter satisfecerit, teneris eum servare indemnem. Ex dictis pro praxi

Inferes seqq. 1. ut quis obligetur ad restitutionem, debet ipsi damnum esse voluntarium, & saltem in confuso prævisum, v. g. incendisti ædes, teneris ad omnem supellectilem in eis contineri solitam & simul exustam, quia hanc satis in confuso cognovisti, non verò ad ea quæ per accidens in ea existunt & nullatenus à te sunt cognita. 11.

2. Si confringas vas fictile, vel occidas animal pretiosum invincibiliter credens esse levis momenti, non peccas mortaliter, nec teneris plus restituere, quàm credebas valere; quia plus voluntariè non damnificasti; idem est, si projicias gemmam, quam credebas esse vitrum.

3. Occidisti equum, quem putabas esse tui inimici, cùm sit amici, ad nihil teneris, non inimico, quia hunc non damnificasti, neque amico, quia hunc non damnificasti voluntariè, ex eadem causa *Tamb.* & alii apud *Viva opus. 1. q. 3. a. 3.* dicunt te ad nihil teneri, si volens occidere Titium, occidas Cajum,

Cajum ; probabilius tamen videtur per ejusmodi homicidium pollui Ecclesia, quia etsi illud non sit formaliter injuriosum occiso, est tamen formaliter injuriosum loco sacro, an verò talis incurrat irregularitatem, dicam infrà.

4. Si scias te in ebrietate solere damna inferre, & nihilominus te inebrias, obligaris inde secuta compensare, quia sunt sufficienter prævisa & voluntaria in causa.

12. 5. Si volens occidere feram cum levi negligentiâ occidas hominem; vel ex simili negligentiâ incautè custodisti venenum, ex quo moritur inimicus à te ad necem quæsitus; rem levem furaris ab avaro, quem prævides aut intendis ex dolore rei amissæ moriturum; probabiliùs non contrahis onus restitutionis; quia ad hoc non sufficit sola nocendi intentio sed requiritur actio externa contra justitiam, quæ physicè vel moraliter sit causa sufficiens & efficax damni illati; atque in casibus propositis actio externa est levis, parumque vel nihil in damnum influit : ita contra *Lugo Tamb. lib. 6. f. 126. P. 8. f. 322. Sporer. n. 55.* Neque obstat, quòd affectus internus sit mortaliter injustus : nam Judex putans se ferre sententiam injustam, cùm tamen sit justa, est graviter injustus internè, ad nullam tamen obligatur restitutionem, quia actio externa non fuit causa damni; atque in casibus positis levis negligentia vel furtum leve non sunt causa mortis secutæ, sed potiùs casus vel nimia avaritia, ergo. 6. Qui per levia furta sive ad-sive inadvertenter complevit materiam gravem, tenetur sub mortali ad restitutionem, sive ex furtis sit factus ditior, sive non: idem est, si accepit ex licentia falsò præsumpta, patet ex q. 2. 7. Si fureris res Titio commissas, prævidens aut etiam intendens, ut furtum Titio imputetur, non teneris ad damna Titio ex imputatione emergentia, quia furtum tuum non est causa imputationis; non enim ideo imputatur Titio, quia tu furatus es, sed quia res Titio fuit commissa, & liberum ad eam habuit accessum; idem est, si forniceris cum amasia Titii, prævidens fornicationem Titio ob familiaritatem cum amasia imputandam, si tamen obinde Titius cogatur alere prolem tuam, quoad hoc teneris eum servare indemnem, quia innocens fecit expensas, ad quas tu obligabaris; si verò es causa imputationis ponendo v. g. infantem ad ædes Titii cum scedula quòd Titius sit pater &c. teneris reparare omne damnum & infamiam Titio inde secutam; sola tamen depositio infantis ad ædes Titii non est sufficiens causa imputationis, quia ea imputatio ut plurimùm inde non sequitur. 8. 14. Si habeas rem alienam ex contractu cedente in solam tuam utilitatem, & res sit pretiosior tuâ, nec possis salvare utramque, te-

13.

teneris eam præferre rei tuæ, ita tamen, ut Dominus teneatur tibi rem tuam viliorem compensare, quia utiliter gessisti rem Domini; si tamen res tua sit alicujus momenti, & prudenter credas illam tibi non compensandam, non teneris rem alienam proponere, quia non censeris per contractum te voluisse obligare ad conservandam rem alienam cum
15. tanto tuo damno. 9. Si equus aut alia res tibi commodata pereat casu, aut sine culpa theologicâ gravi, ad nihil teneris ante sententiam; quod si fueris in morâ culpabili, equum scilicet determinato tempore non restituendo, aut ad usum non concessum adhibendo, plerique te obligant ad casum etiam fortuitum; sed etiam tunc plerumque adest culpa theologica gravis, quæ si absit, non est obligatio gravis. Si rem commodatam vel locatam remittas per nuntium, qui communiter creditur fidelis, si hic rem retineat, ad nihil teneris, secus si ejus fidelitas tibi meritò debeat esse suspecta. 10. Res mutuo accepta etiamsi casu & absque omni tuâ culpâ pereat, tibi perit, quia per mutuum acquisieras rei Dominium, res autem perit suo Domino. 11. An & qualiter ad restitutionem teneatur, qui rem alienam mutuo, commodato, vel furo acceptam in extrema necessitate consumit, dixi *Cas. 34. num. 6. 12.* 16.
Confessarius ex crassa & mortaliter culpabili negligentia vel ignorantia admonens vel suadens restituere, quando non est restituendum, aut consulens non restituere, quando est restituendum, tenetur consilium revocare, & si non possit, obligatur ad omne damnum pœnitenti vel alteri ratione sui consilii obveniens; quia per tale consilium est causa injusta damni; si positivè non suadeat, sed culpabiliter negligat monere pœnitentem de restitutione, ad nihil tenetur, non pœnitenti, quia hunc non damnificavit, nec creditori pœnitentis, quia huic ex justitia non erat obligatus procurare solutionem per monitionem pœnitentis; si pœnitens interroget, an hoc vel illo casu facienda sit restitutio, & silentium Confessarii habeat pro responso negativo, sicque restitutionem debitam omittat, omnino tenebitur Confessarius de damno, quia illud tacitè consulit. *Viva Opusc. 1. Q. 1. a. 3.*

CASUS

# CASUS XXXVIII.

## De concausis vel cooperatoribus ad injustam damnificationem, & de ordine restitutionis inter eos servando.

SAntinus *pro cura examinandus, quæritur.* 1. *An ad restitutionem obligetur Dominus, qui coram servis querulatur, quòd nullus eum vindicet de inimico, unde ipsi permoti inimicum occiderunt.* 2. *Quid si servi jam erant parati occidere, aut limites mandati excedant.* 3. *Quid si mandatum sit revocatum, aut ipsi simulent ejus ignorantiam, vel revera sint obliti, aut putent revocationem non esse seriam.* ibid. *Quid si Dominus mandatum revocare non possit, possit autem monere damnificandum, sed non nisi periculo vitæ vel infamiæ.* ibid. *Quid si damnum in sui gratiam factum ratum habuit; aut paratum in sui gratiam occidere non impediat.* 4. *Quid si ipse mandatarius propter executionem mandati vel consilii damnum patiatur.* 5. *Quid si revocet consilium.* 6. *Aut sit ipsi utenti nocivum.* 7. *Aut volenti furari suadeat, ut potiùs furetur rem Pauli quàm suam, aut timens ne sibi furetur ostendat thesaurum Pauli, vel suadeat ut furetur hoc die, aliàs furaturus cras.* 8. 9. *Quid si suo exemplo alios in damnum induxit.* 10. *Quid si plures mutuo suffragio, consilio, consensu in damnum influant, aut quis Titium condemnari faciat per unum verum & alterum falsum testem.* 11. *Quid de palpone.* 12. *De dante recursum.* 13. *De participante.* 14. *Quid si damnum non impediat.* 15. *Vel famulus Domino fures non prodat.* 16. *Et prodere alteri dissuadeat.* 17. *Quid in dubio an suum consilium sit causa damni, aut pro damno non satisfecerit.* 18. *& seq. quo ordine prædicti omnes restituere teneantur.* 21. *& seq.* Pro resolut.

QUÆR. 1. Quid circa concausas vel cooperatores ad injustam damnificationem?

Rr. 1. Non solùm qui damnum principaliter intulit, sed & omnis qui ad inferendum movit vel cooperatus est, ad restitutionem obligatur, utì certum est ex propositione 39. ab Innoc. XI damnata: *qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Nec obstat, quòd damnum absque eo causatum fuisset; nam sufficit quòd quis de facto in damnum physicè vel moraliter influat; tunc enim est vera causa damni, per consequens obnoxius restitutioni, ùt contra *Palud. Anton. Sylv. Nav. Tolet.* tenet *Cajet. 2. 2. q. 62. a. 7. Sotus. Medin. Valent. Rebel. Vasq. de rest. c. 9. dub. 1.* & alii communissimè &c. modi autem quibus

bus quis cooperari potest alterius damno, ex *D. Thom. q. 62. a. 7.* sunt novem, his versibus expressi: *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.* Sex primis modis concurritur positivè per actionem physicè vel moraliter influentem, reliquis tribus negativè damnum non impediendo. Et quidem

2. R. II. Ratione *Jussionis* seu mandati obligatur restituere quisquis expressè vel tacitè mandavit alteri inferre damnum, sive sit Superior, sive æqualis &c. explicitè mandat, qui verbo vel scripto jubet suo nomine damnum fieri, tacitè mandat, qui id clarè non asserit, significat tamen sibi placere ut damnum inferatur, ex quo alii moventur ad damnum inferendum; ùt si Dominus coram famulis suis dicat, quis me de tali vindicabit? quantum deberem illi, qui talem spoliaret, occideret &c. Excusatur
3. tamen à restitutione mandans: 1. Si mandatum non sit traditum executioni, quia tunc in effectu nullum damnum est illatum. 2. Si mandatarius ad inferendum damnum aliunde paratus per mandatum (idem est de consilio) nec motus, nec confirmatus fuerit, nequidem ad damnum celeriùs aut animosiùs inferendum; aliàs enim teneretur saltem in quantum interfuisset, damnum non ita celeriter & animosè fuisse illatum. *Azor Rebel. Vasq. n. 6. Bannes q. 62. a. 7. Ratio est*, quia ejus mandatum vel consilium in damnum non influit, etsi ipse peccet in affectu damnum, quantum est de se, intendendo. Excusatur. 3. Si mandatum verbo, scripto, vel nuncio fuerit efficaciter revocatum, ita ut omnibus mandatariis mediatis & immediatis innotuerit, quia si tunc pergant damnum inferre, non moventur authoritate seu voluntate mandantis, quam sciunt non ampliùs existere, sed malitia propria; idem est si mandatarii limites mandati excedant, ad illum excessum non tenebitur mandans, nisi eum vel ejus periculum præviderit, qualiter prævidisse præsumitur si periculum actioni mandatæ utcunque sit conjunctum, v. g. jussi percutere & vulnerare occidunt; ex mandato incendendi horreum simul conflagrant ædes & stabula vicina etsi contra voluntatem incendentium. Si mandatarius putet revocationem mandati non esse seriam, aut revocationis oblitus in vim mandati damnum exequatur, mandans adhuc tenebitur ad restitutionem, quia ejus authoritas perrexit movere mandatarium ad damnificandum. Si mandatum revocare velis, sed non possis, teneris monere damnificandum etiam cum æquali tuo damno ut sibi caveat; si nec hoc possis, adhuc teneris ad damna ex tuo mandato secuta, sicut si voluntariè injecisses ignem in tectum vicini, quem mutatâ mente velles restinguere, sed non posses.
4. Si damnum in sui gratiam jam 4.
factum

factum ratum habeat, ad nihil tenetur, nisi in quantum ex furto vel rapina factus est ditior, *Ratio est* quia nec physicè, nec moraliter in damnum influxit, utpote jam ex toto positum. Neque obstat Reg. 10. juris in 6. quæ dicit: *ratihabitionem retrotrahi & mandato æquiparari*, nam intelligitur tantùm de casibus in jure expressis, qualis non est præsens. 5. Si aliquis absque tuo mandato velit in gratiam tui aliquem mutilare, spoliare &c. Mulier ex te prægnans velit prolem occidere, si id scias, nec impedias cùm possis, *Molina* simpliciter te obligat ad reparanda damna, sed alii melius distinguunt cum *Laym*, vel enim alter scit suum malum propositum in tui gratiam conceptum esse tibi cognitum, tunc si non impedias, censeris illud gratum habere, & tacitâ approbatione movere; secus si ille ignoret te hoc scire, tunc enim tua approbatio ignorata quamvis fortè existat ad damnum movere non potest ideóque ad nihil teneberis, nisi ex officio vel contractu obligeris damnum impedire eò quòd damnificaturus sit tuus subditus, filius, servus &c. 6. Quid si 5. mandatarius propter executionem mandati mei damnum patiatur, vulneretur, mulctetur, in rotam agatur. R. Quamvis communior & verior sit sententia, quòd mandans debeat mandatarium servare indemnem, nisi aliter sit conventum, vel pretio sit conductus, quia mandatarius non suo sed mandantis nomine & periculo damnum infert; nihilominus probabile est, quod cum *Tamb.* docet *Sporer c. 3. n. 14.* si mandatarius sponte & liberè mandatum suscepit, mandantem ad nihil teneri, quia volenti non fecit injuriam, si verò vi vel fraude ad damnificandum impulit, non tantùm tenetur damnificato, sed & mandatario ad omnia damna quæ prævidit, vel tanquam communiter conjuncta prævidere debuit &c.

R. III. *Ex Consilio* tenetur omnis, 6.
qui rogando, monendo, promittendo, animando, motivum aut modum proponendo est causa damni, nisi consilium ita efficaciter prævièsit revocatum, ut non pergat amplius movere, unde si dedisti consilium v. g. ostendisti viam & modum, suasisti medium utile aut motiva, quæ non obstante tuâ revocatione pergunt movere ad inferendum damnum, teneris restituere, quia consilium tuum non est efficaciter revocatum, & revera adhuc influit in damnificationem; si nudè suasisti vel rogasti, aut consilium tuum fuit falsum vel inutile, & ante damnum illatum revocasti & ostendisti esse tale, es liber à restitutione, quia desiit ratio motiva, & si talis pergat damnificare, non à tuo consilio sed à sua malitia movetur. Hinc resolvuntur sequentia. 1. Si consilium tuum sit motivum 7.
ipsi utenti vel petenti, ad nihil teneris, nisi sit fraudulentum juxta Reg. juris 62. in 6. *nullus ex consilio nisi fraudulentum sit obligatur. Ratio est*, quia liberè petit & sequitur alienum con-

consilium & damnum infert non alieno nomine ùt mandatarius, sed proprio, ergo seclusâ fraude nulla ei fit injuria, fraudem autem committere censentur & per consequens ad reparanda damna ex suo consilio secuta tenentur consiliarii Principum, advocati, medici, confessarii, chirurgi &c. qui ex officio præseferunt scientiam muneri suo congruam, quam tamen non habent: si consulens dicat se non esse satis certum de veritate consilii, vel alter sciat ipsum esse imperitum, ad nihil tenetur, si alter ejus consilio temere usus damnificetur. 2. Semper est obligatio resarciendi damnum, quod utens tuo consilio infert tertio, ut si Cajus te consulente opprimat virginem, vulneret inimicum &c. quia hoc damnum injustè & inviti patiuntur ex tuo consilio: ad quid obligetur Confessarius malè consulens vel omittens pœnitentem de restitutione monere, dixi Cas. præced. n. 16. 3. Qui furi parato auferre 100. à Petro suadet tantum auferre 50. vel parato auferre Petro & Paulo suadeat tantùm ut auferat Petro, ad nihil tenetur; quia non causat damnum sed tantùm impedit ex parte, cùm non possit ex toto. 4. Qui volenti furari vel occidere nunc animo impediendi suadet ut fiat post dies 8. bene facit, quia utiliter gerit rem Domini. Econtra qui volenti occidere vel furari post octo suadeat ut occidat vel furetur nunc plerumque peccat, quia damnum impediri & voluntas malefactoris interim mutari potuisset; ideoque pro rata spei tenetur ad restitutionem. 5. Si volenti à Petro furari majus suadeas ut à Paulo furetur minus, item si furi indifferenti ad furandum à Petro vel Paulo suadeas ut furetur à Paulo ditiore, probabilius peccas contra justitiam, teneris que ad restitutionem, quia Paulus æquè habet jus in suum minus, quàm Petrus in suum majus. 6. Si fur seriò minetur mortem vel auferre meum thesaurum, nisi ostendam alienum, licitè id facio, quia ostensio se indifferenter habet ad furtum, & est gravis causa ostendendi; si fur velit sibi ostendi determinatè meum thesaurum, non licet ostendere alienum, quia est tantùm determinatus ad auferendum meum, si ergo ostendam alienum sum causa damni illati tertio, secus si indifferenter se habeat ad auferendum thesaurum quemlibet, vide dicta Cas. præc. 7. Sed quid si aliquem meo exemplo in damnum induxi? 8. Si tuo exemplo movisti Cajum ad actionem Cajo damnosam v. g. ad lusum noxium ad furtum propter quod mulctatur, ad duellum in quo vulneratus est, ad nihil teneris Cajo, quia Cajus in actionem periculosam liberè consentit. Si verò Cajus tuo exemplo motus sit ad inferendum damnum tertio v. g. ad percutiendum, mutilandum vel spoliandum Titium, probabilius teneris in defectu Caji resarcire hoc damnũ. *Ratio est*, quia Titius non consentit, &c

8. 9. 10.

& habet jus, ut sine gravi causa non ponatur actio, ex qua alter moveatur ad inferendum sibi damnum, idque est conforme propositioni 39. ab Innoc. XI. damnatæ sup. n. 1. de Theologo, Advocato vel Medico, qui docuit noxia principia, dicam Cas. 42. n. 3. ubi n. 5. dicam de eo, qui alium fraudulenter à religione abstraxit.

11. R. IV. *Consentiens* hic vocatur, qui suâ approbatione causa est ut damnum fiat, ut si quis consentiat vel subscribat tributo injusto, causæ vel electioni iniquæ necdum sufficienter concluſæ; si jam plenè concluſa sit, ejus approbatio est quidem peccatum injustitiæ internum, non tamen inducit onus restitutionis; quia damnum non causat, sed supponit. Si plures mutuo suffragio, consilio, consensu, cooperatione damnum inferant, aut ad inferendum se mutuò animent, singuli tenentur & quidem in solidum, si quilibet ita influat, ut cujusvis influxus se solo sufficiat ad totum effectum, ut si quilibet infligat vulnus lethale, plures consulentes suggerant motivum plenè persuadens, plures admoveant faculam ad horreum incendendum &c. aut si singulorum influxus non sit quidem se solo causa sufficiens ad totum damnum, est tamen causa necessaria, ita ut sine eo damnum non fieret, ut si septem vota sint necessaria ad iniquum tributum, ad condemnandum Innocentem, vel quatuor auferant cistam, quam tres ferre non valuissent, cùm enim tunc quilibet seorsim possit & debeat impedire totum damnum negando suum concursum, singuli concurrendo sunt causa totius damni: econtra si cujuslibet influxus se solo non sit sufficiens ad totum damnum, neque necessarius, ut si milites injustè devastent urbem, plures studiosi diripiant vineam, singuli probabiliter non tenentur ad totum damnum, sed tantùm pro sua rata & modo influendi, nam quamvis mutua præsentia se quodammodo animent, tamen singulorum concursus se solo non erat sufficiens causare totum damnum, & totum damnum absque hoc particulari influxu à reliquo cætu illatum fuisset. *Lessius. Lug. à n. 87. Sporer n. 68.* vocat sententiam communissimam. *Ratio est*, quia mensura restitutionis hic est influxus in damnum, ideóque non debet esse major obligatio, quàm sit influxus; cùm ergo influxus cujusvis militis vel studiosi se solo non sit sufficiens neque necessarius ad totum damnum, non est ratio cur singuli totum damnum in defectu aliorum reparare obligentur. Si Titium de vero crimine accusas per unum verum & alterum falsum testem, teneris Titio restituere totum damnum, quod inde sequitur, cùm enim unus testis non sufficiat ad Titium judicialiter mulctandum vel condemnandum, secundus testis erit causa quod Titius iniquè, id est crimine

mine plenè non probato condemnetur.

12. ℟. V. *Palpo* dicitur, qui adulando, ridendo, laudando, instigando movet alterum ad inferendum damnum, v. g. improperas offenso, quòd se non defendat ; laudas eos, qui injurias animosè vindicant &c.

13. ℟. VI. *Dans recursum* vocatur, qui damnificantem recipiendo, protegendo, res furis custodiendo vel emendo, aut quomodocunque patrocinando est causa, quòd damna continuentur vel non resarciantur, nisi fortè id fiat ex gravi metu, ex quo capite sæpe excusantur caupones & alii in locis solitariis habitantes, qui metu mortis fures, latrones &c. recipiunt.

14. ℟. VII. *Participans* seu cooperans injustæ damnificationi v. g. furi apportando scalas, aperiendo fenestras, servando excubias, exhibendo instrumenta &c. tenetur ad restitutionem damni inde secuti, alio modo dicitur participans, qui prædam cum fure dividit, sed hic si aliter in damnum non influat, tantum tenetur ex re accepta in quantum participavit.

15. ℟. VIII. Omnis negativè damnificans seu non impediens omne alterius damnum, cùm facilè possit, peccat quidem mortaliter contra charitatem, ad restitutionem tamen non obligatur, nisi ex justitia hoc est ex officio vel contractu damnum impedire fuerit obligatus, *Ratio est*, quia non ex læsione charitatis sed solius justitiæ oritur obligatio restitutionis, ùt patet ex dictis Cas. 37. n. 1. Quare *mutus* hic dicitur, qui ante damnum illatum non clamat, non monet &c. *Non obstans* qui quando actu fit damnum, non impedit, non defendit vel custodit rem sibi commissam. *Non manifestans* qui post damnũ illatũ non admonet, non revelat &c. Cùm tamẽ omnes ex officio, contractu vel stipẽdio ad hoc obligentur ; hinc resolv. seq. 1. Principes, Magistratus qui non impediunt damna quæ civibus à latronibus, aliisque pernitiosis hominibus inferuntur, Status Assessores, Consiliarii, Canonici qui tacendo vel se absentando non impediunt cum possunt tributum, causam vel electionem iniquam, administrator, tutor non avertentes damna Ecclesiarum vel pupillorum ; custodes portarum, sylvarum, telonarii, si non invigilent, deferant vel detineant eos, qui merces prohibitas urbibus inferunt, qui in sylvis ligna cædunt, vectigalia defraudant, omnes hi tenentur ad damna è suo neglectu emergentia, quia ea ex officio vel stipendio impedire obligantur : *sed petes*, an custodes vel similes ministri non manifestantes transgressores etiam teneantur ad mulctam, quam hi deberent pendere fisco ? ℟. Negativè, quia fiscus ante judicis sententiam nullum jus habet ad mulctam, & ministri ex officio tantum impedire tenentur damnum in re sibi commissa, non autem per mulctam locupletare fiscum, *Tamb. Lug. d. 37. n.* 101. aliud est de ipso 16. judi-

judice aut fisco, si mulctam ab ipso reo convicto exigere negligant, quia ex officio exigere teuentur, etsi oppositum quod tenet *Lug. n. 97.* etiam sit
17. probabile. 2. Si famulus cui custodia rei non est specialiter commissa advertat conservos ex ea furari, & taceat, non tenetur ad restitutionem, secus si advertat furari extraneos. *Ratio est* communis persuasio & consuetudo, vi cujus censetur servo semper commissa custodia rerum Domini respectu extraneorum, non verò respectu conservorum, nisi hi cum re furtiva vellent fugere, tunc enim habentur quasi extranei, *Lug. àn. 105.* ubi addit tunc famulo rem specialiter committi, si detur clavis v. g. cistæ, cubiculi, cellæ, granarii &c. 3. Qui suadet Titio non obligato ex justitia sed ex charitate volenti impedire damnum, ut non impediat, ad nihil tenetur, quia non magis tenetur quàm Titius, sed Titius non obligatur reparare damnum permissum, quia illud ex justitia impedire non tenebatur, ùt supponitur, ergo.

18. QUÆR. II. Quid in dubio an damnum quis causaverit, vel pro damno illato satisfecerit?

℟. Generaliter hic valet: *in dubio melior est conditio possidentis*, vide Cas. 2. n. 5. unde si dubites 1. An damno injusto sis cooperatus, an damnum causatum sit grave vel leve, an res tibi commodata, elocata, concredita &c. tuâ culpâ perierit, potes judicare pro tua libertate & innocentia quæ sunt in possessione & delicta non præsumuntur *Sylvest. Medin. Salon. 22. q. 62. a. 7. Lug. d. 18. n. 14. Bardi de conse. disc. 6. §. 10. & 11.* 2. Si mandasti vel consuluisti furtum, quod etiam secutum est, sed dubitas, an ex tuo consilio, teneris saltem pro rata dubii, quia possessio est contra te, & præsumptio pro efficacia consilii, nisi aliunde pro te sit præsumptio vehementior. Idem est, si consensisti tributo vel causæ iniquæ, & dubitas, an ante tuum consensum causa jam per majora vota fuerit sufficienter concluса. *Molina. Sanch. Lug. d. 19. n. 21.* 3. In dubio an res quam teneris restituere sit materia gravis vel levis, peccas mortaliter, si non restituas, quia exponis te periculo iniquè detinendi rem alienam gravem, & Dominus habet jus repetendi rem suam, sicuti est, sive magnam sive parvam. 4. In dubio an res quam ini- 19.
què consumpsisti apud Dominum fuisset melioranda vel plus valitura, quamvis delictum tuum sit certum, non teneris tamen nisi pro rata dubii, quia Dominus nec certum jus habet ad istum valorem, nec ejus possessionem, cùm dubium sit an Dominus illum unquam fuisset percepturus, nec pro jure dubio tantum restitui debet, quàm pro jure certo *Dicast. Sporer. Leseck p. 227. 5.* In dubio an ex re aliena bonâ fide consumpta sis factus ditior, ad nihil teneris, quia est possessio pro libertate usque dum constet rem alienam apud te adhuc æquivalenter existere. 6. Si debitum sit certum 20.

& probabiliter tantùm judicas te satisfeciſſe, ſaltem teneris ad arbitrium viri prudentis pro ratâ probabilitatis, ùt probabiliter docent *Laym. Dian. Tamb. l. 1. c. 3. §. 7.* eò quòd pro jure incerto non debeat tantum ſolvi quantum pro jure certo, nec obſtat, quòd videaris eſſe in poſſeſſione pecuniæ, qua te non tenearis ſpoliare pro ſolutione probabiliter tantum debita, tamen etiam lex ſolvendi ſeu debitum eſt in certa poſſeſſione, cui non videtur planè ſatisfieri per ſolutionem tantùm probabilem; nam licet debitor poſſideat pecuniam ſolvendam, id parum refert, dubium enim non verſatur immediatè circa ipſam pecuniam cujus ſit, ſed circa jus petendi debitum an ſit, & ideo dicitur creditor poſſidere, quia cùm debitum extiterit, & non conſtet eſſe extinctum, creditor poſſidet durationem debiti; quod clarè conſtat à pari, nam qui ex pœnitentiâ vel voto debebat eleëmoſynam dare, & dubitat, an dederit, etiam ipſe poſſidet pecuniam, & tamen in ipſo dubio non ſtat poſſeſſio pro ipſo ſed pro obligatione pœnitentiæ vel voti, quæ ſemel extitit, & non probatur extincta; ergo ſimiliter in præſenti Caſu non poſſidet debitor, ſed debitum ſeu obligatio ſolvendi, quæ ſemel extitit, & non probatur extincta, V. dicta Caſ. 5. n. 18 hinc ſi hæredes Titii in libro Titii reperiant capitale à Cajo ſuſceptum eſſe ſolutum, econtra hæredes Caji adhuc inveniant chyrographum, neque debitum in libris extinctum, hæredes Titii debebunt iterum ſolvere vel totum, vel factâ compoſitione arbitrio viri prudentis pro ratâ dubii, quia debitum eſt certum, ſolutio autem incerta.

QUÆR. III. Quo ordine damnificatores injuſti reſtituere teneantur? 21.

Ꝛ. 1. Ante omnes tenetur reſtituere, qui rem alienam in ſe vel in æquivalenti eò quòd ex ea factus ſit ditior detinet, vel malâ fide conſumpſit; *Ratio* patet, quia adeſt titulus rei acceptæ, quæ eſt radix prima & fortiſſima reſtitutionis. 2. Loco reſtituere obligatur, qui fuit cauſâ principalis & phyſicè executiva damni, id eſt, qui nemine mandante nomine proprio damnum intulit. 3. Si plures ad damnum concurrerunt, ante reliquos tenetur mandans, quia hic eſt cauſa principalis & ejus nomine vel gratiâ illlatum eſt. 4. In defectu cauſæ principalis, id eſt cauſâ principali nolente vel non valente reſtituere, tenetur conſulens, conſentiens, recipiens & adjuvans, abſque ullo tamen ordine, quia hæ cauſæ non ſunt ſibi ſubordinatæ, nec una agit nomine alterius, nec obligantur æqualiter, ſed plus minus alterâ in damnum influxit; ita quoad rem ferè omnes. *Ratio eſt*, quia qui fuit principalior & potior id damnificando, etiam debet eſſe potior in reſtituendo, ſed qui phyſicè & nomine proprio damnum intulit, magis & principaliùs damnificavit, quàm qui tantùm cooperan-

rantur & nomine alieno tanquam instrumenta damnum causant; ergo. *5.* Demum defectu causarũ positivè cooperantium tenentur causæ negativæ, idque sine ordine, quia in damnum propriè non influunt, sed purè non impediunt, nec una per se subordinatur alteri. *Ex dictis inferuntur sequentia.* 1. Si causæ minùs principales consumpserunt vel participarunt ex re aliena, tenentur primò & ante causam principalem restituere quantum participarunt, quia eatenus tenentur ex re accepta, quæ est prima radix restitutionis, unde his restituentibus causa principalis, quæ nihil ex præda participavit, est libera, ita ut si coacta fuerit loco aliarum solvere, hæ teneantur satisfacere principali, quæ succedit loco Domini. De cætero quando causæ minùs principales nil ex re aliena participarunt, tenẽtur tantùm in defectu principalis, quâ restituente sunt liberi, aut si coacti fuerint aliquid exsolvere, illud refundere tenebitur principalis seu mandans, quia egerunt tanquam instrumenta nomine mandantis, qui propterea tenetur eos servare indemnes. *S. Thom. q. 7. ad 2. 2.* Si plures communi consilio vel consensu damnum inferant, & unus solus totum restituat, tenentur cæteri contribuere suam partem. *Ratio est*, quia sunt socii injustæ damnificationis, ergo & debent esse socii restitutionis, quod si aliqui simul teneantur ex re accepta, in tantum primo & soli tenebuntur. *3.* Si mandans seu causa principalis sit dolo circumventa, ùt si Consiliarius Principi non intelligenti suadeat tributum aut bellum injustum, tenebitur primo restituere Consiliarius, quia mandans revera non fuit causa principalis & injusta damni, sed Consiliarius. *4.* Si remittatur debitum principali, etiam remittitur minùs principalibus, quia hi non obliganur nisi in defectu principalis, & illo solvente sunt liberi; ergo etiam sunt liberi si illi debitum remittatur: econtra si debitum remittatur uni causæ minùs principali, hoc ipso non remittitur principali aut cæteris minùs principalibus ob rationem oppositam.

22.

# CASUS XXXIX.

## De impediente alterius bonum.

TUbenius *timens* 1. *ne Cajus sibi beneficium vel hæreditatem præripiat tum falsa, tum vera sed occulta ejus crimina exaggerando aperit.* 2. *Sub prætextu quod sit indignus vel minùs dignus.* 3. 4. *Ægroto in favorem Caji testamentum facere volenti persuadet non esse vitæ periculum & Notarium haberi non posse,* 2. *amicum causam Caji recommendare volentem convitio & blanditiis in suam partem trahere; abundantiore potu ejus secreta expiscari, & tam diu detinere nititur usque dum opportunitas recommendandi pratereat.* 5. *Ex litteris Caji injustè apertis videt Cajum & Titium habere spem promotionis, eandemque utrique præripit.* 6. *Tempore famis negat se habere frumenta quæ vendere possit, ut cives accrescente fame ea cogantur solvere majori pretio.* 7. *Ut evadat mulctam crimen semiprobatum negat & innocentiam per falsos testes probat.* 8.

1. QUÆR. Qualiter ad restitutionem obligetur alterius bonum impediens? R. Qui impedit rationabiliter invitum à consecutione boni ex justitia commutativa debiti, seu ad quod habet jus in re vel ad rem, peccat contra justitiam & tenetur ad restitutionem damni illati, quia lædit jus rigorosum alterius, sive ex parte modi impediendi intercurrat vis aut dolus, sive non. *D. Thom. a. 2. ad 4.* Si verò bonum ex justitia non debeatur, velut eleëmosyna, beneficium & quodlibet donum gratuitum, impediens ad nihil tenetur, quia nullum jus lædit nisi intercurrat fraus, mendacium, detractio, vis vel injustus metus &c. tunc enim tenebitur restituere pro rata spei, quâ alter bonum erat consecuturus. *Ratio* est, quia quamvis talis non habeat jus ad bonum indebitum, quilibet tamen habet jus, ne vi, fraude, detractione à bono aliàs indebito impediatur: Ecce regulam generalem ex qua pro Resolutione Casûs

*Deduces sequentia* 1. Si absque vi, fraude, mendaciis vel detractione 2. facias quominus aliquis scribatur hæres, ad beneficium eligatur vel præsentetur, peccas quidem mortaliter contra charitatem, si id facias absque justa causa, non tamen contra justitiam, quia non habet jus, ut scribatur hæres, neque dignior ante electionem vel præsentationem jus rigorosum habet ad beneficium nisi dignior judicatus fuisset in concursu, tunc enim haberet jus ad rem, econtra si hos impedias vi, metu vel fraude, teneris pro rata spei; ut

si testatorem volentem disponere in alicujus favorem falsâ spe vitæ distrahas, aut si maritus minetur in casu reconvalescentiæ duriùs habere uxorem, nisi hoc vel illo præterito testetur in sui vel suorum gratiam, vel vocaturus Notarium simulet se eum reperire non potuisse, ne hic vel ille scribatur hæres, &c. 2. Si hæredem scriptum impedias quo minùs mortuo testatore adire possit hæreditatem, aut electum, quo minùs confirmetur, vel præsentatum, quo minùs ei collatio fiat, aut confirmatum à capienda possessione, etsi vis vel fraus non intercurrat, ad restitutionem teneris, quia omnes hi habent verum jus in
3. re vel ad rem. 3. Si zelo bono aliquem impedias à bono injustè vel vitiosè conferendo v. g. impedis quo minùs Petro vere indigno vel Simoniaco beneficium vel officium conferatur, aut ne consequatur legatum vel hæreditatem injustam, vera ejus crimina etiam occulta ad illum finem collatori vel testatori quantum opus est manifestes, non peccas nec restitutioni es obnoxius, quin potiùs laude dignus, quia maximè interest Ecclesiæ & reipublicæ beneficia & officia non conferri indignis, quod si id facias ex odio vel vindicta cum vi vel fraude, peccas quidem contra charitatem, imò & contra justitiam, si plus, vel coram pluribus quàm opus est eum infames, ita ut tunc tenearis ad restitutionem famæ, non tamen teneris ad aliquid pro bonis indebitis, quia ei sine peccato nec conferri nec ab ipso acceptari poterant. 4. Qui 4.
conferunt vel faciunt conferri beneficia vel officia scienter indignis, vel notabiliter minùs dignis peccant & ad restitutionem tenentur non quidem dignis vel dignioribus, qui propriè jus non habent, sed Ecclesiæ vel reipublicæ pro damnis secutis, huic enim collatores ex officio vel quasi contractu obligantur officia & beneficia dare dignioribus, ùt dixi Cas. 30. n. 2. & 13. quo casu primo loco restituere tenetur officium vel beneficium indignè obtinens unà cum fructibus indignè perceptis, secundo loco collator, tertio tu suasor vel promotor. Econtra si etiam per vim vel dolum præterito digno officium vel beneficium dari facias digniori ad nihil teneris, quia procuras ut collator faciat quod in conscientia facere tenetur. 5. Qui vi, fraude, mendaciis, detractionibus impediunt mercatores à lucro, pauperem ab eleëmosyna, famulum à servitio v. g. dicendo de mercatore quòd utatur iniquo pondere vel mensurâ, de paupere quòd non sit verè pauper, de famulo quòd sit negligens &c. omnes hi tenentur reparare damna emergentia. 6. Si Ser- 5.
vus vel procurator Caji mercede conductus nomine Caji beneficium petere vel litteras deferre debeat, peccas contra justitiâ & pro rata spei obligatis Cajo satisfacere, si hos etiam nudis verbis, precibus suasu vel convivio ab-

abstrahas quo minus beneficium petant vel litteras deferant, quia causa es, ut hi omittant quod facere ex contractu obligantur; ergo teneris ad damnum Cajo obinde emergens. Econtra si amicos gratis causam Caji promoventes convivio, blanditiis vel aliter absque fraude in tuas partes trahas, aut etiam bonis verbis vel hilariore potu animi secreta, quæ ex justitia reticere non obligantur, expiscaris, non peccas, quia non uteris vi vel dolo, & æquè jus habes eorum patrocinio fruendi, quàm Cajus; si verò tu eos dolosè inebries & detineas, ut tempus opportunum negligant, & tu interim officium vel beneficium præripias, teneris pro mensura probabilitatis & spei, quam habebat Cajus, si ejus amici non fuissent impediti. 6. 7. Si ex litteris Caji injustè apertis videas eundem habere spem promotionis, litteras verò tempestivè consignatas eâdem occasione ad Cajum destines, eumque ob haustam inde scientiam absque fraude prævenias. *Less. l. 2. c. 12. à num. 130. Dian. p. 3. t. 6. res. 33.* dicunt te ad nihil obligari, quia injusta litterarum apertio se remotè habet, & non hæc sed tua solertia impedivit Caji promotionem; sed probabilius est, quòd obligeris pro rata spei, quia iniquè acquirendo scientiam secreti es vera & justa causa impeditæ promotionis; idem est, si ex litteris Caji injuriosè apertis videas pretium certarum mercium esse augendum, & propterea Cajum in coëmendis ejusmodi mercibus prævenias; si Cajus litteras laceravit & abjecit, tu verò collectis fragmentis eas legeris, *Sylv. Laym.* aliique negant te ad quidquam teneri, quia Cajus litteras suas habuit pro derelictis; sed verius est oppositum, nam hoc ipso quòd litteras laceret secretum earum non habet pro derelicto, sed potiùs illud abscondere voluit, &c. 8. Si ex litteris Caji injustè reseratis videas Sempronium habere spem promotionis, & exinde eandem præripias, probabilius ad nihil teneris, quia illa reseratio non fuit injuriosa Sempronio. 9. Quid si vendens frumenta contra leges patriæ simulet se vendere pannos, vel neget se habere frumenta, usque dum creverint in pretio, talis enim dolo & mendacio causa est, ut cives ex post cogantur frumenta cariùs emere, ideoque videtur obligatus hoc damnum reparare. R. Talem probabilius ad nihil teneri, quia cives non habebant spem ista frumenta viliori pretio emendi, nisi ex ejus libero consensu, quem dare nec vult nec tenetur; ergo eos non impedit à spe melioris pretii; qui autem utitur dolo vel mendacio, sed per ea non impedit à bono vel spe boni, non est obnoxius restitutioni, quia damnum reale non infert. *Confirmatur*: Si duo æquè capaces instent pro beneficio & collator primo dicat non vacare beneficium, ut sic possit conferre secundo; quamvis utatur mendacio,

ad

ad nihil tamen tenetur primo, quia primus nec habebat jus nec spem ad beneficium, nisi dependenter à voluntate collatoris, quæ supponitur non esse. *Si dicas*: etsi cives non habeant jus ad frumenta, habent tamen jus, ne ab eorum emptione dolosè impediantur; idem est de eo, qui instat pro beneficio. R. *Distinguendo*: habent jus ut dolosè non impediantur ab emptione frumentorum, si habeant spem emendi, C. Secus N. idem est de impediente instantem à beneficio; si enim instans spem nullam habeat, damnum reale ei non infertur. *10.* Ex eadem ratione, qui negat crimen semi-probatum, non tenetur ad mulctam, quam aliàs penderé deberet, quia Judex vel Fiscus nec jus nec spem ad mulctam habent, nisi crimine plenè probato, quæ probatio in defectu unius testis merè dependet à confessione rei, quam ipse nec facere vult, nec ex justitia tenetur; neque obstat, quòd fortè mentiatur, nam per solam voluntatem tacendi, etiamsi mendacium non adfuisset, plena criminis probatio & per consequens mulcta impedita fuisset. Idem plures dicunt de eo, qui innocentiam per falsos testes probat, quod admitti potest, si absque eo crimen plenè probari non poterat, aliàs enim Judex habuisset spem certam mulctæ, à qua impeditur per falsos testes. Similiter si religiosus jussus instruere vel qualificare aliquem pro beneficio, dicat se non habere tempus, cùm tamen habeat, non tenetur ad aliquid, quia talis non habuit ullam spem qualificationis, nisi dependenter ab ejus voluntate, quæ non existit; si autem mendacio impediret, quo minùs ab alio instrueretur, utique teneretur pro rata spei.

## CASUS XL.

### De Radice restitutionis ex re accepta, & in specie de possessore malæ vel dubiæ fidei.

VItellius *aliqua incipit possidere dubitans, 1. An sint aliena, quæ apud ipsum perierunt, vel eorum Dominus reperiri non potuit. 2. Alia possidet partim bonâ, partim malâ fide. 3. Retinet vel consumit, etsi probabilius judicet esse alie-*



*na. 4. Putat se possidere vel consumere rem Petri, cùm tamen sit Pauli. 5. Detinet rem malâ fide. 6. Vel bonâ fide accepit à possessore malæ fidei. 7. Quæ res ejus expensis fuit meliorata. 8. Triticum alienum consumit in primo, secundo & tertio valore, n. 9, & sequentibus. Dubitat, an Dominus*

*triticum in summo valore erat consumpturus.* 14. *Res ex incendio ereptas retinet.* 15. *Eodem vel alio casu perdit.* 16. *Consumit vel destruit.* 17. *Plura accepit ad opus illicitum* 18. *Vel ad opus debitum v. g. ut solvat mutuum, ut non occidat, ut deponat odium, ut frequentet Ecclesiam.* 19.

1. Ex re accepta tenetur restituere, quisquis rem alienam bonâ vel malâ fide detinet, aut possidet; ille dicitur possidere bonâ fide, qui detinet rem alienam invincibiliter credens esse suam, vel saltem licitè à se detineri; ille possidet malâ fide, qui vel scit, vel culpabiliter ignorat rem esse alienam, vel saltem ab initio possessionis de hoc dubitat, & tunc etiam vocari potest possessor dubiæ fidei. Pro Resolutione Casûs

2. QUÆR. 1. Quid circa possessorem dubiæ fidei: R. *seqq. 1.* Qui incipit detinere rem, de qua dubitat, an sit aliena, si id faciat animo eam sibi retinendi, est fur, & tenetur ex iniqua acceptione reddere rem ipsam si existat, vel si perierit etiam sine ejus culpa, ejus valorem & omne interesse: si detineat animo eam Domino si comparuerit restituendi, non peccat, sed rectè gerit negotium Domini, quod si factâ diligenti inquisitione per tempus arbitrio prudentis sufficiens certum Dominum reperire nequeat, potest rem cum eo, de cujus Dominio dubitat, dividere, vel si non dubitet de aliquo in particulari sed in genere, an res sit aliena vel non sua, pro rata dubii dare pauperibus, hæc enim præsumitur voluntas Domini. 2. Si possederis rem per aliquod tempus bonâ, per aliud malâ fidè, teneris pro tempore bonæ fidei tantùm ex re accepta reddere ipsam rem si adhuc existat, vel in quantum ex ea factus es ditior; pro tempore malæ fidei insuper obligaris ex iniqua acceptione seu potiùs detentione; ita ut, si rem tunc consumpseris, vel etiam sine tua culpa perierit, tenearis solvere ejus pretium & omne interesse. 3. 3. Si possessori bonæ fidei superveniat dubium, tenetur quidem inquirere, si autem factâ inquisitione dubium deponi non possit, licitè rem sibi retinet aut distrahit, quia hìc melior est conditio possidentis. *Sylvest. Covar. Medin. Vasq. Turrianus* cum *Lug. d. 17. n. 89. Viva opus. 2. q. 2. a. 1.* Idque tenet, etiamsi post inquisitionem probabilius sit, quòd res, quam huc usque bonâ fide possides, non sit tua. *Vasq. Bonac. Arrag. q. 62. a. 1. Th. Sanch. l. 1. in Decal. C. 12. num. 9. Palao. Dian. Laym. Rosmer. Metzg. Petsch. p. 586. Lug. n. 93.* contra *Bann. Ledesma. Salon. Valent.* qui dicunt aliquid debere pro ratione majoris probabilitatis; nam licèt in pari dubio & probabilitate melior sit conditio possidentis, non tamen ubi impar causa est, uti hìc. Sed *Ratio* nostra est, quòd titulus possessionis præponderet omnibus aliis rationibus & præsumptionibus, sitque jus certum insistendi rei ut suæ, usque dum certò probetur rem esse alie-

alienam, quod non fit per majorem probabilitatem. *Card. Sfrondratus. Cardenas in 1. crisi d. 16. c. 8. a. 3. Croix l. 3. p. 2. n. 563. Sporer. t. 4. C. 2. n. 93.* 4. Si es in mala fide respectu unius, non autem respectu veri Domini, v. g. putas te possidere fundum Petri, ejusque fructus consumis, cùm tamen sit Pauli, cognitâ veritate teneris ex injusta acceptione fundum unà cum fructibus & omni interesse reddere Paulo; si verò ita fuisti comparatus ut non detinuisses fundum, nec fructus ejus consumpsisses, si scivisses pertinere ad Paulum, probabiliter tantùm teneris ex re accepta restituere fundum & fructus existentes, aut in quantum ex iis factus es ditior, non autem si casu perierint, quia consumendo fructus non fuisti Paulo formaliter injurius. 5.

6. QUÆR. II. Ad quid teneatur possessor malæ fidei? R. *Possessor malæ fidei tenetur restituere rem, si existat, aut si perierit vel consumpta sit, ejus æstimationem, nec non omne damnum emergens & lucrum cessans, sive res perierit cum ejus culpa vel commodo, sive non, dummodo eodem casu non fuisset peritura apud Dominum:* est Regula generalis & certa, ac colligitur ex *D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 6.* *Ratio* est, quòd possessor malæ fidei non tantùm obligetur ex re accepta, sed etiam ex injusta acceptione vel detentione, per quam est causa quòd Dominus re suâ ad lucrum & commodum suum uti non possit; ergo æquum est, ut reparet lucrum cessans & omne damnum ex suo delicto alteri obveniens; sed quid si tu quidem habeas rem bonâ fide, præcessor autem tuus habuerit eam malâ fide? 7.

R. Si sis successor universalis seu hæres, teneris non tantùm ex re accepta, sed etiam ex injusta damnificatione seu delicto non tuo sed testatoris, unde teneris ad omne damnum & lucrum cessans, quantum scilicet patiuntur vires hæreditatis. *Ratio* est, quòd hæres in jure censeatur eadem persona cum testatore & sicut succedit in omnia ejus jura, sic & in omnia ejus debita & obligationes, quod probabiliter etiam extenditur ad hæredes mediatos. Si verò non succedas ex titulo universali seu hæreditatis, sed titulo particulari emptionis, donationis, legati, &c. teneris tantùm ex re accepta, in quantum factus es ditior, quia talis successor non censetur eadem persona cum suo antecessore. Idem dicendum est de Superiore religioso, qui bonâ fide succedit antecessori malæ fidei non ut hæres in vim testamenti, sed ut administrator vi electionis vel constitutionis. Unde pro Resolutione Casûs

*Deduces seqq. 1.* Si res aliena apud furem vel malæ fidei possessorem melior facta est, v. g. equus vel bos crevit, ager melioratus est, in fundo arbores sunt plantatæ &c. restituenda est cum omni melioramento in- & extrinseco, detractis tamen expensis 8.

necessariis, quas ipse Dominus facere debuisset, nisi hæ expensæ per usum vel commodum ex re v. g. elocatione equi alieni acceptum fuissent compensatæ, tunc enim nihil detrahi posset pro expensis, sed totus rei valor Domino restituendus erit, melioramentum verò extrinsecum dicitur, quo res per intrinsecam sui mutationem fit melior, ut dum ex vitulo fit vacca, ex pullo equino fit equus, ex agro sterili fit fertilis, &c. extrinsecum est si res in se invariata hic & nunc pluris æstimetur ab intelligentibus, ut si triticum ob raritatem modò veniat 10. cùm ante venderetur 5. florenis &c. 2. Valor rei
9. tam in- quàm extrinsecus crescere quàm decrescere potest, ut si ex pullo equino valente 10. aureos crescit equus valens 100. & hic senescens decrescat iterum ad 10. aureos; item triticum in Augusto valet tres, in hyeme sex, in vere iterum tres aureos; quæstio est in quo valore res à fure ablata, consumpta vel destructa restitui debeat, & quamvis communis regula sit, non esse attendendum ad hunc vel illum præcisè valorem, sed ad ipsum damnum, quod per injustam rei ablationem, consumptionem vel detentionem Domino illatum est, ut tamen hoc damnum æstimari possit, attendi debet ad tempus quo iniquus detentor rem consumpsit, & tempus quo Dominus eam fuisset consumpturus vel destructurus, nisi ablata fuisset: itaque 3. Si fur mo- 10.
dium tritici furetur & absumat in Augusto, quando valet tres aureos, & Dominus pariter tunc erat consumpturus, sufficit reddere simile triticum vel tres aureos, quia Dominus non est plus damnificatus. Item si fur auferat & vendat pullum equinum, dum valet decem aureos, quem Dominus eodem pretio erat venditurus, satisfaceret reddendo similem pullum vel 10. aureos. 4. Si Dominus equum suum erat venditurus tempore medio, quando valebat 100, item triticum quando valebat sex aureos, vel ob defectum tritici proprii coactus fuerit emere aliud sex aureis, vel in tali valore triticũ suum erat consumpturus, in pauperes erogaturus &c. tenetur fur restituere summum illum valorem intermedium, scilicet 100. pro equo & sex pro tritico, quamvis ipse pullum vendiderit pro 10. & triticum pro tribus aureis; *Ratio* est, quia Dominus revera summum illum valorem erat percepturus, & fur iniquâ suâ acceptione causa est, quòd non percipiat, excipe nisi fur tam maturè reddat pretium pulli v. g. 10. aureos, ut Dominus eodem pretio similem pullum (idem est de tritico) facilè comparare & in tempus summi valoris reservare possit; si enim tunc pullum non emat, vel in tale tempus non reservet; non furi sed suæ negligentiæ damnum abscribere debet. 5. Si Dominus triticum [ idem est de equo ]

erat

erat consumpturus tertio tempore, quando ejus valor decrevit ad tres aureos, fur autem consumpsit vel vendidit tempore primo, quando similiter valet tres, tantùm tenetur ad tres aureos, quia Dominus plus damni passus non est, utpote in eodem valore triticum consumpturus. 6. Quod
11. si fur consumat, vel quomodocunque distrahat triticum tempore medio, quando valet sex aureos, tenetur solvere sex, licèt Dominus illud consumpturus fuisset tempore primo vel tertio, quando valebat tantùm aureos tres. *Lug. dis. 18. àn. 125.* contra *Less. Laym.* hic *c. 4. n. 6. Ratio est*, quia sicut triticum ita & totus ejus valor tam ex-quàm intrinsecus pertinet ad Dominum, & res tunc existens cum toto suo valore ex-& intrinseco ex justitia Domino restitui debebat; ergo fur non restituendo sed eam consumendo, vendendo, donando, destruendo &c. est causa iniqua, quòd totus ille valor Domino pereat: nec refert, quod Dominus triticum erat servaturus in tempus minoris valoris, nam damnum infertur pro præsenti, quando triticum valet sex aureos, ergo & sex restitui debent, & si Dominus triticum servasset ad valorem trium aureorum, se ipsum damnificasset, quod ei liberum erat, nunc verò eum invitum damnificat fur tempore summi valoris. *Dices* 1. Ad justitiam sufficit, si per restitutionem Dominus tantum habeat in rebus suis, quantum habuisset, si res non fuisset ablata, sed hoc fit si fur restituat pretium tertii temporis vel triticum simile, quando Dominus illud erat consumpturus, ergo. 2. Summus ille valor intermedius vel non spectat ad Dominum rei, cùm sit rei extrinsecus, vel si spectet, est Domino inutilis & nullius pretii, quia nunquam erat à Domino percipiendus, & quòd fur vendat tempore summi pretii, spectat ad industriam & fortunam furis, sicut si triticum vehat ad locum, ad quem Dominus non erat vecturus, ibique summo vendat pretio. 3. Si triticum tempore illo medio periisset incendio vel alio casu absque culpa furis, satisfaciet fur dando tres aureos vel simile triticum, quia tunc Dominus servatur indemnis, ergo à pari si consumatur. 4. Fur non tenetur ad omnem valorem & lucrum quod Dominus ex re sua percipere poterat, sed quod revera erat percepturus, atqui summum valorem nunquam erat percepturus, ergo. Ecce sententiam verè probabilem. R. *ad 1. negando assumptum*: æqualitas justitiæ requirit, ut Dominus tantum habeat, quantum habuisset, si res sua non fuisset: iniquè ablata, neque iniquè consumpta vel vendita; si enim fur tempore summi valoris triticum vel ejus pretium uti debebat restituisset, Dominus fuisset ad tres aureos ditior. *ad 2.* quamvis ille valor sit physicè tritico extrinsecus, est tamen moraliter in-

trinsecus, quia facit triticum æstimabilius, neque provenit ab industria furis, sed à communi hominum æstimatione, & vehens, vendensque cariùs triticum in remotiore urbe, totum valorem Domino restituere debet deductis expensis, ùt dicam Cas. seq. quòd autem Dominus non utatur illo medio valore, per accidens est, neque propterea censetur nullius pretii, sicut si non utar meo equo, adhuc retinet suum pretium, & si eundem occidas, debes tantum restituere quantum valuit tempore occisionis; ergo à pari consumens vel distrahens meum triticum, debet restituere totum valorem, quem habuit tempore consumptionis, etsi ego illo valore non essem usurus. *ad 3. N. assumptum*; nam fur est causa, quòd triticum in tanto valore apud ipsum pereat; si enim tunc restituisset uti debebat, incendio non periisset. *ad 4.* fur quidem non tenetur ad omnem valorem, quem triticum habere poterat, sed ad eum, quem actu habebat, quando illud consumebat, totus
12. enim valor ille erat Domini. 7. Si fur triticum tempore summi valoris non consumat vel distrahat, sed reservat usque dum valor ejus usque ad tres aureos decrescat, si Dominus etiam eò usque erat servaturus, satisfaciet reddendo triticum si existat, vel tres aureos, quia ille valor eodem modo decrevisset apud Dominum, ùt supponitur. 8. Si Dominus triticum suum erat distracturus
13. primo tempore, quando valebat tres aureos, & fur illud servet ad tertium tempus, quando itidem valet tres aureos, & tunc consumat vel distrahat, juxta *Sporer. t. 4. c. 2. n. 156.* sufficit reddere tres, & ita sentire dicit omnes, sed minùs rectè; itaque attendi debet, an Dominus, si fur triticum tempore summi valoris, uti debebat, restituisset in summo illo valore 6. aureorum erat consumpturus aut distracturus, vel econtra servaturus, usque dum decresceret ad tres aureos; si primum, tenebitur fur restituere summum valorem, id est, sex aureos, quia Dominus illum valorem erat percepturus & fur injustè triticum tunc detinendo est causa, quòd Dominus summum valorem non percipiat: si secundum, satis est restituere valorem tertii tempotis, vel simile triticum, quia ille valor eodem modo decrevisset apud Dominum; ex his facilè resolves, ad quid teneatur qui pullum equinum furatus est eumque reservat usque dum præ senecture moriatur, nam si apud Dominum eodem modo erat servandus & moriturus, nihil obligatur dare pro equo; sed satis erit recompensare omne lucrum cessans & dammum emergens; ut si defectu equi non potuit agros suos colere, aut debuit aliis culturam solvere, vel novum equum sibi emere &c. 9. In dubio an Dominus rem
14. suam erat in summo vel minore valore

lore distracturus, restitutio facienda est pro rata dubii arbitrio prudentis; non enim pro damno incerto tantum restitui debet, quantum pro certo, neque Domino dicenti se rem fuisse venditurum summo pretio, necessariò credendum est, nisi accedant alia indicia, ut si de re vendenda jam egisset. *Molin. Laym. Lug. L. cit.* 10. Qui res metu incendii
15. ejectas subducit, tenetur eas restituere Domino, quia non habentur pro derelictis, sed animo salvandi ejiciuntur; idem est de eo, qui res alienas incendio, inundatione vel devastatione hostium certò perituras eripit, quia manent sub priori dominio. *Si dicas*, consumens vel destruens rem in tali periculo ad nihil tenetur, quia res statim peritura nullius est pretii, ergo & eripiens. ℟. Consumens vel destruens rem à periculo jam liberatam & ereptam, ad nihil tenetur *N.* destruens nondum
16. ereptam nec eripiendam *C.* 11. Possessor malæ fidei etiam tenetur de casu fortuito, nisi res eodem casu & periculo v. g. serpente eodem incendio, eâdem incursione hostium, eodem naufragio erat peritura apud Dominum; tunc enim non tenetur nisi ad damnum quod Dominus fortè passus est ex carentia rei usque ad ejus interitum. *Ratio est*, quia tunc iniqua rei ablatio non est causa, quòd res pereat, quia similiter erat peritura apud Dominum; si dubium sit, an res similiter apud Dominum peritura fuisset, restitutio saltem facienda est pro rata dubii & probabilitatis; quod si res quidem erat peritura sed alio casu & per alterius injustitiam, ut si non surripuisses, occidisses &c. surripuisset vel occidisset alius, tunc qui alium prævenit in damno inferendo, etiam prævenit in obligatione restituendi. 12. Si 17.
rem ante incendium, inundationem, vel naufragium ablatam absumpsisti, vendidisti, destruxisti, teneris restituere illum tantum valorem, quem tunc ob imminens periculum habebat, quia tantum damni & non amplius illatum est; si verò periculum publicè ignorabatur, tunc sicut communis rei valor non minuitur, sic & secundùm illum valorem restitui debet ab eo, qui eam injustè destruxit, consumpsit, vel vendidit: si verò periculum sit publicum, & res salvari non possit, ùt in communi incendio vel naufragio, rem alienam consumens vel destruens ad parum vel nihil tenetur, quia res certò & statim peritura exigui vel nullius est pretii: idem est, si occidas hominem vel equum laborantem morbo occulto, ex quo certò erat moriturus, non teneris in quantum interfuit citiùs fuisse interemptum.

QUÆR. III. An sit obligatio 18.
restituendi id, quod quis accepit pro opere illicito vel aliàs debito?

℟. I. Si accepisti aliquid pro opere turpi, v. g. ut occidas, diffames, vel inebries proximum, ut feras iniquam

quam sententiam &c. opere illicito nondum præstito teneris acceptum restituere, quia opus sine peccato impleri non potest: postquam opus illicitum jam præstitum est, v. g. homicidium jam patratum, sententia iniqua lata, prostitutio corporis à meretrice obtenta, acceptum retineri vel promissum justè exigi potest, quia dans sponte à se abdicavit dominium rei datæ, vel se ad dandum obligavit sub conditione operis turpis, quod jam positum est. Nec obstant leges civiles ejusmodi contractus meritò improbantes, quia obligant ad restitutionem post sententiam, excipe ea quæ acceptæ sunt simoniacè, quia jura planè irritant donationes simoniacas: ita cum communi *Tamb. l. 7. à f. 190.* ubi addit mulierem non tantùm honestam, ùt vult *Lug. d. 18. n. 47.* sed & meretricem posse taxare usum sui corporis pro libitu, quia res quæ pretio statuto vel vulgari carent, tanti possunt vendi, quanti eas æstimat qui vendit. Si quid detur non pro ipso opere turpi, sed intentione animandi vel sollicitandi ad opus turpe, fornicationem v. g. illud licitè acceptari non potest, & acceptatum incontinenti reddi debet, non quòd accipiens vel retinens peccet contra justitiam, cùm alter sponte donet, sed quia fovet alterius peccatum & in facto dat spem explendi operis turpis, etiamsi accipiens in illud non consentiat, ùt dixi Cas. 21. n. 8. in dubio autem, an donatio fiat in ordine ad conciliandum amorem vel amicitiam honestam vel inhonestam, saltem ex causa acceptari & retineri potest; in dubio enim nemo præsumitur malus.

19. Nr. II Non potest exigi vel retineri quod promissum vel datum est pro re ex justitia debita, ut si judex accepit aliquid pro ferenda sententia justa, vel ut non occidat innocentem, ut solvat mutuum &c. restituere debet; *Ratio est*, quia dans aliquid pro re ex justitia debita, æquivalenter emeret rem suam: quod si res ex justitia sit debita non tibi sed alteri v. g. Cajo est debita omissio suæ occisionis, dubitatur an Titius volens occidere Cajum possit aliquid à te recipere & retinere eâ conditione, ut Cajum non occidat? affirmat *Sotus* & *Bannes*, nam quamvis habeat jus ad omissionem suæ occisionis, tu tamen non habes jus, & illa omissio est Titio libera, ergo Titius eam tibi vendere potest; nihilominus tenendum est oppositum, quia res aliena vendi non potest, sed omissio occisionis Caji non est Titii sed Caji, cui ex justitia debetur, ergo. *Dixi pro re debita ex justitia*; nam si res debita sit ex alia virtute, per se loquendo retineri potest, quod pro ea accipitur, ùt si detur pecunia ut deponas odium, ut frequentes Ecclesiam, relinquas turpia consortia, & neque hic est simonia, quia non dantur ùt pretiũ pro re spirituali, sed ut allicia-

ris

ris ad actum honestum vel deserenda peccata &c. per accidens tamen obligatio esse potest etiam restituendi quod acceptum est pro re ex alia virtute v. g. ex religione debita, v. g. voviſti certæ Ecclesiæ dare 100. aureos; ut votum exsolvas, Ecclesia tibi dat vel remittit decem, non satisfacis voto, nisi reddas 10. aliàs enim non dares 100. sed 90. & ex toto votum non impleres.

## CASUS XLI.

### De Possessore bonæ fidei & restitutione fructuum.

WIlhelmus Theologus *interrogatur, ad quid teneatur possessor bonæ fidei, an satisfaciat restituendo pretium rei existentis. 1. Quid si rem alienam consumpsit, vel in remunerationem aliquid accepit. 2. Quid si rem alienam miscuit suæ. 3. Vel in proprio & alieno agro aliena frumenta seminarit. 4. Quid si fur pecunias suis mixtas tibi donet. 5. Si rem alienam vendas, an Domino comparenti tenearis dare acceptum pretium. 6. 7. Quid si pretium sit furtivum. 8. Quid si utens veste & vino alieno pepercit suo pretiosiori. 9. Ad quales fructus teneatur possessor bonæ vel malæ fidei, & quas expensas valeant deducere. 10. & seq. An vendens rem alienam fiat Dominus pretii. 16. Quid si res emptori pereat, an venditor resciens fuisse rem alienam teneatur ei reddere pretium. 17. Quid si elocasti equum alienum quem Dominus non erat elocaturus, vel econtra: quid si ideo carius elocasti quia eum feciſti exerceri in palæstra. 18. An teneatur ad fructus quos percipere neglexit, & Dominus vel non erat, vel erat illicitè percepturus. 19. Quid si ideo plures fructus percepit, quia agrum melioravit, etsi fructus perierint. 20. Quid si circa rem habeat malam, circa fructus bonam fidem. 21. In cultura agri impendit sex aureos, cùm Dominus tantùm erat impensurus tres, vel econtra. Aut coactus fuit equum alienum ab hoste ereptum redimere. 22. An possit deducere expensas litis super re aliena sibi intentatæ, & quid si tempore litis res vitietur vel fructus consumantur. 23. Quid si quæstor nomine Domini sui emturus vel reluiturus pensionem annuam Domino ignorante uno anno citiùs eam emat vel reluat, an pensionem istius anni tanquam fructum industrialem sibi retinere possit. 24.* Pro resolutione

1. QUÆR. I. Ad quid teneatur, qui possidet rem alienam bonâ fide?

℟. *Extra Casum præscriptionis tenetur restituere ipsam rem & fructus existentes* ( de quibus infrà ) *vel in quantum ex re aliena factus est ditior.* Est iterum regula universalis & certa. *S. Thom. a. 6. Ratio est*, quia possessor bonæ fidei Domino rei nullam fecit injuriam, ergo non tenetur plus restituere quàm de facto possideat & in quantum ditior effectus est. Dicitur autem ditior factus, si ratione rei alienæ plus habeat in bonis suis quàm habuisset sine ea, ut si consumendo rem alienam pepercit suæ, si alienam gratis acceptam vendidit, permutavit &c. Dixi: *tenetur restituere ipsam rem* si existat & quidem in individuo, nec sufficit dare pretium æquivalens, non enim invitus cogi potest sine causa permutare vel vendere rem suam, idque ex genere suo esse peccatum mortale patet exemplo Naboth. *3. Reg. 21.* unde

2. Deduces *sequentia: 1.* Si possessor bonæ fidei rem alienam suâ culpâ neglexerit, destruxerit, prodigè consumpserit, non consumpturus, gratis donaverit, non donaturus aliam si illam non habuisset, ad nihil tenetur, quia non est factus ditior; unde si dono acceperis annulum alienum pretiosum, vel raram picturam, eamque dones Principi alioquin nihil daturus, Princeps quidem comparente Domino tenetur reddere annulum vel picturam, tu verò ad nihil teneris; *nec obstat*, quòd fortè aliquid in gratiarum actionem à Principe receperis, quia id accepisti non ùt rei pretium sed gratis pro bono affectu, qui ùt inculpabiliter conjunctus cum re aliena erat dignus remuneratione. 2. Qui alienum frumentum, pecuniam, oleum, vinum ita miscuit rei suæ saltem potiori aut valde notabili, ut discerni & separari non possint, ex dispositione legum fit Dominus rei mixtæ, & quidem si id fecerit bonâ fide, solùm tenetur in quantum factus est ditior, ùt si vinum acceptum suo miscuit, debet solvere ejus valorem, si pretio emerit ad nihil tenetur, quia non est factus ditior; si mixtio facta sit malâ fide, tenetur restituere valorem rei & omne interesse; idem est si rem alienam bonâ fide feceris tuam per accessionem, ùt si in tuo fundo seminasti aliena frumenta, ædificasti domum, plantasti alienas arbores jam radicatas, vel bonâ fide in rem alienam induxisti novam speciem, v. g. ex alienis arboribus fecisti asseres, fis quidem Dominus asserum, sed cum obligatione restituendi, in quantum factus es ditior; imò si ordinariâ arte nova species tolli & ad priorem formam reduci possit, nequidem fis Dominus, ùt si ex alieno argento vel auro facias scyphum, ex alienis asseribus facias

3. na-

navim, quia eâdem arte scyphus iterum in argentum vel aurum conflari & navis in asseres dissolvi potest; idem probabilius est de omni specificatione facta malâ fide, tunc enim inducens speciem non acquirit rei dominium, *L. 12. §. 3. ff. ad exhibendum*; sed tenetur ipsam rem cum omni damno & lucro cessante restituere. V. dicta *Cas. 23. à n. 22.* 3. Si in alieno agro aliena
4. frumenta seviſti, Dominus agri fit Dominus frugum, nec tibi tenetur quidquam reddere, nisi expensas & laborem; cujus autem frumentum fuerat, tenetur reddere æquivalens, quia in tantum fuit factus ditior; si ager fructus non ferat, ad nihil tenetur, quia ditior ex re alienâ effectus non est. 4. Si rem alienam
5. cum aliena miscuisti, non fis earum Dominus, sed quælibet retinet priorem Dominum, idem est si misceantur casu vel utriusque Domini consensu. *L. adeo ff. si voluntas & instit. de rerum divisione. §. si duorum.* 5. Si fur pecuniam vel frumenta ablata per mixtionem fecerit sua, & tibi donet, tutò retinere potes, quia non fis ditior ex re aliena, sed ex re pertinente ad furem; quod si fur propterea te sciente fieret impotens restituere, juxta *Molin. Castrop. de just. com. d. 1. p. 14.* adhuc licitè retines, quia non induxisti furem, ut tibi daret, ideoque causa non es, quòd fur fiat impotens, sed ex justa causa scilicet propter tuam utilitatem permittis illam impotentiam. Hæc sententia est probabilis; oppositum tamen videtur probabilius. *V. Cas. 45. n. 22.* 6. Si rem alienam bonâ 6.
fide possideas titulo gratuito, illamque vendas, teneris totum pretium restituere Domino ex post comparenti, etiamsi per mixtionem pretium feceris tuum, quia in tantum ex re aliena es factus ditior, nisi fortè ex tua industria vendidisses pretio extraordinario, tunc posses id quod respondet industriæ, retinere; secus est, si excessus pretii proveniat ex ipsa re, cujus valor in-vel extrinsecè crevit, ut si ex pullo equino gratis tibi donato factus est equus, aut frumentum alienum ob pecuniam summo vendidisti pretio, debes deductis expensis necessariis & utilibus totum restituere pretium; nam res semper est Domini, & Domino valet quanticunque valet, & factus es ditior non ex sola tua industria, sed præcipuè ex re aliena. 7. Si habeas 7.
rem alienam titulo non lucrativo, v. g. emisti bonâ fide equum Caji à Titio, eumque iterum vendis Sempronio; si Cajus probet esse suum, tenetur eundem Sempronius reddere; tu verò teneris Sempronio emptori reddere pretium, etiamsi illud perdideris vel pecuniæ tuæ indiscernibiliter miscueris, idque non ex re accepta vel injusta acceptione, sed vi contractûs venditionis, ex quo venditor emptorem obliga-

tur servare indemnem, seu præstare evictionem: si emptor non compareat, non teneris Domino equidire acceptum pretium, quia possessor bonæ fidei tantùm tenetur ex re accepta reddere ipsam rem alienam, si adhuc existat, vel in quantum est factus ditior; sed equus non amplius apud te existit, neque ex eo factus es ditior, cùm pro eo æquale pretium dederis; ergo. *Vasq. Mol. dis. 378. Bonac. Less. Lug. Viva op. 2. q. 2. a. 3.*

8. 8. Si fur pecuniis furtivis emat mercem, venditor tenetur Domino comparenti restituere pecunias, si adhuc impermixtæ existant, etsi à fure nequeat recipere mercem suam, quia res ubicunque existit clamat suum Dominum, quòd si venditor pretium bonâ fide miscuerit suis pecuniis, ad nihil tenetur, non ex re accepta, quia pecuniam per mixtionem fecit suam juxta *L. si alieni nummi ff. de solut.* neque ex pecunia furtiva factus est ditior, quia pro ea dedit mercem æquivalentem; neque ratione injustæ acceptionis, quia processit bonâ fide. Plura de merce & pretio furtivo dicam suo

9. loco. 9. Qui vestem pretiosam gratis bonâ fide acceptam attrivit, tenetur Domino comparenti solùm restituere vestem, ùt nunc est, & in quantum pepercit simili vesti propriæ. Quod si vestem pretio emit & attrivit, satisfacit reddendo solam vestem attritam, quia in nullo factus est ditior. Si consumens vinum alienum pepercisti proprio pretiosiori, non teneris reddere nisi valorem vini consumpti, plus enim alteri non debetur, & quòd pepercerisrei pretiosiori, est per accidens ex tua industria.

QUÆR. II. Quid circa restitu- 10.
tionem fructuum?

R. Seqq. 1. Fructus alii sunt naturales, alii mixti, alii industriales; *naturales* sunt, quæ proveniunt ex ipsa re, absque ullo ferè hominum labore vel industria, uti fœtus animalium, lana ovium, ligna cædua, herbæ, gramina &c. *L. fructus 45. ff. de usur. Industriales* sunt, quæ præcipuè proveniunt ex industria humana, re alienâ se habente ùt instrumentum, ut si alienâ falce pro stipendio labores, alienâ pecuniâ ludas, negotieris, aut censum emas, lucrum inde resultans censetur fructus industriæ. *Fructus mixti* sunt, qui producuntur & naturâ & industriâ notabiliter concurrente, ùt segetes ex agris, uva ex vineis &c. Alius item dicitur fructus civilis, eò quòd in foro civili habeantur tanquam fructus, ùt sunt pretium elocationis, pensiones, mercedes, salaria &c. Sed hi fructus reducuntur ad naturales, industriales vel mixtos, prout res ipsa vel industria ad eos magis vel minùs concurrit. Denique alii *fructus dicuntur pendentes*, puta qui in rebus, in quibus nascuntur, adhuc existunt: *alii*

per-

*percepti*, qui jam separati sunt à re, à qua proveniunt, etsi fortè adhuc jaceant ubi creverunt; *alii percipiendi*, qui percipi potuerunt, non autem sunt percepti. 2. Possessor bonæ fidei tenetur restituere omnes fructus naturales adhuc existentes, vel si non extent, in quantum ex iis factus est ditior, sive res apud Dominum illos fructus erat habitura, sive non. *Ratio* est, quia isti fructus proveniunt ex ipsâ re, non ex industriâ possidentis; sicut ergo res ipsa, sic & fructus sunt Domini, quia res fructificat suo Domino: excipe, nisi sint legitimè præscripti, fructus enim tanquam quid mobile triennio, res verò immobiles velut fundus, ager inter præsentes decennio cum titulo præscribuntur; unde patet fundum sæpe restituendum esse, non tamen fructus etiam existentes, utpote triennali possessione præscriptos. 3. Possessor bonæ fidei tenetur etiam restituere fructus mixtos, in quantum sunt naturales, non tantùm perceptos aut consumptos à tempore motæ litis, ùt clarè habetur *L. 22. Cod. de rei vindicat.* sed probabiliùs etiam perceptos ante contestationem litis; est communis Theologorum contra modernos jurisperitos, qui non improbabiliter docent, possessorem bonæ fidei omnino liberum esse, si fructus mixtos ante litem motam consumpsit, etiamsi ex iis sit factus ditior, fateturque *Sanchez* juxta hanc sententiam in foro externo pronuntiari. *Ratio* nostra est; fructus mixti, in quantum sunt naturales, proveniunt ex ipsa re, & sunt ejusdem conditionis cum naturalibus; sicut ergo hi juxta omnes restitui debent, in quantum possidens ex iis factus est ditior, sic & mixti secundùm partem, secundùm quam sunt naturales: *Et locupletari non debet aliquis cum alterius jactura, Reg. juris 48. in 6.* 4. Nec bonæ, nec malæ fidei possessor tenetur restituere fructus industriales, aut fructus mixtos, quantum respondent industriæ. *Ratio* est, quia hi fructus non proveniunt ex ipsa re, sed ex industria; sicut ergo industria pertinet ad eum qui eam ponit, sic & fructus ex ea proveniens; unde fur qui alienâ pecuniâ ludit vel negotiatur, lucrum inde perceptum restituere non obligatur; cùm enim pecunia ex se non sit fructifera, lucrum mediante eâ acquisitum est fructus industriæ. 5. Possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus naturales & mixtos, in quantum sunt naturales deductis expensis, sive ex iis factus sit ditior sive non, sive dominus eos erat percepturus sive non, sive cum culpa ejus perierint sive non: *Ratio* est, quia omnes illi fructus pertinebant ad Dominum rei, qui iis per injustam detentionem possessoris fuit iniquè privatus; ergo restitui debent.

11. 12. 13. 14.

Quos tamen nec ipse percepit, nec Dominus erat percepturus, hos compensare non tenetur, quia in his Dominus damnum passus non est. *Dixi: deductis expensis*: Quæ possunt esse in triplici differentia; primò sunt *necessariæ*, sine quibus res periret, deterioraretur, aut fructum nullum afferret. 2. *Utiles*, quæ faciunt, ut res sit melior vel majorem fructum afferat. 3. *Voluntariæ vel voluptuosæ*, quæ quidem conducunt ad majorem rei ornatum vel voluptatem, ùt picturæ, statuæ, artificiosi fontes, solaria, &c. non tamen causant majorem fructum &c. quoad duas primas expensas, communis est sententia, quòd eas Dominus in conscientia teneatur remittere, & si nolit, posse tamdiu in pignus retineri rem ejus, usque dum eas compenset; quia æquum non est, ut Dominus plus recipiat quàm damnificatus sit, & cum alterius damno locupletetur; idem est de compensatione laboris & industriæ, quam possessor pro conservatione vel melioratione rei facere debuit: si enim illa adhibita fuissent ab extraneo & soluta à possessore, deberet Dominus eas solvere tanquam expensas necessarias vel utiles; ergo etiam si possessor ea in propria persona præstiterit. Nec *obstat*, quòd leges possessori malæ fidei negent actionem petendi expensas; nam id statuunt in pœnam delicti, ideoque in conscientia non obligant ante 15. sententiam. Si tamen res apud Dominum existens non indiguisset ejusmodi expensis, nec Dominus eas erat facturus, eas deducere nequidem potest possessor bonæ fidei, quia non sunt Domino utiles, ùt latiùs explicabitur infrà. Expensæ voluntariæ nisi forsan Domino rei sint damnosæ, aut fructus rei impediant, etiam deduci possunt, in quantum faciunt rem in æstimatione prudentum meliorem, pluris vendibilem vel elocabilem, aut si salvâ re separari possint, ùt portæ, fenestræ, statuæ, horologia, insignia, &c. alienis prædiis affixa, id tam bonæ quàm malæ fidei possessori permissum est. Ex his pro ulteriori Resolutione Casûs

*Deduces seqq.* 1. Si vendas rem alienam, sive bonâ, sive malâ fide, fis Dominus pretii, *ex L. si vias 48. §. ult. ff. de furtis*; & quamvis videatur esse error in substantia, propterea quidem contractus non est simpliciter validus, hoc tamen non obstat, quo minùs ex dispositione legum aliquem effectum habere possit. Hinc qui tale pretium à te accepit, illud etiam impermixtum retinere potest: si autem Dominus repetat rem suam, teneris ex contractu venditionis emptorem servare indemnem, eidemque pretium restituere, etiamsi rem alienam vendideris bonâ fide. 16.

2. Si bonâ vel malâ fide vendam triticum alienum, quod emptori 17.

in

in via furto perit, non teneor emptori, postquam rescit triticum fuisse alienum, reddere pretium; quia venditor ex *L. cit.* fit Dominus pretii, & emptor habebatur tanquam verus rei Dominus, & æqualiter ei periisset, quamvis habuisset verum rei Dominium; ergo defectus dominii non fuit causa, quòd perierit. *Dices 1.* Contractus est nullus, quia vendidisti rem alienam & vitiosam, ergo non fis Dominus pretii, ergo teneris illud restituere. 2. Si vendas vitrum pro gemmâ, si probet emptor fuisse vitrum, teneris pretium restituere, etiamsi vitrum casu apud emptorem perierit. 3. Venditor tenetur emptorem servare indemnem, sed hoc non facit, nisi reddat pretium; ergo. R. Contractus ex una parte est validus transfertque dominium pretii in vendentem. *Ad 2.* Est error in substantia, & contractus ex utraque parte nullus, & traditur res vitiosa; triticum autem alienum non est vitiosum, quia emptori est æqualiter utile ac si esset proprium, & ipsi periit ùt Domino: & si argumentum teneret, deberem emptori restituere pretium, etiamsi frumentum alienum jam consumpsisset, quia tradidissem rem alienam & consequenter vitiosam. *Ad 3.* Venditor debet emptorem servare indemnem, si rem alienam coactus fuerit restituere Domino *C.* si eam ùt Dominus consumpserit, vel apud ipsum tanquam apud Dominum perierit *N.* & certè si venditor hoc casu ad præstandam evictionem teneatur pretium reddere emptori, ergo si triticum alienum gratis acceptum bonâ fide vendam, & hoc emptori pereat, tenerer emptori reddere pretium, quia vendidi rem alienam, & simul tenerer idem pretium solvere Domino tritici, quia cùm triticum gratis acceperim & vendiderim, in tantum sum factus ditior ex re aliena; consequens autem admitti non potest, quia possessor bonæ fidei sicut nullam habet culpam, sic nec ad duplicem ejusdem rei solutionem cogi potest. 3. Si elocasti equum 181
alienum, teneris pretium elocationis unà cum equo, detractis tamen expensis, Domino restituere, quamvis Dominus equum non erat elocaturus; quia hic fructus præcipuè provenit ex re aliena: si verò Dominus erat equum suum elocaturus, tu verò non elocaveris; si es possessor malæ fidei, adhuc teneris lucrum elocationis, quod Dominus erat percepturus, restituere; quia injustè detinendo equum es causa, quòd Dominus lucrum illud non percipiat. Idem est, si eloces rem alienam non elocari solitam, v. g. vestem pretiosam, torquem auream, &c. adhuc teneris pretium elocationis Domino restituere, quia non datur pro industria, sed pro usu ipsius rei, quæ suo Domino fructificat: econtra si ideo equum cariùs eloces, quia tuis expensis feci sti eum in pa-

palæstra exercerî, vel cariùs eloces alienam domum, quia eam tuâ suppellectile exornasti, &c. non teneris hunc excessum elocationis dare Domino, quia non est fru-
19. ctus rei, sed tuæ industriæ. 4. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus, quos ex re aliena percipere potuit, sed neglexit; non enim obligatur ex re accepta, quia nihil accepit, neque ex injusta damnificatione, quia nulla injuria formalis intervenit. Econtra possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus, quos Dominus licitè erat percepturus, etiamsi ipse nec perceperit, nec percipere potuerit; *Ratio* est, quia injustè detinendo rem alienam, est causa, quòd Dominus illos fructus non perceperit. *Dixi*, quos Dominus *licitè* erat percepturus: quia lucrum, quod Dominus licitè percipere non potuit, non teneris compensare, ut si Dominus pecuniam à te furto ablatam erat expositurus ad usuras, vel servam suam locaturus ad luxurias, quia nullum jus habet ad ejusmodi actiones, & impediendo ab actione peccaminosa nullam ei facis injuriam
20. 5. Si possessor malæ fidei rem intrinsecè melioravit, v. g. in alieno fundo plantavit arbores, quas Dominus non erat plantaturus, sive recipiat, sive negligat recipere fructus in iis natos, tenetur eos Domino fundi compensare; Idem est, si malâ fide stercoravit agros, ita ut loco sex jam producant 12. modios, tenetur deductis expensis restituere omnes 12. modios, etiamsi casu apud ipsum perierint. *Ratio* est, quia melioramentum illud intrinsecum, statim ut positum fuit, erat Domini, debebatque unà cum fundo restitui Domino; ergo illud injustè detinens tenetur ad omnia damna inde orta, inter quæ est jactura fructuum, &c. 6. Si quis malâ 21.
fide detineat rem, bonâ autem fide putet se fructus facere suos, si fructus non ampliùs extent, neque ex iis factus sit ditior, neque Dominus eos erat percepturus, non tenetur eos compensare, quia dominum in iis formaliter non damnificavit; si Dominus eos erat percepturus, tenetur eos compensare, quamvis ex iis non sit factus ditior. *Ratio* est, quia hoc damnum secutum est ex injusta rei detentione.
7. Expensas extraordinarias, quas 22.
Dominus non erat facturus, probabiliùs non potest deducere etiam possessor bonæ fidei, ut si in colendo alieno agro, eò quòd non habueris equos proprios, expositi sex aureos, Dominus autem tantùm erat expositurus tres, non potes deducere nisi tres, quia reliqui Domino non fuerunt utiles: colligitur *ex L. si fundo de rei vindicat.* Sed quid si Dominus debuisset exponere sex, tu autem exposuisti tantùm tres? R. Id pertinere ad bonam fortunam Domini, nec propterea tibi quid-

quam

quam retinere potes. Idem est, si bonâ fide emisti aliena frumenta, quorum vecturæ impendisti 4. aureos, quos Dominus non erat impensurus; vel in culturâ alieni ægri tibi præ labore moriatur equus, aut denique equus alienus tibi fuit ab hoste sublatus, à quo redimere debuisti, non tenetur Dominus has expensas utpote sibi inutiles tibi refundere. *Nec dicas*: expensæ redemptionis fuerunt necessariæ pro conservatione rei alienæ, & redimens utiliter gessit negotium Domini; ergo has expensas tenetur Dominus restituere. R. *N. assumptum*: Expensæ illæ erant tantùm per accidens necessariæ; nam si res apud Dominum mansisset pro sui conservatione, non indiguisset ejusmodi expensis, ùt supponitur, & quia equum non redemit ùt alienum cum animo restituendi, non egit
23. rem Domini, sed propriam. 8. Si possessor malæ fidei non percepit fructus ex re aliena, dubitat autem an Dominus eos erat percepturus, si dubium vincere non possit, tenetur tantùm pro rata dubii; si malâ fide cum Domino rei litiges, non tantùm rem cum fructibus, sed & omnes expensas litis teneris Domino refundere, ùt patet. Si bonâ fide litigasti, non teneris Domino, etsi rem suam evicerit, de expensis litis, neque etiam tuas expensas deducere potes, quia non fuerunt Domino utiles, nisi ratione rei alienæ sustinueris litem à tertio, quam Dominus rei etiam sustinere debuisset; tunc enim utiliter egisses rem Domini, eandem contra iniquum petitorem defendendo: imò possessor bonæ fidei post litem intentatam in tantum fit malæ fidei, ut si à tempore litis rem vel fructus consumat, teneatur ex injusta acceptione rem unà cum fructibus & omni interesse Domino
24. compensare. 9. Qualiter ille, qui pro altero emit, vendit, negotiatur titulo fructus industrialis, aliquid sibi retinere possit vel non possit, dixi Cas. 31. à num. 8. Sed quid si quæstor Caji sciat, quòd Cajus pro mille aureis apud quæstorem existentibus velit emere censum 50. aureorum, quæstor autem hunc censum uno anno citiùs emat Domino ignorante, an 50. aureos isto anno ex censu provenientes tanquam fructum industrialem sibi retinere potest? R. Si emerit censum istum sibi seu suo nomine & periculo, peccat quidem utendo pecuniâ alienâ Domino invito; fit tamen Dominus lucri, sicut fur qui negotiatur vel ludit pecuniâ alienâ; cùm enim pecunia ex se non sit fructifera, ille fructus non ex pecuniâ, sed ex negotiatione seu emptione census provenit; si verò censum emat nomine sui principalis, etiam huic debetur lucrum seu pensio. Idem est, si nomine sui principalis empturus pen-

sionem 40. aureorum, eâdem pecuniâ alibi emat pensionem 50. aureorum: similiter si quæstor sciat, quòd Dominus velit redimere & obnunciet uno anno citiùs Domino ignorante, qui postmodum per quæstorem suum jubet solvi mille aureos & unius anni pensionem, quæstor hanc pensionem retinere non potest, quia obnunciatio facta est nomine principalis; si enim non processit ex præsumpta ejus voluntate, est invalida, & pensio adhuc debetur Domino censûs. *Croix l. 3. p. 1. n. 1040.*

# CASUS XLII.

## De Restitutione in bonis Animæ & Corporis.

XAnthus *Titiam philtro infatuavit.* 1. 2. *Falsis & noxiis doctrinis ac consiliis imbuit.* 3. *Fraude ad peccandum induxit,* 4. *A religione abstrahere* 5. *Ac moniales ad neganda ei vota inducere conatus fuit.* 6. *Plures mutilavit & occidit, quærit ex Confessario an teneatur ad sumptus funeris, ad neglectas operas, ad expensas in medicos.* 8. *Ad quid teneatur hæredibus & iis, qui ab occiso alimenta, promotiones aliaque bona exspectant.* 9. *Quid si occisus ei omnia remiserit* 10. *Quid si occisus fuerit invasor, & fugere potuerit.* 13. *Quid si tantum excessit moderamen.* 14. *Quid si pugnam suaserit, vel socio in sui gratiam occidere volenti non contradixerit, & ipse socius vulneratus fuerit.* 15. *Quid si occidat aliquem paulo post morte naturali vel ex sententia judicis moriturum, vel ab alio lethaliter vulneratum.* 16. *Quid observandum Confessario homicida.* 17.

Nota. Quatuor sunt ordines bonorum. Ad ordinem supremum pertinent bona spiritualia, ùt virtus, gratia, scientia, innocentia. Ad secundum vita, sanitas & integritas corporalis. Ad tertium fama & honor. Ad quartum bona fortunæ: de quibus suprà. In præsenti 1.

QUÆR. I. An sit obligatio reparandi damnum datum in spiritualibus? 2.

R. Si damnum in spiritualibus sit reparabile per bona ejusdem ordinis, ex justitia reparari debet. *Ratio* est, quia quilibet homo non minus jus habet in sua spiritualia, ne iisdem vi vel dolo injustè privetur, quàm in temporalia; ergo sicut hæc, ita & spiritualia debent reparari, si possint in eodem ordine. Hinc

*Deduces seqq.* 1. Qui veneno, phil-

philtro, vel maleficio aliquem privavit usu rationis vel memoriæ, debet ex justitia eundem restituere quantum potest, congrua remedia adhibendo, maleficium tollendo, &c. & si non possit, obligatur omnia damna ipsi læso aliisque secuta
3. & prævisa resarcire. 2. Professor Theologus, Jurista, Medicus, &c. qui falsa & nociva principia etiam bonâ fide docuit, tenetur ea, si sine gravi incommodo possit, non tantùm ex charitate, ùt fatentur omnes; sed etiam ex justitia revocare, aliàs est causa damnorum inde secutorum cum obligatione pro iis satisfaciendi, *Lug. d. 8. num. 95. D. 39. à num. 24. Ratio* est; quamvis ista principia ab initio dederit sine sua culpa, postea tamen ipso sciente causant aliis damna; ergo ex justitia tenetur ea removere; sicut si inadvertenter incendisset alienas ædes, ex justitia tenetur ignem à se positum removere; aut si dedit medicinam noxiam, tenetur eam repetere, aliàs est reus homicidii; nam quamvis ignis ab ipso inadvertenter positus vel medicina bonâ fide præscripta ab initio erat causatura damnum involuntariè, ex post tamen damnum sequitur ex ejus actione voluntariè & scienter; ergo tenetur ex justitia causam à se positam removere, & si non removeatur, obligabitur compensare damnum &c. 3. Qui vi vel fraude
4. induxit alium ad peccatum mortale, tenetur vim & fraudem removere, juxta alios etiam, quantum in se est, seductum reducere ad pœnitentiam, ut gratiam, quam ob fraudem ipsius incautus perdidit, resipiscens recuperet. 4. Qui vi vel 5.
fraude abduxit adolescentem à religioione, tenetur ad omne damnum emergens tam adolescenti quàm religioni, & qui taliter impedit puellam à religione, præterea excommunicatur à *Trid. Sess. 24. c. 18. de regul.* & *Ratio* est; quia quilibet habet jus strictum, ne vi vel fraude à consecutione tanti boni impediatur: si verò id fiat absque vi vel fraude, v. g. ad probandam ejus constantiam, proponendo divitias & delectationes honestas sæculi, asperitates religionis &c. non est peccatum, etiamsi alter ex hoc à bono proposito desistat, quia liberè consentit, & religio non est bonum necessarium; si tamen vocatio adolescentis videretur quasi certa aut vita sæcularis sciretur ei esse periculosa; foret contra charitatem ei religionem dissuadere, quod à potiori tenet de eo, qui suo consilio à Monasterio abstrahit professum, sicut tamen professus non peccat contra justitiam, neque ad restitutionem damnorum Monasterio secutorum obligatur, sic nec consulens, nisi usus fuerit vi vel fraude, quia Monasterium in suum professum non habet jus proprietatis sed jurisdictionis, & dam-

num quod forsan causatum est, plerumque compensatur per assumptionem alterius æquè utilis vel melioris, *Salon. Bannes. Less. Illsung.*

6. *t. 4. D. 3. num. 59. 5.* Qui novitio absque causa negat votum ad professionem, peccat mortaliter cum obligatione restitutionis, si possit: *Ratio* est: quia Capitulares sunt quasi testes & judices super capacitate Novitii; sicut ergo judices ex justitia debent judicare juxta merita causæ & testes testificari verum, sic & hi. Deinde est tacitus contractus inter novitium & religionem, ut ipse sustineat onus probationis & econtra religio eum admittat, si repertus fuerit idoneus; ergo capacem repudiando peccant contra justitiam cum onere reparandi damnum, seu denuo eum recipiendi, si velit, &c.

7. QUÆR. II. Ad quid teneatur injustus vulnerator, mutilator, occisor?

℟. 1. *Cajet. Sotus. Rebell. Valent.* dicunt, pro ipso vulnere, brachio, oculo vel vita amissa deberi satisfactionem pecuniariam, etiamsi nulla damna realia inde secuta sint: vel probabilius oppositum docent *Ledesma. Bannes. P. Nav. Less. Laym. Dicast. Salmant. t. 13. c. 2. punct. 6. Lug. D. 11. num. 5. Metzg. t. 12. D. 27. a. 5.* Probatur 1. ex *Exod. 21. v. 19.* ubi imponitur restitutio pro expensis in medicos & lucris cessantibus, nihil autem pro vulnere. Idem habetur. *L. ult. ff. de his qui.* Probatur 2. *Ratione*: quia hæc sunt bona altioris ordinis, quæ nec pecuniâ æstimari, nec ad æqualitatem [ quæ est finis intrinsecus justitiæ ] reparari possunt. ℟. 2. Injustus vulnerator, mutilator, occisor tenetur ad omnia damna realia in bonis fortunæ secuta, juxta sequentes explicationes: *imò* Reparanda sunt omnia damna ante mortem secuta ùt expensæ in medicinas & medicos, jacta lucrorum, quæ eo tempore sanus pro se & familia fecisset, ùt si opifex, sartor, vel sutor ex vulnere inutilis factus sit ad opus suum, tenetur vulnerator restituere lucrum operarum, quibus carere debuit. *L. ult. ff. de his qui effuderint.* inter damna tamen non sunt æstimandi sumptus funebres, qui aliàs mortuo impendi debuissent, nisi ratione necis extra patriam v. g. illatæ majores sumptus fieri oportuerit, tunc enim compensandus erit ille excessus. *Metzg. n. 8.* & quidem præfata damna non tantùm reparanda sunt ipsi læso, si supervivat, sed eo mortuo etiam ipsi hæredi, sive necessariò sive non necessariò; quia hæres facit unam civiliter personam cum defuncto, & succedit in omnia ejus jura; ergo sicut compensatio damnorum debebatur occiso, dum adhuc vivebat, sic nunc ejus hæredi: est communis & certa. *Nav. Less. c. 9. dub. 24.* quòd si nulli sint hæredes, restitutio facienda est pauperibus, vel ad

pias

pias causas. *C. cum tu. de usuris*, quod *Auth.* communiter extendunt ad quodvis debitum restitutionis ex delicto, eò quòd hæc præsumatur esse voluntas defuncti, ut, cùm restitui non possint, ea non cedant in commodum delinquentis, sed ad pias causas in favorem animæ suæ.

9. II. Etiam damna mortem subsequentia reparanda sunt non tantùm hæredibus necessariis, hoc est, soli uxori, parentibus, & liberis ùt valde probabiliter docent *Marchant. Less. Sylvius 2.2.q.64. a. 2. Salmant. l. c.* & alii; sed probabilius etiam fratribus, sororibus, & omnibus iis, qui victum, amictum, aut alia bona ab occiso sive gratis, sive ex debito erant habituri; non in solidum sed secundùm spem consideratis occisi viribus, ætate, arte, industriâ, periculis &c. Si enim erat homo nobilis, otiosus, infirmus, ex cujus opera vel industria nihil sperandum erat, patet etiam nihil esse restituendum. *Vasq. Azor. P. Nav. Dicast. L. 2. t. 2. D. 7. n. 77.* consentit *Lug. n. 77.* si homicidium factum sit animo nocendi etiam extraneis; sed verius sufficit damna hæc esse prævisa, hoc ipso enim sunt voluntaria, quamvis directè non intendantur. *Ratio est*, quamvis hi omnes non supponantur habere jus strictum ad ejusmodi bona, habent tamen jus strictum, ne per injustam vim à spe ea consequendi impediantur; à potiori tenetur occisor solvere creditoribus occisi, quia his ex justitia tenebatur satisfacere occisus; cùm ergo hic ab homicida factus sit impotens, ejus loco tenetur solvere homicida: etsi id in praxi non observari testetur *Laym.* & oppositum doceat *Sylv. Less. Metzger l. c.* hæc sententia est probabilis & tuta. *Dices*: ergo homicida etiam tenebitur restituere iis, qui ab occiso erant promotiones, officia, beneficia, xenia vel eleëmosynas accepturi, aut ad prandium invitari solebant, quia hi omnes per homicidium à spe horum sunt impediti, hoc autem est contra communem sensum & praxin, teste *Lug. n. 75.* R. De rigore juris hæc omnia restitui debere, per accidens tamen plerumque excusatur homicida, eò quòd ea damna vel non præviderit vel ex communi sensu censeantur remitti.

10. III. Si occisus ante mortem homicidæ remiserit non tantùm offensam, ùt tenetur in conscientia, sed etiam omnem obligationem restitutionis; ad nihil teneri homicidam hæredibus vel aliis, qui spem habebant ad pinguiorem hæreditatem, alimenta, solutionem debiti &c. tenet *Bannes. Diana. Sanch. L. 1. Moral. c. 4. d. 14. Salmant. sup.* etsi condonans peccare possit contra charitatem, si uxor, parentes, vel filii valde egeant: *Ratio potest esse* 1. quia hæredes, à potiori, qui gratis aluntur, non habent spem ad ali-

menta vel ampliorem hæreditatem, nisi dependenter à voluntate occisi; sed hæc cessat factâ remissione, neque injusta vulneratio est causa remissionis, quia hanc fecit liberè, ergo. 2. Si vi impediam collatorem, quo minus Petro det beneficium, si ex post ignoscat mihi vim illatam & beneficium liberè det Paulo, ad nihil teneor Petro, quia collator Petrum non transiit propter meam vim, sed per liberam suam voluntatem; ergo à pari, si moriens mihi omnia remittat, non meum homicidium, sed occisi remissio est causa, quòd hæredes alimentatione vel pinguiori hæreditate priventur. 3. Si occisus consenserit in duellum vel pugnam, occisor ad nihil tenetur neque occiso neque hæredibus, ut infrà dicetur, quia censetur resignare juri suo, ergo. 4. Moriturus potest remittere damna ante mortem secuta, v. g. expensas in medicos, neglectas operas, aut etiam furtum 100. aureorum sibi factum absque hoc, quòd ad aliquid tenear hæredibus, etsi his obinde minor hæreditas obveniat: ergo etiam remittere potest defectum operarum post mortem, etsi obinde diminuenda sit hæreditas. *Probatur antecedens*: si ante mortem illas expensas vel 100. aureos furto ablatos solvissem, poterat mihi eos donare, ergo & solutionem remittere. His non obstantibus verius est occisum tantùm potuisse remittere damna sibi, non autem illata hæredibus vel aliis, qui ab ipso alimenta, hæreditatem vel solutionem debiti sperabant. *Lug. n. 63. Illsung. D. 2. n. 88. Metzg. n. 16. Ratio est*, quia homicida non tantùm læsit jus occisi, sed etiam jus rigorosum, quod habebant hæredes & alii, ne per vim impedirentur à spe alimentationis hæreditatis, solutionis, debiti &c. Hoc autem jus non spectat ad occisum, sed immediatè ad hæredes & alios, ergo ab occiso remitti non potuit. *Illsung. D. 2. n. 88. Confirmatur*: si vi vel fraude impediviſti Episcopum, quo minùs Titio digniori conferret beneficium, quamvis Episcopus post collationem alteri factam hanc vim vel fraudem tibi remittat, nihilominus teneris Titio satisfacere pro rata spei, quia non tantùm Episcopo, sed & Titio injuriam feceras. Sed idem est in casu præsenti, ergo. *Confirmatur* 2. occisus non potest remittere homicidæ injuriam reipublicæ vel legis violatæ, quin adhuc justitiâ vindicativâ puniri possit & debeat, ergo nec damna aliis illata. Ad argumenta opposita n. 1. Non tantùm à voluntate testatoris, sed & à potentia ulteriùs laborandi & acquirendi dependet spes pinguioris hæreditatis, vel alimentationis; quia ergo homicida hanc potentiam occidendo sustulit, est causa, quòd hæredes & alii priventur hæreditate & alimentatione, quam aliàs ex ejus vita & labore erant habituri *ad 2.*

N.

*N. conſeq.* collator ſublatâ vi meâ retinet adhuc potentiam beneficium Petro conferendi ſi velit, quia beneficium ſupponitur adhuc vacare; ſi ergo tunc prætereat Petrum, id non fit ex vi à me illatâ, quæ jam ceſſat, ſed ex liberâ ſuâ voluntate: econtra moriens è vulnere à te inflicto, etſi velit, non poteſt ampliùs ſuis lucrari, ergo defectus hujus lucri non ex ejus voluntate ſed ex tuâ occiſione contingit. *ad 3.* conſentiens in duellum non propriè reſignat juri ſuo acquiſito, ſed conſentiendo facit, ut contra occiſorem jus ad reſtitutionem non acquirat: nam conſentiens non patitur violentiam, ideoque nec ipſe, nec ejus hæredes ab acquirendâ ampliore hæreditate per violentiam impediuntur, quod tamen ad obligationem reſtitutionis requiritur; econtra quia non conſenſit in ſui occiſionem, etſi ante mortem damna remittat, attamen illa & ipſe & hæredes paſſi ſunt per violentiam & injuriam, ergo quamvis poſſit ſibi, non tamen poterit damna hæredibus jam injuriosè illata remittere &c. *ad 4.* moriturus poteſt remittere damna ante mortem illata ſibi *C.* aliis *N.* hinc ſi per tuam vulnerationem vel furtum factus ſit impotens ſolvere ſua debita, vel familia ejus jam caruit alimentis, aut aliis bonis, alioquin ab ipſo percipiendis, hæc damna à læſo remitti non poſſunt, quia id cederet in præjudicium aliorum, qui etiam læſi ſunt.

IV. Quòd ſi uxor occiſo marito æquè commodè nupſit vel nubere poſſit, aut eâ occaſione gratis ab alio alatur, occiſor nihil debet uxori, quia reipſa non fuit damnificata, & occiſor non obligatur uxori, niſi quatenus ipſe ſuccedit in obligationem mariti, ſed hic non tenebatur uxorem alere, ſi hæc aliunde habebat alimenta, ergo. Si occiſus nec uxorem nec liberos habet, neque habiturus fuiſſet, reſtitutio facienda eſt hæredibus ab inteſtato: ſi verò credebatur liberos habiturus, vel in illorum defectu alios hæredes ſcripturus, nihil debetur hæredibus ab inteſtato, quia non tam damnum, quàm commodum ex homicidio paſſi ſunt. 11.

V. Homicida per publicum ſupplicium à debito reſtitutionis non abſolvitur, ſed tantum ſatisfacit debito juſtitiæ publicæ, non autem privatis injuriis, niſi fortè hæredes occiſi homicidæ morte punito injuriam remittant, utì facere cenſentur ſi morte malefactoris contenti, cùm facilè poſſint, nihil petant. *Sot. Marchant. Leſſ. L. 2. c. 9. d. 22. Steph. t. 4. d. 5. n. 28.* ſi hæredibus nulla damna cauſata ſint, eò quòd occiſus fuerit perſona inutilis, otioſa &c. & nihilominus judex homicidæ imponat aliquam mulctam uxori vel hæredibus pendendam, ad illam ex juſtitia obligabitur, non quaſi debeatur reſtitutio pro ipſa læſione corporis, ſed ex eo, quòd 12.

uxor

uxor vel hæredes occisi per sententiam judicis acquisierint jus ad mulctam in pœnam delicti. *Lug. l. cit. Sporer à n. 236.* V. dicenda n. seqq.

13. VI. Si læsus vel occisus liberè in pugnam vel duellum consensit, ad nihil tenetur occisor, quia censetur juri suo ad petendam satisfactionem renuntiasse; idem est, si læsus vel occisus sine gravi damno vel infamiâ fugere potuit, sed noluit, volens se defendere; nam quamvis invadens tunc sit verus homicida, non tamen tenetur ad damna ex homicidio secuta, quia occisus non fugiendo, cùm facilè posset, in pugnam consensit. Secus si metu gravis infamiæ vel damni fugere non potuerit; quòd si ipse invadens occidatur, ad nihil tenetur invasus, etiamsi fugere facilè potuerit, licèt enim tunc peccet non tantùm contra charitatem, ùt vult *Molina, Sporer. t. 5. c. 3. n. 217.* sed etiam contra justitiam, quia quilibet habet jus, ut non occidatur privatâ authoritate, nisi pro necessaria defensione; sed defensio non est necessaria, ubi quis commodè fugere potest, ergo: non tamen tenetur reparare damna, quia occisus hoc ipso, quòd alterum invaserit, in hæc damna consensit, sicut consentit provocans ad duellum. Idem est, si alterum convitio affecisti vel in adulterio deprehensus impetaris & fugere non possis, potes te defendere, & si opus est occidere, nec teneris ad restitutionem, quia alter injustè te aggreditur, & hoc ipso in periculum consensit. *Sylvest. Less. Bannes. 2.2. q. 64. a. 8. q. 1. Dicast. n. 93.*

14. VII. Qui in defensione etiam justa excedit moderamen inculpatæ tutelæ, tenetur ad damnum ex illo immoderamine emergens, v. g. Titius Cajum per unum vulnus ita læsit, ut ampliùs nocere non possit, si superaddat secundum, vel ipsam mortem, tenetur ad omne damnum ex secundo vulnere vel ipsa morte secutum; tum quia hæc damna causavit per gravem injuriam; tum quia aggressor, etsi consenserit in pugnam non tamen in illum excessum, sicut provocans ad duellum consentiat, non tamen in hoc ut à provocato contra leges duelli occidatur, ideoque sic occidens tenebitur provocato ad damna indè orta.

15. VIII. Si Cajo suadeas pugnam vel duellum, in quo Cajus læditur vel occiditur, ad nihil teneris Cajo, nisi consilium fuisset fraudulentum, quia liberè consensit: si verò tertius ex tuo consilio invitus & injustè lædatur, mutiletur &c. teneris in defectu principalis resarcire damna, quia causa es, quod hæc injustè & invitus patiatur: si te cum Titio pugnante tertius se pugnæ immisceat & lædatur, nec Titius nec tu ad aliquid teneris, quia sponte se periculo exponit; si verò te injustè pugnantem adjuvare & adversarium tuum in tuî gratiam occidere velit, si non contradi-

tradicas cùm possis, censeris implicitè occisionem mandare, quia propter tuam taciturnitatem putat id tibi placere, & ideo movetur ad occidendum in tui gratiam; ergo teneris ad damna per ipsum illata.

16. IX. Qui occidit Cajum paulò pòst morte naturali vel ex justâ judicis sententiâ certò moriturum, etsi sit verus homicida, non tamen tetur restituere, nisi quanti interfuit eum citiùs esse occisum; si verò occidat Cajum injustè occidendum ab inimico, tenetur ad omne damnum secutum. *Ratio est*; quòd in priori casu illa damna absque eo erant justè secutura absque onere restitutionis, in 2do verò casu erant secutura injustè cum onere restitutionis; qui ergo primo injustè occidit & ista damna voluntariè causat, tenetur etiam pro iis restituere. Si Cajus ex vulnere accepto à Titio erat certò moriturus; si superaddas aliud ex quo citiùs moritur, tantum teneris restituere quantum nocuit citiùs fuisse occisum, sicut si domui conflagranti & citiùs spe auxilii certò exurendæ adjicias ignem; *Ratio est*; quia illa damna andecedenter erant quasi causata, & tua vulneratio etsi injuriosa sit, novum damnum non causat &c.

17. X. Confessarius antequam homicidam absolvat, reflectere debet ad sequentia: *primò*, *quis* occiderit vel mutilârit; nam omnis voluntariè occidens vel mutilans, aut etiam mandando, consulendo, arma præbendo, aliterve cooperans fit irregularis, & quidem in hac irregularitate ex homicidio voluntario etiam occulto proveniente solus Papa dispensare potest: & qui in irregularitate S. Ordines suscipit, vel in susceptis ministravit, toties quoties novum peccatum mortale admisit. 2. *quis* occisus fuerit, an pater, mater, filius vel alia persona proximè conjuncta, est enim tunc speciale peccatum contra pietatem: an Clericus, Episcopus, Archi-Episcopus &c. quia tunc præter speciale peccatum Sacrilegii incurritur excommunicatio Papæ reservata. 3. *Quo loco* occisus vel vulneratio facta sit, an in Ecclesia; tunc enim habet speciem Sacrilegii, & si facta est immodica & injuriosa sanguinis effusio, Ecclesia est polluta. 4. An & quot socios ad alium lædendum adhibuerit, nam tot commisit peccata scandali. 5. Quanto tempore alium occidere vel lædere intenderit, quoties intentionem renovârit, toties enim admisit distinctum numero peccatum. *Ratio* horum est, quia Confessarius debet cognoscere numerum & speciem peccatorum, & posse imponere proportionatam pœnitentiam, sed hoc fieri non potest nisi ad præmissa attendat, ergo. 6. Quamvis verior sit sententia, quòd homicida ex justitia nihil teneatur restituere pro vitâ occisi, meritò tamen consulunt

sulunt DD. ut Confessarius homicidæ imponat opera spiritualia, preces, sacrificia, eleëmosynas per aliquot annos applicanda animæ occisi, sive ad hæc ex justitia obligetur, sive ex sola charitate.

# CASUS XLIII.

## De Restitutione ex stupro & adulterio.

YSander *vi metu, mendacibus promissis, importunis precibus seduxit Wagiam. Quæritur 1. An teneatur eam ducere, vel sufficiat dotare. Item an teneatur ad totam dotem. 2. Quid si res manserit occulta, vel tandem per ipsum stupratorem propalata. 3. Quid si stuprator ipsam ducere velit, sed ipsa nolit, an teneatur adhuc dotare. 4. Quid si dotare non possit, an teneatur ducere. 5. Quid si existat in voto vel impedimento. 6. Quid si defiorata invito patre ipsi omnia remittat. 7. Quid si ipsa per solos tactus & oscula infamata sit. 8. Quid si liberè vel ex metu reverentiali in copulam consensit, & obinde pater cogatur ejus dotem augere. 9. Quid si nata sit proles & procus neget se esse patrem, aut neget eam fuisse virginem, vel probet plures cum ea rem habuisse. 10. Quid si sub vera vel ficta spe matrimonii defloravit. 11. Quid si ipsa vel ipse existat in voto. 12. An teneatur dotare si non possit obtinere dispensationem, vel ipse sit longè nobilior vel ditior. 13, 14. Quid si ipsa se finxit virginem, vel saltem ipse credidit esse talem, vel dubitavit. 15. Quid si ex post fornicata est cum alio. 16. Quid si parentes nolint, ut defloratorem ducat, eò quòd sit minùs dives. 17. Quid si ex matrimonio timeantur scandala, discordiæ. 18. Casus appertinens: De restitutione ex adulterio. Idem Ysander dicitur suscepisse prolem ex aliena conjuge. Quæritur, quis teneatur prolem alere aliaque damna compensare. 19. Quid si adultera non habeat bona propria. 20. Quid si restitutio fieri non possit sine manifestatione adulterii. 21. An filius teneatur credere matri asserenti ipsum esse spurium. 22. Quid si mater sit prostitutæ famæ, vel tantùm debeat se infamare apud filium. 23. Quid si mater filiis dicat: unus ex vobis est spurius, & filii nolint ut spurius nominetur, an mater sit libera. 24. Quid in dubio, an proles sit adultera. 25. Quid si proles certò sit adultera, sed dubitetur, quis ex pluribus adulteris sit pater. 26. Quid si mater prolem exponat ab aliis alendam.*

Suppositis iis quæ dixi *Cas. 11. à n.* 4. vi-

4. videlicet quòd ſtuprum propriè dictum ſit concubitus cum fœminâ vel potiùs virgine invitâ ſeu non conſentiente ; etſi etiam ſæpe ſumatur in ſenſu latiſſimo pro quolibet concubitu illicito. Adulterium autem ſit concubitus cum alieno vel alienâ conjuge.

1. QUÆR. I. Quid reſtitui debeat pro illato ſtupro, defloratione?

R. 1. *Qui vi, fraude, vel injuſto metu puellam ad copulam induxit, tenetur disjunctivè eam vel in matrimonium ducere, ſi ipſe & ipſa velit, vel omnia damna inde ſecuta reſarcire*, v. g. prolem alere, defloratam dotare, non quidem in toto ſed dotem aliàs à patre dandam ita augere, ut æquè commodè & utiliter nubere poſſit, ac ſi non fuiſſet corrupta; & ſi corruptor ſe ad hæc offerat, non tenetur eam ducere ante judicis ſententiam, etiamſi id ipſa vel parentes urgeant. *Navar. Bannes. Sylvius q. 62. a. 2. Sporer Theol. Sacram. p. 4. c. 2. à numer. 594. Pirhing lib. 5. decret. t. 16. numer. 44. Engel ibid. numer. 11. Reiffenſtul. L. 4. t. 1. numer. 71.* colligitur ex *c. 1. de adult. & ſtupro. Ratio eſt*, quia defloror matrimonium determinatè non promiſit, ergo ſatisfacit ſi defloratam vel ducat vel ita dotet ut æquè utiliter ac antè nubere poſſit. Ex his

2. *deduces ſeqq.* 1. Si defloratа nullum damnum paſſa eſt, eò quòd res manſerit occulta, & æquè honeſtum ac utile matrimonium ſecuta ſit, ad nihil tenetur injuſtus ſtuprator ; non enim debet aliquid pro integritate corporis, quia hæc eſt irreparabilis & pretio non æſtimabilis ; neque pro damno temporali, quia ſupponitur nullum eſſe ſecutum, niſi defloracionem occultam ; revelando eam diffamaſſet & ab honeſto conjugio impediviſſet, tunc enim teneretur non tam ex defloratione quàm diffamatione eam ducere vel dotare. *Vaſq. Leſ. Lugo d. 12. à numer. 6.* 2. Si corrupta ſtupratorem ducere nolit, adhuc 3.
tenetur eam dotare, quia injuriam ſtupri paſſa eſt, & Innocens ad matrimonium, quòd maximè oportet eſſe liberum, ſine nova injuria cogi non poteſt, *c. 1. de adul. & ſtup.* 3. 4.
Si injuſtus corruptor vitiatam dotare vel damna compenſare non poſſit, tenetur ſi ipſa velit eam ducere, niſi magnus ex parte ſua foret conditionis exceſſus ; *Ratio eſt*, quia eam injuriosè à congruo matrimonio impedivit. ergo ſi damnum pecuniâ compenſare non poſſit, tenetur eam ducere etiamſi exiſtat in voto vel alio impedimento, v. g. 5.
conſanguinitatis, affinitatis &c. modò in eo diſpenſari ſoleat & adſit cauſa diſpenſandi ; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria & neceſſaria, quale hic eſt petitio diſpenſationis. 4. Poteſt corrupta 6.
etſi adhuc ſub patria poteſtate conſtituta patre invito hanc obligationem ſtupratori remittere, quia patri

nulla facta est injuria, & ipsa juri suo cedere potest, cùm ei liberum sit à nuptiis abstinere. *Pirh. numer.*
7. *52. Lauterbach. Carpzov.* apud *Leuren. l. 5. q. 294.* quæ dicta sunt de iniquo stupratore, etiam intellige de eo, qui quidem puellam non corrupit, sed vi, metu, fraude aut fictâ matrimonii spe induxit ad oscula, tactus, vel familiaritatem, ex quibus infamata pari nubere non potest, secus si absque vi vel fraude in hæc consensit.

8. ℟. II *Si puella absque vi vel fraude solis blanditiis, donis aut importunis precibus persuasa in copulam consensit, deflorator eam nec ducere nec dotare tenetur. Less. Vasq. Lug. l. c. Haun. to. 6. tr. 2. numer. 591.* quia dona & preces nequidem secundùm quid actum faciunt involuntarium, liberè autem consentienti nulla facta est injuria, neque ejus parentibus, quia non hi sed ipsa quoad ejusmodi usum est corporis domina; *nec obstat*, quòd obinde pater dotem augere debeat, ut possit filiam in matrimonio æquè bono collocare; nam ad hoc non tenetur, & si sponte id facit damnum volens patitur; sicut ergo filia consentiendo in stuprum non peccavit contra justitiam, sic nec stuprator, qui tamen obligatur pro-
9. lem si quæ nata est alere, *c. 5. de eo qui duxit*; imò in foro externo cogitur defloratam etsi liberè consenserit dotare, vel eidem aut ejus parentibus mulctam solvere; & si neget eam fuisse virginem, aut se non esse patrem prolis, ipsi incumbit probatio; nam hoc ipso quòd convictus vel confessus fuerit de copula, præsumitur pater, nisi monstrare possit alium; quod si plures cum eadem copulam habuerint, recurritur ad circumstantias, cui nimirum vel tempus partûs vel physiognomia magis respondeat, quin & favore prolis ne defectu alimentorum intereat juramento mulieris creditur, *Engel n. 20.* si virgo consenserit quidem in copulam, sed præ verecundia ausa non fuerit contradicere; eò quòd rogans sit herus, Dominus, patronus aut vir magnæ authoritatis, deflorator adhuc tenetur eam ducere, nisi sit conditionis valde imparis, tunc enim sufficiet eam dotare, quia non liberè sed ex metu reverentiali consensit *Vasq. Molin. Gonzales. Leuren. L. c. Reiffenst. n. 75.*

℟. III. *Qui sub spe vel promissione* 10.
*matrimonii fœminam ad copulam induxit, per se loquendo tenetur eam ducere, nec satisfacit offerendo pecuniam, nisi fœmina ultro consentiat. Ratio est*, quia promissio fuit de danda ipsa persona & post concessum corporis sui usum fœmina in ipsam personam jus acquisivit, ergo invita cogi non potest ad acceptandam loco personæ pecuniam; sicut si ex contractu vel delicto deberetur vestis, cogi non posset ad acceptandum loco ejus æquivalens: *nec obstat*, quòd forsan fictè promiserit, nam fictè promittendo

in-

injuriosè subtraxit consensum quem altera pars posuit & insuper corpus suum tradidit, ergo cùm possit restituere ponendo consensum & eandem ducendo, ad hoc tenebitur. *S. Th. in 4. D. 48. a. 2. ad 3. Sanch. de mat. l. 1. d. 10. num. 3. Engel, Pirhing. num. 56. Reiffenst. num. 115.* Nec potest ingredi religionem, licèt eandem vel etiam castitatem ante vel post eam promissionem vovisset, quia defloranda puellam sub spe matrimonii renuntiavit statui perfectiori, & votum solum obligat ex virtute Religionis, promissio verò defloratæ servari debet ex justitia, in concursu autem utriusque obligationis prævalet obligatio justitiæ, ut si vestem ex voto debeas pauperibus eandemque ex contractu vel delicto debeas alteri, priùs huic quàm pauperibus præstanda est. *Lugo à num. 43. Sporer nu. 601. Leur. qu. 295. Dices* cum *Ledesma, Perez, Schmalzgr. l. 4. t. 1. nu. 32.* Talis non tenetur vi promissionis, quia hæc supponitur esse invalida, neque ratione damni causati, quia hoc per dotem vel aliter resarcire potest. R. Tenetur ratione consensûs injustè subtracti quem tenetur renovare, sicut qui subtraxit equum non satisfacit offerendo pecuniam, sed debet dare ipsum equum; *cùm aliud pro alio invito creditori solvi non possit* L. 2. §. *mulier ff. de rebus creditis.* Dixi, *per se loquendo*, nam defloratur à ducenda defiorata variis ex causis excusari potest: ut *1.* Si habeat votum vel impedimentum indispensabile, v. g. sacros Ordines, professionem Religiosam, aliud matrimonium &c. tenetur tamen defloratam tunc dotare, si ipsa impedimentum ignoraverit quia fraudulenter eam corrupit, secus si ipsa fuerit conscia impedimenti indispensabilis, tunc enim censetur voluisse decipi; si votum vel impedimentum sit dispensabile & adsit causa dispensandi, defloransque sub promissione matrimonii probabiliùs tenetur defloratam ducere, vel enim ipsa fuit conscia voti aut impedimenti, & tunc prudenter credere potuit, quòd defiorator promittendo matrimonium se se obligaret ad petendam dispensationem, qui enim se obligat ad finem, hoc ipso se obligat ad media necessaria, & sub ea conditione dedit copiam sui corporis, non datura, si sciviset se relinquendam: vel non fuit conscia impedimenti, & tunc defiorator non tantùm tenetur vi promissionis, sed & ex fraudulenta damnificatione: *Si dicas 1.* Promissio matrimonii supposito voto est de materia illicita, & per consequens nulla. 2. Si defiorata fuit conscia voti, volùit decipi, ergo ad nihil obligatur defiorator: ità probabiliter *Diana. Laym.* R. *N. utrumque ass.* Nam promissio non est de contrahendo matrimonio simpliciter, sed sub conditione impetrandæ dispensationis, quod utique

11.

12.

licitum est, nec fœmina conscia impedimenti voluit decipi quia prudenter credidit petendam fore dispensationem. 2. Si defloratur sit
13. longè excellentioris statûs vel conditionis, v.g. vir illustris, nobilis, officio vel dignitate conspicuus, cùm ipsa sit ancilla, rustici vel opificis filia, non tenetur eam ducere, etiamsi fictâ promissione eam deceperit, quia damnificator injustus non tenetur cum tam inæquali detrimento; imò nec tenetur eam dotare, si ipsa ob verborum ambiguitatem & inconstantiam vel ob notitiam inæqualitatis fictionem facilè advertere potuerit, quia tunc volens decepta est, *Sanch. n. 5. d. 10. Pirh. à num. 57.* Secus si ipsa inæqualitatis fuit ignara, aut ipse seriò promisit, vel saltem ob sinceriationes credebatur non obstante dispari conditione matrimonium seriò promittere, tunc enim tenetur eam ducere vel dotare, quia quantum in se est statui excellentiori renunciavit, & ipsa ex parte suâ contractum oneroſum implevit, ergo & ipse tenetur eum implere. *Navar. Vasq. Less. Laym. Reiffenst. n 123.* contr. *Sanch. Pirh.*
14. *num. 57. 3.* Excusatur, si defiorata etiam defiorantem deceperit fingendo se virginem, divitem, nobilem, &c. si ipsa se talem non finxit sed ipse errore deceptus credidit esse virginem, & ideo matrimonium seriò promisit, adhuc in foro conscientiæ non erit obligatus eam ducere, quia defloratio sponsæ ab alio sive ante sive post promissionem facta est sufficiens causa dissolvendi sponsalia; si tamen fictâ promissione copulam extorsit & difficultas ad nuptias inde secuta sit, tenetur dare aliquid, etsi non tantum quantum si fuisset virgo. *Less. Sanch. n. 11. Dicast. hic numer. 144.* imò si dubitans vel sciens esse corruptam, matrimonium ei pro usu corporis promisit, eam ducere tenetur. 4. Excusatur si 15.
mulier postea fornicetur cum alio, quia hoc ipso renuntiat suo juri. 5. Ad nihil tenetur defloratur, si de-
16. florata vel ejus parentes nolint consentire in matrimonium cum defloratore; quia hic solum matrimonium promisit & nihil aliud, ergo si hoc præstare velit, sed non possit, est liber. *Sanch. num. 15. nec obstat,* quòd forsan fictè promiserit, quia tunc tantùm tenetur renovare consensum, quam per fictionem subtraxit; hic autem consensus nihil prodest defloratæ, si defloratorem ducere nolit, sicut si pro copula fictè promisisset centum aureos, solùm tenetur dare hos aureos & si ipsa eos acceptare nolit, non tenetur eam ducere vel plus dare, nisi finxerint se esse conditionis notabiliter melioris quàm est, tunc enim ob iniquam deceptionem tenebitur eam dotare. 6. Si ex tali matrimonio ti-
17. meantur gravia scandala, odia, vel similia mala, non tenetur defloratam ducere, neque dotare, nisi vi,

fraude

fraude aut fictâ spe matrimonii copulam obtinuisset, tunc enim teneretur non ad matrimonium, quod ob scandala & odium inire non potest, sed ad damna, ex defloratione orta, quia hæc injustè causavit; si verò matrimonium seriò promisit ad nihil tenetur, non ad matrimonium, quia ab illo justè excusatur, neque ad damna quia horum non est causa injusta. Si deflorator fictâ quidem promissione eam decepit; sed ipsa similiter eum decepit, vel fornicando cum alio est causa, quòd deflorator non teneatur stare promisso, nec eam ducere nec dotare tenetur. *Sanch. num. 11. Reiffenst. num. 133.*

18. QUÆR. II. Quæ sit obligatio adulteri & adulteræ?

℟. Pars innocens non tantùm potest in foro externo agere ad divortium perpetuum & amissionem dotis vel donationem propter nuptias, ùt patet ex *l. 4. decret. tit. de divortiis*, sed etiam in foro conscientiæ tenentur adulteri per se loquendo compensare omnia damna marito vel legitimis prolibus inde secuta: ùt si ex adulterio proles sit nata, tenetur eam primo triennio alere adultera, exposto solus adulter; si verò proles adulterina inter legitimas sit educata, dotata, ad hæreditatem admissa, &c. tenetur uterque adulter in defectu alterius in solidum satisfacere, marito pro alimentatione & dotatione, filiis legitimis pro diminutione hæreditatis, pro majoratu, fideicommisso, aliisque privilegiis debitis soli primogenito aut aliis filiis legitimis, ex errore autem collatis filio adulterino, & quidem uxor 19.
adultera restituere debet ex bonis paraphernalibus aliisque propriis, tantundem relinquendo, donando vel legando marito aut prolibus legitimis, vel si non habet bona propria, compensare debet exactiore diligentiâ & parsimoniâ, sibi attento statu quid subtrahendo de minùs necessariis, aut si nec hoc sufficiat tenebitur quantum potest spurio, modò ad hoc idoneus sit, persuadere, ut relictâ hæreditate amplectatur statum Ecclesiasticum vel Religiosum. *Dixi per se loquendo*, nam sicut alii, 20.
ita & adulteri ex pluribus causis à restitutione excusari possunt: 1. Ob inopiam & defectum mediorum. 2. Si restitutio fieri non possit, quin mater cum sua vel gravi prolis infamia aut vitæ discordiarumque periculo crimen occultum manifestet. *Scotus in 4. dist. 44. Laym. l. 3. t. 3. p. 3. c. 14.* & manifestè colligitur *ex c. officii de pœnit. & remiss.* ubi dicitur, quòd mulieri non sit *denegandapœnitentia, quæ ob similem timorem, prolem ex adulterio conceptam, non vult marito fateri: Ratio* est, quia tunc adest impotentia moralis, & non est obligatio restituendi temporalia cum gravi jactura in bonis altioris ordinis, uti hic cum periculis famæ & vitæ: accedit quòd ejusmodi criminis revelatio sit

ple-

plerumque inutilis, quia filius est in possessione legitimitatis nec in conscientia quidem cum tanto sui præ-
21. judicio tenetur credere matri etiam juranti se ex adulterio conceptum, nisi ipsa id per idoneos testes & talia indicia probet, quæ etiam in foro externo sufficerent ad pronunciandum filium esse illegitimum, quia forum externum quamdiu non scitur inniti præsumptioni falsæ etiam in conscientiam locum habet, & certè si motiva non sufficiant, ut Judex justè excludat filium à possessione filiationis legitimæ, quomodo sufficient ut filius se suo judicio excludat, maximè cùm ipsa mater errare, aut ex maligno in hunc & nimio affectu in alios filios id asserere possit. *Suar. Bonac. Vasq. Molina t. 3. d. 101. Lug. d. 13. nu. 62.*
22. *Sporer. n. 555.* Si tamen adultera sit mulier prostitutæ famæ, aut tantum apud unum vel alterum virum taciturnum vel solum filium deberet crimen suum manifestare, ad hoc tenebitur si agatur de damno valde notabili & spes sit quòd filius spurius aliis fratribus sit satisfacturus, quia hæc infamatio non est tanta, quin eam mater pro reparando ingenti damno subire debeat; imò si filius Reginæ primogenitus foret spurius simul & hæreticus, vel aliter Reip. gravissimè nociturus, obligaretur etiam cùm periculo vitæ id revelare, modò fructus inde prudenter sperari posset; *Sylvius*
23. *q. 62. a. 6. q. 7. Croix. l. 3. n. 332.* 3. Excusantur si maritus & filii legitimi prudenter præsumantur damna remittere, eò quòd ex matris vel mutuo amore malint alium habere cohæredem, quàm crimen cum infamia matris & familiæ detegi, ùt non rarò contingit: *sed quid, si* mater suis filiis 24.
dicat: unus ex vobis est spurius, filii autem nolint ut nominetur, an mater tunc erit libera? R. Si hoc faciant quia singuli sibi timent, mater non est libera, quia filii legitimi timore injusto coacti remittunt, cùm tamen ipsi nullum verè periculum habeant illegitimitatis, sed solùm metuant propter modum illum quo mater illos vult cogere ad remittendum; secus si id faciant ex amore erga matrem vel erga se invicem etiam remissuri, quamvis scirent quis esset illegitimus, *Covaruv. Lugo. n. 42.* 4. Si mater ob vicinitatem copulæ cum marito & adultero habitæ dubitet, an ex marito vel adultero conceperit, ad nihil tenentur adulteri, etiamsi maritus nullas antea proles ex uxore genuerat, aut uxor putet se ex adulterio concepisse, quia mulier in hoc errare potest, & in dubio præsumitur in favorem matrimonii & prolis, quæ est in possessione honestatis. *Scot. Salon. 2. 2. q. 62. a. 6. Gobat in Theol. jurid. mor. c. 28. n. 86. Lugo n. 17.* Si certum sit prolem esse adulterinam, sed sciri non possit, quis ex pluribus adulteris, quos mulier circa idem tempus admisit, sit pater prolis, adultera tenetur mediam partem portionis hæreditariæ legitimis prolibus sub-

subtractæ compensare, aliam medietatem unà cum alimentis post triennium causatis tenentur adulteri; quia certum est unum ex iis esse Patrem, & est æquale dubium de singulis; ergo etiam singuli in defectu aliorum tenentur restituere; *nec obstat*, quòd aliàs in dubio, an quis damni causa sit, ad nihil teneatur: nam hic singuli sunt causa istius incertitudinis, quæ impedit, quo minùs restitutio ab uno determinato exigi possit, & singuli volendo copulam in totum damnum consenserunt. *Rebel. l. 3. q. 10. Dicast. n. 159. Croix n. 337.* contra *Gobat. c. 27. n. 48. Karachne* & alios. *Si dicas*, sola mater admittendo plures circa idem tempus est causa dubii, & causa quòd ab uno determinato Restitutio exigi non possit, & singuli de aliorum concubitu fortè non sciverunt, ergo sola mater tenetur ad totum damnum. R. *N. ass.* singuli quantum est in se sunt causa totius damni, etiamsi alter de altero non sciat, sicut si plures eodem tempore explodant in Petrum, vel ignem in ejus tectum injiciant, singuli sunt causa homicidii & incendii, etsi non constet ex cujus actione damnum secutum sit. 5. Quid si adulteri prolem exponant ab aliis alendam? Id per se loquendo non licere, si tamen defectu mediorum vel metu infamiæ prolem alere non possint, licitè deponent ad domum communem orphanorum, quia illum in finem ejusmodi domus communiter fundantur, nisi aliunde constet fundatas esse pro certâ tantùm natione vel civitate.

## CASUS XLIV.

### De Restitutione famæ & honoris.

XArus, *super restitutione famæ anxius quærit* 1. *An famæ restitui debeat?* 2. *An filius obligetur pro parente, an hæredibus læsi?* 3. *Quid si graviter infamavit cum levi vel nullâ culpâ?* 4. *Quid si infamantia dixit de Petro, audientes autem intellexerint de Paulo?* 5. *An sufficiat infamatum laudare in alia materia?* 6. *An debeat dicere se esse mentitum, an jurare, adhibere testes, an revocare cum periculo vitæ vel famæ?* 7. *An apud auditores mediatos?* 8. *Quid debeatur pro honore læso.* 9. *Quid si ex detractione damna realia sint secuta, aut etiam mors.* 10. *Quid si infamia sit oblivioni data, vel fama recuperata.* 11. *Quid si crimen ex post fiat publicum.* 12. *An fama compensari debeat per pecuniam.* 13. *Quid si læsus revocationem remitteret, si rogaretur.* 14. *Quid si reciprocè se infamarint.* 15. *An per modum defensionis liceat occultum alterius crimen manifestare.* 16. *An falsum affingere.* Pro resolut.

QUÆR. I. An & qualiter restituenda sit fama vel honor. ℟. *Omnis qui per detractionem alterius famam, vel per calumniam alterius honorem injustè læsit, tenetur efficaciter restituere famam, honorem & omnia damna realia inde secuta*; est Regula certa ab omnibus recepta: *Ratio* est, quia damnum famæ & honoris est reparabile, & quilibet jus habet in famam & honorem æquè ac in bona temporalia; ergo sicut hæc injustè læsa reparari debent, sic & fama honorque.

2. *Dicitur* 1. Omnis qui læsit; nam obligatio restituendi famam est personalis, nec transit ad hæredes nisi ex speciali pacto, ùt si moriturus filio vel hæredi committat & hic suscipiat obligationem restituendi famam à defuncto læsam; similiter fama restituenda est soli læso, non autem hæredibus, nisi infamia defuncti in eos redunder, ut si dixeris defunctum genuisse hos filios ex adulterio, tunc &

3. filiis fama restituenda est. *Dicitur* 2. Qui injustè læsit; nam si læsio famæ sit justa, eò quòd crimen sit publicum, vel criminis occulti revelatio sit necessaria pro avertendo malo Reip. vel innocentis, nulla debetur restitutio. *V. Cas.* 36. *n.* 5. *&* 15. si læsio est injusta in materia levi, debetur restitutio sub levi, in materia gravi sub gravi. At quid, si graviter quidem læsisti famam, sed absque omni culpa, eò quòd crimen à te narratum bonâ fide credebas esse publicum, vel defectu deliberationis & advertentiæ cum culpa levi? ℟. Si absque gravi incommodo famam restituere possis, ad hoc tenetis non tantùm ex charitate, quod tibi est commune cum omnibus qui etiam nullam infamiæ causam dederunt & apud omnes est in confesso, sed etiam ex justitia. *Less. Laym. c. 7. n. 1. Tamb. l. 9. c. 3. §. 3. Lugo d. 15. à n. 3. Sporer. in dec. t. 5. c. 4. n. 86.* *Ratio* est, quia justitia non tantùm obligat ad non ponendam causam proximo damnosam, sed etiam ad auferendam jam positam, hoc ipso enim quòd scias causam v. g. revelationem occulti criminis à te etiam inculpabiliter positam alteri inferre damnum, & non removeas cùm facilè possis, censeris damnum illud approbare & velle teneriscque restituere, sicut si tuus bos te nesciente incipiat nocere frugibus proximi, si expost id rescias & non abigas, damnum à tempore scientiæ causatum tibi fit voluntarium cum obligatione restituendi; item bonâ fide alicui posuisti ignem, ex quo postea advertis oriri incendium; loco medicinæ porrexisti venenum, si incendiarium vel mortem non impedias, cùm facilè potes, in conscientia es incendiarius & homicida. *Dices* 1. Talis diffamator non tenetur ex re accepta, cùm ex fama aliena nihil possideat, neque ex delicto vel contractu, quia formalis culpa aut contractus non interceßit, ùt supponitur, ergo. 2. Si alterius ædes sine culpâ exussi, ad nihil teneor; ergo à pari, si absque culpa destruxi alterius famam.

mam. 3. Si bos meus me ignorante perdat alienas segetes, & ego superveniens eum non prohibeam, non teneor ad primum damnum me nesciente illatum, sed tantùm ad illud, quòd ex post infert me sciente; quòd si me sciente novum damnum præter primum non inferat, ad nihil tenebor, quia primum damnum mihi non est imputabile; ergo à pari, si primò sine culpâ famam læsi, & pòst me advertente ex mea actione nova infamia non sequatur, ad nihil teneor: ecce sententiam verè probabilem & in praxi tutam, quam *Dicast. de Restit. d. 12. n. 162.* dicit probabilissimam; sed &. *ad 1.* obligationem oriri tum ex re quasi accepta; detractor enim famam alterius quasi detinet apud se, usque dum per revocationem quasi ex suo eam reddat; tum maximè ex injusta damnificatione, quæ quidem ab initio formaliter injusta non est, sed fit talis per voluntariam continuationem. *Ad 2.* Est disparitas, quòd actio exustiva ædium nec ab initio nec ex post fiat voluntaria, ùt supponitur. *Ad 3.* Iterum disp. est, quòd mea detractio si non revocetur cùm potest, pergat me sciente & volente causare totum & idem damnum in fama, quod antea causarat me ignorante, ergo totum illud damnum teneor reparare; econtra bos me præsente non infert idem damnum quod antea intulerat, sed planè novum, ergo sufficiet restituere damnum novum, quod meus bos me sciente & non prohibente intulit.

*Sed denique* quid, si infamantia loquebaris de Petro, audientes autem intelligebant de Paulo, an teneris famam reparare Paulo ex justitia; nam quòd tenearis ex charitate, si absque gravi incomodo possis, indubitatum est. Negat *Less.* quia obligatio restitutionis oritur ex sola formali injuriâ; Paulo autem non feciſti injuriam formalem, sicut si volens occidere equum Petri inimici tui, præter intentionem occidas equum Pauli amici: At meliùs affirmant *Molina* & alii; nam quamvis tua actio ab initio non fuerit causa formalis & voluntaria damni ùt Paulo illati, quia tamen te sciente pergit nocere, si eam non removeas quando facilè potes, fiet tibi causa damni voluntaria & obnoxia restitutioni; sicut si volens incendere horreum Petri casu incendas horreum Pauli, si advertens errorem incendium cùm potes non restinguas, totum damnum tibi fit imputabile cum obligatione satisfaciendi Paulo. *Dicitur 3.* Tenetur *efficaciter* restituere, ita ut infamatus bonum nomen suum in effectu recipiat, ideoque si aliquem sive vera & occulta, sive falsa narrando infamasti, non satisfacis eum in alio genere laudando v. g. dixisti Petrum esse homicidam, non est satis, si dicas eum esse castum, quia per famam castitatis, nequidem partialiter, tollitur infamia homicidii; sed debes dicta revocare, dicendo te injuriam feciſſe, te malè fuisse informatum, te errasse errore scilicet pra-

6. ctico &c. Si vera dixisti, non potes dicere te esse mentitum, quia hoc ipsum esset mentiri, posses tamen & deberes, si aliter fidem obtinere non potes, uti restrictione mentali, dicendo ipsum tale crimen non admisisse, subintelligendo publicè, seu tali modo ut licitè potueris revelare, sicut ejusmodi restrictione uti potest & debet Confessarius interrogatus de crimine sibi dicto in confessione, ùt fatentur omnes. Si falsum dixisti, teneris si opus est revocare, dicendo te esse mentitum, adhibendo juramentum & testes, etiam cum æquali tua infamiâ & periculo, v. g. alium per calumniam accusasti, falsum testimonium scienter dixisti, ex quo alteri mors, jactura famæ & bonorum immineat, obligaris tuum dictum retractare cum periculo vitæ, famæ, & bonorum, ùt habet *communis & certa*; quia in pari causa melior est conditio innocentis, & sicut iniquus occisor equi alieni tenetur restituere cum jactura equi proprii vel ejus pretii, sic & restituere famam cum simili jactura famæ propriæ; non tamen tenetur cum longè majore suo damno, quia tunc censetur moraliter impotens, neque tenetur per se ipsum, si revocatio utiliter fieri possit per Confessarium, vel per
7. alium. Si detractor prævideat vel meritò timeat, ne crimen à se dictum ab auditoribus ulteriùs propaletur, obligatur etiam apud auditores mediatos revocare, quia est causa injusta detractionis per hos factæ; secus si dixerit viris prudentibus, à quibus ulteriorem propalationem non timebat: si non recogitasti, an auditores tui sint vel non sint taciturni, ùt communiter contingit, probabiliter non teneris revocare apud mediatos, quia cùm nemo præsumi debeat malus, ulterior criminis revelatio non tibi, utpote qui eam non prævidisti, sed auditorum malitiæ imputandum venit. *Dicitur 4. Debet restituere famam & honorem*, intellige per contumeliam læsum, de qua Vide *Cas. 36. num. 1.* Si contumelia non detineat detractionem v. g. privatim nemine audiente aliquem vocas stultum, spurium, adulterum, propriè non debetur restitutio, sed [ nisi seipsum vindicando juri suo resignarit ] satisfactio, petendo veniam &c. ad quam tamen plerumque non tenentur superiores, parentes, Domini, *ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, uti ait *S. August. in sua regula*; tenebuntur tamen satisfacere exhibendo extraordinaria honoris & benevolentiæ signa, v. g. amicè salutando, alloquendo, obsequia & beneficia præstando &c. *Dicitur 5. Et omnia damna temporalia*, intellige prævisa, ùt si ob tuam detractionem quis officio, dignitate vel bonis suis privatus sit, hæc obligatio transit ad hæredes: si ex tua detractione de crimine occulto sed vero quis fuerit accusatus & condemnatus, ad nihil teneris, quia sententia est justa & fama reparari non potest, cùm crimen per
8.
9.

justam

justam sententiam sit factum publicum.

QUÆR. II. Quæ sint causæ à restitutione excusantes?

10. R. Sunt seqq. 1. *cessatio damni*, ùt si nullum damnum factum est, eò quòd audientes dicenti non crediderint, vel infamia oblivioni sit tradita, aut fama aliunde v. g. purgatione canonicâ, probitate vitæ, proborum virorum testimonio vel authoritate judicis jam sit recuperata; quo casu adhuc satisfieri debet pro damno temporali, si quod ex detractione secutum est, & pro impensis quas infamatus facere debuit pro recuperanda fama. 2. Excusaris si crimen occultum à te revelatum sine tua culpa factum est publicum, si tua culpa publicatum est, teneris si potes revocare etiam publicè per scripturam, concionatores &c. *nec obstat*, quòd per publicationem veri criminis infamatus amiserit jus ad famam, nam jus illud amisit per tuam injustitiam; ergo quantum est in te, teneris facere ut ipse jus & famam recuperet. 3. *excusat impotentia*

11.

12. physica vel moralis, ùt si auditores tuos, coram quibus detraxisti, nec scripto nec verbo convenire possis, aut restituere nequeas sine longè majori tua infamia vel damno; quòd si fama nullatenus restitui possit, & infamatus nullum damnum in bonis fortunæ passus sit, non teneris ante sententiam judicis damnum famæ compensare pecuniâ. *Nav. Less. Sporer. Lugo n. 23.* & plurimi apud *Croix l. 3. p. 2. n. 299.* quia justitia tantùm exigit, ut restituatur res ablata in se vel æquivalenti, seu quod rei secundùm communem æstimationem æquivalet, ita ut inter se functionem & commutationem recipiant; sed pecunia nec in se, nec in æquivalenti est fama, nec per quantamcunque pecuniam recuperatur fama ablata, ergo. *Dices* 1. qui non potest restituere quod debet, tenetur restituere quantum potest. 2. Si fama eadem restitui non possit, est obligatio infamatum laudandi in alia materia vel etiam honorandi, ùt habet communis, & tamen una fama, quâ v. g. diceris justus, nequidem partialiter est alia fama, quâ diceris castus; imò fama & honor genere differunt. R. *ad* 1. debet restituere quantum potest in rebus ejusdem ordinis & in communi æstimatione æquivalentibus *C.* secus *N. ad* 2. *N. C.* quamvis una fama non sit formaliter altera, est tamen in eodem genere bonorum, & licèt honor & fama in rigore physico differant genericè, sunt tamen ita affinia & connexa, ut moraliter & quoad usus humanos ferè pro eodem reputentur; licèt enim honor non sit fama, est tamen famæ seu bonæ existimationis de proximo testificatio. 4. Excusat 13.

*libera condonatio infamati*; cùm enim sit Dominus suæ famæ, ejus læsionem remittere potest, sufficit autem remissio tacita vel prudenter præsumpta ex hoc, quòd credatur remissurus, si rogaretur, aut malit rem dissimulari, quàm ejus memoriam re-

refricari ; excipe nisi remissio cedat in præjudicium religionis, familiæ, vel aliorum, qui ex ejus infamia infamati sunt ; tunc enim his invitis obligatio revocandi remitti non potest, quia & ipsis facta est injuria. 5.

14. Excusat *reciproca infamatio*, dum alter te infamavit & famam restituere recusat. *Sot. Molina. Less. Dian. Sylvius 2.2.q.62.a.2. Dicast. d. 12. n.246. Laym. n. 5.* contra *Tann. Nav. Lugo n. 44. Sporer à n. 117. Ratio est*, quòd quidem non liceat infamiam compensare, infamantem vicissim infamando, quia non licet reddere *malum pro malo*, nec *maledictum pro maledicto*, 1. Pet. 3. postquam tamen sic feci, modò injuria utriusque sit æqualis, non teneris alteri restituere, jura enim sunt paria, & tu non habes minus jus ad tuam famam, quàm alter ad suam ; si ergo alter tuam restituere nolit sibi imputet, nec rationabiliter invitus esse potest, quòd nec tu restituas, & paria crimina compensatione mutuâ delentur. *C. tua fraternitas de adult. Dices 1.* compensatio tantùm habet locum, quando per eam restituitur æqualitas, seu recuperatur id quod ablatum est, ùt si mihi debeas centum aureos, & ego à te surripiam totidem ; sed per hoc quod non restituo alienam famam non recupero meam, ùt patet ; nam ex hoc quòd alterum dicam esse latronem, ego non credor innocens ab adulterio, quod alter mihi imposuit. 2. Quando ad me indemnisandum licet alienam rem retinere, etiam licet eam surripere, ùt clarum est in debito pecuniario, sed non licet surripere famam alienam, si quis meam restituere nolit, ergo nec licet eam tunc retinere seu non restituere. R. Non est hic propriè compensatio, quâ ipsa res vel ejus æquivalens recuperetur, ùt malè supponunt adv. hæc enim non in famâ sed tantùm in rebus pretio æstimabilibus locum habet, ut si pro equo ablato clam surripiatur similis equus vel ejus pretium ; sed solùm est suspensio seu justa dilatio solutionis, usque dum alter vicissim solvat quod debet, potest autem esse justa causa differendi solutionem, etsi non sit justa causa auferendi rem alienam, ùt manifestum est in necessitate gravi, vel in periculo gravis damni, in quibus debitor solutionem differre non autem alienum auferre potest ; item si quis meas malitiosè ædes exussit, oculum excussit, non licet quidem vicissim alterius ædes incendere, oculum excutere, quia hoc non esset suum damnum reparare, sed alteri damnum inferre & se ipsum vindicare ; postquam tamen ædes exussi, oculum excussi, justè differo reparationem damni, usque dum alter vicissim mihi reparationem offerat ; ergo à pari, etsi non liceat infamantem mutuò infamare, postquam tamen infamavi, licitè restitutionem famæ differo usque dum alter pariter meam restituat, quod si *Lugo & Sporer l. c.* bene ponderassent, hanc sententiam non tantùm ex authoritate sed & ex rationibus

bus intrinsecis dixissent probabilem, imò probabilissimam, & mihi omnino veram. *Sed quares*, an saltem per
15. modum defensionis liceat infamantem reciprocè infamare? R. Pro reparandâ famâ jam læsâ id non licere, licet tamen pro avertendo damno futuro & imminente; sic licitè aperio occultum crimen falsi accusatoris vel testis ad enervandam eorum fidem; utor enim jure meo, quod habeo ad probandam meam innocentiam, & si liceat occultum proximi crimen aperire pro tuendâ famâ & vitâ proximi innocentis, imò & ad habendum à viro gravi solatium, ùt docet *S. Thom.*
16. cur non pro tuenda fama & vita propria: nunquam tamen licet falsum crimen iniquo accusatori vel testi affingere etiam ad evitandam mortem vel extremam infamiam, ùt certum ex prop. 43. & 44. ab Inn. XI. damnatis, quas exhibui *Cas. 38. n. 5.* nam id foret mendacium in re gravi tum contra justitiam publicam, quia judex quantum est in se inducitur ad puniendum Innocentem & testes ad perjurium, tum contra justitiam privatam, quia quilibet habet jus, ne falso crimine infametur, sicut habet jus ne à privato occidatur. *Dices* cum *Lugo* & *Tamb.* si dolo vel mendacio defendam me contra injustum aggressorem, v. g. facio eum retro respicere, in foveam cadere &c. tantùm pecco venialiter peccato mendacii, non autem contra justitiam, quia habeo jus defendendi vitam, ergo si mendacio injustum aggressorem meæ famæ & vitæ privem suâ famâ, tantùm pecco venialiter peccato mendacii; si enim non est injustitia per mendacium defendere vitam, minus erit in casu posito per mendacium defendere famam simul & vitam. R. *N. C.* nam imprimis id injustum est in judicio, quia læditur justitia publica, extra judicium verò impingere falsum crimen non est medium necessarium & certò efficax pro recuperandâ famâ, potes enim deficere in probatione, & adversarius potest per veros testes aliaque indicia tua dicta elidere; econtra occisio injusti aggressoris est medium necessarium & certum conservandæ vitæ, ùt supponitur.

## CASUS XLV.

### De circumstantiis restitutionis, & in specie cui, quo tempore & loco restitutio fieri debeat?

YSides *multa iniquè congessit, dubitat an & qualiter teneatur restituere. 1. Quia Dominus re suâ creditur abusurus. 2. Quia Dominus rei est defunctus. 3. Quia res alteri erat oppignorata vel vendita. 4. & 5. Aliqua furi reddidit, à quo emerat. 6. Plerague acquisivit usurâ, iniquo pondere, vel mensurâ & ignorat à quibus. 7.*

*Alia*

*Alia sibi tanquam pauperi aut alieno ære gravato retinet. 8. Sarcinam à viatore in domo suo relictam vendidit. 9. Res tum furtivas tum inventas ex parte dedit primo repetenti, qui non erat Dominus. 10. Partim factâ vel non factâ inquisitione aut ex consilio Confessarii dedit pauperibus. 11. Dubitat an restitui debeant res vacantes, inventæ, derelictæ. 12. An & ex quibus causis differri possit solutio. 13. An fieri ante vel post tempus conventum. 14. Quid si fiat per partes vel differatur post mortem. 15. Quo loco & quibus expensis tenetur debitor ex delicto. 16. Debitor ex re accepta. 17. Quid si mittat rem Domino absenti, & in via pereat. 18. Quo loco tradenda res debita ex contractu.* Pro resolut.

QUÆR. I. Cui restitutio fieri debeat?

1. Rr. I. *Debita vel bona certa,* id est talia, quorum Dominus scitur, regulariter restitui debent ipsi Domino, quia hic in ea primarium jus habet. *Excipe* 1. nisi Dominus re suâ esset abusurus ad peccatum, v. g. pecuniâ ad se inebriandum vel fornicandum; tum enim si absque gravi incommodo potes, teneris ex charitate restitutionem differre, imò si re suâ esset abusurus ad injustitiam, v. g. gladio suo ad se vel alium occidendum, teneris ex justitia non reddere, aliàs sine causa positivè cooperaris actioni injustæ & per consequens teneris de damno secuto. *Sotus. Less. l. 2. c. 16. dub. 4.* V. Cas. 38. à n. 1. debes tamen esse moraliter certus, quòd Dominus re suâ abusurus sit, nam in dubio debet præsumi bonus & possidet obligatio restituendi; in praxi etiam plerumque adest causa excusans, puta periculum rixarum aliorumque incommodorum, si Dominus rem suam seriò repetat & non recipiat. 2. Si Dominus sit defunctus omnia debita realia sive ex contractu sive ex delicto reddenda sunt hæredi, quia hic succedit in omnia jura defuncti; si defunctus de rebus suis non disposuerit, neque hæredem ab intestato usque ad decimum gradum vel ex testamento reliquerit, ejus jura & bona dicuntur vacantia & derelicta. *L. 1. 4. & 5. Cod. de bonis vacant.* quia de iis in vita disponere noluit, & post mortem non potuit, ideoque de jure naturæ fiunt primò occupantis, & debita debitori remanebunt; jure civili cedunt fisco vel sæculari si defunctus sit laicus, vel Ecclesiastico si fuerit clericus, saltem post sententiam judicis, ùt requirit *Amicus de just. d. 16. n. 6.* nam *cit. leges* dicunt intra certum tempus posse præscribi contra fiscum, ergo possunt bonâ fide retineri, quia malâ fide nunquam præscribitur. Bona peregrinorum in diversorio sine hærede defunctorum per Episcopum loci distribuenda sunt pauperibus pro anima defuncti. *Auth. omnes Cod. communia de succes.* 3. Si alteri debeatur rei alienæ possessio, huic immediatè restituenda est, v. g. accepisti rem apud alium depositam, conductam, commodatam, emphyteuticam &c. non Domino sed depositario,

2.

3.

rio, commodatario &c. restituere debes, quia sine injuria privari non possunt jure custodiæ, usûs, vel possessionis, nisi consentiant vel credantur re iniquè abusuri, ex quo capite bona Ecclesiæ non Prælato dissipatori sed Capitulo restituenda sunt. 4. Si habeas rem à possessore malæ fidei v. g. emisti equum à fure; per se non furi, sed Domino reddere debet, qui solus jus in eam habet, non verò iniquus possessor; dico *per se*, nam si fur tibi nolit reddere pretium nisi ei restituas equum, *Nav. Vasq. Dicast. Less. Metzger d. 33, a. 1.* ei alii apud *Vivam. op. 2. q. 2. a. 3.* dicunt furi eum licitè reddi posse, etsi fur nunquam eum reddet Domino, quod *Lugo d. 17. s. 2. Sporer n. 121.* etiam admittunt de emptore malæ fidei, quia res sive bonâ sive malâ fide empta per hoc quòd reddatur furi non ponitur in pejore statu, quàm esset, si nunquam fuisset empta: at probabiliùs contradicunt *Cajet. Sot. Molin. Laym. Sylvius q. 62. a. 6. Croix l. 3. p. 2. n. 100. Ratio est* 1. emptor rei alienæ, si aliter pretium recuperare non possit, licitè quidem permittere potest, ut fur mercem recipiat, quia habet jus ad suum pretium, pro quo nihil accepit, nec obligatur rem alienam cum tanto suo damno conservare, ùt fatentur omnes, non tamen licitè potest eam furi restituere seu tradere, quia hoc non est permittere sed positivè & proximè cooperari ad injustum alterius damnum; sicut si latro velit auferre rem *tuam*, nisi tradas *alienam*, potes quidem permittere ut accipiat rem alienam apud te existentem, non tamè licitè eam tradis. 2. Res à fure liberata apud emptoré meliorē statum acquisivit qui unà cum re ad Dominum pertinet, ergo qui eam furi restituendo ad pejorem statum reducit, facit Domino injuriam, sicut qui rem alienam ex incendio vel flumine ereptam iterum in flammas vel flumen rejicit, etsi alius ipsi minetur æquale damnum, nisi iterum injiciat. 3. Dominus ab emptore potest justè rem suam repetere, imò & tollere, ergo alter obligatur eam ipsi & non furi reddere, ne detur bellum ex utraq; parte absq; errore justum; *nec obstat* quòd fortè ex ignorantia rem non repetat, nam per hoc jus suum non amisit, & judex tenetur rem non furi sed Domino adjudicare, ergo & tu restituere. *Dices* 1. emptor restituendo rem furi reponit eam ex gravi causa in eodem statu, in quo fuisset, si nunquam fuisset empta, ergo nec damnum, nec injuriam facit Domino, etiamsi eam emerit malâ fide; sicut si quis à fure sive, bonâ sive malâ fide accepit canem alienum, sin in via timeat ab ipso morderi, potest canem citra Domini injuriam dimittere, etsi prævideat eum rediturum ad furem. 2. Quamdiu fur detinet meum pretium, res empta necdum est à fure perfectè liberata, sed est quasi sub actuali conflictu, ideoq; licitè reddi potest; sicut si à fure extorsi pallium Petri, fur autem arripiat meum, licitè ei reddo pallium Petri, ut recipiam meum; item si quis velit auferre bursam

4.

5.

sam meam, nisi bursam Titii in foro inventam iterum illuc reportem à fure auferendam, licitè reporto. 3. Ex gravi causa licet remotè cooperari peccato alieno, ùt cum communi dixi *Cas. 20 n. 2.* sic si fur velit auferre thesaurum meum, nisi ostendam thesaurum Petri, licitè hunc ostendo; ergo si fur nolit reddere mihi pretium, nisi restituam rem emptam, licitè eam restituo etsi forsan à fure retinendam. 4 Si Petrus mihi intentet mortem, nisi tradam gladium Pauli apud me depositum, licitè eum trado, etiamsi sciam quòd eodem velit Paulum occidere; quia tradere gladium est actio de se indifferens ideoque remotè tantùm cooperativa ad occisionem Pauli; quam ponere licet ad evitandum æquale malum proprium; ergo reddere mercem furi etiam tantùm est cooperatio remota & per consequens licita ad evitandum damnum æquale. Ecce rationes multùm graves, ut vix judicari possit, an hæ an oppositæ præponderent. Nihilominus R. *ad 1. N. C.* injuriam facit Domino, non quia rem emptam reponit ad statum primum, sed quia eam privat statu intermedio meliore jam acquisito; aliud est de cane qui furi positivè non restituitur, sed ex gravi causa permittitur sponte ad eum redire. *ad 2. N. ass.* sicut si pallium Petri à fure ereptum deportasses ad locum tutum, non posses illud furi positivè reddere seu tradere, etsi possis permittere ut ipse recipiat; sic & mercem non potes reddere, bene tamen ex causa permittere ut fur recipiat. Idem est de bursa reperta & ad locum tutum deportata. *ad 3. N. C.* reddens mercem tradit rem alienam furi, ideoq; proximiùs cooperatur quàm qui eam nudè ostendit; & obinde Dominus magis est invitus respectu hujus quàm respectu alterius. *ad 4. N. C.* tradens gladium Pauli metu mortis est in extrema necessitate, in qua Paulus non habet jus repetendi gladium, necessitas autem recuperandi pretium non est tanta, ut Dominus mercis amiserit jus eam repetendi.

R. 11. Debita vel bona incerta, hoc est talia, quorum Dominus ignoratur vel conveniri non potest, restituenda sunt juxta explicationes sequentes. 1. Bona incerta comparata ex delicto v. g. furto, usurâ, iniquâ mensurâ vel pondere, si factâ pro rei qualitate & valore diligenti inquisitione Dominus sciri vel conveniri non possit, restitui debent pauperibus. *S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. & ibid. Cajet. Bannes. Sylvius. Covar. Molin. d. 746. Lugo d. 6. s. 12. Viva op. 2. q. 2. a. 3.* & ita definivit Alex. III. *C. cum tu de usur. c. nemo 24. q. 5. Ratio est*, quia res quæ Dominum habet non potest retineri illo non consentiente, aut si Dominus reperiri non possit, debet expendi juxta voluntatem ejus prudenter præsumptam; sed bona incerta Dominum habent, aliàs forent vacantia vel derelicta quæ fiunt primò occupantis, neq; prudenter præsumi potest, quòd Dominus velit ea retineri ab injusto eorum possessore, ne lucrum ex delicto re- 6.

reportet, sed si sibi vel suis hæredibus aut proximè consanguineis præsertim indigentibus restitui non possint, debent distribui in pauperes vel ad quaslibet causas pias, ùt communiter
7. explicant DD. unde si ipse verè pauper vel debitis ultra vires gravatus sit, ea sibi propriâ authoritate retinere potest, nisi obstet lex aliqua positiva, *Scot. Vasq. Sylv. Sanch. Illf. t. 4. d. 3. n.* 250. quod si Dominus in particulari quidem ignoretur, sciatur autem in communi, v. g. milites injustè expilârunt oppidum, mercatores, caupones, pistores mercibus, mensurâ vel pondere iniquo concives suos defraudârunt, etsi nesciant quibus in particulari damnum illatum sit, restitutio tamen facienda erit non pauperibus sed quoad fieri potest personis læsis per se vel per virum probum, & in ultimo casu minuendo pretium vel augendo
8. pondus & mensuram. 2. Bona *incerta ex contractu* vel *inventione* v. g. mercator ignotus loco vitri tradidit gemmam, loco cupri aurum, loco unius ulnæ duas, item inveniſti annulum pretiosum, aut viator ignotus sarcinam in domo tuâ reliquit &c. si adhibitâ inquisitione debitâ per publicationem vel schedarum affixionem Dominus reperiri non possit, probabiliùs hæc iterum restituenda sunt ad causas pias *S. To. q. 66. a. 5. ad 2. Scot. 4. dist 15. q. 2. ad 4. Cajet. Nav. Less. Laym. Viva op. 2. q. 2. a. 3. & DD. cc. Ratio* denuo *est*, quòd res aliena sine consensu saltem præsumpto Domini retineri non possit, præsumitur autem esse voluntas Domini, ut dum res sibi corporaliter restitui non potest, restituatur ad causas pias, in bonum animæ. Fatentur tamen pleriq; oppositam, quam docent *Sot. Medina. Sa. Dian. p. 11. t. 4. R. 12. Metzg. t. 11. d. 27. a.* 3. esse probabilem; quia incertum est, an voluntas Domini sit ùt res sua in causas pias erogetur, vel non potiùs ut à possessore bonæ fidei asservetur, aut si asservari nonpossit consumatur, distrahatur, & Domino si fortè compareat æquivalens restituatur: optimè distinguit *Lugo n. 141.* quamdiu supereſt spes aliqua inveniendi Dominum, præsumitur Dominus rem suam vel pretium ejus velle asservari, si nulla spes supersit, tunc demum dari pauperibus. 3. Inventor non debet credere cuivis dicenti rem esse suam, nisi 9.
id probetur sufficientibus indiciis, si plures dicant esse suam dividenda est pro rata probabilitatis, aut in defectu probationum danda pauperibus. 4. Qui præmissâ debitâ inquisitione rem in pauperes vel pias causas expendit, Domino comparente ad nihil tenetur, non ex re accepta quia rem non ampliùs habet, neq; ex injusta acceptione, nam quamvis eam fortè accepit malâ fide v. g. furto, rapinâ &c. postquam tamen Dominum invenire non potuit, culpam purgavit eam expendendo juxta voluntatem Domini prudenter præsumptam; pari modo ad nihil tenentur pauperes vel loca pia, si rem jam absumpserunt, secus si adhuc existat, tunc enim obligantur ex re accepta, quia distributio illa aliter fieri

non potuit quàm sub conditione, si Dominus re adhuc existente non comparuerit, aliàs enim malè gestum esset negotium Domini *Molin. Sylv. Laym. Diana. Petsch. p. 649. 5.* Si non
10. præmissâ sufficiente inquisitione in Dominum, res erogata est in causas pias & adhuc existat, possessor rei tenetur primò, & in ejus defectu qui dedit, si res bonâ fide est consumpta nec aliquis ex ea factus ditior tenetur solus distributor. *Ratio est*, quia transferri non poterat rei dominium, cùm Dominus esset rationabiliter invitus, & qui dedit non præmissâ debitâ inquisitione Domino fecit injuriam, *Azor Less. Bonac. de rest. d. 1. q. 3. p. 4. n. 18.* 6. Si fur bonâ fide ex ignorantia vel mandato confessarii non factâ inquisitione rem dedit pauperibus & ab iisdem consumpta sit, fur adhuc tenebitur solvere pretium ratione primæ acceptionis injustæ, sicut si res apud ipsum sine ejus culpa periisset, neque est voluntas Domini ut sic expendatur res sua. *S. Anton. Nav. Rebel. Herinx d. 8. n. 109. Lug. d. 21. n. 59. Dicast. d. 3. n. 113. si dicas*, talis fecit quod potuit, & ignorans tenebatur obedire confessario; ergo creditor non potuit esse invitus, ut sic fieret. R. Fecit quantum potuit ad evitandum novum peccatum *C.* ad extinguendum debitum *N.* debitor ex delicto debet creditorem efficaciter reddere indemnem, unde si restitutionem commisit confessario vel nuntio à creditore non assignato, qui rem retinuit, tenetur denuò solvere, ùt fatentur omnes; ergo & tunc quando absque inquisitione, bonâ fide dedit pauperibus. *V. infra n. 24.*

R. III. Res *vacantes*, ùt gemmæ 11.
& lapilli in littore maris, feræ in sylvis, *derelictæ* vel pro derelictis habitæ, ùt missilia principum, *thesauri* ultra memoriam hominum reconditi jure gentiù fiunt primò occupantis, ideoq; restitutioni obnoxia non sunt, nisi sub limitationibus explicatis *Cas. 22.*

QUÆR. II. Quo tempore restituendum?

R. *Ut primum moraliter fieri potest post delictum vel notitiam rei alienæ, aut præfixum terminum in contractu*: est regula communis & certa; aliàs 12.
enim detineretur res aliena Domino rationabiliter invito; unde *deduces seqq.* 1. differre solutionem uno alterove die non est mortale, nisi Domino grave damnum vel incommodum ex dilatione causetur, imò si debitor non sit ex delicto (quoad hunc enim Dominus est plerumque magis invitus) & verum habeat solvendi propositum ac dilatio solutionis Domino non sit damnosa aut periculosa, non est arguendus peccati mortalis, etiàsi per unam alteramve septimariam, imò & mensem solutionem differat. *Molin. Laym. Tamb.* tres verò sunt causæ, propter quas restitutio justè differri potest. 1. Si creditor non sit præsens nec aliquem statuerit qui solutionem acceptet. 2. Si creditor etiã tibi debeat & non solvat. 3. Si solutio fieri non possit sine scandalo vel notabili damno in bonis animæ, famæ, 13.
vel fortunæ. 2. Si nullus in contractu terminus est præfixus, solutio primùm facienda est, quando creditor

secundùm loci consuetudinem eam exegerit, nisi forsan petere impediatur, vel à potentiore non audeat, tunc enim terminus solutionis erit qui prudenter judicatur esse de rationabili voluntate creditoris; 3. Si terminus præfixus est in favorem debitoris, ùt in commodato, debitor poterit terminum prævenire & citiùs solvere; quod si creditor acceptare nolit & res individua pereat sine culpâ debitoris, interitus non huic, sed creditori imputabitur. *Diana p.1. t.8.R.17.* Quando autem terminus præfixus fuit in favorem creditoris, ùt in locato ad certum tempus in censu pro annua pensione, tunc debitor regulariter terminum prævenire non potest, nisi soluto integro pensionis vel locationis pretio; creditori verò non conceditur repetere rem suam ante terminum conventum, nisi debitor de fugâ vel non solvendo foret suspectus, tunc enim cogitur vel reddere vel cautionem præstare. 4. Qui injustè cum peccato mortali solutionem differt, tenetur ad omne lucrum cessans & damnum obinde creditori emergens, ùt per se patet, qui solutionem inculpabiliter differt ex naturali oblivione vel impotentiâ, valde probabiliter excusatur, præsertim si non sit debitor ex delicto; an idem teneat de eo, qui solutionem differt ad avertendum proprium
14. damnum, dicam *Cas.47.n.4. 5.* Debitor vel maximè ex delicto si possit, debet statim totum debitum solvere, quamvis per partes vel distincta delicta contractum, & si absq; causa velit solutionẽ differre vel per partes solvere, non potest absolvi, quia manet in actuali peccato, & Dominus est rationabiliter invitus, quia habet jus ad totum debitum & posset intervenire impotentia, mutatio voluntatis vel aliud periculum. *Mol. Palao. Diana. Illf. t.4. d.3. n.253.* minùs absolvi possunt, qui solutionem differunt usque ad mortem, vel post mortem committunt hæredibus, quia injustè detinent aliena, & suos creditores exponunt periculo damnorum, præsertim si hæredes sint potentes vel difficilis conventionis, aut ùt fieri assolet in indagandis & observandis obligationibus defuncti negligentes, nisi periculũ gravis infamiæ vel scandali aut alia justa causa exigat restitutionem differri post mortem.

QUÆR. III. Quo loco & cujus ex- 15.
pensis restitutio fieri debeat?

Rz. 1. *Debitor ex delicto* debet restituere in illo loco, ubi Dominus rem suam erat habiturus, si res injustè ablata, detenta, vel destructa non fuisset, & quidem suis expensis, ùt si Coloniæ abstulit pecuniam vel equum, & ea secum abduxit Viennam, tenetur suis expensis ea reducere Coloniam, vel si Dominus etiam rem suam tunc erat ducturus Viennam, debet restituere Viennæ, subtractis tamen expensis, quas Dominus in re sua transferenda necessariò feciset; si fur plures expensas facere debuit, quàm Dominus erat facturus & has deducere non poterit, suo delicto eas imputet; si verò minores expensas fecit, quàm Dominus facere debuisset, idque proveniat

ex industria sua, hanc diminutionem compensare potest; secus si id contingat casu, ex eo v. g. quòd vecturæ vel cambii pretium decreverit, pretium enim decrescit Domino. *Medin. Sylvius. Molin. d. 752. Less. c. 15. dub. 8. Lugo d. 20. n. 183. Sporer à n. 153. Croix l. 3. p. 2. n. 361.* Ratio horum est, quòd æquitas justitiæ solùm exigat, ut Dominus rei servetur indemnis, id est tantum & non plus habeat in rebus suis, quantum habuisset si res nunquam fuisset ablata vel iniquè detenta, hoc autem fit, si fur ita restituat ùt præmissum est, ergo. &c. At quantas expensas tenetur facere debitor ex delicto ad restituendam rem alienam? *Cajet. Nav. Covar.* & alii obligant ad expensas quascunque possibiles, at nimis rigidè; quis enim dicat, quòd debitum sex aureorum tenear solvere cum expensis seu damno aureorum mille, id namque apertè repugnat charitati; meliùs igitur *Lug. n. 191.* dicit, debitorem obligari ad expensas duplò majores, quàm res debita valeat, ùt si debeas centum, tenearis hos cum expensis seu jacturâ ducentorum ex tuis, si opus est, restituere, quia cùm debitor sit nocens & creditor innocens, saltem duplò major causa requiritur ad absolvendum debitorem, quàm privandum re suâ creditorem. Adhuc mitiùs loquuntur *D. Th. q. 62 a. 5. ad 3. Sot. 4. dist. 15. a. 4. Haun. t. 2. c. 3. contr. 8. Vasq. de rest. c. 10. d. 1. Petsch p. 678. Sporer. n. 161.* Qui tantùm obligant debitorem cum damno æquali & aliquantum majore, non autem cum damno duplo, triplo, vel decuplo; quia justitia non repugnat charitati, charitatem autem putant non permittere, ut debitor etiam ex delicto restituat cum damno notabiliter majore, quàm est debitum, ideoque restitutio tunc differri poterit ad commodiorem occasionem, aut si nulla spes commodioris occasionis affulgeat, nec voluntas Domini per litteras vel aliter explorari possit, Restitutio ex præsumpto Domini consensu facienda est proximis Domini consanguineis vel hæredibus, aut in eorum defectum pauperibus. *Si dicas*: qui tenetur ad finem seu restitutionem, etiam tenetur ad media, & expensas necessarias; ergo si opus est, ad triplò vel decuplò majores, quàm res ipsa valeat. ℟. Tenetur ad expensas debito proportionatas *C.* improportionatas & debitum notabiliter excedentes *N.* ut autem sciatur, quænam expensæ sint proportionatæ, attendenda est conditio tam debitoris quàm creditoris; potest enim esse ut debitori pauperi multò plus noceat damnum decem, quàm creditori centum aureorum, aut econtrà; ideoque & tunc expensæ ultra duplum vel triplum augendæ, vel econtrà proportionaliter minuendæ sunt. *Haun. l. c. Illsung num. 223. Sporer n. 163.*

℣. 11. *Debitor ex solâ re acceptâ* 16.
tenetur restituere in loco, in quo res de facto existit, juxta seq. explicationes: *1.* Si Dominus rei est absens, v. g. viator in domo tua reliquit suam bursam,

bursam, vestem, vel sarcinam, teneris eum per litteras monere, quid de re sua fieri velit; si petat sibi transmitti, transmittenda est, sed expensis Domini; quia æquum non est, ut debitor in re alienâ citra culpam suam damnum patiatur, si expensæ excedant valorem rei, de præsumpto consensu Domini res vendi & pretium transmitti debet; si nec pretium sine majori vel æquali expensâ transmitti queat, exspectanda est melior occasio vel voluntas Domini, aut si nulla horum spes sit, res dari debet proximis Domini consanguineis vel hæredibus, aut in horum defectu pauperibus, ùt sup. si debitor inutiles expensas fecerit hos ipse portare debet, & si inquirere neglexit, fiet deinceps debitor ex delicto obligaturque quantum illa negligentia nocuit. 17. 2. Si Domino absenti rem suam vel etiã tuam transmittas per bajulum, ab ipso in genere vel in specie designatum, vel cum ejus consensu electum, hic autem rem retineat, vel sine tua culpa apud ipsum pereat, perit creditori, quia jam censetur rem acceptasse per suum designatum. *Lugo d.8 n.127* idem dicit *Croix n.363.* si loco designati fortè venerit alius, fingens se designatum, cujus fraudem advertere non potuisti, quod verum est, si intuitu litterarum vel signi à creditore dati eum elegeris, secus si nullum signum creditor posuerit, nec litteras scripserit; tunc enim censetur à te sponte electus, & dicendum, quod *casu seq. 3.* Si ipse bajulum elegisti non assignatum, & remittas rem Domini in individuo v.g. vestem apud te depositam vel tibi commodatam, & hæc sine tuâ culpâ pereat, iterum ad nihil teneris; quia res regulariter perit suo Domino; excipe nisi sis debitor ex delicto, v.g. per tuum servum vel confessarium remittis vestem furto à te ablatam, quam si servus vel confessarius retineat, teneris ejus pretium solvere Domino vi injustæ acceptionis præteritæ, non aliter ac si apud te casu periisset. *Rebel. Sylvius. Less. c.16. dub.6.n.65. Molin. d. 754. Lug. d.21. n.59. Ills. n. 305. Dices*: si fur non possit aliter restituere quàm per confessarium, creditor prudenter præsumitur consentire, ut res per confessarium restituatur; ergo si apud confessarium pereat, perit creditori. R. Prudenter præsumitur consentire salvo suo jure *C.* aliàs *N.* 4. Si ex te remittas rem tuam, v.g pecuniam mutuò acceptam, tibi perit, quia illa pecunia permanet sub tuo dominio, usque dum creditor eam per se vel per suum nuntium acceptarit, res autem perit suo Domino.

R. III. Restitutio *ex contractu* fieri debet in loco tacitè vel expressè per partes convento, debita ex contractu gratuito, donationis, legati, testamenti, tradenda sunt in loco ubi existunt, & sumptibus donatarii vel legatarii inde transferenda; quia gratis donans vel legans non censetur se, nisi aliud expresserit, ad plus obligasse, quàm ut rem alteri relinquat pro libitu, ejus sumptu & labore, si opus est, aliò transportandam; res debita 18.

ex

ex contractu mutui, depositi, commodati, locati &c. *per se* restitui debet, ubi est tradita, & quidem istius sumptibus, in cujus utilitatem contractus est initus, nisi aliter sit conventum.

# CASUS XLVI.

## De ordine Restitutionis servando inter creditores.

BErtholdus *ære alieno gravatus quærit ex confessario:* 1. *An possit solvere ex rebus apud se depositis, locatis, inventis, aut ex rebus emptis & non solutis.* 2. *An omnibus præferri debeant funeralia, alimenta & medicamenta sibi & suis impensa, jura facti testamenti & inventarii, mercedes servorum aut pretium rei emptæ.* 3. *An debita certa præferri incertis.* 4. *An præferenda debita hypothecata, & quid si plures hypothecam habeant.* 5. 6. *An debita ex delicto præferenda debitis ex contractu vel contrà:* 7. *An inter debitores merè personales prior tempore sit potior jure.* 8. *An præferri possit primò petens, pauper, aut creditor, apud quem res debitoris existit.* 9. *Quid si accepto pretio rem vendiderit & non tradiderit, an emptori præ omnibus res vel pretium reddi debeat;* 10. *Quid si res uni oppignorata oppignoretur vel vendatur alteri.* 11. *Aut debitor impotens legata vel donationes acceptare aut alteri donationem faciat.* Pro resolutione

1. QUÆR. I. Quid notandum circa ordinem restitutionis servandum inter creditores? de ordine debitorum dixi *Cas. 38. nu. 21.* &c. Si debitor habeat bona sufficientia ad eluenda omnia debita, sine ordine omnibus creditoribus satisfacere debet, ùt per se patet; si verò non sit solvendo omnibus, tenenda sunt seqq.

*1.* Restitui debet res aliena, si adhuc apud debitorem in individuo existat; ùt si debitor habeat rem tuam apud se depositam, sibi locatam, commodatam, vel à se inventam, furto sublatam &c. tibi & non aliis quomodocunque privilegiatis eam tradere debet, quia res mansit tua, neq; aliis restitutio fieri debet ex rebus alienis. Idem est, si debitor pro re ab Ecclesiâ, Fisco, vel minore sibi venditâ & traditâ non solverit pretium, tunc etiam ex constitutione legum Ecclesia, Fiscus, minor retinent dominium rei venditæ usq; dum solvatur pretium, uti ex *L. si procurator 5. de jure fisci & Glos. ibid.* docent *Molin. Less. Castrop. Laym. apud Illsung t. 4. d. 3. nu. 190.* quod *Cajet. Sylves. Nav. Less. L. 2. c. 15. dub. 2. Petsch pag. 657.* extendunt ad quamcunque rem venditam, non solutam, neque per cautionem pignoris vel fidejussoris assecuratam; in dubio tamen censetur venditor tradendo mercem etiam tradere dominium, vel maximè si pretium jam acceptare nolit contentus fide emptoris, ùt plerumque contin-

tingit, *Lugo d. 20. n. 17. Dicast. d. 11. n. 15. 2.* Ex bonis ipsius debitoris ante
2. omnia debita etiam hypothecata solvi debent funeralia, medicamenta & alimenta sibi, uxori & liberis impensa, item quod pro inventario, pro custodia suppellectilis & confectione testamenti necessarium fuit, *L. pen. ff. de relig. & sumpt. funerum*; mercedes operariorum & famulorum ad necessarios usus conductorum; quia hæc debita contrahuntur ex necessitate & potiùs in utilitatem quàm fraudem creditorum; aliàs enim debitor magis fieret impotens, si nullus ei serviret, ex eâdem ratione præferri poterit solutio rei emptæ saltem in continenti, quia debitor ex tali solutione non fit impotentior, quia accipit æquale. *Vasq. de Restit. c. 11, dub. 3. Laym. n. 3. 7. 8. Illsung n. 217. Sporer n. 47. 3.* Debita certa præ-
3. ferenda sunt incertis. *S. Anton. Sylvest. Cajet. Sylvius q. 62. a. 8. Vasq. n. 9. Lugo n. 2. Sporer n. 24. Croix l. 3. p. 2. n. 373.* Per debita autem incerta hic non intelliguntur debita dubia; nam pro his plerumque non debetur restitutio, cùm in dubio, an debeam, melior sit conditio possidentis, ùt dixi *Cas. 38. nu. 18.* sed debita incerta hìc vocantur, quorum creditor sciri aut conveniri non potest. *Ratio* autem sumitur ex eo, non quòd creditor absens vel ignotus minus jus habeat, quàm præsens, sed quòd prudenter præsumatur velle, ut cùm sibi restitutio fieri non potest, fiat creditoribus certis; juvare enim debitorem imparem ad solvenda debita est opus piũ, atque debita incerta, postquam suo Domino solvi non possunt, ex præsumptâ Domini voluntate converti debent in usus pios secundùm dicta *Cas. 45. à n. 6.* ergo. 4. Hypotheca est 4.
jus, quo non tantùm persona, sed etiam res aliqua immobilis in securitatem debiti obligatur; si obligetur res mobilis vocatur pignus, unde patet quòd debita hypothecata utpote jus in ipsam rem simul & personam habentia præferri debeant non hypothecatis, ideo enim datur pignus vel hypotheca, ut per ea debitum magis assecuretur. *L. cui C. qui potior est in pignore*: Hypotheca alia est *expressa*, quæ mutuâ partium conventione; alia *tacita*, quæ citra partium conventionem à legibus constituitur, talẽ uxor habet in omnia bona mariti ad recuperandam dotem: Item alia est *generalis*, quia dat jus in omnia bona debitoris, alia *specialis*, quæ tantùm dat jus in aliqua ejus bona; alia demum est *privilegiata*, quæ habet specialem in jure prærogativam seu jus præferentiæ præ aliis hypothecis, talem habet pupillus in bona Tutoris & rem suis pecuniis emptam, & ille qui dat mutuum ad emptionem vel exstructionem rei, quam sibi pactus est in pignus, item qui dat mutuum ad conservationem rei alteri generaliter vel specialiter hypothecatæ & alii plures, de quibus magis ad Juristas quàm Theologos spectat judicare; unde Confessarius super his consultus nihil

præproperè decidat, sed potiùs in rebus difficilioribus ad Civilistas remittat. 5. Inter creditores hypothecarios 5. præferendi sunt, qui priores sunt tempore, juxta *Reg. 7. 54. in 6. qui prior est tempore, potior est jure*; ita ut tacita hypotheca prior præferri debeat posteriori expressæ, prior generalis posteriori speciali, *Lugo à n. 40. Molin. d. 536. Vasq. c. 5. n. 6. Illsc. n. 199. Ratio* est, quia per primam hypothecã res ipsa est obligata & inchoativè facta creditoris; ergo cum ejus præjudicio in jus alterius transire non potest; *neque obstat*, quòd fortè alteri jam sit tradita; nam traditur cum onere reali prioris hypothecæ, excipe hypothecas privilegiatas, quæ non privilegiatis etiam tempore anterioribus ex speciali juris dispositione præferuntur. 6. Debita ex delicto non sunt præferenda debitis ex contractu, vel econtrà: *Sylvest. Bann. Arrag. Vasq. dub. 2. Dicast. n. 24. Lugo n. 36. Croix nu. 379.* partim contra *Medin. Anton. Salon.* qui volunt præferri debita ex delicto, partim contra *Cajet. Tabien. Nav. Armilla*, qui docent præferenda esse debita ex contractu. *Ratio* nostra est, quia unus non habet majus jus, quàm alter, sive enim ex furto vel rapina, sive ex mutuo debeas aureum, non teneris restituere nisi cuilibet unum aureum, & quidem æquè primò; nam quamvis creditor ex delicto quoad modum sit magis invitus, quoad damnum tamen reale, quod solùm in re- 7. stitutione attenditur, æquales sunt. 7. Inter Creditores merè personales locum non habere regulam 54. *Qui prior est tempore, potior est jure*; sed debere cuilibet Creditori plus vel minus solvi juxta majus vel minus debitum, docent *Baldus. Anton. Sylvest. Bannes. Sylvius Nav. Less. c. 15. dub. 16. Illsc. n. 215. Sporer. n. 43. Rationem* sumunt tum ex lege civili ita disponente, tum ex eo, quòd omnes videantur habere æquale jus: non minùs tamen probabile, imò ex ratione videtur probabilius, quòd inter creditores merè personales præferri possit & debeat, qui habet creditum tempore prius & antiquius. *D. Th. opus. 83. c. 8. Gabriel. Medin. Valent. Salon. Suar.* aliiq; apud *Lugo n. 146.* Probatur 1. ex dicta Reg. 54. in 6. à Bonif. VIII. generaliter tradita; *qui prior est tempore, potior est jure*, & *Glos. ibid.* per quam corrigitur jus civili, si alicubi est contrarium. 2. Prioritas temporis dat prælationem non tantùm habenti jus in re, sed etiam habenti jus personale; nam hoc ipso quòd quis se ex mutuo, v. g. obliget primò creditori, implicitè se obligat ad non ponenda impedimenta huic solutioni, ergo tenetur se non obligare aliis creditoribus, nisi salvo jure prioris, alioquin primum exponit periculo amittendi in toto vel in parte suum debitum & jus quæsitum. *Si dicas*: hoc tantùm tenere, si eadem persona pluribus est obligata ad eandem rem determinatè, v. g. pluribus promisisti matrimonium, pluribus eandem rem vendidisti & non tradidisti, pluribus eandem rem oppignorasti, in his omnibus planum est, quòd præ-

præferri debeat primus, non verò, si pluribus te obligasti ad quid indeterminatè. *Contrà* est, si duobus obligasti laborem tuum pro uno die indeterminato hujus septimanæ, si non potes laborare nisi die uno, debes laborare pro primo; si duobus vendidisti unum ex tuis equis indeterminatè, si omnes moriantur præter unum, debes hunc dare primo; item in debito reali si eandem domum duobus pro debito oppignorasti, quia utrique erat sufficiens, si expost deteriorata non sufficiat nisi uni debito, debet præferri primus, ùt fatentur omnes; ergo idem dicendum in debito per-
8. sonali. *8. Nav. c.17. n.53. Laym. n.7. Sylvius concl.8. Illf. n.219. Sporer. n.45.* docent inter creditores æquales præferri posse primò petentem, quia jura favent vigilantibus, *ideoq; non revocatur ab eo quod ante alios accepit* L. *pupillus.* L. *quod autem, quæ in fraudem*; hæc sententia est probabilis, quia citatæ leges sunt justæ; ideoque secundum hanc sententiam moneri potest amicus, ut primò petat vel maximè si sit pauper, imò pauperem simpliciter præferri posse docet *S. Thom. op.73. c. 18. Sylvest. Arrag. Salon. Rebel. l.2. q. 19. n. 13. Laym. l. c.* Quia sicut auferendo, ita & non solvendo, pauperi cæteris paribus majus infertur damnum quàm diviti, recedendum autem videtur priùs à majori nocumento, quàm minori; sed hæc ratio parum probat, aliàs enim unus dives, cui plus debetur, esset præferendus alteri, cui debetur minus, ideo communior sententia docet titulum paupertatis per se nullam dare præferentiam, nisi in extrema & fortè etiam in gravi necessitate, quia pauper per se non majus jus habet ad rem sibi debitã quàm dives. *9.* Si res debitoris apud me existat mihi non oppignorata, non possum ex ea totum debitum meum subducere, sed attendere debeo, an non alii habeant jus præferentiæ, aut si habeant jus æquale, debeo cum eis pro rata concurrere. *Mendo d.6.q.4. Lug. d.16.n.126.* 10. Si ære alieno gravatus rem aliquam vendiderit sed non tradiderit, ipse autem receperit pretium, debet emptori tradere rem vel reddere pretium, antequam ulli alii creditori etiam hypothecario satisfaciat, quia ante traditionem rei venditæ ex jure non acquiritur dominium pretii, intellige si pretium adhuc separatim existat; nam si venditor illud suis pecuniis indiscernibiliter miscuerit, acquisivit ejus Dominium. *L. si alieni nummi 20. ff. de solut.* ex illo autem, cujus debitor dominium habet, prima solutio fieri debet creditoribus hypothecariis: probabiliter tamen contradicunt *Rebell. Castrop.* & alii, volentes adhuc primò debere satisfieri illi, cujus pecuniæ [idem est de aliis miscibilibus] cum alienis iniquè permixtæ sunt; *Rationem* dant, quia totus cumulus pecuniæ videtur obligatus creditori ratione injustæ mixtionis, & pecunia aliena adhuc physicè in cumulo existit. *11.* Qui rem alteri 10.
oppignoratam cum ejus præjudicio de novo oppignorat, vel vendit, pec-

cat contra justitiam, & primus creditor poterit ex eâ ubicunque extiterit solutionem accipere, quia pignus & hypotheca est onus reale, cohærens rei, quocunque devenerit. 12. Debitor sciens se non esse solvendo peccat contra justitiam, si donationes vel legata, ex quibus solvere possit, acceptare nolit, multò magis si res suas alteri donet, mutuò det vel aliter alienet cum præjudicio creditorum, quia facit se voluntariè impotentem ad hoc, ad quod ex justitia obligatur. *Molin. Bonac. Sanch. Lugo d. 20. nu. 137. Haun. t. 2. n. 497.* donatio tamen vel alienatio est valida, quia est suorum Dominus, ideoque qui bonâ fide accepit, licitè retinere potest, quod *Molina. Nav. Castrop. Less. dub. 19.* etiam extendunt ad eum, qui malâ fide seu conscius impotentiæ acceptavit, nisi induxerit ut daret, quia tunc ajunt non causat debitoris impotentiam, sed eam ex justâ causâ propriæ utilitatis permittit. Econtrà *Rebell. Vasq. dub. 3. Lugon. 113.* probabiliùs dicunt, eum teneri ad restitutionem, non quidem ex re acceptâ, quia factus est rei Dominus, sed ex injusta acceptione, quia acceptando init contractum creditoribus damnosum; ergo non tantùm permittit, sed positivè concurrit ad alterius damnum, & quidem non per actionem indifferentem, sed necessariò cum damno creditoris conjunctam, idque non pro avertendo damno proprio, sed pro lucro; sicut ergo nemo dicet licere ob lucrum furi accommodare scalam, vel eum juvare ad exurendas ædes alienas, sic nec licebit rem à debitore impotente acceptare cum damno creditorum; & ideo pro tali casu creditoribus in foro externo conceditur actio rescissoria. *L. 1. L. si debitor* L. *ult. ff. quæ in fraudem*, quâ intra annum ab habitâ facti notitiâ possint petere rescissionem contractûs in illorum fraudem initi, ita ut res debitori restitui debeat etiam non recepto pretio, nisi pretium adhuc existat vel in quantum debitor ex eo factus est ditior, hæc tamen actio non datur contra tertium, ad quem res bonâ fide translata est. *Leges cit.*

11.

## CASUS XLVII.

### De causis à restitutione excusantibus

CUrtius *multa debet, ex variis tamen causis putat se à restitutione excusatum. 1. Quia si restituat, ipse vel uxor erit in periculo desperationis, furtorum aut extrema necessitatis vel infamiæ, quamvis creditor sit in necessitate pari. 2. Cogetur statum suum dimittere, parcius vivere, vel omnia quæ habet restituere. 3. Quia restituere non potest sine gravi damno aut lucro cessante, licèt æquale vel minus etiam*

*etiam patiatur creditor. 4. Quia putat se solutionem ex justa causa differre, arguit se liberum à compensatione damni vel lucri cessantis creditori. 5. Quia creditor debitum remisit putans eum non esse solvendo, vel saltem credit aut dubitat, an remiserit, eò quòd publicè ob furtum fuerit punitus. 6. Quia creditori aliquid donavit immemor debiti vel simulavit se donare, cùm tamen daret animo solvendi. 7. Quia solvit creditoris creditori. 8. Vel impetravit compositionem Papalem. 9. 10. 11. Quia cessit foro jurans se nihil occultasse, cùm tamen occultaverit & ex post acquisierit. 12. Et quamvis posset in seculo manens satisfacere, tamen religionem sua secum portans ingreditur. 13. Prætexens quòd sit in periculo seductionis. 14. 15. Quòd debita sint incerta. 16. Vel ex promissione gratuita, 17. Et dubitet an in seculo notabile quid lucrari possit. 18. 19. Vel saltem diu deberet manere in seculo. 20. Professus proprio labore, donatione, legato & è fructibus beneficii multa acquirit, & tamen nec ipse, 21. Nec Monasterium quidquam creditoribus solvit.*

Variæ sunt causæ de quibus dubitari potest, an sufficiant ad justè differendam vel planè omittendam solutionem, ùt 1. Impotentia. 2. Remissio creditoris. 3. Compensatio, de qua satis dixi *Cas. 32. n. 7.* 4. Præscriptio, de qua *V. Cas. 23.* 5. Interitus rei apud bajulum vel confessarium, de quo *Cas. 47. n. 23.* 6. Incertitudo debiti de qua *Cas. 38. n. 18.* 7. Donatio facta creditori vel solutio facta creditoris creditori 8. Cessio fori. 9. Compositio Papalis. 10. Ingressus in religionem. His examinatis clarebit resolutio casûs. Igitur

QUÆR. I. Qualiter à restitutione excuset impotentia?

RE. Impotentia alia est physica, quando quis nec in re nec in spe habet, unde restituere possit; impotentia moralis est, quando quis absolutè quidem potest satisfacere, sed nonnisi cum animæ, corporis, famæ, libertatis, justi statûs aut bonorum temporalium jacturâ secundùm sequentes explicationes.

1. *Probabile periculum animæ* est justa causa differendi & omittendi solutionem quamdiu periculum durat, ùt si debitor ob restitutionem esset lapsurus in desperationem, filii ob inopiam in furta vel latrocinia, uxor vel filia prostituenda. *Scot. in 4. dist. 15. q. 2. Rebell. Nav. Bonac. Less. l. 2. c. 16. dub. 1. Ratio est*, quia creditor non potest esse rationabiliter invitus, ut debitor pro salute animæ suæ aut suorum tanquã bono longè eminentiori restitutionem temporalium differat. 1.

2. Excusat *periculum vitæ*, seu necessitas extrema, quando scilicet debitor factâ restitutione ex defectu alimenti vel medicinæ ordinariæ esset moriturus. *Ratio est*, quia pro avertenda necessitate extrema licet aliena surripere, ergo multò magis retinere seu solutionem differre, nisi creditor ante debitorem in similem necessitatem jam inciderit, vel inciturus sit, nisi debitum restituatur; tunc enim debi-

tor titulo justitiæ & charitatis præferridebet ; si verò creditor simul cum debitore existat in necessitate extremâ,potest rem creditoris licitè retinere,quia tunc melior est conditio possidentis. *V. Cas. 32. n. 1.* ubi *n. 6.* etiam dixi , ad quid teneatur qui rem alienam apud se depositam , furto ablatam aut mutuò acceptam in extrema necessitate consumpsit.

3. Excusat *jactura libertatis vel famæ*, ut si restituere non possis , nisi te ipsum vendendo vel dando suspicionem gravis & occulti criminis ; si tamen restitutio absq; infamia fieri posset per tertium , v. g. Confessarium ; aut si res ipsa non posset sine nota restitui,posset verò ejus pretium , ad hoc foret obligatio : deinde infamia debet esse notabilis , hinc homo de furto jam infamatus tenetur restituere , etiamsi de novo veniat in suspicionem furti,quia illud aliquale infamiæ augmentum,non est tantum , ut innocens propterea re magni momenti privari debeat.

2. 4. Excusat *jactura status justi & honesti* , ut si homo nobilis pro facienda restitutione deberet omnia bona sua vendere,famulos,arma,equos &c.dimittere , civis primarius exercere artem mechanicam , artifex vendere artis suæ instrumenta & mendicare ; talis potest solutionem differre , vel per partes solvere, etiamsi sit debitor ex delicto. *Scot.Gab.Ang.Palud.Bannes. Salon. Azor p. 3.l.4.c. 39. Sylvius 2.2. q. 62. a. 8. Ratio est*, quia creditor tunc non potest esse rationabiliter invitus , cùm debitor sit verè in gravi necessitate,& mutatio statûs plerumque conjuncta est cum gravi dedecore & infamia debitoris , filiorum , ac familiæ. *Dixi* 1. *jactura status* ; nam aliqualis ejus diminutio non excusat, sic debitor omnium consensu ut solvere possit,tenetur parciùs vivere , de splendore apparatûs , conviviorum, equorum, famulorum , ludorum &c. remittere ; quia hæc non sunt ad statum simpliciter necessaria, sed solùm ad ejus splendorem & pompam , & hæc diminuere non tam est necessitatis quàm modestiæ;unde versantur in pessimo statu,nec absolvi possunt,qui debitis gravati nihil de splendore & luxu remittunt , & quod pejus est,nequidem desuper se in confessionali accusant. *Dixi 2.* jactura statûs justi,ut si satrapa vel prætor ad solvenda debita vel occultas rapinas cogeretur officium suum justè acquisitum vendere, si verò status sit injustus , consistens v.g.in sola opulentia per furta, fraudes, usuras acquisitâ ; non est dubium quin ipse & ejus hæredes teneantur hæc omnia cum jactura statûs, ad quem nullum jus habent,aut usq; ad mendicitatem in qua antè fuerant restituere , nisi forsan excusat periculum gravissimæ infamiæ, carceris vel pœnæ publicæ. *S. Anton.Scot.Henriq. Nav.Less.Tamb.Laym.c.2.n 2.Bonac. d.1.q.ult.p.1.*idem est,si amissio statûs vel damnum, quod ex restitutione timetur , consistat in sola carentia rei, quam quis restituere debet,tunc enim non dimittet statum suum,sed relinquet

quet alienum. *DD. cit. Lug. d. 11. n. 7. Sylvius sup.*

3. 5. Si debitor ex restitutione pateretur damnum notabiliter majus, quàm pateretur creditor ex dilatione solutionis, justè solutionem differre potest, etiamsi sit debitor ex delicto, modò damnum minus quod creditor patitur paratus sit resarcire; idem est si creditor nullum pateretur damnum, debitor verò ex dilatione posset facere ingens lucrum. *Ratio* utriusque *est*, quia creditor tunc quoad dilationem solutionis non potest esse rationabiliter invitus &c. Si debitor & creditor sint in æquali necessitate gravi, vel in periculo æqualis damni, melior est conditio creditoris & res restitui debet, sive sit debitor ex delicto, sive ex contractu. *Scot. Nav. Salmant. t. 13. de rest. c. 1. Laym. sup. Metzger t. 12. d. 35. a. 1. n. 5. Dicast. d. 10. n. 30. Ratio est*, quia creditor habet jus ad solutionem, ergo in pari casu præferri debet.

4. 6. Præcipua hîc difficultas est, utrùm ille, qui ob gravem suam necessitatem vel periculum notabilis detrimenti justè solutionem differt, teneatur creditori ultra rem debitam solvere damnum lucri cessantis? Respondent plurimi cum *Rebel. Less. Lugo d. 21. n. 16. Croix l. 3. p. 2. n. 252.* obligari debitorem ex delicto, quia injusta acceptio quæ præcessit est causa illius damni: *Diana p. 11. t. 2 R. 14.* requirit, ut damnum illud sit prævisum, aliàs enim non est voluntarium & non tam prima acceptio quàm justa dilatio est causa istius damni; econtrà si non sit debitor ex delicto, dicunt non obligari ad damnum ex justa dilatione creditori secutum, putantque aliqui id esse certum, sed immeritò; nam valdè probabile, & mihi probabilius est, quòd etiam debitor ex contractu vel re acceptâ, si pro sua necessitate vel damno avertendo differat restitutionem, teneatur creditori vel Domino rei compensare lucrum & damnum ex dilatione emergens. *Nav. l. 4. c. 4. n. 56. Rebel. l. 2. q. 17. s. 4. Sylvius a. 8. concl. 3. Molin. to. 3. d. 754. n. 3. Laym. n. 2. Metzg. n. 8. Dicast. n. 75. Ratio est*, quia creditor non tenetur in dilationem istam consentire, nisi ex charitate, quantum opus est pro avertendo actuali damno vel gravi necessitate proximi; sed ad hoc opus non est, ut in dilationem consentiat gratis absque onere resarciendi damnum, quod in ejus gratiam patitur: si enim in extrema necessitate non tenear proximo, qui est solvendo vel alibi habet, concedere rem meam gratis absq. onere restituendi, ùt cum communissima dixi *Cas. 17. n. 6.* & certum esse dicit ipse *Lugo d. 16. n. 170.* ergo multo minus pro avertendo damno vel necessitate gravi: & certè iniqua esset conditio creditoris, inquit *Laym. l. c.* si debitor v. g. mutuatarius vellet in suum commodum vel ad præcavendum majus damnum suum solutionem differre, non recipiendo in se onus resarciendi damnum minus, quod obinde creditor patitur, & huc inclinat *Lugo d. 18. n. 93.* citans *Less.* quamvis enim creditor in tali necessitate non possit esse ra-

rationabiliter invitus, quòd debitor retineat & utatur pecuniâ sibi debitâ, meritò tamen est invitus ut utatur non compensando damnum sibi obveniens; sicut si ad salvandam vitam tuam indigeas equo meo, non possum esse invitus quoad ejus usum, teneris tamen si sis solvendo refundere damnum, quod equus vel ego inde passus sum, ùt fatentur omnes.

QUÆR. II. Qualiter excusat remissio creditoris.

§. R. *Excusat liberè facta ab eo, qui remittere potest.* dicitur 1. *liberè facta*, quia si fiat ex dolo, vi, vel injusto metu v. g. quia debitor se finxit pauperiorem vel plura damna passum, quàm est, aut simulavit debitum esse incertum, cùm tamen sit certum, vel alia falsa allegavit, aut remittatur pars ne amittatur totum, vel solutio injustè differatur, tunc remissio est nulla manetque debitor obligatus ad compensandum damnum: res certissimæ veritatis sed iniquissimæ praxeos: si quis prudenter credat Dominum nolle sibi debitum restitui vel liberaliter donaturum, si rogaretur, non tenetur restituere. *Gometz to. 3. t. 5. n. 1. Molin. d 68. n. 3. Dicast. n. 113. Metzg. a. 5. n. 1. Ratio est*, quia tunc adest voluntas Domini prudenter præsumpta, unde infert *Lugo. n. 53.* furta filiorum, servorum, aliorumq; sæpe à restitutione excusari, eò quòd pater vel herus, si rogaretur, restitutionem libenter remitteret, etsi super facto multùm fuerit indignatus &c. si expost rescias, Dominum reverà fuisse invitum, teneris restituere rē non tamen damnum ex dilatione solutionis secutum, quia dilatio non fuit culpabilis: in dubio, an Dominus esset debitum remissurus, restituendum est, vel petenda remissio, quia obligatio solvendi possidet, à quâ per remissionem dubiam non liberaris. *Sed quid*, si debitor ob furta vel damna causata morte plectatur, an hoc ipso illi ejusq; hæredibus censeatur remissa restituendi obligatio. R. Nequaquam, si res furtivæ adhuc existant, vel ejus hæredes exinde facti sint ditiores, aut summa restituenda sit valde gravis, vel deniq; Domini ob ignorantiam aut aliud impedimentum restitutionem petere non possint; tunc enim præsumi non possunt restitutionem remittere. *Sanch. Less. Vasq. Molin. d. 84.* aliud est de damnis secutis ex homicidio; nam homicidâ ad instantiam partis condemnato si hæredes defuncti non petant restitutionem damnorum, cùm facilè possint, censentur eam remittere. *Scot. in 4. dist. 15. q. 3. Salon. 2. 2. q. 62. a. 1. Molin. n. 8.*

QUÆR. III. An excusetur, qui immemor debiti aliquid donavit creditori? 6.

R. I. Affirmant *Diana*, *Rebellus*, *Cardenas apud Croix n. 452.* qui consentit, si donans ita comparatus fuit, ut non dedisset gratis, si fuisset memor debiti; tunc enim adfuit voluntas interpretativa extinguendi debitum, quæ videtur sufficere; sicut qui ex justitia tenetur orare Horas, si oravit ex devotione, satisfeciisse censetur, quia

quia præsumitur priùs voluisse satisfacere obligationi justitiæ, quàm meræ devotioni; sed rectiùs contradicunt *Salas, Lopez. Sanch. Leß. l. 2. c. 37. n. 11. Laym. l. 3. t. 2. c. 12. n. 9. Ratio est*, quia legi certæ non satisfit per solutionem solùm probabilem & incertam, ùt ostendi *Cas. 5. à n. 18.* & immemor debiti simpliciter voluit dare gratis, contra quam voluntatem expressam non prævalet voluntas interpretativa, aliàs vix ulla valeret donatio, quia facilè adest causa, quam si sciviſſet donator non dediſſet: nec tenet paritas de recitatione Horarum, nam obligatio solvendi debitum descendit ex propria hominis voluntate, ideoque debitor facere potest, ut præstitâ gratis materiâ debitâ perseveret obligatio; econtrà obligatio recitandi Horas non est immediatè ex electione hominis, sed ex præcepto Ecclesiæ, adeoq; homo facere non potest ut præstitâ materiâ præceptâ maneat obligatio, idq; patet à posteriori, quia præcepto Horarum satisfit, etiamsi quis eas recitet cum animo non satisfaciendi præcepto sed repetendi, ùt habet *communis*; certum autem est non satisfieri debito justitiæ, si scienter aliquid detur cum expresso animo non satisfaciendi, sed donandi gratis. *V. Cas. 6. n. 19.* unde patet te non liberari à debito justitiæ, si Cajo creditori vel ejus filio procurasti officium nisi consentiat, minùs si procurasti beneficium Ecclesiasticum, quia hoc tanquam quid spirituale erga temporale compensari non potest.

℟. II. Si exteriùs quis simulet se dare gratis, internè autem velit extinguere debitum justitiæ, satisfacit, ùt fatentur omnes: sed quid, si prævideat intuitu donationis sibi aliquid redonandum? ℟. Id acceptari vel retineri non posse, quia datur ex errore & intuitu gratuitæ donationis, quæ tamen gratuita non est: excipe nisi fortè nec redonatio declinari, nec restitutio ob suspicionem criminis aliâ viâ (quod rarum est) fieri non posset.

QUÆR. IV. An excusset solutio facta creditoris creditori? ℟. *Affirm.* si debitū sit ejusdem rationis, nec alius creditor sit præferendus, aut si debitum tale sit ut creditor creditoris potuerit uti compensatione, *Sylv. V. solutio Medin. q. 3. Molina t. 3. d. 473. Rebel. Dicast. Croix n. 453.* quod *Lugo n. 146.* etiam dicit locum habere in foro externo; *Ratio est*, quia solvendo tuo creditori acquiro jus, quod ille habet contra te; sed hoc jus est æquale cum illo jure quod contra me habes, ùt suppono, ergo illa jura mutuò extinguuntur & compensantur. 7.

QUÆR. V. Qualiter excusset compositio cum Papa? ℟. Compositio papalis est actus, quo Papa majorem partem debiti remittit, ut minor pars ad usum pium impendatur; debita autem quæ Papa remittit vel sunt incerta, vel sunt debita ex lege Ecclesiastica, in qua dispensare potest Papa, ùt sunt præsentiæ vel reditus Ecclesiastici à Canonico non præsente vel non residente percepti; posse autem Papam ejusmodi compositionem 8.

concedere, docent *Molin. Leſſ. Dian. Lugo d.21.à n.91.* quos ſi lubet, vide. Apud nos Germanos in uſu non eſt.

9. QUÆR. VI. Quid circa ceſſionem fori? R. 1. Ceſſio fori, quâ quis omnia bona ſua cedit & relinquit inter creditores dividenda, non excuſat in conſcientia, quominus redeunte meliori fortunâ reliquum ſolvere teneatur, *communis DD. Ratio eſt*, quia hoc privilegium fundatur in impotentia debitoris, ceſſante ergo impotentiâ ceſſat ejus effectus ſeu excuſatio à reſtitutione; per conſequens ſi debitor honeſto labore meliorem ſtatum acquirere poſſit, ad hoc tenetur & compelli poteſt; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria &
10. neceſſaria. 2. Cedens foro niſi ſit debitor ex delicto, aut ſua dilapidando ſe in iſtas anguſtias conjecerit [ huic enim non favere leges docent *Molin. Laym. Sylvius l.c. Metzg.a.2.n.3.*] duo in jure habet privilegia, primum ut liberetur à carcere & vexa creditorum, ſecundum ut de bonis ex poſt acquiſitis non poſſit conveniri niſi in quantum commodè ſolvere poteſt. *l.4.5.6.ff. de ceſ. bon. §. ult. inſt. de act.* iiſdem privilegiis, etſi foro non cedant, gaudent clerici debitis gravati *c. Odoardus de ſolut.* & perſonæ qui ſibi mutuò alimenta debent, ùt pater adversùs liberos, liberi adversùs patrem. *l.16.& 17.ff. de re jud.* item maritus adversùs uxorem repetentem dotem *l.17.cit.* Patronus adversùs libertum, ſocius adversùs ſocium; item milites armatæ militiæ conveniri non poſſunt ultra quod ſalvâ ſuâ conditione præſtare poſſunt, *l.6.& 18.eod.* mulieres quoque honeſtè viventes incarcerari non poſſunt, per *Auth. hodie Cod. de cuſt. reor.* quod privilegium *Haun. tr.2.c.4. cont.2.* cùm *communi DD.* extendit ad perſonas nobiles, illuſtres, Doctores & Profeſſores, ex *l. medicos 6. c. de prof. 3.* Cedens bonis
11. in conſcientia occultare & ſibi reſervare poteſt neceſſaria alimenta, quibus ipſe, uxor & filii ejus ſecundùm ſtatũ ſuũ parcè & honeſtè vivant, idé poſſunt uxor & liberi mortuo patre debitis gravato, quia his ex bonis paternis jure naturæ debetur honeſta ſuſtentatio, & mendicitas ſeu mutatio ſtatûs incurrenda eſt cauſa juſta differẽdi ſolutionẽ, ideoq; ſimiles debitores in judicio interrogatos jurare poſſe ſe nihil occultaſſe, ex *Dian. Tamb. docet Sporer n.98.* ſubintelligendo nihil non debitum ipſis ex jure naturæ.

QUÆR. VII. Qualiter excuſet ingreſſus in religionem? R. 1. Certũ eſt
12. peccare mortaliter, qui cùm ſit ſolvendo, religionẽ ingreditur non ſolutis creditoribus, neq; factâ ſufficiente diſpoſitione ad ſolvendum; quia obligatio juſtitiæ prævalet operibus conſilii, atq; ingredi religionem eſt opus conſilii, & obligatio ſolvendi eſt ex juſtitia, ergo. Secuta tamen profeſſio ſpectato jure naturæ eſt valida, quia valida eſt traditio perſonæ nemini debitæ, ſed perſona quæ per profeſſionem religioni traditur, in ſe non eſt debita, ſed tantùm ejus bona, ergo. Dixi: *ſpectato jure naturæ*; nam Sixt. V. A. 1587. debitores ſuper vires ære alieno gravatos recipi graviſſimè pro-

hibuit eosq; ad professionē inhabiles reddidit, quā inhabilitatē relictā prohibitione ex post sustulit Clem. VIII. quæ tamen prohibitio non ligat Moniales, ùt in alio motu proprio declaravit ipse Sixt. V. teste *Lugo d. 21. n. 87.* neq; eos qui non ingenti sed modico ære alieno gravantur, neq; eos qui etiam in sæculo manentes satisfacere non possent, aut qui absq; culpâ suâ debitis gravantur, etsi spem habeant aliquando solvendi; sed prohibentur soli *decoctores*, ùt loquitur decretū, *qui post dilapidatam rem familiarē & contractā vim æris alieni* culpabiliter pro nunc facti sunt impotentes, & manētes in sæculo solvere possent, *Sanch. Lugo n. 89. Dicast. n. 140. Salmant. t. 13. c. 1. p. 19. §. 2. Ratio est*, quia decretū hoc
13. utpotè pœnale strictè est interpretandū. Nr. 2. Certum est debitorē obligari ad differendū ingressum, si intra breve tempus spem habeat ex toto vel ex magna parte solvendi; qui enim tenetur ad finē, tenetur ad media non nimis difficilia, quale est ad breve tēpus differre ingressū, per breve autē tempus communiter DD. intelligunt duos aut tres annos, attentâ debiti quantitate & majori vel minori spe intra illud tempus notabile quid lucrandi: si tamen ex dilatione immineret grave damnū spirituale, v. g. impedimentū perpetuum ad religionē, aut periculū proximū peccati, statim ingredi posset; si enim debitor existens in periculo incontinentiæ uxorē ducere possit & si ex hoc prævideat se futurum impotentē ad solvenda debita, ùt fatentur omnes, multò magis ad vitandum peccatum poterit eligere religionem. Nr. 3. Certum est, quòd bonum illud, quod debitor ex ingressū in religionē 14.
sperat, debeat præponderare damno, quod ex ingressu patiūtur creditores; hinc si vellet ingredi religionem laxā in qua exiguus fructus sperandus, aut ingredi vellet ob commodū aut motivum temporale, non posset id facere cum præjudicio creditorū. *Lugo n. 70.* Nr. 4. Certum est, debitorē religionem statim amplecti posse, si debita sint in- 15.
certa, in usus pios eroganda, quia nihil magis pium quàm se & sua Deo in religione dicare, *Arrag. Sà. Sanch.* sed quid si ab alio accepisti bona incerta, ejus nomine in usus pios expendēda, quæ tu iniquè consumpsisti? Nr. Si es pauper adhuc potes tibi applicare & satis piè impendūtur in ordine ad hoc ut possis religiosus fieri. *Lugo n. 64.* Nr. 16.
5. Debitor absq; mora religionem ingredi potest, si debitum sit ex liberali promissione etiam juratâ ad hoc vel illud donandū aut faciendū, nisi intra breve tempus absq; gravi incomodo id præstari possit, quia in in liberali promisso tacitè imbibitur conditio: nisi ad religionem cum præstatione promissi incompossibilem transiero. *Suar. Dicast. n. 134. Salmant. t. 23. c. 1. p. 18.* Nr. 6. Certum est, debitorē statim 17.
religionem ingredi posse, si nulla spes sit, quòd manens in sæculo futurus sit solvendo; quia tunc creditores nihil sperare habent, etiamsi à religione abstineat, per consequens ingressus iis præjudicare non potest;

si spes solvendi sit dubia, tenetur debitor ingressum aliquamdiu differre & probare, an dilatio prosit. n. 7.
18. Præcipua hîc difficultas est, utrùm debitor licitè religionem ingredi possit, cedendo bona sua creditoribus, si spes sit, quòd multo vel toto tempore manens in sæculo integrè solvere possit, negant *Medina. Nav. Valent. Molin. Suar. Laym. l. 3. t. 2. c. 12. Sporer n. 100.* sed probabiliùs affirmant *S. Th. 2. 2. q. 189. S. Ant. Cajet. Lopetz. Less. Dian. Sanch. sup. n. 17. Lugo n. 65. Haun. t. 2. c. 4. Dicast. d. 10. n. 129. Metzg. a. 3. n. 4.* *Ratio est* 1. debitor non tenetur solvere cum ingenti difficultate & detrimento in bonis altioris ordinis, quia tunc censetur moraliter impotens, atque in casu posito debitor pateretur ingentem difficultatem in bonis altioris ordinis, jacturam scilicet propriæ libertatis ad eligendum statum perfectiorem & commodorum spiritualium inde resultantium, ergo. Unde patet, quòd hîc non tantùm agatur de lucro cessante, ut malè supponunt adversi. sed etiam de actuali damno seu jacturâ libertatis & juris eligendi statum perfectiorem. 2. Ipsa persona debitoris, ut argumentatur *D. Thom.* non est in se & ratione sui debita, sed tantùm intuitu bonorum, ergo si cedat bonis in favorem creditorum satisfacit potestque liberè de sua persona disponere amplectendo statum religiosum. 3. Debita vel sunt ex contractu, vel ex delicto; si ex contractu, pendent ab intentione contrahentium, atque intentio contrahentium non fuit se obligare cum jacturâ libertatis eligendi religionem, sed potiùs cum tacitâ conditione, nisi statum perfectiorem cum solutione debiti incompossibilem elegero, ut patet in contractu oneroso sponsalium, ergo: si ex delicto, adhuc non tenetur cum longè majori damno seu jacturâ libertatis & juris eligendi statum religiosum, sicut non tenetur cum jactura famæ. 4. Vocatio ad statum religiosum negligi non potest absq; periculo salutis, sed periculum salutis est causa excusans à solutione, ergo. 5. Conjugatus non tenetur abstinere à generatione prolium, etiamsi ex hoc fiat impotens solvere, ergo nec cælebs ab electione statûs religiosi: quæ rationes non tantùm tenent de debito reali, sed etiam de personali, ut si ad decem annos locasti operam tuam pictori, sutori &c. adhuc licitè religionem ingredi potes nisi specialiter huic juri renunciasses, nec teneris ad damna alteri inde emergentia, sed sufficit reddere pretium conductionis, quod fortè accepisti: hactenus de jure naturæ, quid sit de jure positivo, dixi sup.

*Objiciunt* 1. Propter opus consilii 19.
non est omittendum opus præceptum, sed amplecti statum religiosum est opus consilii: & solvere debitum est jure naturæ præceptum, ergo. 2. eligens statum religiosum liberè & absq; necessitate facit se impotentem ad præstandum id, quod præstare ex jure naturæ debet. 3. Filius non potest in-

ingredi religionem, si in sæculo manens possit subvenire inopiæ parentum, imò ingressus regredi potest, si parentibus aliter succurri non possit; quia obligatio iis succurrendi est de jure naturæ; atque etiam de jure naturæ est obligatio solvendi debita, ergo. 4. Non sunt facienda mala ut eveniant bona, nec propter lucrum spirituale licet alteri inferre damnum temporale, aliàs enim ad habendum meritum eleëmosynæ liceret pecunias ex justitia alteri debitas dare pauperibus, atque hîc infertur creditoribus damnum propter bonum spirituale religionis, ergo. 5. Non est licitum surripere alienad lucrum spirituale, v. g. pro habenda dote ad ingressum in religionem, ergo nec licitum est non solvere, quia non solvere est continuata surreptio. 6. Non est licitum se addicere servitio pauperum in hospitali, si per hoc impediaris à solvendis debitis, ergo nec ingredi religionem. 7. Qui sub spe matrimonii defloravit virginem, non potest ingredi religionem, quia hic ingressus cederet in damnum defloratæ; sed ingressus debitoris etiam cedit in damnum creditorum, ergo. 8. Servus non potest ingredi religionem invito Domino, nec maritus post consummatum matrimonium invitâ conjuge, ergo nec debitor invitis creditoribus. R. *Ad 1. dist. min.* Solvere debita est jure naturæ præceptum absolutè *N.* sub conditione si absque majori damno in bonis altioris ordinis fieri possit *C. ad 2. N. supp.* Quòd hoc casu ex jure naturæ sit obligatio solvendi. *Ad 3.* Vinculum pietatis utpote fundatum in ipsa naturali origine est longè arctius quàm obligatio justitiæ, ut patet à posteriori; nam necessitas alendi parentes excusat ab obligatione solvendi debitum justitiæ. *Ad 4. N. min.* Per ingressum in religionem creditoribus positivè non infertur damnum, sed tantùm permittitur ad avertendum majus damnum proprium in bonis altioris ordinis. *Ad 5. N. C.* Non solvere tunc ad summum censetur idem quod surripere, quando quis absque graviori incommodo solvere potest, quod hîc non est. *Ad 6. N. C.* Quia utilitas hujus servitii facilè per alia pia opera imò per ipsum laborem pro solvendis debitis compensari potest, non ita utilitas & securitas religionis. *Ad 7. N. C.* Deflorator se obligavit ad tradendam ipsam personam suam ad matrimonium, & per obtentam sub spe matrimonii copulam tacitè renunciavit statui religioso, & damnificator tenetur restituere in illo genere in quo læsit, sed defloratorlæsit virginem in libertate nubendi, ergo & ipse meritò privatur libertate eligendi alium statum; econtra debitor non obligavit immediatè suam personam, neque renunciavit statui perfectiori, neque alium læsit in libertate statum eligendi, ergo. *Ad 8. N. C.* Servus seu mancipium secundùm suam personam est sub

jure & proprietate Domini, at non persona debitoris sub jure creditoris: maritus consummando matrimonium renunciavit libertati & privilegio transeundi ad religionem, non item debitor. 8. Debitor jam professus non deobligatur debito, sed tenetur adhuc solvere quantum potest ab amicis petendo gratis, exercendo cum licentia Superiorum operas statum & personam non dedecentes, vel acceptando beneficium, munera &c. *Molin. Nav. Lugo, Laym. n. 7.* *Ratio* est, quia status religiosus non aliter excusat à restitutione nisi in quantum est incompatibilis cum solutione, sed non est incompatibilis ut restitutio fiat modo dicto, ergo. Non tamen tenetur egredi aut misceri sæcularibus, hæc enim sunt media extraordinaria & Religiosum indecentia. At nunquid Superior tenetur licentiam operandi dare, sicut Religiosus tenetur eam petere. R. *Negativè*, quia Superior nec ex contractu nec ex delicto est creditoribus obligatus, quia ut suppono debitorem bonâ fide recepit, & ex traditione Religiosi habet jus fortius in subditum ejusque operas: si negetur licentia, subditus est liber. 9. Monasterium, si debitorem malâ fide suscepit sciens illum intra breve tempus in sæculo potuisse & debuisse satisfacere, debet ejus debita solvere etiam ex rebus Monasterii, quia tunc est causa quòd injustè damnificentur creditores; si bonâ fide eum suscepit, adhuc tenetur ex iis quæ Monasterio intuitu Religiosi ex donatione, legato vel hæreditate obvenerunt, deductis tamen expensis. *Sanch. l. 7. c. 31. Lug. num. 79.* *Ratio* est, quia ea bona transierunt ad Monasterium cum eo onere, quo ea habuisset Religiosus, si mansisset sui juris.

20.

21.



EX

EX

# TRACTATU DE CONTRACTIBUS.

## CASUS XLVIII.

### De Naturâ Contractuum in genere, & Conditionibus iis apponi solitis.

ALbanus *varios init contractus, quærit, an iis stare teneatur. 1. Quia non habuit voluntatem se obligandi, 2. Vel contractum implendi, 3. 4. Saltem deliberatam; 5. 6. Quia contraxit sub onere non impleto, 7. Sub conditione non purificata, 8. Sub conditione necessariò futurâ,* ibid. *impossibili, 9. Turpi. 10. Vel saltem dubitat, an habuerit intentionem se obligandi 11. Vel obligavit se solùm sub pœnâ, 12. 13. Quia catena aurea sorori legata, in testamento vocatur deaurata. 14. Tribus sororibus legati sunt mille aurei, & non constat, an simul omnibus, vel singulis. 15. Item disjunctivè domus, vel pecunia. 16. Uni sub conditione virginitatis non subsistente, 17. Alteri sub conditione, si nupserit, qui Religionem ingreditur, 18. Tertiæ si nupserit consanguineo testatoris, qui renuit.* Pro resolutione

QUÆR. I. Quid, est quotuplex sit
1. Contractus? R. *imò*: Contractus est consensus liber, & legitimus, quo duo, vel plures se invicem, vel saltem una pars se alteri acceptanti obligat. *Dicitur 1. consensus,* id est, voluntas ex- vel implicita se obligandi; explicitè se obligat qui id verbis, signis, vel scripturâ exprimit; implicitè se obligat, qui vult aliquid cum tali obligatione connexum; sic assumens officium Medici hoc ipso se obligat ad remedia tutiora, quia ejusmodi obligatio scitur cum officio Medicie sse connexa. Dixi, *voluntas obligandi,* nam voluntas implendi contractum non requiritur ad valorem contractûs, quia potest quis validè vendere equum, & se obligare ad eum tradendum, quamvis non intendat tradere, sicut Clericus validè vovet castitatem, etsi nolit dimittere concubinam: quod si quis velit contrahere, & tamen se nolit obligare, habet voluntates repugnantes; si primariò velit se non obligare, contractus est nullus; si primariò

riò velit contrahere, secundariò se non obligare valet contractus, si utrumq; æqualiter velit, nec valet contractus, nec inducitur obligatio, quia neutra voluntas prævalet. *Dicitur* 3. *2. consensus liber*, id est deliberatus deliberatione sufficiente ad mortale peccatum, ac excludente errorem, & ignorantiam saltem quoad substantiam, ùt dicetur *Cas. sequenti. Dicitur 3. legitimus*, id est à Legibus non reprobatus, ùt consensus pupilli sinè authoritate Tutoris &c. *Dicitur 4. quo plures, vel una saltem pars se obligat*, nam alius est cõtractus onerosus, quo utrique contrahentium onus, seu obligatio imponitur, v. g. venditio, in quâ unus obligatur tradere mercem, alter pretium; alius lucrativus, in quo una tantùm pars obligatur, veluti donatio, promissio gratuita.

4. ℟. 2. Contractus dividitur *1.* In lucrativum, & onerosum, ùt jam dictum est; *2.* In nominatum, qui proprium nomen in jure habet, ùt emptio, venditio, depositum &c. & innominatum, qui non habet determinatum nomen, cujusmodi quatuor recensentur; *do ut des, do ut facias, facio ut facias, facio ut des, 3.* In pactum nudum, & vestitum; Pactum nudum est quod quidem in conscientia obligat, in foro tamen externo ei non conceditur actio, quales sunt contractus innominati, nisi vestiantur stipulatione, juramento, traditione, &c. pactum vestitum vocatur, quod à Legibus confirmatur, eique actio conceditur, ut contractus nominati &c. *4.* In absolutum, & conditionatum, de quibus Quæst. sequenti.

QUÆR. II. Quid circa contractus conditionatos & modificatos? 5.

℟. I. Contractui persæpè additur conditio, causa, modus, vel demonstratio: *Conditio* propriè dicta est dispositio adjecta contractui, ejus obligationem suspendens in futurum, & communiter exprimitur per particulam *si*, v.g. si cras ad me veneris, dabo tibi novum pileum; dixi, *conditio propriè dicta*, nam concepta in tempus præsens vel præteritum, non est strictè conditio, neque suspendit valorem actûs, sed eum vel statim annullat, si sit falsa, vel statim facit validum, si sit vera. *Causa* est ratio propter quam initur contractus: *Modus* est onus adjectum contractui, quod si sit honestum & possibile statim contractus valebit etiam onere nondum impleto, & ordinariè exprimitur per tò *ut* v. g. do tibi equum, ut pro me eas Romam: si tamen executio oneris sit causa principalis & motiva, tunc onere non præstito contractus revocari poterit, secus si tantùm sit causa impulsiva: *Causa motiva* est, ob quam hic & nunc ponitur contractus, aliàs non ponendus, *causa impulsiva* est, quæ de se non erat sufficiens ad hic & nunc obtinendum contractum, attamen voluntatem aliundè motam magis impellit, ut si ad Religionem assumitur, qui creditur esse dives, ubi divitiæ nec sunt, nec esse debent causa finalis seu motiva, sunt tamen impulsiva, quia faciunt, ut libentiùs fiat. 6.

Utrùm

Utrùm verò modus sit causa motiva, vel impulsiva, colligi debet ex verbis disponentis, v.g. lego Titiæ 1000. ut filio meo nubat, tunc modus censetur esse causa principalis; si modus tantùm sit in favorem accipientis, ut dono Titiæ 1000. ut emat sibi togam, modus est accidentalis, & valet donatio, etiamsi Titia togam non emat. *Demonstratio* est qualitas in contractu expressa per quam determinatur, vel demonstratur res de quâ, vel persona, cum quâ contrahitur, v.g. vendo tibi equum qui est luscus, dono tibi prædium, quod est 20. jugerum, lego 100. Petro cathechumeno &c.

7. §. II. Conditio adjecta potest esse multiplex: *1.* De futuro possibili, & honesto, & tunc quidem suspendit obligationem contractus, uterque tamen contrahens ordinariè tenetur expectare eventum conditionis, purificatâ autem conditione contractus fit completus, quamvis consensus non renovetur, nisi in contractu, qui traditione perficitur, pendente conditione consensus fuisset revocatus. *Sanch. Lug. d. 22. à n. 384. Dicast. l. 2. de just. tr. 3. d. 1. n. 233.* *2.* Si conditio sit necessariò futura, v.g. dabo tibi equum, si Anti-Christus nascatur, non suspendit contractum, sed præsumitur frustrà adjecta, nisi contrahens de adventu dubitasset, tunc enim sortiretur effectum conditionis contingentis; Item non suspenditur valor, si conditio non adjiciatur ùt conditio, sed ùt temporis designatio, v.g. ducam te si Pater mortuus fuerit, *S. Th. in 4. d. d. 29. q. un. a. 3. Moli. d. 206. Sanch. de matr. lib. 5. d. 2. n. 1. 3tiò*: Si conditio [idem est de modo] sit impossibilis, & contrahentes consensum suum illi, seriò alligârint, contractus est nullus; quia voluntas non potest efficaciter velle obligationem, sub conditione, quam novit esse impossibilem; quia verò non constat, quòd contrahentes intentionem suam alligârint conditioni impossibili, hinc ex præsumptione Juris in Matrimonio, & ultimis voluntatibus conditio impossibilis habetur pro non adjectâ, ideoque nec valorem contractûs in foro externo impedit, *communis DD. V. Cas. 105. q. 3. 4.* 8.

9. Conditio turpis, id est, inducens ad peccatum invalidat contractum, ut: dabo tibi 100. aureos, si occidas inimicum. *Ratio* est, quòd non possit esse obligatio ad illicitum: at conditione inhonestâ jam impletâ, dummodo ob laborem, periculum, commodum, delectationem &c. sit pretio æstimabilis, reconvalescit contractus & obligat ad implendum promissum; excipitur contractus Simoniacus, ex quo etiam impleto nulla nascitur obligatio: Jure sic statuente in odium Simoniæ. *Covarr. Medina. Less. Lug. n. 368.* Est enim hic quasi duplex contractus, unus, quo alium obligas ad factum turpe, & hic semper est nullus, utpotè de objecto illicito; secundus, quo te præsuppositio turpi facto obligas ad dandum 100. aureos, quod ex objecto malum non est, ideoque valet, sicut valet votum, quo te obligas ad statim pœnitendum, si hoc, vel illud peccatum admiseris, hoc enim votum non obligat ad pec-

candum, sed ad pœnitendum supposito peccato. In Matrimonio & ultimis voluntatibus conditio turpis, quæ non est contrà substantiam Matrimonii, in jure habetur pro non adjectâ, quare, si probari non possit, quòd fuerit seria voluntas non dandi consensum, nisi sub conditione turpi, Matrimonium, & testamentum reputatur validum. *Sanch. Lug. l. cit.* Ex his præmissis

10. *Ad Casum* R. I. Titium non excusat, quòd non habuerit voluntatem implendi contractum, sufficit enim ad valorem voluntas se obligandi, & quamvis non sciat, aut fortè dubitet, vel non recordetur, an voluntatem se obligandi habuerit, si tamen verba, vel alia signa externa obligationem significantia adfuerint, præsumitur voluntas interna adfuisse, nisi doceatur contrarium. 2. De contractibus conditionatis satis

11. dictum est *n. 5. 3.* Contractibus ex consensu contrahentium sæpè apponitur pœna, quæ ideò vocatur conventionalis, & solvi debet ab illo, qui culpabiliter non servat contractum, culpa autem & mora debet esse notabilis, ut incurratur pœna gravis; debetúrque ante sententiam Judicis, si exigatur, si non exigitur, censetur remitti. *Covarr. Suar. l. 5. de leg. c. 6. n. 8. Lugo n. 406.* contra *Nav. Vasq. Sanch.* qui probabiliter dicunt, pœnam non deberi ante Judicis sententiam etiam parte petente. *Ratio* nostra est: quòd hæc videatur esse mens contrahentium, ut talis pœna non ex arbitrio Judicis, qui sinè molestiâ, & sumptibus plerumque adiri non potest, sed ad petitionem compartis exsolvatur. An verò & qualiter in mutuo, & sponsalibus pœna apponi possit, dicetur suis locis. 4. Si demonstratio contractui adjecta erret circà sub- 12.
stantiam, vel motivum principale, contractus est nullus, v. g. dono centum aureos Titio consanguineo meo; lego Joanni centum aureos, quos mihi debet; si Titius non sit consanguineus, & Joannes nihil debeat, non valet donatio, vel legatum; si verò demonstratio erret circà accidens, v. g. do Titio annulum aureum, qui est in scrinio A, cùm tamen sit in scrinio B, vel alibi, lego catenam inauratam, hunc agrum, qui est 100. jugerum, valet donatio & legatum, quamvis catena sit aurea, & ager habeat jugera 150. colligitur ex L. *falsa 33. L. quibus diebus, §. qui dotalem de condit. & demonst. Vasq. Molin. d. 211. Gomez 1. var. c. 12. n. 74. Rebell. lib. 18. n. 2. Reiffenst. l. 3. decret. t. 26. à n. 660.* *Ratio* est, quòd testator demonstrans, & donans rem ipsam, præsumatur etiam illum excessum donare voluisse, quamdiu de oppositâ ejus voluntate constare non potest; voluit enim donatario, vel legatario favere, & favores sunt ampliandi; quare Titius tutâ conscientiâ, annulum, catenam, & agrum retinere potest; aliud est in contractibus onerosis, ubi ob notabilem inæqualitatem pretii contractus vitiaretur, quia præsumi non posset, quòd quis v. g. vendere voluerit catenam auream pro deauratâ, 150. jugera pro 100. *Dices*: In casu posito est error in 13.
substantiâ, nam testator putat, & dicit se legare catenam deauratam, & verè le-

legat auream; *Conf.* Si Petro dedi gemmam putans esse crystallum, item pauperi nummum aureum, putans esse cupreum, error vitiat contractum, & datum repetere possum, ergo & hîc à pari. R. *N. Ass.* Nam error hunc contractum non afficit, quia testator præsumitur efficaciter velle dare rem, quam demonstrat, quamvis fortè sit pretiosior, quàm ipse judicet. *Ad Conf. N. C.* Nam certus sum de intentione meâ, quòd nunquam intenderim dare gemmam, aut nummum aureum; econtra post mortem testatoris de ejus intentione certò constare non potest, & tamen rem ipsam designavit; ideò jura in materia favorabili præsumunt, quòd rem simpliciter legare voluerit, qualiscunque esset, nisi aliundè contrarium monstretur; idem est in aliis contractibus gratuitis, in quibus res ipsa designata est, de voluntate contrariâ constare potest. 5. Si tribus sororibus mille Imperiales legati sint, & non constet 14. ex circumstantiis, an singulis mille, an mille in tres partes dividendos, magis favendū est creditori seu hæredi, quàm debitori seu legatario, nam *in obscuris quod minimum est, sequimur. R. ſ. 30. in 6.* quare hæres satisfaciet dando unum mille in toto pro tribus. 6. Si legetur 15. disjunctivè domus, vel pecunia, sorores, in quarum favorem legatum fit, habent electionem, & si unum periit debetur illis alterum, quia hæc videtur esse voluntas testatoris, qui in majorem securitatem utrumque disjunctivè legavit. 7. Si Cajæ quid legetur sub 16. conditione virginitatis, Caja poterit legatum acceptare, si communiter habeatur pro virgine, quamvis occultè sit corrupta: *Ratio* est; quod mens legantis non sit, eam obligare ad manifestandum crimen occultum, repudiando legatum. 8. Si quis sic disponat: relinquo 17 Cajæ, si nupserit mille, valet legatum, & Cajæ debentur mille, etiamsi religionem ingrediatur, quia Religio æquivalet nuptiis, neq; debet propterea excludi, alioquin foret conditio turpis; quæ habetur pro non adjectâ; sed de his latiùs infrà. 9. Si mille relinquantur 18. puellæ, ut nubat consanguineo relinquentis, modus videtur esse causa finalis, ideoq; nolenti consanguineo nubere, nihil solvendum est, si verò non per ipsam steterit, sed per illum, cui nubere debeat, habetur modus pro impleto. *Molin. d. 228. & 296.* ubi idem docet de legato, & hæreditate sub conditione. *Sàv. legatum n. 37. Rebell. q. 12. n. 6.* In dubio an causa vel demonstratio sit circà accidens, an circà substantiam, præsumitur esse circà accidens, nisi ex circumstantiis aliud colligi possit; quia in dubio standum est pro valore actûs. *Gometz sup. n. 73. Dicast. n. 196.*

# CASUS XLIX.

## De Contractu inito ex errore, & metu.

CAjus *emit siceram, & vinum Rhenanum putans esse Mosellanum.* 13. *Causam suam committit Advocato, quem falso putat esse peritum.* 14. *Metu perdendæ litis ei filiam suam promittit.* ib. *Titium existimans esse suum cognatum & filiam suam contrà stupratorem descendisse, in filium adoptat* 15. *Qui cum filia in flagitio deprehensus timens è domo ejici, vel diffamari ei promittit Matrimonium,* 16. *Theologus super his consultus dicit omnes hos contractus valere, tùm quia error si quis intercurrit, fuit vincibilis,* 17. *Et quamvis contractus absente errore fortè non fuisset initus, tamen error non fuit circà substantiam* 18. *Tum, quia metus, qui adfuit, fuit levis* 9. *Vel à tertio, & non in ordine ad contractum incussus* 6. 7. *Et in dubio standum est pro valore actus.* 19. Pro Resolutione

1. QUÆR. I. Quid circà Contractus ex errore initos?

*R. Sequent.* 1. Error in contractu potest esse vel circà substantiam, ut si emas vitrum putans esse gemmam; vel circà accidens, si emas equum decennem, quem putabas esse quinquennem; si error oriatur ex propriâ errantis opinione, vocatur propriè error, si ex alterius inductione, dicitur dolus; uterque potest esse antecedens, vel tantùm concomitans, seu incidens; antecedens est, qui dat causam contractui, concomitans, vel incidens, qui non dat causam contractui, eò quòd sinè ipso contractus initus fuisset. 2. Error vel dolus circà substantiam, id est, circà materiam, causam, vel motivum primariò intentum, sive antecedens sit, sive concomitans, invalidat contractum, ùt si pro vino tibi quis vendat siceram, pro auro cuprum, *est comm.* & constat *ex L. labeo 45. ff. de contrab. empt.* ubi dicitur nullam esse venditionem, si vendatur aurichalcum pro auro: *Ratio* est; quia error circa substantiam facit non cognosci substantiam, per consequens impedit consensum in substantiam, qui est de essentiâ contractûs. 3. Error circa accidens etsi sit antecedens, & causatus ex malitia alterius contrahentis, non obstat valori contractûs, neque ex jure naturæ, quia non impedit cognitionem, & consensum in substantiam, neque ex jure positivo, quia decepto ex tali contractu conceditur jus & actio contra deceptorem, quâ compelli potest ad servandum contractum damno compensato, si innocens velit. §. 1. *Instit. de except. Sotus, Molin. Sanch. Laym. hic c. 5. num. 6.* Et si quæ jura dicant, ejusmodi contractum esse irritum, volunt esse irritum quoad effectum, hoc est, ab innocente rescindibilem; non quoad substantiam; Undè valet, si emas equum decennem putans esse quinquennem, vinum

2.

3.

Rhe-

Rhenanum putans esse Mosellanum; si tamen accidens vel qualitas teneat se ex parte motivi vel materiæ primariò intentæ, tunc accidens transit in substantiam, v. g. color respectu panni est accidens, si tamen emas pannum nigrum ad luctum, & substituatur ruber, accidens transibit in substantiam, & annullabit contractum, quia primariò intendebatur pannus aptus ad luctum, qualis non est pannus ruber; itē si dem eleëmosynāPetro diviti, putans me dare Paulo pauperi, error afficit substantiam, quia motivum principale erat sublevare pauperem, qualis non eratPetrus, *Sanch. Molin. Nav. Laym. n. 3. 4.* Dolus antecedens circa accidens causatus ab altero contrahente, quamvis non invalidet contractum, facit tamen eum pro libitu illius, qui dolum passus est, rescindibilem. *L. si dolo 5. c. de rescind. vendit. Less. l. 2. c. 17. d. 5. n. 25. Palao de contr. d. 2. punct. 5. n. 19. Ratio est*, quòd per contractum dolo obtentum comparti fiat injuria, quæ in specie reparari non potest, nisi injuriatus reponatur ad statum in quo erat ante dolum; atq; hoc fieri non potest sine rescissione contractûs; ergo. Quod si error accidentalis non sit ex culpa compartis, sed ex dolo tertii, vel ex propriâ contrahentis ignorantiâ, ut si ex tua imperitia, vel ex doloso Petri consilio à Paulo emas vinum novum putans esse vetus, contractus non erit rescindibilis, sed habes actionem quanti minoris contra venditorem, hoc est, potes petere, ut contractus reducatur ad æqualitatem; item potes convenire Petrum ratione doli mali, si talis intervenerit. *cit. L. si dolo. Ratio est*, quòd sit consensus in substantiam, & venditor tibi non fecerit injuriam, ergo non est cur contractum rescindere possis. *Si dicas* 1. Per errorem à tertio causatum notabiliter mutatur, & vitiatur materia contractûs, v. g. in casu posito vinum, ergo damnum passus potest contractum rescindere, sicut potest rescindere sponsalia, si notabiliter vitietur sponsa, quamvis non ex dolo sponsi. 2. Metus injustus etiam à tertio in ordine ad contractum incussus facit contractum rescindibilem, *ut infrà dicetur*, ergo & dolus. R. *ad 1. N. C.* illud damnum sufficienter reparari potest per actionem quanti minoris, quod non semper tenet in sponsalibus, in quibus etiam major libertas requiritur propter difficultatem, & indissolubilitatem matrimonii. *ad 2. iterum N. C.* leges ità statuunt de dolo, non de metu, nec Legum semper petenda est ratio *L. 20. & 21. de leg. Ratio* congruentiæ esse potest, quòd dolus per circumpectionem caveri possit, non ità metus.

5.

6.

QUÆR. II. Quid sit metus, & qualiter vitiet contractum? R. Metus est animi trepidatio ob apprehensum instans malum, si oriatur ex causa naturali, v. g. timeo mortē à morbo, à bestiâ, à tempestate, vocatur metus intrinsecus; si incutiatur ab homine, vel causâ liberâ, vocatur extrinsecus: duas hîc accipe regulas, ex quibus cætera facilè deduces. *Prima: nullus metus intrinsecus vel extrinsecus justè incussus invalidat contractum, aut facit rescindibilem: Ratio*

7.

*est*; quia metus relinquit actum simpliciter voluntarium,& in metu intrinseco,vel extrinseco justo nulla intervenit injuria, ergo non est ratio, cur contractus ex tali metu initus sit invalidus, aut rescindibilis; sic valent vota metu naufragii,lethalis morbi, vel alterius mali facta, item valent sponsalia à stupratore inita ex metu ne denuntietur judici. *Regula 2da*: *metus injustus gravis in ordine ad extorquendum contractum incursus non quidem invalidat contractum (si matrimonium, Professionem Religiosam,& paucos alios excipias) facit tamen eum rescindibilem ob injuriam, quæ per talem metum causatur*: prima pars est contra *Molin. Rebell. Spor.* &c. qui dicunt ejusmodi contractus esse ex jure naturæ nullos,quia ex actione injuriosa non potest quis sibi acquirere jus; *sed contra est*: metus non facit contractum simpliciter involuntarium, ergo non tollit consensum vel aliquid aliud de jure naturæ ad valorem contractûs requisitum,neq; metum incutiens acquirit jus ex iniqua sua coactione, sed ex voluntario alterius consensu. *Sylvius, Gabriel. Nav. Valq. Sotus, Suar. Less. Lopez. Sanchez de matr. lib. 4 d. 8. n. 4. Laym. hic n. 2. Lug. d. 22. n. 115. Metzg. tr. 13. d. 41. a. 3. Herman thes. 20. Viva opusc. 1. q 6. a. 2.* secunda pars etiam probatur,quia jura de his contractibus loquuntur ut validis,qui irritatione,seu rescissione indigeant. *L. si mulier 21. ff. de eo quod metus causa instit. de except. Sanch. Less. Lug. loco cit. Dicitur 1.* metus gravis, id est talis,qui vehementer conturbat,nec facilè superari potest,idq; vel simpliciter respectu omnium personarum,ut si instet grave malum etiam viro forti meritò timendum, v. g. mutilatio,incarceratio, mors &c. vel saltem gravis respectu talis personæ v. g. pueri, mulierculæ, aut senis. Quod si metus injustè incussus in ordine ad contractum tantùm sit levis, contractus in foro externo nequidem erit rescindibilis,quia jura metum levem pro nihilo reputant; idem pro foro interno conscientiæ docet *Medina, Pontius, Tambur. &c.* quia metus levis facilè repelli potest, ideoq; qui non repellit,voluntariè metum patitur,volenti autem non fit injuria, nec contractus censetur factus ex metu,sed ex propria voluntate,quâ noluit metum levem repellere, oppositû tamen videtur probabilius cum *Less. Sanch. c. 10. n. 3. Nav. c. 17. n. 15. Laym. n. 4. Dicast. l. 2. de just. t. 3. d. 1. n. 110. Spor. tr. 5. c. 12. n. 124. Metzger n. 7. Viva a. 3.* consentit *Lugo n.* 138. si metus sit unicum motivum, vel causa principalis consensûs. *Ratio est*;quòd ille metus sit injuriosus comparti; injuria autem hæc reparari non potest,nisi injuriatus per rescissionem contractûs ponatur ad statum pristinum libertatis,ad quem jus habet. *Nec obstat* 1. quòd metus in ratione metûs dicatur levis,nam in ratione injuriæ, & damni illati potest esse peccatû grave,sicut si levi verbere frangas vitrum pretiosum; *nec obstat* 2. quòd metus levis facilè possit repelli, nam patiens non obligatur repellere, sed permittere potest cum reservatione sui juris;quis enim dicit calum-

8.

9.

lumniatores, detractores à culpa & onere restituendi honoris & famæ esse liberos; ex hoc, quòd Christus Dominus, vel homo sanctus suam dehonorationem facilè impedire potuerit, &
10. tamen noluerit. Jam dicta intellige de contractu ex natura rescindibili; nam in sententia, quòd matrimonium ex metu levi initum valeat, rescindi non poterit, quia semel validum ex natura sua est indissolubile; an autem reipsâ tunc valeat, dicam suo loco. *Dixi 2.* in-
11. cussus in ordine ad extorquendum contractum, sive metus incutiatur ab altero contrahentium, sive à tertio, semper ab eo, qui metum passus est, rescindi poterit. *L. item 14. § 3. ff. quod metus causâ*; si verò metus est quidem injustè incussus, non autem in ordine ad contractum, sed ad alium finem v. g. sumendam vindictam, & metum patiens eligat contractum tanquam medium, quo intentatum malum evadere possit, alii affirmant, alii negant, contractum esse rescindibilem, videtur autem distinguendum: si contractus ineatur cum eo, qui metum injustè incussit, etsi non in ordine ad contractum, rescindi poterit, secùs si cum alio innocente; sic si hosti me occidere volenti metu mortis offeram 100. aureos donatio rescindi poterit, quia hostis tenetur ad omne damnum emergens ex injusto metu, inter alia autem damna est donatio 100. aureorum: si autem tertio promittam centum, ut me in tali periculo defendat, utiq; valebit promissio, nec rescindi poterit, etsi facta sit ex metu, quia hic nullam mihi fecit injuriam, sed præstitit operam mercede dignam. Ex eodem principio valida est emptio armorum vel annonæ facta metu hostium; validum est mutuum, quod Respublica suscipit ad dandum litrum hosti pro comminato incendio; validum est matrimonium, quod eligitur tanquam medium ad conciliandum potentem adversarium, vel quod eligit captivus cum filia custodis carceris, ut ex eo dimittatur *Sanch. Lug. Less. l. c.* nunc *ad Casum* 82. 1. Emptio 12.
siceræ loco vini est invalida, quia est error in substantia, quod tenet etiamsi Cajus æquè libenter, & eodem pretio emisset siceram, si eam cognovisset; *Ratio est*, quòd ad contractum absolutum requiratur consensus præsens in hanc materiam, qui jam existat, sed hic consensus non existit, sed existeret, si Cajus 13.
errorem cognovisset. 2. Quòd Cajus emat vinum Rhenanum putans esse Mosellanum, non invalidat contractú, imò nec facit rescindibilem, nisi dolo venditoris id contigerit, sed tantùm habet actionem quanti minoris, quia solùm est error circà accidens; excipe, nisi ratio Mosellanici sit primariò ab emente intenta; ut si aliud vinum in patria sua vendere non posset, tunc enim accidens transiret in substantiam. 3. Conductio Advocati, quem Cajus 14.
falsò putabat esse peritum, est nulla; quia primariò hîc non intenditur persona, sed ejus peritia, quæ non est: quòd verò Cajus metu perdendæ litis Advocato promittat filiam, vel ità intelligitur, ut Advocatus hunc metum per suam desidiam, vel imperitiam Cajo in-

injustè incusserit, etsi non in ordine ad hanc promissionem, tunc promissio rescindi poterit juxtà dicta n. 11. hoc Casu; vel Cajus sponte hanc promissionem concepit ad acuendam Advocati diligentiam, & firma erit promissio. 4.

15. Adoptatio Titii in filium qui falsò creditur esse cognatus, est nulla, si cognatio est ratio primaria adoptandi, si verò primaria ratio adoptandi est ereptio filiæ à stupro, & hæc ratio vera sit, adoptio subsistit; si utrumq; motivum de se erat sufficiens, & adæquatum, ità ut quodlibet movisset altero absente, valet adoptio, dummodò unum è duobus, qualecunq; illud sit, existat. 5. Ti-

16. tius iniens sponsalia ex metu, nè ob crimen è domo ejiciatur, validè init, quia est metus justus; quoad timorem infamiæ distinguendum est: vel enim ille à Cajo, aut alio injustè incutitur in ordine ad extorquenda à Titio sponsalia, tunc infirma erunt sponsalia, vel infamia timetur ab ipso crimine, & valebunt sponsalia, quia metus est intrinsecus. 6. Error circa substantiam, quam-

17. vis sit vincibilis, invalidat contractum; nam quamvis potuerit quis cognoscere, si tamen de facto non cognovit substantiam, etiam non consensit in substantiam, sinè tali autem consensu contractus est nullus. *Dices*: ignorantia vincibilis non excusat à peccato, ergo nec ab obligatione contractûs. *Conf.* quia sic dabitur ansa innumeris mendaciis, & litibus; nam facilè quis dicet, se ignorasse substantiam contractûs. ℟. *N. C.* ignorantia vincibilis excusat à peccato, cujus malitia ignoratur, non autem à peccato ignorantiæ affectatæ, vel neglectæ scientiæ; simili modo excusat ignorantia ab obligatione contractûs, cujus substantia non cognoscitur. *ad Conf.* ℟. Tali asserto in foro externo non creditur, nisi probetur. 7. Non obstat valori contractûs, 18.
quòd non fuisset initus, si qualitas fuisset cognita; nam indè tantùm sequitur, quòd posità cognitione qualitatis futura fuisset volitio, quæ impediviſſet obligationem, non autem, quòd nunc fuerit, aut nunc impediat, nisi qualitas redundet in substantiam. *Vasq. Valent. Sanch. l. 4. in Decal. c. 2. à n. 6. 8.* de metu satis dixi à n. 7. hoc Casu; quibus adde: si Titium in crimine deprehensum fictè mineris accusare, & hic det aliquid eo fine, ut non accuses, datum retinere potes, quia metus est justus. *Nec obstat*; quòd det ex errore, certò non daturus, si sciret tibi non esse serium; nam error non est circà substantiam vel causam finalem, ideò enim dat, ut resignes juri ad accusandum, atq; hoc verè facis, etsi seriò non intenderis accusare, ergo. *Sanch. Leß. Dicaſt. n. 119.* 9. In dubio, 19.
an error fuerit substantialis, an causa, quæ nunc cessat, fuerit principaliter motiva, jura volunt, præsumi pro valore actûs, & videtur pro eo esse possessio, quia scitur esse factus, & ignoratur ejus invaliditas. *Sanch. n. 13. 34. & 52.* Idem à potiori est dicendum, si dubitetur, an intervenerit dolus, error vel metus, quia facta, & delicta nõ præsumũtur; in dubio, an verè consenseris in obligationem, si tenebaris consentire, aut verba tua significârunt obligationem,

præ-

præsumeris verè consensisse, quia nemo censetur consensum injustè subtrahere, aut loqui aliter, quàm sentiat.

# CASUS L.

## De iis, qui contrahere possunt, item de materiâ contractuum, & juramento contractibus apponi solito.

CAmillus *in infantia. 2. 4. Ante, & post pubertatem sinè authoritate Tutoris, 5. Quem agnoscere non vult, 3. Varios celebrat contractus, ex post cum licentiâ Tutoris omnes, etiam rerum alienativos, ratificat.* Ibid. *Et cum ipso Tutore init. 6. Onerosos, etsi juratos. 13. Implere non vult, petens restitutionem in integrum. 8. Et relaxationem juramenti à suo Episcopo, vel Principe. 17. Et seqq.* Pro resol.

QUÆR. 1. Quænam sint personæ habiles ad contrahendum? 1. ℟. 1. De jure naturæ contrahere possunt omnes, quotquot habent plenum rationis usum, & materiam de quâ contrahant; defectu rationis invalidè contrahunt ebrii, dormientes, fatui, furiosi &c. *Ratio est*; quòd ad contractum utpote actum humanum in conscientiâ obligantem requiratur consensus liber, qualem recensiti habere non possunt.

2. ℟. 2. Jure positivo contrahere prohibentur infantes, impuberes, minorennes, filiifamilias, prodigi juxtà sequentes explicationes: 1. In jure tam fæmellæ, quàm masculi usq; ad septimum annum dicuntur infantes, abhinc usq; ad 14, fæmellæ 12. dicuntur impuberes; quod si impuberes per mortem patris vel emancipationem desierint esse sub patriâ potestate, vocantur pupilli, si utroq; parente careant, vocantur orphani: deinde illud tempus, quod ab anno septimo currit usq; ad pubertatem, à Juristis dividitur in duas partes, in quarum primâ dicuntur infantiæ proximi, in secundâ pubertati proximi, & ita masculus ante completum decimum cum dimidio, & fæmellæ ante completum nonum cum dimidio dicuntur infantiæ proximi, abindè usq; ad annum pubertatis pubertati proximi, quâ completâ vocantur puberes, & tunc usq; ad 25. minores: Pupillis etiam invitis datur Tutor, minoribus volentibus Curator, quandoq; etiã nolentibus in ordine ad lites, qui Curator semel acceptatus repudiari non potest usq; ad annum 25. completum, nisi veniam ætatis, id est liberam rerum suarum administrationem à legitimo Superiore obtinuerint; prodigo etiam invito datur curator, prodigus autem dicitur, qui profusè dat, seu ùt ait *Ulpian. l. 1. ff. de curat. furios.* qui neq; tempus, neq; finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando profundit. 2 Contractus ab infante, vel infantiæ proximo initus est planè nullus, adeò ut nec obligationem civilem in foro externo, seu actionem in judicio, nec obligationem naturalem in foro conscientiæ pariat. *L. pupillus ff. de condict. indebiti*

3.

4.

*Laym. hic c. 9. n. 8. Onnate d. 4. n. 18. Lug. d. 22. n. 283. Ratio eſt*, quòd jus poſitivum illorum conſenſum irritet, infans enim, & infantiæ proximus à furioſo diſtant. §. 10. *inſt. de inut. ſtipul. Si dicas*: Leges hæ fundantur in præſumptione, quòd infans, & infantiæ proximus careant pleno uſu rationis; ergo ſi à parte rei hoc uſu non careant, ſed malitia ſuppleat ætatem, ſaltem tunc obligabuntur in conſcientia, quia ſi præſumptio ſit falſa, lex in ea fundata ceſſat. R. Hæ Leges non fundantur in præſumptione defectûs rationis in hoc vel illo particulari caſu; ſed ideo irritant ejuſmodi contractus, quia plerumque ſolet contingere, quòd in tali ætate ſoleat deficere perfecta ratio, quod verum eſt, nec ideò ceſſat lex univerſalis, ſi ratio legis deficiat in particulari caſu. 3. Pupillus pubertati proximus ſine authoritate Tutoris contrahens non obligatur civiliter, bene tamen naturaliter. *L. 25. §. 1. ff. quando dies legati, & L. 1. ff de novat. Leſ. Regin. Sanch. de matr. d. 38. n.* 3. excipe contractus majoris momenti, quibus alienantur immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari, id eſt per triennium conſervari poſſunt; tunc enim quamvis adſit conſenſus Tutoris, pupillus nequidem naturaliter, ſeu in conſcientia obligabitur, quia jura utriuſque, & Tutoris, & pupilli conſenſum annullant. *L. 7. 11. 15. Cod. de prædiis. Rebell. Leſ. Molin. to. 1, d. 224. Dicaſt. n 277.* idem eſt, ſi pupillus contrahat cum Tutore, tunc enim ad nihil tenebitur, niſi in quantum factus eſt ditior, aut ſi dolum commiſerit; *dixi*: pupillus ſine authoritate Tutoris contrahens non obligatur civiliter; nam ſi contractus ſit in ſuum commodum, alterum contrahentem (niſi etiam hic ſit pupillus) & civiliter, & naturaliter ſibi obligat, ità ſtatuitur in favorem pupilli *L. Julianus 13. ff. de act. empt.* in rebus tamen, quæ ſunt in quotidiano uſu, ſi pupillus quid expendat, donet &c. ſaltem ex conſuetudine obligabitur etiam civiliter ſtare contractui. 4. Filiifamilias impuberes non obligantur civiliter ullo contractu circà quæcunque bona, etiamſi contrahant cum conſenſu Patris. §. *quod* 10. *inſt. de inut. ſtip.* pupillus tamen cum authoritate Tutoris contrahens obligatur naturaliter & civiliter, ſi alienationem rerum pretioſarum excipias; *Ratio* Legum *eſt*, quod pupillo contra Tutorem detur actio, non autem filio contra patrem propter reverentiam. 5. Si pupillus, vel minorennis per contractum læſus, aut incommodum paſſus fuerit, gaudet beneficio reſtitutionis in integrum intrà quatuor annos ab anno 25to completo, vel ſi veniam ætatis obtinuerit per quatuor annos à die obtentæ veniæ, ità ut poſſit repetere rem, vel pretium de quo contraxit, cum fructibus, damno, & lucro ceſſante *L. 7. C. de temp. in integ. reſtit.* 6. Omnia jam dicta de pupillis etiam tenent de minorennibus Curatorem habentibus; ſi Curatorem non habent, obligantur naturaliter, & civiliter, etiamſi contra-

5. 6. 7. 8. 9.

hant de rebus aliquantùm pretiosis, & in quotidiano usu non occurrentibus. *L. puberes 101. ff. de verb. oblig.*

10. 7. Prodigus non habens Curatorem contrahit validè naturaliter, & civiliter etiam notoriè talis, & acceptum ab eo retineri potest, si verò authoritate publicâ Curatorem habet, nequidem naturaliter ex contractu obligabitur, & qui cum eo contrahit tenetur restituere ante sententiam Judicis, etiamsi prodigus non repetat, quia detinet rem alienam. *Azor, Sanch. n. 20. & 27. Regin. l. 25. n. 106.*

11. QUÆR. II. Quid circà materiam contractûs? R. Materia contractûs debet esse honesta, possibilis, & saltem in spe existens: *Dicitur* 1. *honesta*; nam si objectum sit turpe, seu peccamnoisum, ad illud nulla dari potest obligatio; si verò materia seu objectum contractûs sit honestum, contractus valebit, quamvis aliunde forsan sit illicitus, vel prohibitus; non enim omne prohibitum est invalidum; valet enim matrimonium contrà fidem priorum sponsalium initum; valet venditio, si postquam vendidi Titio, vendam & tradam Sempronio, sunt tamen hi contractus illiciti utpotè contrà jus alterius. *Dicitur* 2. *possibilis*, & in spe saltem existens; si enim contrahentes sciant rem esse impossibilem, aut nunquam in spe existentem, tunc seriò & efficaciter se obligare non intendût, si non sciant, erit error in substantiâ.

12. QUÆR. III. Qualiter contractus firmentur juramento? *Responsio constabit ex seqq.* 1. Contractibus licitè adjici posse juramentum, patet ex propos. Wicleff 43. damnatâ in Concilio Constantiensi: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos contractus, & commercia civilia.* 2. Contractum firmari juramento est, contractum è juris dispositione in foro conscientiæ, vel saltem in foro externo nullum per accessionem juramenti reconvalescere, ità ut non tantùm obliget ex motivo Religionis, sed etiam ex justitia: si contractus jam erat validus, propriè non dicitur firmari juramento, sed ei tantùm superadditur nova obligatio ex virtute Religionis. 3. Omnes contractus 13.
puberum sive sint minorennes, sive majorennes, si matrimonium, & paucos alios excipias, firmantur juramento, qui ex jure positivo habent, quòd sint nulli, & servari possunt absque peccato jurantis vel exigentis juramentum. *Sanch. Haun. Lugo d. 22. n. 226. Laym. l. 4. t. 3. c. 8. Onnate d. 11. n. 98. Herman thes. 24. Metzger. t. 13. d. 41. a 5. n. 10. Pirh. lib. 2. Decret. tit. 24. n. 132.* & ibid. *Schmalzgr. n. 86. Viva opusc. 1. q. 7. a. 2.* contra *Morenda, Perez, Wiestner* & alios, qui volunt, contractus invalidos non validari per juramentum, sed tantùm addi obligationem Religionis. At assertum probatur *ex cap. cum contingat de jurej. c. licet 2. eod. in 6. c. quamvis 2. de pactis in 6.* ubi Pontifex diserè ait: *pactum juramento nec vi nec dolo præstito firmatum fuisse,* & servandum esse, quæ conditio frustra adderetur, si pacta jurata ex solâ religione obliga-

rent;nam juramenta etiam vi, vel dolo extorta obligationem Religionis inducunt, quoties sinè peccato servari possunt.Contractus verò qui juramento firmantur , sicut contractus minorennium , quo bona etiam immobilia sine authoritate Tutoris alienant; nam quamvis hi contractus aliàs nequidem naturaliter obligent, accedente tamen juramento naturaliter,& civiliter obligant;similiter juramento firmatur donatio inter patrem,& filium,renuntiatio paternæ hæreditatis, alienatio fundi dotalis &c. *Schmaltzg. n. 92.*Contractus impuberum probabiliùs non firmantur juramento, nisi juramentum accesserit post pubertatem. *Bald. Sanch. Lugon. 214.* neq; firmantur juramento contractus irriti jure naturali, vel ob defectum consensûs , velut contractus infantum,ebriorum,amentium,vel quia sunt de materiâ jure naturali vel divino prohibitâ;nam jus positivum non valet supplere consensum,aut reddere licita , quæ jure naturæ,aut divino sunt illicita:neq; firmantur contractus injusto metu,vi,vel dolo extorti, quia servari non possunt sine peccato juramentum exigentis. *Jura cit. Onnate n.129. Schmaltzg. n. 91.*

4. Juramentum, etsi non firmet contractum,semper tamen servandum est, quoties sine peccato servari potest,non ex justitia , sed in reverentiam divini nominis;ùt si metu mortis aliquid juratò promisisti latroni , vel usurario promisisti solvere usuras,teneris solvere, vel petere relaxationem juramenti à latrone,vel usurario,qui eam ex justitia dare tenentur,vel si nolint, ab Episcopo. *Molin Leß. Suar. Haun. Metzg. l. c. Onnate n. 55. Viva opusc. 1. q. 7. a. 3.* & clarè habetur *c. 6. 18. 26. de jurej. 5.* 16. Contractus juramento firmati habent omnes effectus civiles & naturales,quos habent alii contractus jurati nunquam invalidi ; hinc pariunt actionem in judicio , obligant ex justitia & Religione , ita ut relaxato juramento ab alio quàm à creditore maneat obligatio justitiæ, quæ etiam ad hæredes transit. *Suar. Palao. Schmaltzgr. à n. 94.*quòd verò juramentum firmet & validet contractum , non habet ex se, sed ex jure positivo , ex se tantùm superaddit obligationem religionis.

QUÆR. IV. A quo juramentum hoc relaxari possit?&. 17. Juramentum firmans contractum à solo eo, cui præstitum est relaxari potest, quia hic ex tali contractu habet jus quæsitum, quo invitus privari non potest , ideoq; neqit illud relaxare Episcopus,imò nec Papa, nisi ex causa gravissima, & ob bonum publicũ. *Su. l. 2. de jure c. 41. n. 2. Sanch. l. 3. mor. c. 21. n. 2. Haun. to. 1. t. 4. n. 894. Pirh. n. 154. 2.* Relaxatio juramenti non confirmantis contractũ pro solo foro conscientiæ à Religiosis Mendicantibus obtineri potest , ùt dicam *Casu 71. n. 5.* aliàs ab Episcopo jurantis peti debet, ut si usurario usuras,vel alteri per dolum,aut metum injustũ aliquid juratò promisisti, & promissarius tibi obligationem juramenti remittere nolit,in conscientiâ tutus es relaxatione tui Episcopi,si verò res deduci debeat ad forum externum,& Reus citari,debes relaxa-

laxationem petere ab Episcopo creditoris, quia Actor debet sequi forum Rei, nisi Reus se sponte subjiciat Episcopo jurantis, vel extra suam Diœcesin contraxerit, tunc enim cognitio causæ spectabit ad Episcopum loci, in quo contractus celebratus est. *Suar. n. 10. Sanch. n. 35. Gonz. in c. 1. de jurej. n. 14. Pirh. n. 156. 3.* Judex sæcularis non quidem directè, sed indirectè poterit relaxare juramentum non confirmatorium, illud remittendo nomine sui subditi id injustè renuentis, vel annullando omnem acceptationem rei juratò promissæ; si enim ipse promissarius juramentum in sui favorem factum remittere possit, & debeat, cur non ipso renuente ejus superior. *Haun. n. 905. Gonz. n. 12. Zoes. de jurej. n. 80. Pirh. n. 159.* Ex his per se clarè patet Resolutio Casûs. 18.

# CASUS LI.

## De Promissione.

DOnatus *multa promittit, sed non implet, 1. Quia promisit semideliberatè, ex metu levi sed juratò, 2. Sub solâ fidelitate. 3. Ad rem ex parte illicitam vel impossibilem, 4. Aut juravit non revocare testamentum,* ibid. *Quia promissarius non acceptavit, vel absens acceptationem non intimavit, aut ejus nomine acceptavit alter. 5. Vel antequam promissio absenti intimaretur, est revocata. 6. Vel mortuus est promittens, aut promissarius. 7. Quia status est mutatus, & ipse indiget re promissâ, & promissarius eum graviter offendit. 8. Quia res promissa periit, vel fuit aliena. 9. Aut pluribus promissa.* ibid. Resolutio constabit ex seqq.

QUÆR. I. Quid sit Promissio? R. Est deliberata, spontanea, & gratuita 1. obligatio fidei erga alterum ad aliquid præstandum, exteriùs manifestata & ab altero acceptata: est communis: *Dicitur 1.* Deliberata, deliberatione sufficiente ad mortale peccatum, quia semiplena deliberatio non sufficit ad imponendam sibi obligationem gravem, imò nec levem. *Molin. Sanch. Dicast. l. 2. t. 4. d. 1. n. 11. Ratio* est; quia homo semideliberatus non agit modo humano, sed ut semihomo. *Dicitur 2.* Spontanea, nam promissio fraude, vel metu injusto etiam levi extorta ab eo, qui fraudem, vel metum passus est, pro libitu rescindi potest, nisi sit juramento firmata. *S. Th. q. 86. a. 7. ad 3. Sylv. q. 66. a. 2. Dicitur 3.* Gratuita, ut distinguatur à contractibus onerosis. *Dicitur 4. Obligatio* non formaliter, sed causaliter, quatenùs est signum practicum exercitè declarans voluntatem se obligandi, quo distinguitur à nudo proposito, quo quis significat intentionem aliquid faciendi absq; omni obligatione. *Dicitur 5. Obligatio fidei,* quo indicatur, quòd promissio nuda probabiliùs obliget ex sola fidelitate sub veniali. *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. Bann. Cajet. Sotus, Molin. Gorm. de just. n. 648. Dian. p. 2. t. 17. Joann. à S. Cruce, Joann. à S. Th. 1. 2. q. 88. d. 29. a. 9. Salmant. hic n. 82. Onate n. 92. Dixi, promissio nuda;* nam si vestia- 2.

tur juramento, chyrographo, adhibitione Notarii vel testium, tunc juxtà omnes obligat ex justitia, & sub peccato gravi secundùm quantitatem materiæ, paritq; actionem in judicio. *Ratio est*; quia si promissio non vestiatur, manet sub nudo debito morali fidelitatis, solâ autem fidelitas obligat tantùm sub veniali ad conformanda facta promissis, sicut veracitas per se tantùm obligat sub veniali ad dicta conformanda menti. Potest autem promittens etiam absque memoratis solemnitatibus se obligare ex justitia, & sub mortali, si velit, & alter acceptet, quia potest rem suam alteri donare, ergo & dare jus ad illam; requiritur tamen materia ad mortale injustitiæ ex liberali promissione, quam ex furto, quia Dominus censetur magis invitus, ut sibi res sua auferatur, quàm ut ei non detur res liberaliter promissa, ideoq; *Lopez in 2.p. c.30. Regin. hic n. 84. Sanch. l. 1. de matr. d. 5. n. 24. Onnate n. 150.* requirunt materiam quadruplò majorem. *Dicitur 6.* Ad præstandum aliquid, scilicet licitum, & possibile, nam ad illicitum, & impossibile nulla potest esse obligatio; si res promissa ex parte est licita, ex parte illicita, est obligatio ad partem licitam juxtà *Reg. Juris 37.* Utile per inutile vitiari non debet; hinc invalidæ sunt promissiones, quæ præbent occasionem absolutè, aut liberiùs peccandi, ut si volenti malè agere promittam, eum non monere, non accusare; si promittam Beneficium Ecclesiasticum nondum vacans *c. ex tenore 13. de conc. præb.* si adulter adulteræ vivente conjuge promittat Matrim. *si quis 8. de eo qui ducit*; quia in his datur occasio operandi, vel machinandi mortem. Item jure positivo nullæ sunt promissiones, quæ tollunt facultatem de rebus suis liberè disponendi mortis causâ, ut promissio de faciendo testamento in alicujus favorem, vel de non revocando facta. *Dicitur 7.* Exteriùs manifestata; nam licet sola interna voluntas se obligandi sufficiat ad votum, eò quòd votum fiat Deo cordium Inspectori, non tamen ad contractum; hic enim debet fieri modo humano, id est sensibili, seu perceptibili ab homine. *L. 1. ff. de V.O. D. Th. hic q. 88. a. 1. Dicitur 8.* Acceptata; nam quamdiu promissio acceptata non est, nullam inducit obligationem; sed revocari potest. *L. de pollic. L. absenti ff. de donat.* idque tenet, etiamsi sit juramento firmata, quia juramentum sequitur naturam contractûs. *Cot. Palao d. 2. n. 6. Salmant. n. 70. Lug. d. 23. n. 50. Ratio* est; quia omne pactum essentialiter constat mutuo duorum, vel plurium consensu, & in omni promissione includitur: *si alter acceptet*: quandoque tamen ipsum jus acceptat pro homine, ut si promissiones fiant Reip. vel civitati. *L. 1. 3. 4. ff. de pollicit.* vel etiam, ùt plures volunt, Ecclesiis & locis piis &c. Promissio præsenti facta regulariter acceptari debet in continenti, vel quasi continenti *L. 137. de V.O.* quia tunc non potest prudenter censeri promissor dici velle suspendere suum consensum, si tamen materia sit favorabilis, ipsa taciturnitas reputabitur pro consensu juxta Reg. J.

qui

*qui tacet, consentire videtur:* secus si materia non sit favorabilis. De cætero etiam Pater pro filio, Dominus pro servo, Religiosus pro Monasterio, Uxor pro Marito, aut econtrà, itē omnis, qui alterius curam gerit, aut ex promissione interesse habet, eã acceptare potest.

5. QUÆR. II. Quid circà promissionem factam absenti? R. seqq. 1. Promissio [idem est de donatione] absenti facta per Nuntiũ, vel per litteras ad promittentẽ directas, non valet, si coram alio, quàm Nuntio acceptetur, quia hic, & non alius ad acceptandũ est deputatus. *Sanch. d. 7. n. 35. Dicast. n. 155.* Valet tamen coram Nuntio facta, etiamsi promittenti non intimetur *Lug. n. 74.*

6. 2. Promissio vel donatio facta absenti, antequam ad eum pervenerit & acceptata fuerit, revocari potest, si revocatio non innotescat Nuntio, & hic purè in mandatis habeat, promissionem, vel donationem factam intimare, adhuc valet revocatio, nec promissio validè acceptari potest, quia voluntas Domini, quam defert Nuntius, nequidem virtualiter existit; si verò Nuntius sit simul Procurator, vel Commissarius, cui committitur promissio nomine Principalis facienda, & revocatio comissionis nec Commissario, nec donatario innotescat, donatio acceptari poterit, quia de jure acta puri mandatarii revocato mãdato etsi incognito sunt invalida, acta verò per Procuratorem, antequam de revocatione constet, valida sunt. *L. si mandassem. L. si inter causas ff. mandati L. verò ff. de sol. Gomez. Mol. Sanch. l. 1. de Matr. d. 6. n. 9.* 3. Si promissio, vel donatio erat faciẽda per procuratorem, & promittens moriatur, procurator verò ignorans pergat promissionem, vel donationem facere, promissio, & donatio est nulla, quia mandatum gratiæ faciendæ regulariter exspirat morte mandantis. *L. 26. ff. & L. 15. C. mandati:* Excipe nisi mandatum sit ad causas pias, quia in harum præjudicium Leges civiles nihil disponunt, & prudenter præsumitur, quòd promittens voluerit hanc suam voluntatem etiam post mortem manere, cùm maximè sit profutura animæ. *Covarr. 1. Var. c. 14. Molin. Sà. Croix l. 3. p. 2. n. 788.* Si Nuntius sit missus, non ut faciat, sed ut purè indicet promissionem factam, & promittens interim moriatur, adhuc acceptari poterit. *Ratio* est; quòd promissio vel donatio jam facta, & non revocata, sed litteris vel Nuntio insinuata, sit gratia, gratia autem facta non extinguitur morte concedentis. *Suar. Clarus Sanch. n. 35.* An econtra promissario ante acceptationem mortuo, ejus hæredes promissionem acceptare possint, incertum est, negat cum *Less. Haun. Croix n. 787.* quia voluntas promittentis ferebatur in personam promissarii in se, quæ ampliùs non existit.

QUÆR. III. Quot modis cesset obligatio promissionis acceptatæ? R. Cessat 1. Ex partium consensu. 2. Si materia promissa facta est impossibilis vel illicita, ùt sup. dictum est. 7. 3. Si promissarius tuus non stet promisso tibi facto, hæc enim videtur fuisse voluntas promittentis, ut

ut frangenti fidem fides frangatur eidem. *Sà. Regin. Rebell. Onnate n. 185. 4.* Si promisisti amico qui factus est inimicus, *Garc. Sylv. Mol. d. 272.* Si promissarius ob inopinã paupertatem ipsemet re promissâ indigeat, meritò tamen dicit *Less. Molin. l.c.* paupertatem non excusare absolutè, sed tantùm suspendere obligationem usq; ad meliorem fortunam. 5. Et generaliter, si res non manſit in eodem ſtatu, ita ut ante traditionem rei promissæ grave,& novum tibi immineat incomodum, quod si tempore promissionis cognitũ fuisset, certò non promisisses. *S. Th. q. 110. a. 3. ad 5.* quia non censeris te cum tali incomodo gratis obligare voluisse, & gratuita promissio censetur facta sub conditione, nisi ſtatus antè traditionẽ notabiliter mutetur, quare hæc doctrina etiam locum habet in promissione juratâ. *Anth. cit. Dicast. n. 125.* In dubio, an ſtatus ſit notabiliter mutatus, est obligatio implendi promissum, quia promissio est in possessione, certò enim obligavit,& dubitatur an obligatio per mutationem ſtatûs cesset. 5. Si res promissa in individuo absque culpâ promittentis perierit, ad nihil tenetur promittens: si res promissa sit indeterminata, v. g. ex decem equis unum promisisti Cajo, si pereant omnes, aut pereat equus à Cajo electus, liber es; si pereat unus, vel alter, debes Cajo dare unum ex reſiduis; idem est, si promisisti equum indeterminatè, & tradas alienum, debes substituere alium, secùs, si promisisti hunc determinatè, qui posteà probatur alienus. *Molin. to. 2. d. 262. Spor. tr. 6. in Decal. c. 2. n. 74. 6.* Si eandem numero rem promisisti pluribus, debetur primo, etiãsi secunda promissio fuerit jurata; quia secunda promissio, utì & juramentum sunt de re illicitâ & alteri saltem exfidelitate debita, & quamvis primus cedat juri suo, non ideò reconvalescit secunda promissio, quia *tractu temporis non firmatur, quod ab initio non subsistit.* R. J. in 6. nisi secunda promissio facta esset sub conditione: si primus cedat juri suo: ità contra *Covar.* & alios *Turrian. Lug. n. 107. Sanch. n. 6. Spor. n. 77. Si dicas*: Valet Matrimonium contra fidem priorum sponsalium, ergo & promissio contra fidem prioris. R. *N. C.* Secunda promissio habet pro objecto traditionem rei alteri promissæ, ideoq; est nulla utpotè de objecto illicito, Matrimonium verò non habet pro objecto traditionem corporum, sed est ipsa traditio, & per consequens, quamvis Matrimonium contra fidem priorum sponsalium sit illicitum, non tamen est de objecto illicito, ut si contra votum emam gladium, ipsa quidem emptio est illicita, non tamen de objecto illicito, ideóque valida.

8.

9.

CA-

# CASUS LII.

## De Donatione.

ERicus *varias facit donationes, sed ex post revocat 1. Tum quia res donata est duobus, vel dubitat an facta sit inter vivos, vel causâ mortis, 2. Tum quia rem dedit uxori quâ invitâ ex post vendidit, 3. Aut dedit filio causâ studiorum, ob nuptias, vel sacros Ordines. 4. Quia dedit omnia bona, vel saltem ultra 500. solidos, etsi juratò & ad causas pias. 5. Quia donatarius eum infamavit, alimenta indigenti non præbuit; vel aliter fuit ingratus, etsi id probare non possit, 6. Ideoque vult, ut post mortem suam hæres donata repetat, 7. Item post donationem remuneratoriam Ecclesiæ factam nata est proles, 8. Aut donatio fuit inofficiosa, sed jurata, 9.* Resolutio constabit ex seqq.

1. QUÆR. I. Quid & quotuplex sit Donatio? R. I. Donatio est gratuita dominii translatio. *Dicitur gratuita,* quia fit liberaliter absque obligatione non tantùm justitiæ, sed & gratitudinis, ideoque donatio antidoralis, seu remuneratoria, quæ fit ex gratitudine ratione beneficii, vel obsequii præstiti, non est donatio planè gratuita, & strictè dicta, & in odiosis non venit nomine donationis. *Pirh. l. 3. decret. tit. 24. n. 1. & ibid. Reiffenst. n. 3.* Utraq; donatio debet esse acceptata, nec non libera à metu, & dolo, aliàs erit rescindibilis juxtà dicta *de promiss. Casu prec.* Distinguitur donatio à precario, commodato &c. quòd in donatione transferatur dominium, non verò in his; in mutuo quidem transfertur dominium, sed cum obligatione restituendi rem similem, donatio verò fit gratis absque simili. R. 2*dò.* Donatio dividitur 1. in realem, & verbalem, realis est, quæ fit cum rei traditione, verbalis quæ fit solo verborum officio, estque sola promissio de dando, quâ quidem alteri per verba de præsenti res actu donatur, sed actu non traditur, hæc donatio est impropriè talis, & imperfecta, neque ei convenit definitio superiùs data; si eadem res uni donata est verbaliter, alteri verò realiter cum traditione, hic retinebit rem, primus tamen habebit actionem contra donantem ad restituendum valorem rei, & omne interesse. 2. Dividitur donatio in absolutam, quæ fit absq; ullâ conditione, onere, vel modo, & conditionatam, quæ fit sub certâ conditione vel onere; sed neque hæc propriè donatio dicitur *L. 1. ff. de donat. 3.* & principaliter dividitur in donationem *inter vivos*, quæ fit sinè mentione, aut suspicione mortis, & donationem *mortis causâ*, quæ fit intuitu mortis, ideoq; morte non securâ revocari potest. *§. 1. Inst. de donat.* si adjiciatur pactum vel juramentum de non revocandâ donatione, hoc ipso est donatio inter vivos. *Illsf. Onnate d. 31. sect. 7. & 8.* In dubio, an donatio sit facta inter vivos, vel mortis causâ, censetur facta inter vivos, quia hæc est principalior. *Onnate n. 84.* 2.

QUÆR. II. Quænam donationes à

3. jure prohibeantur? R. seqq. 1. Donatio pupilli, filii-familias, Religiosi, si fiat absq; licentiâ Tutoris, Patris, vel Superioris &c. 2. Prohibetur donatio merè liberalis, & gratuita facta conjugi à conjuge, & ejusmodi donatio est ad nutum revocabilis, ità ut maritus rem donatam insciâ & invitâ uxore vendere, vel alienare possit. Si tamen donatio non sit merè liberalis sed remuneratoria, aut accedat juramentum, vel mors donantis, firmatur donatio, & fit irrevocabilis. *Sanch. l. 6. de Mat. d.* 11. *Spor. t. 6. c. 3. n. 41.* 3. Donatio à Patre

4. facta filio infirma est, & revocari potest, attamen post filii emancipationem firmatur, firq; irrevocabilis, *L. 31. ff. de donat.* Item si Pater filio aliquid det ex causâ studiorum, alimentorum, qualificationis, remunerationis, donatio tenet, nec obligatur filius eam mortuo Patre in divisionem hæreditatis conferre. *Nav. c. 17. Mol. to. 1. d. 240. Laym. sup. Covarr. 1. var. c. 7.* nisi ex consuetudine vel aliundè de patris voluntate constet. Sic *Tamb. in Decal. l. 5. c. 4. § 2. n. 4.* dicit ea, quæ pater dat in dotem, ob nuptias, ob S. Ordines, pro ingressu in religionem, pro procurando officio, post mortem Patris ex consuetudine conferenda esse in divisionem cum fratribus, non item quæ dat pro solemni convivio in prima Missa, aut in ingressu religionis. Coll. ex *L. ut liberis 17. Cod. de collat.* 4. Prohibetur

5. donatio inter vivos omnium bonorum præsentium, & futurorum, quia talis donator privat se potestate testandi, quod Leges reprobant, tanquam contrarium bonis moribus civilibus. *L. stipulatio ff. de V. O.* 5. Donatio inter vivos ultra 500. solidos de jure est invalida. *L. pen. C. de donat.* videlicet quoad illum excessum, nisi fiat cum insinuatione donationis coram Judice & tabellione eam ad acta publica referente; per solidum intelligitur ducatus aureus nostræ monetæ. *Pirh. n. 5. Reiff. n. 15.* Excipiuntur ab his legibus donationes remuneratoriæ, donationes ad causas pias, vel juramento firmatæ, & omnis donatio ad causas, v. g. studia, dotem, militiam, ad constructionem ædium dirutarum *Cov. Less. Laym. Reiffenst. n. 19.* Quia hæ non sunt donationes merè gratuitæ, ideoque ad eas non extenduntur Leges prohibitoriæ. Imò in conscientia tutò retineri potest omne, quod datur etiam ultrà summam à Lege præscriptam, donec à donante, vel ejus hærede repetatur, aut per sententiam Judicis donatio rescindatur. *Less. Laym. Pirh. n. 7. Spor. n. 55. Ratio* est, quòd hujusmodi donatio jure naturæ sit valida, & à Legibus tantùm invalidetur sub conditione: si à donante, vel judice rescindatur.

QUÆR III. Qualiter donatio revocari possit? R. Donatio facta inter 6.
vivos quantumvis sit perfecta, & per traditionem completa, ex tribus præcipuè causis revocari potest.

*Primò*: Ex capite ingratitudinis, quæ de jure 5. casus comprehendit; putà si donatarius verbo vel facto donatori injuriam atrocem inferat in honore, vel in bonis fortunæ, si per se vel alium impias manus injecerit, vel vitæ pe-

periculum etiam morte non secutâ intulerit, aut denique si conditiones sibi impositas non impleverit. *L. fin. cod. de revoc. donat. c. fin. de donat.* Addunt *Clarus, Leff. & alii* valdè probabiliter, si donatori valdè indigenti neget alimenta; spectato tamen jure probabilius est, quòd præter causas à Jure expressas nullæ aliæ etsi majores ad revocandam donationem sufficiant, quia in *L. fin.* dicitur, ex his tantummodo causis donationes averti concedimus. *Eng. l. 3. T. 24. nu. 19. Zoës. 16. n. 30. Pirh. n. 35.* Debet tamen ingratitudo probari coram Judice, ante cujus sententiam donatarius restituere non tenetur, post sententiam tenetur rem cum fructibus post litem contestatam perceptis. *Textu claro in d. L. fin. Dian. p. 8. T. 6. R. 58. Lug. d. 23. nu. 172. Pirh. nu. 36.* Excipiuntur sequentes donationes ob ingratitudinem non revocabiles. *1.* Donatio facta Ecclesiæ, vel loco pio,
7. etiamsi Prælatus vel Monachus foret ingratus, quia hæc donatio primariò facta est Deo, qui ingratus esse non potest. *Barbosa in c. fin. n. 15. Clarus §. donatio q. 21. n. 5. Pirh. n. 37.* 2. Donatio remuneratoria, quia in odiosis non venit nomine donationis. *Barb. n. 17. Eng. l. c.* 3. Donatio facta filiæ in dotem. *L. si dotem 24. C. de jure dot.* 4. Si donatarius rem donatam in alium transtulit donando, vendendo, permutando. *Zoës. Eng. n. 20.* quia hæc actio est personalis, ideoque contra solum ingratum, & non contra tertium lo-
cum habet, nisi hic scienter & dolosè rem acquisiisset. 5. Si donator scivit ingratitudinem, & donationem non revocavit, censetur eam remisisse, nec hæres vel successor ejus revocare potest *d. L. fin.* nisi donator lite contra ingratum contestatâ decesserit, aut morte præventus dolo, metu, vel aliter impeditus; revocare non potuerit, vel ingratitudinem ignoraverit. *Dian. Lug. l. c. Reiffenst. nu. 64.* contra *Zoës. num. 104. Groix. l. 3. p. 2. num. 801. Ratio* ducitur à contrario, nam Leges cit. dicunt hæredibus non competere actionem, si donator tacuit; ergo si non tacuit, competit; non autem dicitur tacere ad ingratitudinem, qui eam ignorat, aut à loquendo, agendoque impeditus fuit. *c. fin. de dilat.* Secundò 8.
revocari potest donatio ex capite prolis susceptæ, putà si donator carens prole magnam partem suorum bonorum donârit, & post ei improvisò proles legitima nascatur. *L. si unquam C. de revoc. donat.* Excipitur donatio remuneratoria vel facta ob causam debitori utilem, ità cum communi *Molin. d. 282. n. ult. Clarus qu. 23. n. 3.* Quia ejusmodi donatio non est liberalis, sed potiùs mercedis præstatio. Item donatio facta Ecclesiæ, quæ non revocatur ex toto, sed usque ad legitimam filiis jure debitam *L. 5. 7. de inoff. don.* meritò tamen S. Aug. *Serm. 49. de div. c. 4.* suadet, ad majorem populi ædificationem totum ab Ecclesia restitui.

9 Tertiò revocari potest donatio inofficiosa, sic dicta, quòd pater vel mater contra officium pietatis uni vel pluribus filiis aut etiam extraneis in tanta quantitate donavit, ut reliquis Liberis legitima auferatur vel minuatur, tunc hi per querelam apud Judicem institutam post mortem donantis possunt revocare donationem non quidem in toto, sed quantum diminuit portionem illorum legitimam, ùt claret ex *L. 1. & seqq. Cod. de inof. donat.* Nec refert, quòd parens fortè donationem juramento firmârit, cùm enim beneficium revocandæ donationis in favorem liberorum introductum sit, non potest Patris juramento tolli. *Tamb. Haun. Laym. hic num. 18. Pirh. num. 46.* Qui pariter dicunt revocari posse donationem juratam ex capite ingratitudinis, aut natæ prolis, quia donatio, & per consequens juramentum donationi adjectum ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem: nisi proles nata, aut donatarius ingratus fuerit, &c.

# CASUS LIII.

## De Commodato, Precario, Deposito.

FAbius *equum amico commodatum, 1. 2. Eò quòd ipse illo indigeat, ante tempus repetit, 3. Res precariò concessas vendit statim. 4. 5. Sed hoc non obstante amicus equum aliis commodat vel locat, aut ultrà tempus retinet, 6. 7. Interim equus morbo iuficitur, alios inficit, ac post multas expensas moritur. 8. Rebus apud se depositis utitur. 9. Nec statim repetenti reddit, 10. Ex post apud ipsum deteriorantur, permutantur, 11. Negotiationi exponuntur, 12. Et prætextu habitæ custodiæ, expensarum, aut debiti retinentur, 13.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit Commodatum, & Precarium?

1 ℟. 1. Commodatum est rei alicujus pro certo tempore ad solum usum gratuita concessio. *Dicitur 1.* Rei alicujus sivè immobilis sit, ùt domus, stabulum &c. sivè mobilis præsertim, quæ usu non consumitur; nam quæ usu statim consumuntur, ùt pecunia, vinum, frumentum, commodari non possunt, nisi fortè ad pompam, vel ostentationem. *L. fin. de commod. Dicitur 2.* Ad 2
usum, in quo commodatum distinguitur à pignore & deposito, quorum usus non conceditur; nam si creditor pignore vel depositarius re depositâ utatur Domino invito, furtum committit. *§. furtum Instit. de oblig. quæ ex delicto.* Deindè differt commodatum à mutuo, quòd in hoc dominium rei mutuatæ transferatur, in commodato solus usus, dominio, vel possessione penes commodantem remanente. *Dicitur 3.* Pro certo tempore ex- 3.
vel implicitè determinato: Explicitè determino, si dicam: concedo tibi equum

equum ad 3. dies; implicitè, si dicam: concedo tibi equum ad iter, hoc ipso intelligitur tantum temporis concedi, quantum requiritur ad tale iter, nec citiùs repeti poterit, nisi commodans pateretur inde notabile damnum non prævisum, tunc enim quamvis commodatarius æquale pateretur, repeti posset, quia in concessione gratuita subintelligitur conditio: nisi ego ipse re meâ ad evitandum damnum proprium indiguero, ùt in simili patet in donatione, quæ ex capite prolis improvisò natæ revocari potest, idq; de jure naturæ, quia gratuitò donans censetur facultatem istam sibi retinuisse. *Less. c. 27. dub. 5. Molin. d. 295.* apud *Lug. d. 33. n. 10. Dicitur 4.* gratuita
4. concessio, in quo distinguitur à locato & aliis contractibus onerosis. ℟. 2. Precarium à commodato tantùm in hoc distinguitur, quòd in precario ad preces alterius alicujus rei usus gratuitò concedatur sine ullâ temporis determinatione, usq; dum precariò dans voluerit revocare; non debet tamen revocare statim, aliàs censeretur voluisse alteri illudere. Propter hanc revocabilitatem precarium tantùm obligat ex culpa lata, quæ dolo æquiparatur. *L. 1. §. ideò ff. si mensor.* commodatum verò ex culpâ juris levissimâ, depositum si est in solam utilitatem deponentis ex sola culpa lata, idq; in foro fori; nam in foro poli, seu conscientiæ solam culpam Juridicam, si non sit conjuncta cum culpa Theologica, non obligare ad restitutionem dixi *Casu 37. N. 9.* excipe nisi commodatarius se specialiter obligaverit ad quemcunque casum fortuitum, & non culpabilem. Solvitur, vel revocatur precarium 1. 5.
expressâ, vel tacitâ concedentis voluntate, ut si rem repetas, alteri vendas, vel dones; 2. morte ejus cui concessum est, quia est veluti gratia personalis, quæ ad hæredes non transit. *L. cum precariò ff. de prec. c. ult. eod.* 3. Si concessum est ad beneplacitum concedentis, finitur morte concedentis, secus si absolutè, vel usq; ad revocationem; tunc enim durabit, usq; dum ab hæredibus revocetur. *d. L. precariò.*

QUÆR. II. Quæ sint obligationes commodatarii? ℟. Seqq. 1. Commodatarius non potest re commodatâ uti ad alium usum, quàm eum, ad quem est concessa; si utatur ad alium usum, & propterea pereat, tenetur actione furti. *L. sicut de commod.* similiter, si non restituat tempore convento, tenetur ad omne damnum obindè emergens, idq; in conscientia ante sententiam Judicis, si mora sit culpabilis. *c. un. de commod.* non tamen tenetur ad casum fortuitum, nisi suâ morâ causa sit, quòd tali casu res ista pereat, eodem modo non peritura apud Dominum. *Less. Eng. Reiffenst. l. 3. t. 15 n. 32.* quid verò juris sit, si res remissa pereat dolo vel culpâ Nuntii, dixi *Cas. 45. à n. 17.* 6.
2. Per se loquendo potest rem sibi commodatam alteri commodare, & jus suum in alium transferre, nisi constaret de contraria mente commodantis, cui liberum est uni, & non alteri rei suæ usum concedere. 3. Qui scien- 7. 8.

ter commodat alteri rem vitiosam, v. g. equum morbidum, nec vitium aperit, tenetur commodatario de omni damno, adeoque satisfacere pro equis à suo equo infectis, quia hujus damni causa est. 4. Commodatarius tenetur ad expensas ordinarias, v. g. ad pabulum, aut soleas equi reparandas; extraordinarias, quæ v. g. in curationem equi infirmi impenduntur, tenetur ferre commodans. *Lug. n.* 14.

9. QUÆR. III. Quid sit depositum?

℟. Depositum est contractus, quo rei alienæ custodia gratis suscipitur, estq; communiter res mobilis, v. g. pecunia, vestis, frumentum &c. *Dicitur*: rei custodia, non usus; nam si concedatur usus rei gratis, vocatur commodatum, si erga pretium erit locatio; *dixi sup.* depositarium re depositâ invito Domino uti non posse absq; crimine furti; si tamen deponatur pecunia numerata non clausa, nec obsignata, censetur dari mutuò, ideóque potestatem fieri eam alienandi, aut cum eâ negotiandi, ità ut dominium per consequens & periculum rei transeat ad depositarium, *arg. L. si sacculum ff. depositi:* quod *Molin. Laym. Lug. n.* 4. extendunt ad omnes res usu consumptibiles, ita ut non peccet saltem mortaliter, dummodò certus sit se tantundem ejusdem generis, & bonitatis præsto habiturum, cùm Dominus repetiverit. Species depositi est sequestrum, quo res controversa deponitur apud tertium impartialem, qui propterea sequester vocatur, eo fine, ut post sententiam Judicis vincenti tradatur.

QUÆR. IV. Quæ sint obligationes depositarii? 10.

℟. Seqq. 1. Depositum debet reddi statim, ùt petitur, licèt deponens dixisset, se deponere in mensem, & posteà mutato animo repetat in fine hebdomadis, si tamen fuit verum depositum, & non potiùs locatio rei depositæ. *c. bona fides de depos.* si res deposita sit furtiva, & fur, & 11. Dominus eam repetat, si certò constet de jure Domini, reddenda est Domino, non furi. 2. Si res deposita præter culpam depositarii incipiat deteriorari, monendus est rei Dominus, aut si hic conveniri non possit, neque res conservari, vendenda, & pecunia Domino asservanda est, hæc enim censetur esse voluntas Domini. Sed quid ad hunc Casum? Civis Colonienſis emit extrà urbem frumenta eaque deponit apud Titium suo tempore vehenda Coloniam, Titius cùm habeat frumenta Coloniæ æquè bona, vel meliora, datâ occasione vendit frumenta deposita cum intentione dandi sua Coloniæ existentia, nè alter novis expensis cogatur sua Coloniam vehere, interim frumenta Coloniæ existentia unà cum domo exuruntur. Quæritur: Quis teneatur ferre damnum? *Molin. d* 523. & *Lugo n.* 5. dicunt in simili Casu damnum pertinere ad deponentem, quia depositarius ex consen-

sensu rationabiliter præsumpto ea cum suis permutavit & vendidit, & sicut consensus præsumptus sufficit ad excusandum à peccato, sic & sufficit ad validam permutationem. *Bonac.* tamen verius contradicit, quia deponens non præsumitur consentire, nisi cum obligatione, ut depositarius permutans rem similem in facto tradat, sicut & alter suam in facto occupavit, & vendidit. *At dices*: si res deposita incipiat deteriorari, & depositarius ex præsumpta Domini licentia, qui pro nunc avisari non potest, rem vendat, pretium autem sine culpâ ejus auferatur, ad nihil tenetur ob licentiam præsumptam; ergo & in casu priori. R. *N. C.* nam in casu priori vendens agit
12. nomine proprio in rem, & commodum proprium, hic autem agit causam deponentis, ideóque pretium rei venditæ est sub dominio deponentis, cui per consequens perit. 3. Si sola res deposita periit, vel ablata fuit, & res depositarii manserunt incolumes, in foro externo præsumitur dolus, nisi probetur, depositum casu periisse. *c. 2. de commod.* in foro tamen conscientiæ, si culpa nulla interceserit, vel tantùm sit dubium de culpa, depositarius ad nihil obligatur, quia in dubio delictum non præsumitur. 4. Qui negotiatur pecuniis apud se depositis etiam invito Domino, non videtur peccare graviter, dummodò maneat in statu Domino repetenti pecuniam suam reddendi, fitque Dominus lucri ex negotiatione provenientis; est enim fructus industriæ, potestque hoc non obstante ratione custodiæ [si ità ab initio conventum est] aliquid exigere, sed tunc non manet purum depositum, sed alius contractus innominatus. 5. Si depositor tibi, vel al- 13.
teri quid debeat, debitum ex re depositâ compensare non potes. *c. 2. de commod. L. si quis C. eodem*, idque pro foro externo, nam in foro conscientiæ si debitum sit certum, & aliâ viâ solutionem consequi non possis, rem depositam licitè retinere potes, usque dum alter satisfaciat. *Reiffenst. tit. 16. n. 19. Pirh. ibid. n. 11.*

## CASUS LIV.

### De Mutuo, & Usura.

GAbrus *filius familias, minorennis, dubitans an unquam reddere possit, à fure, aliusque mutuò accipit & dat, nec reddit in eadem bonitate.* 9. *Accipit aliquid supra sortem titulo gratitudinis.* 10. *Periculi amittendæ sortis,* 11. *Lucri cessantis,* 12. *Pœnæ conventionalis.* 13. *Ex contractu Legis commissoriæ.* 14. *Quia præ-*

*præsens pecunia melior est quàm futura. 15. Quia obligavit se ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. 16. Quia dedit centum eâ conditione, ut si alter supervivat decem annos, reddat quadringentos, aliàs nihil. 18. Quia volnit contrahere modo sibi favorabiliore. 19. Instituit montem pietatis. 20. Iniit contractum Antichryseos, 21. Mohatra. 22. Emit res infrà condignum ob anticipatam solutionem, 23. Vel carius vendit ob dilatam solutionem. 8. Vendit fundum ad creditum reservatâ sibi annuâ pensione. 24. A suo creditore redimit chyrographum* 1000. *Imper. pro quingentis, 25. Item debitum liquidum* 100. *aureorum pro* 90. *26. Aliquid exigit pro usu suæ pecuniæ. 27. Mutuò dat cum onere non venandi in suis agris. 28. Contractum usurarium alteri cedit. 29. Usuras non restituit, quia putat earum se acquisivisse dominium, & alii sponte aliquid obtulerunt, ne capitale citò revocaretur. 30. Principe in omnibus connivente, vel etiam cooperante.* Pro resolut.

1. QUÆR. I Quid sit mutuum?

℟. Mutuum est contractus, quo traditur dominium rei fungibilis, id est pondere, mensurâ, vel numero constantis eâ conditione, ut post aliquod tempus reddatur res similis speciei, & bonitatis. *Dicitur* 1. traditur dominium rei, ut significetur simul cum dominio omne periculum rei transire ad mutuatarium, seu eum, qui rem mutuò accepit, ità ut quamvis casu pereat, ipsi pereat, res enim regulariter perit suo Domino; Item per hanc particulam mutuum distinguitur à commodato, pignore, & locato, in quibus tantùm usus rei conceditur, quo expleto res in individuo reddenda est. *Dicitur* 2. eâ conditione ut post aliquod tempus reddatur, scilicet tempore à mutuante præfixo, aut si nullum est præfixum, res relinquenda est mutuatario usque ad expletum usum, & finem ob quem mutuata est; & sic frumentum agricolæ pro semente mutuatum censetur mutuatum usque ad messem. *Dicitur* 3. similis speciei & bonitatis; unde vinum regulariter reddendum est pro vino, hordeum pro hordeo, pecunia pro pecunia &c. nè mutuans cogatur rem suam permutare, aut deteriorem recipere contrà suam voluntatem.

QUÆR. II. An mutuatarius teneatur rem in eâdem bonitate in- vel potiùs in eâdem bonitate extrinsecâ restituere? bonitas intrinseca est quam habet res à se, seu ex natura sua, extrinseca, quam habet à communi æstimatione hominum, vel taxatione Magistratûs? 2.

℟. In rebus à pecunia distinctis, v.g. in vino, frumento &c. regulariter restituenda est res in valore intrinseco, quam habebat tempore accepti mutui, pecunia verò regulariter in valore extrinseco; hinc si mutuò accipis vinum, frumentum, &c. dum

dum valet sex, satisfacis reddendo vinum, & frumentum ejusdem bonitatis intrinsecæ, quamvis tempore restitutionis fortè valeat octo, vel quatuor tantùm Imperiales. Quòd si tempore restitutionis vinum, aut frumentum non haberes, potes emere simile, vel solvere, quanti tunc valet, quando restituendum est; intellige hæc, si periculum crescendi non fuerit præviſum, vel si est præviſum, fuerit æquale periculum crescendi & decrescendi; nam si eras quasi certus, quòd res mutuata tempore restitutionis plus erat valitura, non potes plus exigere quàm res, v.g. frumentum valuit tempore dati mutui, *Laym. Castropalao, Spor. t. 6. c. 3. n. 16. Metzg. t. 13. d. 42. a. 1.* Ratio est, quòd res mutuata transeat in dominium mutuatarii, adeóque sicut periculum rei spectat ad ipsum, sic & major ille valor; solus enim valor præsens, quem res habet, dum eam das, mutuò spectat ad te; ergo ratione valoris futuri nihil exigere potes, nisi fortè eras rem tuam usque ad majorem valorem conservaturus, tunc enim potes illum valorem ratione damni emergentis exigere, deductis tamen expensis, quas in asservatione rei eras facturus.

3. *Dices* contra jam dicta: Ergo non potero frumentum vetus mutuum dare, ut restituatur novum, quia scio, quòd novum sit melius vetere. R. Per se loquendo id fieri non posse, per accidens tamen, quia mutuatario sæpè faciliùs est restituere novum, quàm antiquum, id licitè fiet, etiam ideo, quia frumentum in messe, quando nova sunt, ob copiam eorum ordinariè sunt minoris pretii, quàm v. g. in Majo vel Junio.

*Dices* 2. Ergo si habeam antiquam monetam, cujus valorem certò scio 4. post annos augendum, non potero eam dare mutuò cum obligatione, ut in eadem specie reddatur. 2. Non potero cum tali moneta emere censum câ conditione, ut redimatur eâdem monetâ. R. ad 1. Si eandem monetam eram servaturus, & expositurus in majori illo valore ratione damni emergentis, potero petere majorem valorem, vel eâsdem monetas, aliàs non. Ad 2. Possum emere censum cum obligatione eundem eâdem monetâ redimendi, si sit æquale periculum, ut crescat, vel decrescat valor, secùs si sciam valorem augendum, nisi majorem valorem minori pensione compensem; nam si accipio summam pensionem, v. g. quinque in centum, & præterea velim recipere eandem monetam, quando v. g. ejus valor crevit ad quinque, habebo duplex lucrum; nec obstat, quòd pecuniam eram servaturus usque ad majorem valorem; nam tali casu non accepissem pensionem, ergo vel unum oportet dimittere quàm alterum, *Laym. Spor. l. c.* Si nullum 5. tempus reddendi in mutuo præfixum sit, potes repetere rem mutuatam etiam tunc, quando plus valet, dummodo absit dolus, imputet sibi mutuatarius, quòd non citiùs restituerit, hoc enim ei erat liberum, *Pyrrh. l. 5. tit. 19. à n. 54. Lug. disp. 25. n. 122.* Idem

dicendum est de pecunia, si prævideatur ejus valor augendus vel minuendus; aliàs si mutuò accepisti pecuniam, v. g. pistolettas, debes illas reddere in illo valore extrinseco, quem habuerunt tempore accepti mutui, ita ut si ex pòst valor ille diminuatur, debeas tantundem superaddere, si augeatur, tantundem possis subtrahere; nisi & hîc specialiter conventum sit, ut eadem moneta in specie, & in valore intrinseco reddatur. Ratio horum est, quòd in contractibus ad hoc attendendum sit, quod regulariter intendunt contrahentes, sed si sit æqualis spes crescendi, & decrescendi, regulariter in pecunia attenditur valor extrinsecus, quem habebat tempore dati mutui, in frumento autem, & similibus, valor intrinsecus: Ergo, &c.

6. QUÆR. II. Quinam ex mutuo obligentur?

R. Ex speciali juris dispositione aliqui non obligantur ad reddendum mutuum, nisi in quantum mutuans probat illud in utilitatem accipientis esse conversum; tales sunt 1. Ecclesiæ, causa pia, civitas, oppidum, *l. civitas 25. ff. de rebus creditis. Auth. hoc jus, Cod. de SS. Eccl. c. 1. de solut.* Idque juxta plures tenet de Ecclesia, etiamsi Prælatus cum consensu Capituli mutuum contraxerit; unde pro cautela suadet *Eng. l. 1. t. 35. n. 43.* ut mutuans contractui faciat inseri causam, in quam mutuum impensum est, neque contentus sit solo chyrographo, vel pignore, utpote quod sine solemnitatibus constitui non potest, sed faciat sibi dari fidejussores idoneos. 2. Pupilli, & minorennes, sive cum, sive sine tutorum vel curatorum licentia mutuum contraxerint. 3. Filiusfamilias, id est, adhuc sub patria potestate constitutus, etsi sit major viginti quinque annis, si sine consensu patris mutuum contraxerit, non obligatur civiliter, imò nec naturaliter, seu in conscientia, ut contra *Fach. Covarr.* aliosque docet *Gomez. Molin. d. 301. Leff. l. 2 c. 20. dub. 2. Wading. de cont. d 6. dub. 4. Laym. hìc c. 15. n. 5.* Sed potest se tueri exceptione Senatûs-Consulti Macedon. quod nomen habet à quodam usurario Macedonio, qui filiis dabat mutuum post mortem patris reddendum, unde filii captabant occasionem mortem optandi, vel machinandi parentibus; hoc juris privilegium cùm non tantûm sit in favorem filii, sed etiam parentum, non poterit ei filius-familias renuntiare etiam juratò, *Panorm. in c. 28. de jurej. n. 23. Wading. dub. 4. §. 1.* Excipe varios casus, quibus filius-familias civiliter obligatur mutuo: *Primò*, si filius habebat peculium castrense, vel quasi castrense, aut fuit miles tempore accepti mutui. 2. Si mutuum sit expensum in utilitatem patris. 3. Si publicè videbatur esse sui juris. 4. Si in aliis rebus quàm in pecuniis mutuum acceperit, nisi id fraude factum sit. 5. Si accepit causâ studiorum, vel in tali necessitate, in qua pietas patris recusare non poterat, *l. si quis, l. pen. ff. ad Macedon. l. 1. & 2. Cod. eodem.* Plures casus vid. apud *Molin. d. 307.*

QUÆR.

QUÆR. IV. Quid & quotuplex sit usura?

7. R. 1. Usura est lucrum immediatè ex mutuo proveniens tanquam debitum; proinde omne id, quod vi contractus mutui exigitur ultrà sortem seu rem mutuatam tanquam ex justitia debitum, est usura jure naturali, Divino, & Ecclesiastico prohibita. *Ezech. c. 18.* Qui ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit, hic justus est. *Luc. 6.* Mutuum dantes, nihil inde sperantes. Iniquitas usuræ consistit in hoc, quòd mutuans capiat lucrum ex re non ampliùs sua, cùm per mutuum transferatur dominium in mutuatarium, ad quem pariter spectat omnis rei ususfructus, lucrum, & periculum. Deinde 100. Imperiales, quos mutuò das, non valent nisi 100. Ergo iniquè exigis aliquid plus. *Dixi* 1. Omne, quod vi contractus mutui exigitur; nam, quod exigitur ex alio justo titulo, sæpè aliquid justè exigi potest, v. g. ratione lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi sortis, ut infrà explicabitur. *Dixi* 2. Aliquid suprà sortem; nam generalis hîc regula est, quòd mutuatarius vi mutui ad solam sortem reddendam obligetur, omne aliud pactum, onus vel gravamen mutuo extrinsecum usura est; ut si eâ conditione mutues, ut te recommendet ad officium, ut pro te laboret, fidejubeat, sortem permutet, in meliori specie vel difficiliori loco solvat, usurarius est. Ita communis & certa; quænam autem pacta hîc & nunc sint usuraria, in praxi judicare difficillimum est, ut constabit ex infrà dicendis.

8. R. 2. Usura dividitur in realem, & mentalem; mentalis est, quando quis intendit aliquod lucrum ex mutuo tamquam ex justitia debitum, quamvis id in pactum non deducat. Realis est, quando id clarè vel obscurè pacto inseritur. Iterum usura alia est aperta, quando lucrum accipitur ratione formalis mutui; alia palliata, quando mutuum accipitur ratione alterius contractus, qui virtualiter in se includit mutuum, ut si cariùs vel suprà pretium vendas merces præcisè ratione differendæ solutionis, utraque usura ex jure naturæ obligat ad restitutionem, ut statim dicetur; nunc ad Casum

9. R. 1. Qualiter ex mutuo obligetur filius-familias vel minorennis, constat ex n. 6. q. 3. & in qua bonitate res mutuata reddi debeat, dixi n. 2.

2. Qui scit vel prudenter dubitat, an unquam reddere possit, non potest sine injustitia mutuum accipere nisi in extrema necessitate, dum omnia sunt communia, aliàs enim injustè alium damnificaret, vel saltem periculo damni exponeret.

3. Si à fure mutuò accepisti pecuniam furtivam nondum cum alia indiscernibiliter permixtam, non est propriè mutuum, quia non transfertur dominium, & teneris eam non furi, sed domino reddere.

10. 4. Non est usura nequidem mentalis, ex sola gratitudine aut benevolentia sperare beneficium, vel offi-

cium à mutuatario, *Nav. Leſſ. Lug. n. 28. Pyrr. n. 133.* Velle autem per mutuum obligare mutuatarium ad dandum beneficium ex gratitudine, vel benevolentia, uſurarium eſt, ut patet ex propoſitione 42. ab Innoc. XI. damnata: *Uſura non eſt, dum ultrà ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigitur tanquam ex juſtitia debitum.* Ratio eſt, quòd obligare ex pacto ad dandum aliquid ex gratitudine vel benevolentia eſt reverà obligare ex juſtitia, éſtque onus mutuo extrinſecum, ideóque juxta regulam ſuperiùs datam facit contractum uſurarium.

11. 5. Ratione juſti tituli cum mutuo conjuncti aliquid licitè & ſine uſura exigi poteſt; primus ejuſmodi titulus eſt periculum amittendæ, vel difficulter reparandæ ſortis, eò quòd nemo pro ſorte fidejuſſerit, & ſit aliò deportanda, aut mutuatarius ſit decoctor, non ſatis bonæ, vel ignotæ fidei, &c. *Reding. q. 3. a. 3. dub. 5. Metz. a. 2. n. 5. Viva. op. 4. q. 3. a. 6.* Ratio eſt, quòd illud periculum ſit mutuo extrinſecum, & pretio æſtimabile. Secundus titulus eſt damnum emergens ex mutuo, v. g. mutuans indiget pecuniâ ſuâ ad emenda familiæ ſuæ frumenta, quæ modò poteſt emere vili pretio, ex eo autem quòd alteri pecunias det mutuò, & alias non habeat, cogitur poſtea cariùs emere; in hoc & ſimili caſu poteſt mutuans refuſionem damni in contractum deducere, ita tamen, ut mutuatarium prævie moneat, quia poſſet hic cum tali onere non velle habere mutuum. Ratio eſt, quòd hujuſmodi periculum vel damnum ſit pretio æſtimabile, & nemo illud gratis ſubire teneatur, ergo in pactum deduci poteſt; ſi verò mutuans illud in pactum non deduxit, mutuatarius non tenetur niſi ad ſortem, mutuans imputet ſibi ſuam negligentiam, *S. Th. q. 13. de malo a. 4. ad 14.* Niſi debitor ſolutionem injuſtè differendo fuerit cauſa damni, *Nav. Laym. Eng. l. 5. t. 19. n. 13.* Quòd ſi periculum damni ſit tantùm probabile, exigi quidem aliquid poteſt, ſed non plus, quàm tu ipſe rationabiliter velles dare alteri hujuſmodi onus pro te ſubeunti. Dices: *S. Thom. opuſc. 73. c 6. ait: Ratio periculi etiam circa ſortem non tollit rationem uſuræ in mutuo*, uti probatur *in c. naviganti ult. de uſuris*, quod ſic habet: *Naviganti vel eunti ad nundinas mutuans pecuniæ quantitatem, eò quòd ſuſcepit in ſe periculum, recepturus aliquid ultrà ſortem, uſurarius eſt.* R. D. Th. & allegatus textus juxta communem tantùm eſt intelligendus de eo, qui mutuatarium cogit ad talem determinatè contractum aſſecurationis in ſe, quia dignum pretium dirivandum; nam licèt mutuator æquè ac tertius poſſit aliquid accipere pro ſecuritate ſortis præſtanda, non poteſt tamen vi mutui obligare mutuatarium ad ejuſmodi contractum ſecum ineundum, quia hoc eſſet novum onus mutuo extrinſecum, quod ſine uſura imponi non poteſt. 12. Tertius titulus eſt lucrum ceſſans; requiritur autem, ut quis illud lucrum non tantùm

tùm potuerit habere, sed reverà fuisset habiturus saltem in præparatione animi, ut si quis centum aureos destinârat ad annuum censum vel mercaturam, si det illos aureos mutuò, & alios non habeat, quos negotiationi vel censui exponat, spem lucri potest in contractum deducere, quia se in gratiam alterius privare isto lucro est pretio æstimabile, & indebitum, ergo pro eo aliquid accipi potest; nec contrarius est *D. Thom. Opusc. 73. c. 3.* ubi ait, spem lucri ab usura non excusare; loquitur enim de lucro remoto, quod quis poterat habere, non autem, quod reverà erat habiturus ex pecunia jam ad actum lucrosum destinata. Quartus
13. titulus est pœna conventionalis, ad quam se mutuatarius obligat, casu quo tempore præfixo sortem non restituat; pœna autem debet esse moderata, nec debet apponi ad palliandam usuram, qualiter apponi censetur, si contrahentes convenerint ad solvendam pœnam etiam in mora inculpabili, aut si mutuum detur propter spem pœnæ, vel ponatur arctior terminus, quem mutuatarius verosimiliùs servare non poterit, & hoc modo intelligendi sunt Canones damnantes pœnam conventionalem in mutuo, *Less. Lug. Salmant. t. 14. c. 3. p. 8. §. 4. Viva. op. 4. q. 3. a. 7.*
14. Dices: Obligatio ad pœnam conventionalem est onus mutuo extrinsecum: ergo illam exigere est usura. 2. Contractus legis commissoriæ sive contractus mutui, quo in securitatem sortis debitæ datur pignus eâ conditione, ut si mutuatarius intra tempus præfixum sortem non solvat, pignus in vicem sortis cedat mutuanti, est usurarius, & ut talis reprobatur à Jure Canonico, *cap. significante de pignore*; sed contractus Legis commissoriæ reverà est pœna conventionalis, quia in pœnam moræ pignus cedit mutuanti: ergo. R. ad 1. Vi mutui obligare ad conventionem ineundam est usurarium C. si alter liberè, & non in vim mutui consentit in pactum pœnale N. Sic si vi mutui velim alium obligare ad vicissim mutuandum v. g. triticum in futuro, est usura; secùs si ille liberè se offerat ad triticum mutuò dandum. *Ad 2.* In contractu Legis commissoriæ vi mutui obligo alium ad dandum & perdendum pignus in casu moræ. Deinde in contractu Legis commissoriæ mutuans per pignus æquivalens vel plus valens est satis assecuratus de sua sorte: ergo illa pœna additur intentione usurariâ in ordine ad habendum aliquid supra sortem; econtrà ut pœna conventionalis sit licita, non debet addi ex intentione lucrandæ pœnæ, sed ad securitatem sortis.

6. Ab Innoc. XI. damnata est hæc Propositio 41. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Ratio damnationis est, quòd spectato solo contractu mutui præscindendo ab omni lucro, damno, & periculo, pecunia præsens non sit melior quàm
15.

futura, quia præsens tum esset otiosa; nec obstat, quòd præsens possessoribus sæpè causet oblectationem, quam non causat absens; nam hæc oblectatio non est pecuniæ intrinseca, sed consistit in solo affectu ad pecunias, qui affectus magis odio, quàm pretio dignus est.

16. 7. Ab Alex. VII. damnata est hæc Propositio 42. *Licitum est mutuanti aliquid suprà sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Ratio damnationis est, quòd præscindendo à periculo, damno emergente, & lucro cessante, nullum subeatur gravamen pretio æstimabile, etiamsi quis se obliget ad non repetendam sortem ad certum tempus: ergo isto titulo nihil exigi potest suprà sortem. Nec refert, quòd juxta communiorem licitum sit aliquid exigere pro obligatione mutuandi in futurum; nam obligatio mutuandi non est mutuum, sed actio prævia valdè onerosa; econtrà obligatio non revocandi mutuum est mutuum continuatum, nec importat onus à mutuo distinctum: ergo quamvis ratione prioris obligationis aliquid exigi possit, non tamen
17. ratione posterioris, *Pyrr. l. c.* Dices: Qui rem alteri, v. g. equum dat precariò, potest aliquid accipere, ut precarium intra certum tempus non repetat. 2. Quamvis ego agrum meum non colam, si tamen me velis obligare, ut intra tres vel novem annos non colam, possum pro hoc aliquid accipere, quamvis hîc non sit damnum emergens, vel lucrum cessans: ergo si velis me obligare ad non repetendum mutuum, etiamsi inde non patiar damnum, vel non cesset lucrum, aliquid exigere potero, quia habeo jus repetendi, sicut alter jus colendi agrum. 3. Obligatio non repetendi mutuum ad certum tempus, v. g. tres annos, est onerosa, & mutuo extrinseca, cùm possit esse mutuum absque hac obligatione: ergo pro ea possum aliquid accipere, sicut pro obligatione dandi mutuum in futuro, vel in loco distanti. R. *ad* 1. Qui dedit rem precariò, si aliquid exigat eâ conditione, ut rem datam intrà certum tempus non repetat, hoc ipso non precarium, sed locatum constituit, quia usum rei suæ non dat precariò, sed erga pretium elocat. 2. Precariò dans vel elocans retinet dominium rei suæ, sicut & ego dominium & usum agri mei: ergo ut obligem me ad non utendum re meâ, possum aliquid exigere. Econtrà res mutuata transit in dominium mutuatarii unà cum usu, carere autem re mutuatâ, secluso damno, & lucro cessante, non est onus pretio æstimabile; hinc patet R. ad 3.

18. 8. Si mutuum petenti dicas: Nolo dare mutuum, sed do ducentos eâ conditione, ut si supervivas decem annos, reddas 400. secùs nihil, per se loquendo non est usura, nec mutuum, sed contractus sponsionis, qui licitus est, si utrimque sit periculum æquale, perdendi, & lucrandi.

19. 9. Mutuans potest aliquid accipere suprà sortem, si saltem implicitè velit inire contractum census, vi cujus

v. g.

v. g. pro 100. Imperialibus emeret jus percipiendi ex alterius industria, vel bonis fructiferis annuam pensionem 5. Imper. aut vellet inire contractum societatis, in quo Titius dat pecuniam, & Cajus appromittit industriam, ut cum illa pecunia, quantum potest, pro utroque lucretur, ex hoc contractu Titius potest justè sperare lucrum, v. g. 12. Imper. ut autem sortem suam securam habeat, remittit Cajo 4. & ut pariter lucrum ipsi sit certum, remittit Cajo adhuc tres, & sic assecurată sorte habebit annuò lucrum 5. Imper. Ita *Laym. Spor. Dian. Garc. Lug. hic n. 40.* Ratio est, quia omnes hi contractus ex se sunt liciti, ut certum est, nec ostendi potest, quare in his circumstantiis fiant illiciti. Unde cum *Sà v. usura n. 8. Tann. Dian. 1. Tom. de cont. R. 47. Tamb. hic §. 3. n. 27.* aliisque infertur, omnes modo jam insinuato contrahentes excusari ab usura, quamvis ignorent naturas dictorum contractuum, dummodo intendant contrahere omni meliori modo, quo justè cum sua utilitate fieri potest, non considerando, sed supponendo adesse justum titulum, vel alium contractum excusantem. Nec obstat Bulla *Detestabilis* Sixti V. quæ tantùm prohibet ex vi contractus societatis exigere contractum assecurationis, vel tantùm improbat Casus jure communi usurarios. Debet autem persona & bona mutuatarij esse fructifera; nam si nec bona mutuatarii per se, nec ipse per negotiationem fructum & lucrum afferre possit, contractus census vel societatis erit nugatorius, ideóque lucrum inde petitum palliata usura. *Dices:* Ergo nullus damnandus erit usuræ, quia omnes intendunt contrahere modo sibi favorabiliori. R. N. Ass. Nam sæpè non intendunt tales contractus, sed formale mutuum, tunc autem aliquid exigere suprà sortem erit usura. Deinde quando persona aut res alterius non est fructifera, non potest in iis constitui census, neque contractus societatis super lucro, quod nunquam sperari potest, adeóq; tunc aliquid propterea exigere erit usura.

10. Liciti sunt Montes Pietatis publicâ authoritate erecti. Patet ex Concil. Later. & Trident. *sess. 22. c. 8. 9. & 11. Viva. op. 4. q. 3. a. 1.* In his Montibus quilibet relicto pignore mutuum habere potest eâ conditione, ut intra certum tempus pignus recipiat, & mutuum restituat cum moderato auctario suprà sortem solvendo; vel si intrà præfixum tempus non sit solvendo, pignus vendatur, & detractâ sorte exiguóque auctario residuum de venditione pignoris debitori restituatur. Ratio est, quòd hi montes (idem est de Lombardis publicâ authoritate erectis, in quibus aliquando 15. dantur annuò in 100.) sint liciti, quia agunt communem causam, subeunt onus conservandi pignora, debent esse parati ad omnes casus, eumque in finem alunt suos ministros. Beursæ, in quibus mercatores privatâ authoritate constituunt pretia mutuorum, cambiorum, &c. à plerisque reprobantur. 20.

11. Con-

21. 11. Contractus Antichriseos, quo pro assecuratione sortis mutuò datæ accipitur pignus vel hypotheca cum jure hypothecâ v. g. agro utendi, fructúsque percipiendi, donec summa mutuata restituatur; hic contractus dicitur Germ. ein Pfandschafft / quamvis à Jure civili toleretur, attamen tanquam usurarius reprobatur Jure Canon. in c. 1. & 2. de usuris, ubi dicitur: *Fructus pignoris sine usura non cedere lucro creditoris, sed computandos esse in exonerationem sortis. S. Th. Cajet. Soto, Eng. n. 17. Lugo.* Ratio est, quia vi mutui aliquid accipere ultrà sortem usurarium est; atqui hoc contingit: ergo. Possunt tamen adesse alii tituli, vi quorum pars fructuum exigi posset, v. g. ob lucrum cessans, damnum emergens; imò juxta communiorem, si contrahens velit inire contractum optimo modo quo potest, virtualiter init contractum censûs vel societatis, & per consequens tantum potest accipere ex fructibus, quantum deberetur, si pecuniam formaliter posuisset ad censum, vel societatem. V. *Cas. 60. in fine.*

22. 12. Contractus Mohatra, quo venditur res justo sed magno pretio, cum pacto eandem minori pretio revendendi, est illicitus; v. g. vendo tibi equum ad creditum summo pretio, quod est 100. Imper. sub obligatione illum mihi statim revendendi pro infimo pretio, v. g. 90. Imper. Constat id ex Proposit. 40. ab Innoc. XI. damnata: *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ cum contractu revenditionis etiam præviè inito cum intentione lucri.* Si tamen equum bonâ fide ad creditum vendidisti Cajo erga justum pretium, & Cajus indigens pecuniâ eumdem tibi emendum offerat, ex communiori sententia sine usura eum emere potes minori pretio, imò eo pretio, quo emuntur res ultrò oblatæ, & pro tertia parte vilescentes. Ratio est, quia vi primæ venditionis nihil exigitur, sed Cajus liberè & sine ullo pacto antecedente equum revendit tibi, qui æquè habes jus illum emendi ac alius; cavendum tamen est à scandalo, & usura saltem mentali; quæ tum esset, si nolens dare mutuum, eâ intentione venderes equum, ut Cajus, quem scis pecuniâ indigere, cogatur tibi minore pretio revendere. *Viva. op. 4. q. 4. a. 3.* & alii.

23. 13. Non licet emere rem infrà condignum propter anticipatam solutionem, v. g. nunc emo, & solvo tuam lanam duobus aureis, quam habebis, & trades in Augusto, quando valebit tribus, aut quatuor, est enim virtuale mutuum; putat tamen Tambur. id licere, si spontè offerantur; merces enim spontè oblatæ vilescunt.

24. 14. Quid de hoc contractu: Vendo & trado tibi fundum pro 100. quia tamen pecuniam non habes, solves pro pensione annua quinque, usque dum reluas capitale? Pro negativa facit, quòd videatur illa pensio exigi ob solam dilationem capitalis, ideoque ex virtuali mutuo, quod est usura. Affirmativa tamen, quam tenet

*Mo-*

*Molin. Lug.* videtur in praxi tuta, & probabilis, 1. quia venditor fundi non obligatur tradere fundum ante solutionem pretii; quòd ergo citiùs tradat, est ei liberum, & pretio æstimabile propter fructus inde percipiendos. 2. Cùm non teneatur tradere fundum, posset tradere solum dominium directum, reservato sibi dominio utili, & pro illo aliquid accipere.

25. 15. Quid si Rex debeat mille Cajo, qui ob difficilem Regis conventionem libenter debitum venderet pro 500. an ego, qui Regi debeo 1000. Regem rogare possim, quatenus debitum suum erga meum commutet, & sub spe talis commutationis emere prætensionem Caji pro 500. & sic extinguere 1000. R. Si Rex commutet, seu transferat suum debitum in te, postquam emisti prætensionem Caji, justè procedis; suppono enim, quòd ob difficilem Regis conventionem prætensio Caji justè emi poterit pro 500. Neque Regi facis injuriam, quia ejus debitum per simile debitum compensatur; post translatum autem in te debitum Regis non potes à Cajo prætensionem minoris emere, sed debes solvere mille, quia tota obligatio Regis in te translata est: ergo sicut ille debebat solvere mille, sic & tu. V. *Cas. seq. n. 7.*

26. 16. An debitum liquidum & certum, v. g. 100. Imper. post annum solvendum, secluso periculo, damno, & lucro cessante, nunc emi possit pro 90. Affirmant multi apud *Less. Leur. l. 3. tit. 17. q. 283.* Rationem dant, quia jus ad rem, v. g. pecuniam, communi æstimatione minus valet, quàm ipsa res, ergo minoris emi potest, idque non tantùm à tertio, sed etiam ipso debitore. Verùm opposita sententia est verior, & communior, quia debitum liquidum 100. Imper. secluso omni periculo, molestiâ, damno vel lucro cessante omninò valet 100. tunc enim non est ratio, cur pecunia præsens plus valeat, quàm futura, sed illud debitum est pecunia futura. In praxi tamen debitum rarò est ita liquidum, quin non adsit aliquod periculum, præsertim si sponte offeratur, ideòque tunc vilius emi poterit. *Lug. n. 96. Castrop. Leuren. l. c.*

17. Usuram admittis, si apud Cajum deponas pecuniam, datâ ei fa- 27.
cultate eâdem pro libitu utendi sub obligatione tibi pro usu annuo dandi 6. vel 10. in 100. Ratio est, quòd hîc sit virtualiter mutuum; eo ipso enim, quo das usum pecuniæ absolutum, etiam das dominium, cùm talis usus à dominio pecuniæ sit inseparabilis; sed ratione mutui aliquid accipere suprà sortem est usurarium: ergo. Quòd si Cajo mutuum dare nolis, sed emas ab eo equum pro 100. eúmque eidem eloces pro 10. per se loquendo usuram non admittis, dummodo verè ineas contractum locationis, periculúmque equi in te suscipias. Ratio est, quia nihil accipitur ratione mutui, sed ratione locationis, quod licitum est; dixi, per se loquendo, nam & hîc periculum est usuræ mentalis & palliatæ.

28. 18. Si Cajus habet jus saltem probabile venandi in tua sylva, transeundi per tuum agrum, &c. si eâ conditione mutues, ut hoc jure non utatur, usuram committis; si verò jus id faciendi non habet, sed iniquè prætendit, potes licitè mutuare, ut abstineat, quia sic novum onus non imponis, cùm absque eo obligetur abstinere ab iniqua rei alienæ usurpatione. Quòd si mutuans dicat: Nolo te obligare ad non utendum jure tuo venandi, si tamen venatus fueris, statim cessabit mutuum, *Laym. Lug. n. 53.* putant, id non esse usuram, cùm sit tantùm statuere terminum mutuo, quod liberum est mutuanti; sed & hîc videtur esse periculum palliatæ usuræ.

29. 19. Si promisisti usuras solvere, non potes contractum alteri cedere, ei tradendo summam mutuò acceptam cum obligatione solvendi usuram; cùm enim tu summæ mutuatæ sis dominus, eam alteri cedendo cum obligatione usuraria novum contractum usurarium constituis. Sed quid si à me mutuò acceperis 100. & ratione damni mihi emergentis justè te obligâris ad 110. an potes sine usura hunc contractum cedere Cajo, cum obligatione, ut loco tui mihi solvat 110. Pro affirmat. est, quòd hic contractus sit justus, & uterque juri suo cedere possit. R. Si tu deberes ex mutuo alteri cedendo etiam pati damnum in 10. potes ei hunc contractum cedere, aliàs non.

30. 20. Usurarius probabiliùs fit dominus usuræ, quia mutuatarius ordinariè vult absolutè & efficaciter transferre dominium; & licèt secundùm quid translatio sit involuntaria, est tamen simpliciter voluntaria, veluti donatio facta ex metu injusto, qui per se non irritat contractum, sed tantùm facit rescindibilem ad arbitrium illius, qui injustum metum patitur, *Scotus in 4. distinct. 15. q. 2. a. 3. Nav. Lug. n. 206.* tenetúrque usurarius ad restitutionem, non ex re accepta, quia sit ejus dominus, sed ex injusta acceptione, ita ut non tantùm rem ipsam, sed etiam omnes fructus, omne lucrum cessans & damnum emergens resarcire debeat. Dixi, ordinariè, nam si mutuatarius absolutè non vellet transferre dominium rei usurariæ, eò quòd sciret, se ad hoc non obligari, usurarius non acquireret ejus dominium, per consequens obligaretur eam restituere ex re accepta. Si aliquid datum est ex mera liberalitate vel benevolentia, etiamsi fortè acceptetur intentione usurariâ, retineri potest, quia nulla intercessit realis injuria, nec usura mentalis, nec mutuum est causa donationis, sed liberalitas animi, *Sylv. v. usura 6. Azor. Pyrr. n. 139.* Idem probabiliùs dicendum, si mutuatarius donet aliquid ex timore orto ab intrinseco, v. g. ne dicatur ingratus, ne capitale citò repetatur, ne mutuans aliâ vice neget mutuum, &c. Dixi, ex timore intrinseco, nam si mutuans hunc timorem incussit, tenetur restituere, quia est causa injusta donationis.

31. 21. Principes ex justa causa & ita exigente bono communi usuras permittere possunt, non quidem eas appro-.

probando, sed eas non puniendo; qui tamen compellit ad solvendam usuram, vel impedit, quò minùs usura soluta restituatur, peccat contra justitiam, & in defectu usurarii tenetur ad restitutionem; circa cooperatores *Lugo n. 214.* hanc tradit regulam: Omnes illi deficiente usurario tenentur restituere, qui ita ad usuram cooperantur, ut solvens usuram sit rationabiliter invitus, quia tales sunt causa efficax & injusta damni jam à ratione quorumcunque cooperatorum, v. g. deportantium, aut numerantium pecunias, dominus non videtur esse semper invitus, cùm aliquorum actiones velit poni, ut sic impetret mutuum; qui verò sunt causa non præcisè, ut detur mutuum, sed ut detur sub obligatione solvendi usuras, quoad hos semper censetur invitus.

22. Usurarius publicus & notorius ex dispositione Juris Civilis & Can. 32.
incurrit pœnas sequentes: 1. Fit infamis infamiâ Juris. 2. Non admittitur ad oblationes sacras faciendas, neque ad S. Synaxin, aut absolutionem Sacramentalem, donec satisfecerit, vel idoneam cautionem præstiterit. 3. Nec ad Ecclesiasticam sepulturam. 4. Non potest validè facere testamentum, nisi præstitâ ante mortem sufficiente cautione, &c.

## CASUS LV.

### De Emptione, & Venditione.

HEnsius Senator 1. 2. *sciens valorem pecuniæ esse minuendum varia emit*, 3. *quæ ante traditionem vel pereunt*, 4. *vel eorum fructus à venditore sunt consumpti.* 5. *Res suas vendit suprà pretium à Principe taxatum.* 6. *Vendit chyrographum Caji, quem scit non esse solvendo.* 7. *Redemit tuum chyrographum, continens mille pro quingentis.* 8. *Res raras & singulares quovis pretio possibili.* 9. *Ordinario pretio emit agrum, in quo scit latere venam auri, picturam, in qua scit latere raram artem.* 9. *Res sponte oblatas, vel sub hasta venditas, chyrographa emit infrà dimidium.* 10. *Vendit res vitiosas non manifestato vitio.* 11. *Res alteri jam venditas.* 12. *Furtivas.* 13. *Quarum valorem vendens ignoravit.* 14. *Bona fidelium in bello injusto ab hoste capta.* 15. *Bona Ecclesiæ ab hæreticis occupata.* 16. *Cum sociis omne frumentum emit, ut alii ab ipso cogantur cariùs emere.* 17. *Spargit navium submersionem, ut pretium crescat, & falsò jurat, se cariùs emisse, quàm emerit.* 18. *Ut debita sibi commissa solvat, munera accipit.* 19. *Ignoranter emit rem censui subjectam, & hypothecatam.* 20. *Mendacio impedit, quominùs consanguinei vendentis rem emptam retrahere possint.* 21. *Cum Clericis negotiatur.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit Emptio, & Venditio?

R. Est contractus, quo emptor & venditor conveniunt de danda re, seu merce, erga pretium, seu pecuniam; qui dat pretium, vocatur Emptor, qui dat mercem, vocatur Venditor. Hic contractus regulariter completur traditione, ita ut emptor factâ sibi traditione statim acquirat rei dominium. Dico, *regulariter*; quia mercatores plerumque sunt contenti promissione solvendi; si verò non velint vendere ad creditum, sed habere solutionem in præsenti, emptor non fit dominus rei traditæ, antequam solverit pretium, aut saltem cautionem sufficientem præstiterit, §. *venditæ Instit. de rerum divis.* 1.

QUÆR. II. Quæ sint obligationes emptoris?

R. Seqq. 1. Emptor obligatur solvere pretium æquale statuto tempore, & quidem in eo valore, quem pecunia habebat tempore contractus, ita ut si modò valor ille sit diminutus, emptor teneatur tantumdem superaddere, quia aliàs non servatur æqualitas pretium inter & mercem. Quòd si emptor sciat, pretium mercis mox notabiliter augendum, aut monetam aliquam prohibendam, potest mercem emere, vel monetam exponere secundùm æstimationem præsentem. Idem est de venditore, si sciat pretium mercis esse minuendum, *S.Th. 2.2. q.77. a.3.& 4. Cajet. Bannes, Sotus, Dian. Covarr. Reiffenst. l.3. Decret.t.17.n.197. Leuren.16.q.286.* 2. Probatur exemplo Joseph *Gen. 41.* qui currente pretio coëmit maximam frumenti copiam, etsi certò prævideret, pretium ob sterilitatem ex pòst esse augendum. Et ratio est, quia pretium hoc est justum, & valor publicus pro nunc; non licet tamen Magistratui vel Principi merces suas, aut pecuniam in summo valore exponere, & posteà eorum valorem studio minuere; nam hoc esset quærere bonum privatum cum damno subditorum, quod est contra officium & fidelitatem à Magistratu vel Principe subditis debitam, *Lug.disp.26.n.140.*

2. Periculum & commodum rei emptæ pertinet ad emptorem etiam re nondum traditâ, nisi aliter esset conventum, §.3 *Instit. de empt.& vendit.* Hinc si res vendita etsi necdum emptori tradita pereat, perit emptori, nisi perierit, vel deteriorata fuerit culpâ venditoris, aut venditor fuerit in mora tradendi, vel res vendita nondum fuisset determinata, ut si emas quinque boves ex toto grege, nullos determinando, aut nondum sit mensurata, v.g. ex toto acervo tritici emas quinque maldera; tunc enim ante mensurationem & determinationem periculum rei emptæ pertinet ad venditorem, *Covar.Sylvest. V.Emptio n.3. Molin.d.366.n.11. Less. Pyrr.l.3. Decret.t.17.n.49. Eng.16.n.6. Leur. q.308.* 3. *Dices:* Res perit suo domino: ergo cùm venditor ante traditionem adhuc sit rei dominus, perit venditori, nec videtur æquum, ut quis citrà suam culpam damnum ferat in re non sua. R. Res regulariter 4.

qui-

quidem perit suo domino, abstrahendo à dispositione juris, & quando res alteri ex justitia non est debita; hîc autem aliter jura statuunt, & res ex justitia emptori debetur, nec iniquum est in re aliena ferre damnum, si simul debeantur ejusdem fructus, & commoda, utì ea debentur emptori. Ratio est, quòd fructus rei sint connexi cum re, & pars rei; sicut ergo res ipsa, sic & fructus rei à tempore emptionis debentur emptori; hinc si emisti agrum tempore, quo habebat fruges pendentes sive immaturas, sive maturas à fundo nondum separatas, si eas venditor colligat, & ex post agrum tradat, valorem frugum de pretio subtrahere potes; si emisti domum alteri elocatam, à tempore emptionis debetur tibi pretium elocationis, etiamsi domus nondum sit tradita, aut assecurata, *Reiffenst. à n. 227. Lauterbach. Leuren. q. 296.*

5. QUÆR. III. Quæ sint obligationis venditoris?

℟. Seq. 1. Debet vendere rem pretio justo, hoc est, vel taxato à Magistratu, vel Principe, aut à communi hominum prudentum æstimatione pensatis circumstantiis. Pretium statutum à Principe vel Magistratu vocatur legitimum, est indivisibile, ac servari debet etiam à Clericis, & peregrinis ex justitia sub onere restitutionis, *Azor. Reiffenst. n. 132.* Nisi taxa à Magistratu facta ex circumstantiis fieret iniqua, aut res tuæ essent notabiliter meliores quàm quæ in foro communi venduntur, aut superior permittat suprà taxam vendi, quamvis unum vel alterum puniat, volens experiri, an servetur taxa, *Tamb. Spor. t. 6. c. 5. à n. 9. Lug. hîc n. 65. Metzger t. 13. d. 43. a. 2. n. 15.* Pretium, quod ex communi æstimatione, & usu hominum taxatur, dicitur *vulgare*, admittitque medium, summum, & infimum; ut si medium pretium sint v. g. 100. summum circiter erit 105. infimum 95. & sic proportionaliter in aliis.

*Dices* 1. Si debeant res emi vel vendi juxta æstimationem communem, ergo si habeam chyrographum 100. Imper. à Cajo, quem ego solus scio non esse solvendo, potero illud vendere pro 100. Imper. tantum enim valet in æstimatione communi. ℟. N. C. nam tale chyrographum est merx habens vitium intrinsecum & occultum. 6.

Inst. Non facio injuriam venditori, si emam rem ejus, quam scio habere valorem occultum, v. g emo agrum, quem novi habere venam auri, vel herbam, quam scio habere virtutem incognitam, nec teneor valorem illum occultum aperire, ergo nec vitium occultum. Conf. 1. Ideò tenerer vitium occultum aperire, quia tale vitium cognitum minuet communi æstimatione valorem; sed vena auri in agro latens, si manifestaretur, etiam communi æstimatione augeret valorem, ergo, &c. 2. In emptione non attenditur valor occultus, sed publicus, sed tale chyrographum, antequam ejus defectus manifestetur, valet in publico 100. ergo. ℟. N. C. Venditor saltem implicitè cognoscit

venam auri, quia vult vendere agrum cum jure ad venam auri, si fortè insit; econtra emens rem vitiosam nullo modo cognoscit vitium, ergo si non aperias vitium, facis ei injuriam. Ad Conf. N. Ass. Ad 2. Dispar. est; quia chyrographum tale est res vitiosa.

7. *Dices* 2. Ergo si habeam chyrographum 1000. Imper. à Principe, quod communi æstimatione, eò quòd Princeps sit difficilis conventionis, tantùm valet 500. posset etiam Princeps illud emere quingentis, quia Princeps æquè potest emere juxta communem rei valorem, quàm etiam alii; consequens autem videtur absurdum; sic enim debitum mille Imper. elucretur per 500. quod est aperta inæqualitas. R. Si Princeps per se, vel per suos sit causa injusta, quòd pecunia difficiliùs recipiatur, & chyrographum viliùs æstimetur, non potest emere, imò si creditor propterea cogatur etiam alteri minoris vendere, tenebitur ei Princeps damnum, quod patitur, refundere, si verò Princeps non esset causa injusta, quòd chyrographum viliùs vendatur, per se loquendo emere posset, dummodo absit scandalum & injustitia mentalis, *Lug. n. 107.*

8. 2. Potest res sine injustitia vendi summo, medio & infimo pretio, si hi fines excedantur, est obligatio restituendi excessum, quia non servatur æqualitas; Excipe, nisi sint alii tituli, de quibus emptorem moneas, ut damnum emergens, lucrum cessans, molestiæ, & expensæ in tradenda re, aut habendo pretio, item si res sint novæ, raræ, singulares, v. g. flores Indici, aves, feræ, gemmæ, picturæ, & similia; quæ nec à foro, nec à Principe æstimationem habent, posse quocunque pretio vendi, docent *Bannes, Valent. Rodriq. Spor. n. 25.* Ratio est, quia cùm res illæ non sint in commercio humano, nec taxam habeant, non videtur venditor teneri, illas alienare, nisi solvatur, quod petitur; deinde nulli fit injuria; nam emptor liberè emit rem non necessariam, ideóque censetur, excessum pretii donare; probabiliùs tamen est oppositum, quia quamvis hæ res non habeant pretium à communi & rudi plebe, recipiunt tamen pretium & æstimationem à prudentibus & intelligentibus, & secundùm hanc, non autem juxtà vendentis avaritiam taxati, vendique debent, neque emens pretium excessivum dat planè liberè, sed ex errore, seu ignorantia. *Lug. n. 47. Castropalao, Mezg. n. 7. Salmantic. c. 2. p. 9. Reiffenst. n. 127. La Croix l. 3. p. 2. n. 941. Dices:* Ergo injusti sunt, qui specula, acus, cultellos & similes reculas, apud nos vilissimas, Indis, Æthiopibus, Japonibus erga aurum & gemmas vendunt, vel permutant. R. N. seq. nam in illis regionibus raritas, ideòque communis æstimatio vulgare pretium tribuit.

9. 3. Si scias in alieno fundo latere thesaurum, aut etiam venam auri, vel argenti, potes fundum emere pretio ordinario, nec teneris thesaurum,

saurum, vel auri venam vendenti revelare, *S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. Sotus l. 6. de just. q. 3. a. 3. Nav. c. 17. n. 175. Molin. d. 56. Less. Laym. l. 3. t. 1. c. 5. n. 53. Valent. Salon. Less. c. 5. dub. 15.* quod *Lugo d. 6. n. 129.* extendit ad eum, qui communi pretio emit rem mobilem, v. g. concham, in qua est gemma, saccum hosti ereptum, in quo latet pecunia. Item Medicus justè emit vili pretio fasciculum herbarum, in quo scit latere herbam valdè pretiosam; item pictor picturam, in qua scit latere artem plerisque incognitam; item exiguo pretio licitè emo equum morbidum, quem ex arte mihi fortè soli, vel paucis cognitâ curare novi. Ratio horum omnium est, quòd in justa emptione non debeat attendi qualiscunque valor etiam absconditus rei, sed valor, quem res habet ad communem usum, & in communi hominum æstimatione; sed antequam sciatur in agro latere thesaurum, aut venam auri, in sacculo lanæ pecuniam, in fasciculo herbam pretiosam, in pictura artificium, in equo curabilitatem, communi usu & judicio tantùm æstimantur pretio & valore ordinario, ergo. Nec obstat, quòd vena metalli videatur pars agri, herba pars fasciculi, artificium pars intrinseca picturæ, &c. reddens agrum, fasciculum, aut picturam intrinsecè pretiosiorem; nam quamdiu hæc pretiositas communiter nescitur, non crescit communis valor & æstimatio agri, fasciculi, vel picturæ; venditio autem fieri debet juxta valorem & æstimationem communem hominum; hinc si tu vel etiam emptor rei suæ nimiùm afficiatur, eâ indigeat, vel tu eam cariùs emisti, quàm reliqui mercatores, non poteris obinde cariùs eam vendere, quia res non valet tanti, quanti tu eam emisti, quanti tu vel alius eam æstimat, sed quanti æstimatur communiter, *S. Th. l. c.*

9. 4. Res sponte oblatæ viliùs emi possunt, imò juxta *Lug. n. 45. Cajet. Spor. n. 22.* ad tertiam partem, juxta *Rebell.* & alios apud *Dian. p. 1. t. 8. q. 78.* ad dimidium vilescunt, quod tunc verum est, quando adest alia circumstantia, vi cujus vilescant, v. g. abundantia mercium, raritas emptorum, aut si merx emptori sit parum utilis, vel onerosa, & tamen ematur in gratiam venditoris; secùs si nulla harum circumstantiarum adsit; sicut enim ex hoc præcisè, quòd alter indigeat tuo tritico, rogétque te, ut vendas, non licet ei vendere suprà summum pretium, ut cum *D. Th. a. 1. Scoto in 4. dis. 15. n. 2. Nav. Less. Laym.* docet communis & certa, ita etiam ex solo hoc capite, quòd quis in necessitate forsan constitutus rem suam emendam alteri offerat, minoris emi nequit, *Molin. Lug. n. 91. Reiffenst. n. 167. Leur. q. 282. n. 4.* quia tamen plerumque una ex recensitis circumstantiis adest, invaluit tritum illud: *Merces ultroneæ vilescunt.* Res, quæ sub hasta venduntur, seu foro scrutario, admittunt pretium, quodcunque sine fraude extorqueri potest; unde augetur quan-

quandoque supra summum, quandoque vilescit infrà dimidium; neque per hoc committitur injustitia, quia sic longo usu, & communi consensu præscriptum est, *Laym. Dian. Spor. n. 23.* Quali pretio chyrographa ab ipso debitore, vel aliis emi possint, dixi *à n. 6. & Cas. præc. n. 25.* An res ob differendam solutionem supra justum pretium vendi possit, dixi *Cas. præc. n. 8.* Item an viliùs emi ob anticipatam solutionem, *ibid. n. 23.*

10. 5. Venditor debet tradere rem tempore & loco in contractu im- vel explicitè expresso, idque ab omni vitio liberam. Si tradat rem alienam etiam bonâ fide, debet stare de evictione, id est, servare emptorem in omnibus indemnem; idem est de emptore respectu pretii. Si tradatur ementi res vitiosa, debet ei fieri satisfactio, quanti scilicet interfuisset, rem non fuisse vitiosam. Si quis sit deceptus ultrà dimidium, datur etiam actio in foro externo contra lædentem, ut vel rescindatur contractus, vel reducatur ad æqualitatem; quòd si vitium rei sit manifestum, & omnium oculis obvium, ut si equus careat uno oculo, non est obligatio defectum manifestandi, debet tamen propterea equus minoris vendi; si verò vitium rei sit occultum, aut emptor ex naturali stupiditate illud advertere non possit, manifestari debet; quod à fortiori tenet, si res non tantùm sit vitiosa, sed etiam damnosa, ut si vendantur oves morbidæ, domus ruinosa, medicina noxia, &c. aliàs venditor non tantùm debet satisfacere pro vitio rei, sed & pro omni damno inde secuto, *Nav. Salon. Leuren. q. 290.* Si res non obstante vitio ementi æquè esset utilis & commoda ad finem ab emente intentum, ac propter hujusmodi vitium subtraheretur, quantum oporteret de pretio, non esset obligatio vitium manifestandi, quia nullum damnum fieret emptori, *S. Thom. q. 77. a. 3. Laym. n. 19.*

6. Si res duobus est vendita, & 11.
prior habet pactum cum venditore de re alteri non vendenda, aut primus solvit pretium, tunc secundus non acquirit dominium, etsi rem habeat; quòd si prior nondum exsolverit pretium, nec res eidem sit tradita, tradatur autem secundo, secundus acquiret dominium, & primus tantùm habet actionem personalem contra venditorem, ut satisfaciat pro damnis ob rem non traditam illatis; excipe, nisi res primò vendita fuerit Ecclesiæ, vel Magistratui, tunc, quamvis ex pòst vendatur, vel tradatur alteri, hic non acquirit dominium, quia Ecclesiæ, & Magistratus habent privilegium, ut ex nuda emptione, donato, legato, sine traditione acquirunt dominium, *l. ult. de sacros. Eccl.* imò si secundus emptor fraudulenter egerit conscius primæ venditionis, res à primo venditore intra annum, si adhuc existat, evinci poterit, *l. 1. & seqq. ff. quæ in fraudem, Covar. Castropalao, Laym. l. c. Leuren. q. 298.*

7. De emptione rei furtivæ, vel 12.
alienæ, multa dixi de restitut. quibus hæc pauca adde: 1. Si emisti sive bonâ sive malâ fide rem alienam, item si ven-

si vendis rem tuam erga pecuniam alienam à fure non mixtam pecuniæ suæ, in neutro casu fis dominus rei, vel pecuniæ alienæ, quia res clamat suum dominum. 2. Si bonâ, vel malâ fide vendas equum alienum, fis dominus pretii, etsi emens bonâ fide non fiat dominus equi; item fur alienâ pecuniâ emens merces, v. g. panem, vinum, &c. fit dominus mercium, vendens tamen non fit dominus pretii, seu pecuniæ alienæ, sed debetur ei evictio, seu indemnisatio, *Molin. Spor. Laym. hic n. 21.* ubi id probat ex *l. si vias 48. §. ult. ff. de furtis*, aliisque juribus. *Dices:* In tali casu est error in substantia, vendens enim non vult tradere dominium mercis, nisi emens tradat dominium pretii; sed non potest tradere dominium pretii alieni: ergo nec vendens intendit tradere dominium mercis; nec hîc quidquam operatur jus positivum, quia nequit suppliere consensum in substantiam, qui de jure naturæ requiritur ad valorem contractus, idque videtur clarè asserere *La Croix l. 6. p. 2. n. 694.* quamvis *n. 691.* teneat cum Laym. R. Dominium non transferri ex vi contractus, qui est, & manet simpliciter nullus, sed ex vi Legum, cum obligatione tamen satisfaciendi parti læsæ. 3. Si emas malâ fide à venditore bonæ fidei, non fis dominus rei, venditor tamen dominus pretii, quia voluntariè transfers dominium in venditorem, ut quomodocunque habeas rem, quam sciebas esse alienam, venditor autem rei alienæ dominium tradere non potuit, quia non habebat. 4. Si uterque est in mala fide, contractus ex utraque parte est nullus, & reddi debet res domino, & pretium emptori; si emptor rem consumpsit, uterque in defectu alterius obligatur in solidum, priùs tamen emptor, qui rem consumpsit, quia magis nocuit.

8. Quamvis homo rudis nesciat pretium alicujus rei, v. g. gemmæ vel horologii, non tamen licet ea emere infra valorem, quem habent in æstimatione communi, juxta hanc enim, & non juxta ignorantiam vendentis taxandus est rei valor. 13.

9. Bona fidelium in bello injusto à pyratis capta licitè emuntur, & in usus proprios convertuntur, ut habent Decreta S. Congreg. ab Urb. VIII. approbata; Ratio est dominorum præsumpta voluntas, qui res suas, quas recipiendi spem non habent, malunt esse in manibus fidelium, quàm infidelium; quod maximè verum est, si emantur animo dominis restituendi erga refusionem expositi pretii. 14.

10. Si bona Ecclesiarum immobilia ab Hæreticis occupata à propriis dominis recuperari non possint, eò quòd v. g. sita sint in territorio Principis Acatholici, licitè emuntur à Catholico ob consensum Papæ, & dominorum prudenter præsumptam, si bona sint mobilia, v. g. paramenta, cruces, calices, aut etiam immobilia, quibus spes est redeundi ad dominos suos, emi debent cum animo restituendi ea domino erga refusum pretium. 15.

16. 11. Monopolium *Græcè*, Latinè unius emptio dicitur, cùm unus vel pauci sibi solis arrogant jus vendendi certas merces, ità ut omnes alii ab ipsis pretio, quo ipsi voluerint, emere cogantur, idque fieri potest vel authoritate publicâ ex causa boni communis, & tunc certum est, hujusmodi monopolia licere; ut si à Magistratu uni soli concedatur venditio vini, impressio libri, &c. servato tamen justo pretio, *Spor. n. 103. Mezg. hic a. 3.* Vel authoritate privatâ, cùm unus vel alter vili pretio comparant omnes merces, ut posteà vendant summo pretio, & hoc monopolium licere, dummodo non utantur vi vel dolo, neque sint causa, quòd crescat taxa ultrà summum pretium justum, quod res habebant antè monopolium, probabiliter docent *Molin. Lug. n. 170.* quia ita videtur feciſſe Joseph, Prorex Ægypti; & talis utitur jure suo, nec impedit, quò minùs etiam alii sibi maturè providere potuerint; communissima tamen sententia docet, hoc monopolium ad minus esse contra charitatem; imò juxtà *Rebell. Sotum, Nav. Valent. Sylv. Laym. Spor. l. cit.* contra justitiam & bonum commune cum obligatione restiturionis, quia sunt causa, quòd pretia rerum augeantur in damnum reipublicæ, & inopiam civium, qui merces coguntur cariùs emere, idque à potiori tenet, si plures conveniant de mercibus non coëmendis, & non vendendis, nisi determinato pretio, ideòque id meritò sub confiscatione bonorum prohibuit Jus Cæsareum, *L. unic. c. de monop.* Nec obstat exemplum Josephi, quia ejus emptio non fuit causa, quòd pretium frumenti creverit, sed subsecuta sterilitas.

12. Qui fraude alium inducit ad 17.
rem cariùs emendam, v. g. spargit falsum belli rumorem, vel navium submersionem, tenetur ad restitutionem damni, quod *Lugo* extendit ad mercatores, qui non sunt causa vel conscii facti rumoris. Rationem dat, quia quamvis ob talem rumorem judicio communi merces pluris æstimentur, tamen talis æstimatio Reipub. non est voluntaria, sed per dolum extorta. Qui ut alliciant emptores, mentiuntur, vel etiam falsò jurant, se easdem merces minoris vendere non posse, sibi ipsis pluris constare, communiter ab onere restitutionis excusantur, dummodò maneant intra fines justi pretii. Ratio est, quòd ementes sciant, talia communiter falsò dici, ideòque imputent sibi, quòd credant.

13. Quæstores, Secretarii & Mi- 18.
nistri Principum vel mercatorum, si se difficiles exhibeant in solvendis dominorum suorum debitis, ut sic alliciant ad danda munera, aut ad vendenda sibi, vel aliis debita vili pretio, sunt causa injusta talis donationis & damni, tenentúrque ad restitutionem, &c. Sed quid si quæstor Regis non possit solvere omnibus creditoribus, sed tantùm aliquibus, an poterit aliquid accipere à Cajo, ut huic potiùs solvat, quàm alteri? R. Negativè; si enim aliquid ac-

acceptet, non solvit totam summam debitam, quam ex officio solvere tenetur, nec Cajus dat liberè, sed metu non accipiendi debiti. Si tamen post solutionem daretur aliquid planè liberè in gratiarum actionem, hoc acceptari posset.

Dices 1. Qui potest eligere ad officium hunc vel illum, potest aliquid accipere, ut inter æquè dignos eligat hunc præ illo, uti dixi *Casu 28. n. 5.* quia neuter habet jus, ut eligatur præ alio, & præeligi est pretio æstimabile; atqui unus creditor etiam non habet jus, ut præferatur alteri in solutione, ut supp. & præferri est utile & pretio æstimabile: ergo. R. N. C. Dispar. est: quòd neuter habeat jus strictum ad officium, quilibet autem habet jus ad recipiendum debitum totum; si ergo aliquid det, ut recipiat debitum, non recipiat totam summam ex justitia debitam.

Dices 2. Tertius potest aliquid exigere, ut Quæstorem permoveat ad potiùs mihi, quàm alteri solvendum, ergo & ipse Quæstor, dummodo per ipsum non stet, quò minùs possit solvere omnibus. Nec obstat, quòd Quæstor obligetur ex officio solvere creditoribus sui Principalis; nam non obligatur ex officio huic præ illo: ergo potest aliquid accipere, ut hunc alteri præferat. R. Quæstor ex officio quidem non tenetur unum alteri præferre, tenetur tamen cuilibet solvere totam sum̃am, quod non facit, si aliquid recipiat, hoc autem non tenet in tertio, uti patet.

14. Qui emit etiam ignoranter rem hypothecatam, vel censui obligatam, tenetur censum solvere, quia res transit cum suo onere reali, emptor tamen si bonâ fide processit, potest in conscientia contractum rescindere, vel à venditore petere satisfactionem, in foro externo non rescinditur contractus, nisi mutuo contrahentium consensu, vel si una pars probet, se læsam ultrà dimidium. 19.

15. Qui emit rem immobilem, debet pati, ut consanguinei vendentis rem intrà annum & diem, à die cognitæ alienationis, refuso pretio ac expensis utilibus & necessariis, si velint, retrahant, *Eng. l. 3. t. 17. n. 24. Gail. l. 2. obs. 19. n. 11.* Si eos dolo impediat, v.g. dicendo, se emisse pro se, cùm tamen emerit pro alio, aut se solvisse mille, cùm tantùm solverit sexcentos, tenetur ad omne damnum emergens. 20.

16. Qui falsâ monetâ emit aliquid, sive bonâ, sive malâ fide, tenetur in conscientia aliam monetam substituere, quia est error in substantia ex parte venditoris, qui debet indemnisari; nec obstat, quòd ipse etiam sit deceptus, nam propterea non licet decipere alium innocentem.

17. Clericis in Sacris constitutis & Religiosis omnibus prohibita est negotiatio, *c. 6. ne Clerici vel Monachi*, ita ut graviter peccent, non præcisè si semel, vel iterum lucri causâ aliquid emant, & iterum vendant, hoc enim in odiosis non venit nomine negotiationis, nec est magna irreve- 21.

rentia, præsertim si in occulto,& sine scandalo fiat, sed si notabilem operam negotiationi adhibeant, *Less. Filliut. Diana.* Negotiari autem hîc significat, rem emere eo fine, ut integra, & non immutata cariùs cum lucro vendatur;quænam autem actiones in particulari sint negotiatio Clericis prohibita, difficile est definire; multum hîc valet æstimatio & sensus communis,ex quo una actio vel venditio censetur statum Clericalem graviter dedecere, & non altera. Hinc deducuntur sequentia: 1. In Germania licitum est Monasteriis vendere transeuntibus per famulos panem, vinum, cerevisiam, ex propria lana facere pannum, & vendere. Dico: Ex propria lana; nam id fieri ex lana empta, plerumque judicatur esse negotiatio prohibita, nisi hoc fiat ad honestam sustentationem, vel occupationem, non verò lucri gratiâ; sic enim Monachi leguntur feciſse sportas Corbes, imò & Apostoli scenofactoriam exercuisse. 2. Excusatur Clericus saltem à mortali, qui secluso scandalo per contractum societatis contribuit pecuniam, & mercator suam industriam, ut lucrum resultans dividant, *Lug. n. 24. Laym. n.40. Spor. n.102.* 3. Plures excusant eos, qui emunt pecora, ut pascuis saginata cariùs vendant, quia res non venditur integra, sed immutata, quæ ratio universaliter non tenet, aliàs enim Religiosi & Clerici per modum mercatorum sericum & lanas emere, ac quascunque fabricas & officinas erigere possent ad texendas telas sericas, laneas & similia, quia venderent lanas & sericum immutatum, quod nemo admittit. 4. Excusantur œconomi, qui pro propria œconomia plura vina, frumenta, oleum, &c. emunt, & ex post mutato consilio etiam cum lucro vendunt, dummodò ab initio sincerè emerint non animo revendendi cum lucro, sed ne cogantur ex pòst cariùs emere, *Lug. n. 25.*

# CASUS LVI.

## De Contractu Censûs.

*Joannes varios emit census: 1. Reales, personales, ex una vel utraque parte redimibiles. 2. 3. Res censita sit infructifera, vel perit. 4. Res censita venditur inscio censuistâ, & capitale redditur per partes. 5. Petit annùo septem pro 100. vel quinque assecurato pretio. 6. Etsi pensio à venditore non sit redimibilis. 7. Emit censum antiquum minori pretio. 8. Ex frumentis & pensionibus à censuario debitis novum exigit censum. 9. Censui adjicit pactum assecurationis, pactum commissorium,rescissorium.10. Cedit domum suam Petro,ut hic annùo solvat 100.*

*100.* 11. *A Petro accipit mille eâ conditione, ut ex quolibet 100. solvat annuò decem.* 12. 13. *Sed Petro ante finem anni mortuo nihil solvit hæredibus.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit Census?

1. R. Est contractus, quo quis sibi pro certa pecuniæ summa emit jus ex re, vel persona aliena percipiendi pensionem annuam; jus fundatum in re aliena, v.g. domo vel agro, vocatur census realis, & cum re pereunte regulariter perit; jus fundatum in persona vocatur census personalis, quia immediatè obligat personam; qui vendit censum, & tenetur pensionem solvere, vocatur censuarius; qui emit jus accipiendi pensionem, vocatur censuista, vel censualista; id in quo census fundatur, vocatur res censita. Census dividitur ulteriùs in resignativum, & consignativum. Census resignativus seu reservativus est pactum, quo quis in alium transfert dominium tam directum, quàm utile rei, reservatâ sibi pensione annuâ solvendâ ex re translatâ; consignativus est contractus, quo quis sibi consignat, vel emit jus annuæ pensionis percipiendæ ex re, vel industria aliena. Iterum alius est census pecuniarius, in quo solvitur pensio pecuniaria; alius fructuarius, in quo solvitur pars fructuum. Deniqúe alius census dicitur redimibilis, qui habet adjunctum pactum revenditionis, vi cujus emptor seu censualista redditâ sibi summâ expositâ pro censu tenetur revendere, & cedere juri, quod habet ad pensionem annuam; irredimibilis est, qui non habet adjunctum ejusmodi pactum. In dubio an census sit, vel non sit redimibilis, juxta *Gometz. Cov. l. 3. variár. c. 10. n. 4.* censeri debet irredimibilis; cùm enim constet de venditione, & non de adjuncto tali pacto, factum, seu adjunctio talis pacti non præsumitur. Meliùs dicit Lug. ad circumstantias esse attendendum, v. g. an soleant in tali loco constitui census redimibiles vel irredimibiles, item quo pretio census emptus sit, nam in censu redimibili minus pretium datur; si ex circumstantiis nihil colligi possit, dicit, præsumi irredimibilem. De censu vitalitio, qui propriè census non est, dicam in resolutione Casûs.

QUÆR. II. An & qualis census sit licitus?

R. 1. Certum est, censum realem, 2.
irredimibilem, vel tantùm redimibilem ex parte venditoris esse licitum. Constat ex Extrav. Martini & Calixti III. de empt. & vendit. Ratio est, quia justo pretio emitur jus percipiendi fructus ex alterius re fructifera. *Dices:* In censu perpetuo, pretio finito emitur jus ad pensiones in infinitum, quæ decursu temporis longè superaturæ sunt pretium, ergo est inæqualitas pretium inter & mercem. R. N. C. nam periculum amittendi censum aut pensiones etiam est perpetuum, uti & carentia pretii, ex qua etiam in perpetuum cessat lucrum, vel emergit damnum; sicut ergo pretio finito licitè emo agrum cum jure perpetuo ad ejus fructus, sic & jus ad pensiones in perpetuum.

3. R. 2. Etiam licitus est census realis & personalis ex utraque parte redimibilis, vulgò Germanicus, *Abb. in c. 6. de cens. n. 7. Cov. sup. Salas dub. 3. de cens. Valent. Gabriel, Sotus, Bannes, Salon. Sylv. 2. 2. q. 78. a. 4. Less. l. 2. c. 22. dub. 4. n. 8. Laym. hic c. 18. Sporer t. 6. c. 6. Mezg. tr. 13. d. 43. a. 2. n. 8.* cont. *Nav. Angel. Molin. Lug. d. 27. n. 25.* Ratio est, quòd talis census non sit palliatum mutuum, ut prætendunt Adversi. sed vera emptio & venditio, quâ justo pretio à lege, consuetudine, aut judicio prudentum taxato emitur verum jus ad pensiones annuas, ex re vel persona censita percipiendas; sicut ergo aliæ emptiones, in quibus servatur æqualitas pretium inter & mercem, sunt licitæ cum pacto revenditionis, sic & contractus census. Deinde jus ad pensiones ex re, vel industria personæ alienæ est pretio æstimabile, potéstque gratis donari, legari, &c. ergò & vendi; sicut juxta omnes vendi potest census fructuarius, seu jus percipiendi aliquos fructus ex alieno prædio, cur non jus percipiendi aliquod lucrum ex negotiatione vel industria alterius personæ? Deinde ille census à tota Germania, Belgio, aliisque Provinciis est usu receptus à doctissimis Theologis, & sententiis summorum tribunalium approbatus, & ideo summi Magistratus & Principes censentur ex jure alto pro bono commerciorum & reip. gravare censuarium ad solvendam pensionem, sicut eodem jure in præscriptione transferunt integra rerum dominia. *Haun. tr. 9. n. 421. Metzg. n. 10.* Differt autem contractus censûs à locato, & emphyteusi, quòd in his accipiatur pensio ex re propria, & alteri concessa quoad solum usum, vel dominium utile, hîc ex re aliena; item à mutuo, quòd in eo nulla solvatur pensio. *Dices:* In censu personali redimibili non emitur jus reale, ut in censu fructuario, sed sola persona, quæ capitale levat, tenetur post annum reddere capitale cum 5. in 100. si alter velit; sed hoc est verum mutuum, & palliata usura: ergo. 2. Emuntur pensiones in futurum, quæ cum tempore excedunt ipsam sortem; si ergò sors insuper reperi posset, sæpè triplò plus repeteretur, quàm datum esset, quod est iniquum. 3. Pius V. aliique Pontifices prohibent census personales, & redimibiles. R. *ad* 1. N. Ass. Nam emitur jus ad percipiendum aliquid ex negotiatione, & industria alterius, & illud jus non fundatur immediatè in persona, sed in industria, ideòque si persona nihil ex se, aut ex bonis suis lucrari possit, cessat obligatio solvendi pensionem, nisi hæc fuerit alio contractu assecurata, quod certè non tenet in mutuo. *Ad* 2. Non emuntur ipsæ pensiones, sed jus ad illas, seu potiùs jus ad lucrum, quod homo industrius ex opera sua sperat; jus autem ad pensiones vel lucrum non tanti æstimatur, quanti pensiones actu præsentes, imò quò pensiones sunt in spe remotiores, tantò sunt minus æstimabiles, & plerumque majori periculo expositi. *Ad* 3. Istæ constitutiones, in quantum constringunt jus naturale, in Germania, Gal-

Gallia & Belgio non sunt receptæ, uti ex praxi certum est, *Pyrrh. l. 5. t. 19. n. 84. Platel. Salas, Sylv. Less. l. c. Ilf. t. 4. d. 2. n. 547. Spor. n. 11.* & alii cit. Inst. Jus ad domum vel pecuniam post annum certò tradendam tantum valet, quantum ipsa domus vel pecunia præsens; nam si pecunia præsens melior esset quàm jus ad pecuniam post annum tradendam, posset in mutuo aliquid accipi suprà sortem, ut clarum est ex dictis *Cas. 54. n. 15.* ergò jus ad pensiones tantum valet, quantum ipsæ pensiones, ergo si pensiones cum tempore superent capitale, aliquid accipitur suprà sortem, quod est usurarium. R. Hoc argumentum etiam oppugnare censum realem irredimibilem, in quo pensiones etiam cum tempore superant capitale. R. 2. N.C. In mutuo emitur jus ad similem summam, seu emitur pecunia pro pecunia, in censu emitur partiale jus utile ad fructum ex re, vel lucrum ex industria alterius singulis annis percipiendum; & cùm hoc lucrum possit esse magnum & incertum, commutatur ergà pensionem parvam, & certam, ut in simili explicavi *Casu 54. n. 19.*

QUÆR. III. Quæ conditiones requirantur, ut census sit justus?

4. R. Seq. 1. Ut census realis constituatur in re fructifera, quæ subtractis laboribus & expensis sufficiat ad solvendas pensiones annuas, aut si sit personalis, constituatur in persona, quæ ex sua industria, negotiatione, aut aliis reditibus tantum lucretur, ut censualistæ satisfacere possit. Ratio est, quia aliàs censuarius facit injuriam censualistæ, vendendo ei jus ad pensiones, quas ex re, vel personæ industria percipere non potest; aut si censualista desuper notitiam habeat, erit purum mutuum, & palliata usura; unde in his partibus pro majori cautela constitui solet census mixtus fundatus in persona simul & ejus bonis. 2. Si res censui subjecta pereat culpâ censuarii, tenetur reddere pretium censûs, vel censum in alia re constituere; si verò pereat sine culpa censuarii, aut in perpetuum facta est infructifera ex toto, vel ex parte, etiam census, nisi assecuratus sit, ex toto vel ex parte censualistæ perit. Ratio est, quòd res regulariter pereat suo domino; sed censualista, seu emens censum, est dominus census, seu juris, quod habet ad pensionem annuam: ergo si hoc jus pereunte re censitâ sine culpa censuarii pereat, perit censualistæ. Dixi, aut in perpetuum facta est infrugifera; nam si unâ vel alterâ vice fructus non afferat, & damnum sterilitatis fertilitate alterius anni compensetur, adhuc pensio solvi debet; sic ex agro censito annuò solvi debet pensio, etsi hic tertio vel quarto anno quiescat, nec fructus ferat. 3. Res censita non debet inscio emptore alienari aut transferri in alium, à quo pensio difficulter, aut minùs securè obtineri possit, quia emptor habet jus fundatum in re censita, quod per talem alienationem redditur deterius, aut periculo exponitur. 4. In censu redimibili pretium in una summa 5.

ac-

acceptum non debet reddi per partes, quia recipere pecunias suas membratim, ita ut simul ad alium finem applicari non possint, est onus, in quod non censensit censuista, ideóque ad illud cogi non potest per successivam solutionem. 5. Pretium cen-
6. sûs debet esse justum, hoc est, non exorbitans à lege, consuetudine vel judicio prudentum. Et quidem Carolus V. pro Imperio Romano in Comitiis Augustanis anno 1545. pro censu perpetuo ex parte solius venditoris redimibili constituit 5. per 100. quod pretium ex receptissima consuetudine etiam nunc justum censetur pro censu reali & personali utrimque redimibili, etiam per venditorem assecurato, *Tamb. Nav. Mezg. l. c. Spor. n. 29.* Si in contractu societatis ob spem majoris lucri, sed incerti, omnium consensu assecurari possint quinque in centum, cur
7. non in contractu censûs? 6. Si pactum assecurationis vel aliud gravamen non imponatur venditori, & census ad ejus libitum sit redimibilis, justè minori pretio emi, seu quod idem est, major pensio constitui potest, v. g. sex, aut etiam plures in centum. In censu non redimibili ex communi praxi duplò majus pretium dari solet, vel duplò minor pensio constitui, quàm in redimibili, *Lug. n. 138. Spor. sup. La Croix l. 3. p. 2. n. 1012.* Ratio est, quòd sit magnum onus vendenti non posse pensionem redimere: ergo obinde pretium meritò augetur, vel pensio minuitur.

Sed quæres: An census antece- 8.
denter constitutus ex post minori pretio emi possit, quàm emptus fuerit ab initio, v. g. Cajus pro 500. aureis ab initio emit pensionem annuam 25. aureorum, si Cajus indigens numeratâ pecuniâ offerat mihi jus suum, an justè illud emo pro 450. R. Id seclusâ lege specialiter non prohibente non esse illicitum, quia pretia rerum non consistunt in indivisibili, sed admittunt majus & minus, & res ultrò oblatæ vilescunt, quod *Tamb. Dian. p. 2. t. 8. R. 36.* etiam extendit ad casum, quo pretia census à Principe, vel Magistratu sunt taxata; nam taxa hæc tantùm intelligitur de prima constitutione censûs, non autem, quando jam constitutus venditur, idque dicunt ubique ferè in praxi esse receptum. *Dices:* Debitum liquidum, seclusò periculo damni, aut lucro cessante, non potest viliùs emi, atqui obligatio censûs est debitum liquidum: ergo. Maj. patet ex dictis *Casu 54. n. 26.* quia jus ad pecuniam liquidò solvendam seclusò damno, aliisque periculis non minus valet, quàm ipsa pecunia præsens, aliàs in mutuo, ubi erga pecuniam præsentem datur solùm jus ad pecuniam in futuro solvendam, possem aliquid exigere ultrà sortem. R. Census est debitum liquidum ad solvendam pecuniam pro pecunia, ut fit in mutuo, N. est debitum ad solvendas pensiones annuas, C. jus autem ad pensiones annuas potest per modum mercis exponi venale, & tunc per accidens recipit aliam

æsti-

æstimationem, admittitque pretium majus & minus, ut habet communis cum *Less. c. 22. n. 27. Dian. l. c. La Croix n. 1013.* His præmissis

*Ad Casum* 8. 1. Qualiter constitui, & quo pretio emi possit census redimibilis aut irredimibilis, realis & personalis, constat ex *Q. 2. & 3.*

9. 2. Ex frumentis à censuario liquido debitis, si erga pecuniam taxentur, secluso dolo aut speciali prohibitione licitè census emi potest; imò si Petrus Joanni 100. debeat ex capitali, & tantumdem ex pensionibus non solutis, spectato jure naturæ possent Petrus & Joannes convenire, ut pensiones debitæ annumerentur capitali, ita ut Petrus loco quinque jam debeat solvere decem, *Nav. Salon. cont. 8. Salas dub. 7. de cens. Less. dub. 12.* Ratio est, quia pecuniæ, quas alter mihi nunc debet extradere, æquè multum valent, quàm si modò essent extraditæ; sicut ergo possum à meo debitore novum censum emere, si mihi 100. ex pensionibus extradidisset, sic etiamsi 100. non extradiderit, dummodo in præsenti debeat; deinde pro pecunia debita possum à debitore emere merces, cur non & novum censum? Dixi, spectato jure naturæ; nam in foro externo ordinariè præsumeretur fraus vel usura; unde & Pius V. id absolutè prohibuit, quæ prohibitio servanda, ubi est recepta. An verò emi possit census cum onere, ut redimi non possit nisi in eadem moneta, cujus valorem cum tempore scio augendum, dixi sup.

3. Contractui censûs licitè apponi possunt alia pacta, ut *primò* pactum assecurationis, vi cujus venditor census sumit in se periculum rei censitæ, ita ut si res censita etiam sine sua culpa pereat, nihilominùs teneatur solvere pensionem. *Secundò*, licitè adjicitur pactum commissorium, ut si intra certos annos censuarius suâ culpâ pensionem non solvat, res censui subjecta cadat in commissum; hoc est, fiat illius, qui emit censum; debet tamen pœna proportionari culpæ, ita ut pro parva pensione non soluta res magni valoris in commissum non cadat, debet tamen propter pactum assecurationis, & commissorium, cùm cedant in gravamen vendentis, pretium augeri, vel pensio minui, aliàs non esset æqualitas. *Tertiò*, addi potest pactum rescissorium, vi cujus venditor teneatur emptori rescisso contractu reddere pretium, si pensionem intra certos annos non solvat; item potest venditor obligari, ut, si velit redimere censum, emptorem prævie moneat, aut censum redimat in eadem moneta, quæ data fuit, etiamsi ejus valor crescat, vel decrescat, nec propterea opus est augere pretium, dummodò æquale sit periculum in- & decrementi, quia tunc accedit novus contractus sortis, in quo utrimque est æqualis spes lucri & damni. 10.

4. Si Joannes Paulo cedat domum tantùm quoad dominium utile erga 100. Imper. ad certum tempus annuò solvendos, videtur iniisse contractum 11.

locationis, & tenetur Paulus post mortem Joannis ejus hæredibus restituere domum, & pretium locationis pro rata temporis, ut clarum est; si verò cessit dominium domus directum & utile cum obligatione ex ea ad dies vitæ annuò percipiendi 100. est census ex parte resignativus, ex parte vitalitius.

12. 5. Census vitalitius est contractus, quo quis dat certam pecuniæ summam, v.g. mille Imperiales, vel etiam rem, v.g. domum valentem mille, eâ conditione, ut quamdiu vixerit, ex quolibet 100. accipiat 10. itaque ex mille accipiat annuò 100. sic tamen ut censuistâ moriente ipsum capitale simul emoriatur, in quo census vitalitius præcipuè distinguitur ab aliis censibus. Hic contractus est justus & licitus, ut habet communis cum *D. Th. opusc. 72. c. 9.* quia non est propriè census, in quo ematur jus recipiendi aliquid ex re aliena, sed potiùs est contractus sortis, vel sponsionis, in quo uterque contrahens exponit se æquali periculo lucri & damni ob incertitudinem mortis; quò tamen mors censualistæ judicio prudentum, consideratâ scilicet ætate, complexione, modo vivendi, aliisque circumstantiis, videtur esse propior, eò pensio annua debet esse major; econtrà quò vita præsumitur futura longior, eò pensio debet esse minor, quia aliàs non esset æquale periculum perdendi, & lucrandi. Si censualista vitalitius ante elapsum annum moriatur, pensio pro rata temporis probabiliùs debetur hæredibus, ut si vixit tantùm novem menses, debeatur portio respondens novem mensibus. Ratio est, quòd quamvis census vitalitius sit personalis, cessétque moriente censualista, quia tamen pensio vitalitia assignata est pensionario in alimentationem, ideo quamdiu vivit, sicut ei debetur alimentatio ex illa pensione, sic & ipsa pensio, ut patet à pari in pensione, quæ Clerico in sustentationem assignatur, quæ ex communissima debetur Clerico pro rata temporis, quo vixit, etsi terminus solutioni constitutus nondum advenerit, *Garc. p. 2. c. 1. n. 120.* Deinde si censuista ordinarius moriatur intra annum, debetur ejus hæredibus pensio pro rata temporis elapsi: ergo etiam si moriatur censuista vitalitius, *Castrop. Haun. apud La Croix n. 1023.* 13.

CASUS

# CASUS LVII.

## De Cambio, Locato & Conducto.

*Kradus varia init cambia:* 1. *Manuale.* 2. *Litterale.* 3. *Reale.* 4. *Siccum.* 5. *Francofurtense.* 6. *Ex cambio aliquid accipit, etsi pecuniæ ejus sint otiosæ.* 7. *Aliquando plus, aliquando minus exigit, & contra prohibitionem Principis cambsatur.* 8. *Ejus famuli pecunias pro domino receptas, vel aliis solvendas permutant, iisdem cambsantur.* 9. *Domus, agros elocat.* 10. *Sed expensas rei locatæ ferre renuit, nec tempore sterilitatis de pachta aliquid remittit.* 11. 12. 13. *Conductorem ante tempus ejicit, operam suam pluribus locat.* 14. *Famulis, quia ante tempus servitium suum deseruerunt, vel ab ipso dimissi sunt, nihil solvit.* 15. *Vel saltem subtrahit tempus absentiæ & ægritudinis, & tempus, quo ipse eis operas assignare noluit, vel non potuit.* 16. *Locationes sui antecessoris retractat.* 17. 18. 19. *Et pretium ob rei locatæ melioratione auget.* Pro Resol.

QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit cambium?

1. R. 1. Cambium est permutatio pecuniæ cum lucro illius, qui in gratiam alterius pecuniam permutat; qui petit cambium, vocatur cambiarius, qui dat, vocatur cambsor; hic contractus perficitur mutuâ pecuniæ traditione; distinguitur præcipuè à mutuo, quòd in mutuo detur pecunia præsens pro futura; & quia pecunia futura, si absit omne periculum, damnum, lucrum cessans, aut alius titulus, non minus valet quàm præsens, ideò in mutuo nihil suprà summam mutuatam peti potest; in cambio autem datur pecunia vel præsens pro præsenti, sed in alia specie, vel datur in alio loco, & propterea lucrum licitè accipi potest, uti jam dicetur.

R. 2. Cambium præcipuè est quadruplex: Cambium manuale, cambium per litteras, cambium reale, cambium siccum, vel fictum. 1. Cambium manuale, quod etiam minutum dicitur, est, quando in præsenti de manu ad manum pecunia permutatur, v. g. major pro minori, argentea pro aurea, nova pro antiqua, patria pro peregrina, &c. Hoc cambium est licitum, dummodo servetur justum cambii pretium à lege, vel communi prudentum æstimatione taxatum; ratio est, quòd industria, quam habet cambsor in habenda, & numeranda omnis generis pecunia, sit pretio æstimabilis, & cambsario utilis; item una pecunia est magis commoda ad hunc vel illum locum, ad has, vel illas merces, faciliúsque huc & illuc transferri potest: ergo pro hoc justè aliquid exigi potest. 2.

3. 2. Cambium per litteras, seu ad locum pariter licitum est, cùm scilicet cambsor hîc Coloniæ accipit pecuniam, quam per suum correspondentem obligatur solvere v. g. Romæ erga certum lucrum. Ratio est, quòd hoc casu cambsor pecuniam cambsarii suo periculo & industriâ virtualiter transferat Romam, hoc autem est utile, & pretio æstimabile, sicut si operam suam locaret ad deferendam pecuniam Caji suo periculo personaliter Romam, posset exigere pretium operæ & periculo æquipollens, sic & nunc pretium æquivalens virtuali translationi, quod tamen semper minus esse debet, quàm si realiter
4. transferretur. 3. Justum pariter est cambium reale, quo cambsor in loco, ubi est, v. g. Coloniæ, dat pecuniam cambsario refundendam alibi, v. g. Romæ, ubi cambsarius pecunias habet, pro nunc autem hîc indiget Coloniæ. Ratio est, quia tunc cambsor tantundem facit, ac si pecuniam Caji Româ transferret Coloniam, eique præsentem sisteret, quod certè est pretio dignum. 4. Cambium siccum,
5. seu fictum est, quando fingitur aliquid ultrà sortem accipi ratione cambii, & reverà accipitur ex puro mutuo, adeóque est usura; ut si indigeas pecuniâ Coloniæ, & cambsor non velit eam dare nisi Francofurti, ubi scit, te non habere nummos, neque correspondentem, ut sic cogaris dare pretium cambii pro tali loco. Ejusmodi cambium videtur esse, quod vocatur Placentinum, vel Vesuntinum, ita dictum ab urbibus, in quibus primò practicari cœpit; fit autem hoc modo: Titius Vesuntii à cambsore accipit 100. cum obligatione reddendi 110. Coloniæ, ubi Titius nec pecuniam, nec respondentem habet; petit igitur, ut cambsor agat cum suo Factore, quem habet Coloniæ, ut debitum Titii in se suscipiat, sibique per novas cambiales injungat solvere nomine suo cambsori Coloniæ 120. quod vocatur cambium cum recambio, quam praxin tanquam scandalosam, & charitati manifestè repugnantem damnant Pius IV. apud *Cherub.* & Pius V. apud *Nav. c. 17. n. 200.* Ratio est, quòd sine justo titulo bis à Titio exigatur pretium cambii; titulus enim, qui prætenditur, est virtualis translatio pecuniæ, sed hîc pecunia Titii Coloniâ virtualiter non transfertur Vesuntium, quia Titius ibidem nullam pecuniam nec correspondentem habet, nec ibi pecuniâ indiget, ut supponitur: ergo.
5. Cambium Francofurtense exer- 6.
cetur in hunc modum: Cambsario exigenti cambium ad nundinas Francofurt. cambsor prior numerat pecuniam, v. g. Coloniæ, eâ lege, ut cambsarius suis sumptibus eandem in nundinis Francofurtensibus rependat cum auctario, & quidem eò majore, quò longiùs absunt nundinæ; hoc cambium, si non adsint alii tituli extrinseci, v. g. lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis, *Suar. Lug. Platel.* aliique vocant usurarium. Rationem dant 1. quia hîc non est virtualis trajectio pecuniæ, aut locatio operæ ad translationem,

nem, quia cambsarius ipsemet eam Francofurtum transfert. 2. Si non adsit titulus extrinsecus, videtur aliquid accipi purè ratione dilatæ solutionis, vel distantiæ temporis; quò enim plus distant nundinæ, eò plus accipitur: sed accipere aliquid ratione dilatæ solutionis est usurarium, ut patet ex *c. consulit, c. in civitate de usuris:* ergo. Econtrà *Molin. Less. Laym. hîc n. 9.* & alii apud *Castrop. d. 7. p. 7. n. 3.* probabiliùs docent, cambium Francofurtense esse justum, nec continere usuram, quia pecunia ante nundinas plus valet, quàm tempore nundinarum; nam ubi est major pecuniæ inopia, & lucrandi opportunitas, ubi pecunia pluris æstimatur, atque quò magis distant nundinæ, eò major est inopia pecuniæ, majórque opportunitas lucrandi; in nundinis enim est abundantia pecuniarum, ideóque tunc minus valent, quàm tribus mensibus antecedenter; nam pecuniæ se hîc habent velut merces, quæ, cùm abundantes sunt, & paucos habent emptores, vilescunt; sicut ergo sine usura possum mutuò dare, & repetere pecuniam secundùm valorem, quem nunc habet, quamvis sciam post tres menses, quando pecunia est reddenda, valorem esse diminuendum; cùm ille valor, quem pecunia pro nunc habet, sit meus; sic & in cambio Francofurtensi possum petere valorem pecuniæ traditæ, quem habet pro nunc, quamvis ex pòst sit diminuendus, ita ut tempore nundinarum 103. fortè plus non valeant, quàm ante tres menses 100. Unde patet, in cambio Francofurt. non accipi aliquid ratione virtualis translationis pecuniæ, aut ratione dilatæ solutionis, sed propter majorem pecuniæ valorem, quem habet communi æstimatione ante nundinas, qui titulus justus est. Et benè monet Laym. quòd cambia inter mercatores recepta etsi sæpè dissuaderi, non tamen facilè damnari debeant injustitiæ.

QUÆR. II. Quid ampliùs notandum sit circa cambium?

R. seq. 1. Justitiæ cambii non obstat, quòd cambsoris pecuniæ, quas 7.
ad tuam petitionem tibi hîc Coloniæ solvit, ipsi fortè sint otiosæ, ècontrà Romæ, ubi tu ei solvere debes, valde iis indigeat, ideòque quasi duplum, vel triplum lucrum reportet; nam hoc est per accidens, spectatque ad bonam ejus fortunam; sufficit namque, quòd tibi præstet obsequium pretio æstimabile; sic si quis petat à te, ut ejus equum erga pretium reducas Coloniam, potes acceptare pretium, quamvis tu ob propria negotia aliàs debuisses equum propriis expensis conducere. 2. Pre- 8.
tium cambii debet esse justum attentis circumstantiis; nam in cambio minuto, quò pecunia est melior, utilior, & comparatu difficilior, eò majus potest esse pretium; in cambio locali & reali, quò major est loci distantia, translatio periculosior, pecunia rarior, &c. eò majus lucrum peti potest. Si justum servetur pretium, non videtur esse mortale contra prohibitionem Magistratûs cambsare, nisi id cedat in damnum notabile Communi-

tatis, ut si bonæ pecuniæ exportarentur extra patriam, viliores verò importarentur; tunc enim facilè fiet mortale, aliàs ad summum venialis inobedientia, *Spor. hîc à n. 43.* 3. Quæ-
9. stores Principum, famuli, aut Officiales, si pecuniis domini ludant, cambiant, aut aliter negotiando aliquid lucrentur, fiunt domini istius lucri, quia hic fructus est industrialis, nec peccant contra justitiam, si dominus rationabiliter creditur esse contentus, & creditoribus domini, quibus retentis vel permutatis melioribus viliores species pecuniarum solvunt, meliores non debeantur, nec dominus ob viliores species cogatur merces cariùs solvere, uti sæpè contingit; aut dominus velit creditoribus certas species solvi; tunc enim creditores habent jus ad eas, nec potest præsumi consensus domini, aut creditorum. Item si servus pro domino suo pecunias recipiens, eas permutet in viliores, domino injuriam facit; quamprimùm enim eas acceptârat, erant domini: ergo eo invito in monetam viliorem commutari non poterant. *V. Lug. d. 28. à n. 24.*

QUÆR. III. Quid circa locatum, ejúsque obligationes?

10. R. 1. Locatum est contractus, quo alicujus rei vel personæ usus aut fructus ad tempus conceditur. Dixi, quo alicujus rei vel personæ, quia non tantùm res immobiles, ut agri, vineæ, domus, &c. sed etiam mobiles, ut equi, vaccæ, &c. imò opera & industriæ personarum erga pretium elocari possunt; qui concedit fructum vel usum rei, vocatur elocator, qui accipit, vocatur conductor. *Covar. Gomez. Reiffenst. Leuren. l. 3. q. 334.*

R. 2. Obligationes elocatoris sunt 11.
sequentes: 1. Debet aperire vitia nociva rei, quæ ejus usum aut fructum impediunt, ut si ager ex natura sua sit sterilis, domus sit ruinosa, peste infecta, aut spectris horrida, pascua ferat herbas nocivas, &c. aliàs debet conductori stare de damno; hinc si equum sese in aquam mittere solitum locavit, tenetur merces exinde vitiatas resarcire, si conductorem non monuit; si tamen ipse vitium ignoraverit, tantùm tenetur reddere pretium elocationis, si alter re locatâ utiliter uti non potuit, non verò ad alia damna, *l. 19. ff. de locato & cond. Molin. Bonac. apud Reiffenst. l. 3. Decret. t. 18. n. 36.* 2. Tenetur ad expensas pro reparatione & conservatione rei, item ad onera rei imposita, ut vectigalia, contributiones, census, &c. possunt tamen per speciale pactum imponi conductori, sed tunc pensiones annuæ proportionaliter minui debent. 3. Periculum rei incumbit locatori, tanquam ejus domino, si pereat sine culpa conductoris, qui si sit in mora rem tradendi, vel ad alium usum adhibeat, quàm concessa est, conductori perit. 4. Si ob sterilitatem, incursum hostium, vel grandinem, inun- 12.
dationem, &c. conductor citra suam culpam nullos vel exiguos fructus ex re conducta percipiat, debet locator pachtam vel pretium locationis ex toto vel ex parte remittere, juxta consuetudinem patriæ ad arbitrium pruden-

dentum, ut ex jure probat *Abb. Leſſ. l.2.c.24.n.15. Pyrr. l.3.t.18.n.4.* niſi aliter ſit conventum, aut ſterilitas ſit exigua, vel compenſetur fertilitate anni alterius. 5. Non poteſt conductorem invitum privare re locatâ ante terminum præfinitum, niſi in his caſibus: 1. Si in re malè verſetur, v. g. non colendo agrum, arbores cædendo, &c. aut in domo detineat homines malæ famæ cum ſcandalo publico; tunc enim ante terminum elocationis ejici poſſet, & nihilominus penſionem ſolvere tenebitur uſque ad terminum elocationis, ſi locator alium conductorem habere non poſſet, quia hoc damnum tunc oritur ex culpa conductoris. 2. Si per biennium penſiones non ſolvat. 3. Si ipſe elocator ex improviſo re pro ſe, vel proximè conjunctis æqualiter vel magis indigeat. 4. Si res v. g. domus debeat reparari neceſſariò, & id altero inhabitante fieri non poſſet. Ita *cit. Jur. Pyrrh. à n. 12. Reiffenſt. à n. 57.*

13. R. 3. Obligationes conductoris ſunt: 1. Solvere penſionem, vel mercedem tempore & loco im- vel explicitè convento. 2. Tenetur facere aliquas expenſas non quidem pro reparanda vel conſervanda rei ſubſtantia, ad has enim obligatur locator, ut ſuperiùs dixi, ſed expenſas neceſſarias ad percipiendos fructus, ut cultivare agros, vineas, ſtercorare, ſerere, merere, &c. 3. Debet finito locationis tempore rem reddere totam integramque, aliàs tenetur de damno, in quantum res ſuâ culpâ deteriorata vel vitiata fuit. *Auth. cit.*

QUÆR. IV. Quid plus notandum circa obligationes locatoris, & locatarii ſeu conductoris? 14.

R. Seq. 1. Qui pluribus operam ſuam in ſolidum locavit, v. g. plures petunt, ut pro iis feras litteras Coloniam, potes à ſingulis accipere integrum ſtipendium, nec teneris eis aperire, quòd jam ab aliis ſalariatus ſis. Ratio eſt, quia opera tua ſingulis eſt æqualiter utilis, ſic Procurator aut Agens cauſæ pluribus ſuam operam locare poteſt, dummodo omnibus ſufficiat; atque ita quotidiè practicatur à Medicis & Cauſidicis, qui abſque imminutione ſalarii operam ſuam pluribus elocant. 2. Famulus, vel alius, qui operam ſuam alteri elocavit, ſi ante tempus abſque legitima cauſa diſcedat, perdit totum ſalarium. Econtra ſi conductor famulum ſine juſta cauſa dimittat, vel famulus ob ejus ſævitiam, vel quia ad illicita allicit, ſpontè diſcedat, tenetur ei ſolvere totam mercedem, intellige in foro externo poſt ſententiam judicis; nam ſi famulus vel dominus exinde nullum damnum paſſi ſint, eò quòd dominus æquè bonum famulum, & ſervus æquè bonum ſervitium ſtatim invenerit, in foro conſcientiæ merces ſolvi debet pro rata temporis, quia neuter damnum paſſus eſt, *Azor. Filliut. Leſſ. Reiffenſt. n. 90.* 3. Si ſervus artifex, &c. qui operam alteri elocavit, ab illo opere ad tempus impeditus fuerit, ob cauſam tenentem ſe ex parte ſervi, v. g. abfuit ad ſepeliendos vel viſitandos parentes, ad 15. 16.

ad prosequendam suam litem, potest ei pro rata absentiæ subtrahi salarium; idem tenet, si infirmus fuerit, nisi aliter sit conventum, vel consuetudo sit contraria, uti est respectu Officialium, vel Consiliariorum Principis, aut morbus tantùm sit ad unum alterúmve diem, tunc enim, nisi operarii sint diurni, æquitas suadet, ut propter talem morbum nihil subtrahatur, *Nav. man. c. 17. n. 108. Azor. Less. l. c. n. 7. Reiffenst. n. 97.* Ratio est, quòd merces tantùm detur propter operas conductas, si ergo hæ non præstentur ex defectu famuli, nec debetur merces. Econtrà si ex defectu domini famulus ab opera cessârit, eò quòd ei dominus operas assignare noluerit, vel non potuerit, & interim servus æquali mercede operas suas alteri non locavit, tota merces ei solvenda est, *arg. leg. 38. ff. de locato. l. 2. ff. de his qui.* Ratio est, quia servus tenetur carere mercede, si ex suo defectu non præstet operam conductam: ergo si id contingat ex defectu domini, debetur ei merces integra. V. *Lug. d. 29. sect. 3. Carpzov. p. 3. decis. 164. Leur.* 17. *q. 346.* 4. Qui succedit in bona alterius tanquam hæres, seu successor universalis, tenetur stare contractui elocationis factæ à suo prædecessore, quia facit cum eo unam in jure personam: ergo contractus, ex quibus defunctus obligabatur, etiam ipse obligatur, nisi expressè tantùm facti sint ad tempus vitæ. Item pupillus debet stare locationi factæ à suo Tutore, Tutor, Prælatus, Beneficiatus stare locationi, emptioni, aliisque contractibus initis à suis prædecessoribus. Econtrà successor particularis, ut legatarius, donatarius, emptor, rem legatam, emptam, donatam non tenetur relinquere sub priore conductore, sed potest alteri elocare, nisi specialiter conventum esset, ut res elocata maneret sub eodem conductore, etiam in casu, quo alium dominum esset habitura; imò quamvis non adsit talis conventio, emptor non poterit expellere conductorem cum gravi ejus damno, privando v. g. eum fructibus, quos suo labore & expensis seminavit in agro conducto. 5. Sicut successor 18. particularis v. g. emptor ejicere potest conductorem, sic & ille potest spontè cedere, quia huic ex contractu non est obligatus. De cætero, si conductor sine justa causa ante terminum elocationis rem conductam, v. g. domum, derelinquat, debet vel novum conductorem accipere, qui domino pensiones solvat, vel ipse solvere, etiamsi domum non inhabitet. 6. Si ager ob cœli clementiam, aut intrinsecam & naturalem meliorationem per plures annos fiat fructuosior, pensiones augeri poterunt, secùs si ob solam industriam coloni; hæc enim industria, cùm non spectet ad dominum, sed colonum, propterea pensio augeri non debet. 19.

(†)

CASUS

# CASUS LVIII.

## De Emphyteusi, Feudo & Libello.

*LÆtius variorum prædiorum usum-fructum, tum gratis, tum erga pensionem obtinet, quæritur:* 1. *An titulo emphyteusis vel locationis.* 2. *An emphyteusis concedi possit sine solemnitatibus Canonicis.* 3. *Quid si res emphyteutica deterioretur, vel non solvatur canon, aut caducitas à Prælato remittatur.* 4. *Quid si res emphyteutica vendatur in dotem, detur, vel non solvatur laudemium, vel transferatur in Ecclesiam.* 5. *Quid de feudo hæreditario & gentilitio.* 6. *Quid de petitione investituræ & alienatione feudi.* 7. *Quid si emphyteusis vel feudum alteri elocetur, subfeudetur, commutetur, vel fructus non ferat.* Pro Resolutione

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit
1. emphyteusis?

R. Emphyteusis, Germanicè ein Erb-Zinß / est contractus, quo res immobilis quoad dominium utile sub annuo canone ad minus ad decennium conceditur. Dicitur 1. quoad dominium utile, seu jus percipiendi utilitatem, & fructus rei; nam dominium directum manet penes illum, qui concedit rem suam alteri, & propterea vocatur dominus directus, German. Grund-Herr / Zinß-Erb-Herr / &c. cui res conceditur, vocatur emphyteuta, Germ. Zinß-Mann. Dicitur 2. sub annuo canone; canon hîc vocatur pensio, quæ domino directo in recognitionem dominii annuò penditur, sive in fructibus, sive in pecunia. Dicitur 3. ad minus ad decennium, in quo emphyteusis maximè distinguitur à locatione; nam si res infra decennium conceditur, non emphyteusis, sed locatio dicitur, sicut econtrà si res immobilis locetur ad decennium, emphyteusis erit, etsi contrahentes utantur vocabulo locationis, *Reiffenst. n. 127.* An autem ad valorem emphyteuseos requiratur scriptura, non conveniunt Juristæ, attendenda est cujusvis loci consuetudo, quæ juri communi derogare potest. Si emphyteusis constituatur ad certos annos, vocatur temporalis, si ad dies vitæ, vitalitia, si in perpetuum etiam pro hæredibus, hæreditaria, si constituitur in bonis Ecclesiæ, dicitur Ecclesiastica, si in aliis, vocatur laica. Ecclesiastica sine solemnitatibus Canonicis concedi non potest, cùm sit species alienationis; si tamen ab antiquo (saltem ultrà 40. annos) sit 2.
solita dari in emphyteusin, & ab initio cum solemnitate data fuerit, cæque denuò ad Ecclesiam revertatur, potest absque nova solemnitate (idem est de feudo) in emphyteusin dari, dummodo non cum minori

Ecclesiæ utilitate; si tamen prior emphyteusis fuit limitata ad certam generationem, hâc cessante dari nequit civitati vel Universitati, quæ non moritur, sine nova causa & solemnitate, vel potentiori, qui sit difficilis conventionis; nam quamvis res semel facta alienabilis censeatur semper talis, non tamen potest alienari in pejus. *Eng. l. 3. t. 18. n. 15. Pyrrh. ib. à n. 45.*

QUÆR. II. Quæ sint obligationes, seu onera emphyteutæ?

3. R. seq. 1. Præter annuum canonem debet facere omnes expensas necessarias pro collectione fructuum, & conservatione fundi, domûs, horrei, putei, &c. si per culpam latam vel levem emphyteutæ res emphyteutica notabiliter deterioretur, ut minoris valeat, privari potest jure emphyteutico, & ususfructus cum proprietate consolidari, *Pyrr. n. 38.* 2. Si emphyteuta tribus annis continuis in emphyteusi laica, & duobus in emphyteusi Ecclesiastica suâ culpâ non solvat canonem, ipso jure cadit in pœnam commissi, ita ut eum proprietarius saltem per sententiam judicis expellere possit, quamvis pro solutione interpellatus non fuerit, *c. finali de emphyt.* Excipe, nisi in emphyt. Ecclesiastica post biennium elapsum mox intra breve tempus (quod arbitrio judicis relinquitur) oblatis pensionibus emphyteuta moram purgaverit, aut dominus, postquam emphyteuta pœnam commissi incurrit, canonem futuri temporis acceptaverit; tunc enim caducitati renuntiâsse, eumque in futurum pro emphyteuta agnovisse censetur; aliud est, si exigat, vel recipiat pensiones lapsas; tunc enim tantùm eum agnoscit emphyteutam pro tempore præterito, non autem pro præsenti vel futuro, *Jas. in l. 2. c. de jur. emph. n. 124. Barb. ad c. fin. de emphyt. n. 117. Leur. l. 3. q. 375.* 3. Emphyteuta rem 4. irrequisito domino vendens & tradens, incurrit pœnam commissi, & res fit caduca, *dict. c. fin.* si titulo gratuito, v.g. donationis, legati, dotis, &c. res alienetur, non requiritur prævie consensus domini, *Engel. n. 20.* sed sufficit, quòd à domino, antequam novus emphyteuta mittatur in possessionem, petatur investitura, ac domino solvatur laudemium, consuetumque honorarium, quod ex rigore juris consistit in parte quinquagesima; ex consuetudine penditur sæpè pars trigesima, vel etiam vigesima; si hæres necessarius vel filius succedat patri, nullum debetur laudemium. 4. Emphyteusis absque consensu domini nequidem Ecclesiæ vendi potest; potest tamen donari, legari, non quidem ut retineat, sed ut intra annum vendat, & æstimationem recipiat, *Jason. n. 91.* Si Monasterium succedat loco Professi in emphyteusin vel feudum, retinere ea potest ad vitam Religiosi; illo mortuo intra annum vendi debet, vel impetrari consensus domini directi, *Laym. Reiffenst. n. 251.*

QUÆR. III. Quid & quotuplex 5. sit feudum?

R. 1. Feudum est concessio rei im-

immobilis sub onere fidelitatis & obsequii personalis exhibendi domino directo; Is, qui concedit, vocatur feudator, seu dominus fundi, German. Lehen-Herr / qui accipit, vocatur feudatarius, vel vasallus, Germ. Lehn-Mann / Lehn-Träger. ℞. 2. Feudum variè dividitur: 1. In Regale, quod confertur à Principe cum titulo dignitatis, v. g. Ducis, Comitis, Baronis, &c. & non regale, quod nihil adfert dignitatis. 2. In Ecclesiasticum, quod ab Ecclesia, & in laicum, quod à laico confertur. 3. In hæreditarium, quod mitti potest ad quoscunque hæredes etiam extraneos, & in non hæreditarium seu gentilitium, German. Stamm-Lehn / quod ad solos liberos mitti potest. 4. In masculinum, quod ad solos masculos; in fœmininum, quod deficientibus masculis etiam ad fœminas transmittitur.

QUÆR. IV. In quibus feudum con- vel disconveniat cum emphyteusi?

6. ℞. In multis: Ut 1. utrumque constituitur in re immobili & fructifera, ut agro, oppido, civitate, &c. 2. In utroque tantùm transfertur dominium utile, seu ususfructus, manente proprietate penes dominum. 3. Uterque emphyteuta & vasallus debet solvere laudemium, & à domino investiri, seu mitti in possessionem, vel corporali introductione, vel fictione juris, traditione scilicet clavis, annuli, ensis, &c. idque intra annum & diem, cum hac differentia, quòd emphyteuta tantùm teneatur petere investitionem, quando ipse primò succedit, vel novum dominum accipit, toties etiam debet præstare homagium seu juramentum fidelitatis, & solvere laudemium. 4. Emphyteuta sub pœna caducitatis prohibetur sine consensu domini tantùm alienare rem emphyteuticam contractu onerosо, v. g. venditionis, permutationis, &c. item dominus requisitus regulariter consensum dare tenetur; Econtrà vasallus prohibetur feudum sine consensu domini, qui consensum præstare nunquam obligatur, omninò non alienare, nequidem contractu gratuito, v. g. legando, donando in dotem, &c. ex consuetudine tamen permittitur partem feudi etiam ad longum tempus elocare. 5. Emphyteuta, si per duos aut tres annos etiam non monitus pensionem integram solvere negligat, incurrit pœnam commissi; econtra vasallus obsequium personale per se præstare non tenetur, nisi requisitus, nec ob quodvis obsequium negatum amittitur feudum, sed tantùm ob crimen feloniæ & infidelitatis, ut si insidiatus fuerit vitæ, bonis, vel honori domini. 6. Tam emphyteuta 7.
quàm vasallus rem emphyteut. vel feudalem alteri subemphyteuticare, vel subinfeudare potest cum consensu domini directi, aliàs non, hic contractus vocatur libellus. 7. Emphyteuta rem emphyteuticam elocare potest infra decennium; vasallus verò rem feudalem etiam ad longum tempus, *Clarus*, *Jason. Pyrr. n. 44.* 8. Res emphyteutica non verò feu-

dalis sine consensu domini oppignorari potest, quia arctiùs obligatur vasallus ad rem non alienandam, vel gravandam, quàm emphyteuta; habet enim rem titulo magis gratuito. 9. Res emphyteutica vel feudalis non potest domino invito commutari, vel in aliud converti, ager v. g. in vineam, sylva in agrum, quia res manet domini; non credo autem dominum facilè fore invitum, si commutatio fiat in evidenter melius. 10. Si ex toto res pereat, perit proprietario, nec emphyteuta tenebitur ad canonem, aut vasallus ad sua onera personalia, secùs est, si tantùm ex parte pereat. 11. Si emphyteuta magnum passus est damnum in fructibus, sive ex sterilitate, inundatione, aut incursu hostium, & annuò magnam solvat pensionem, æquum est ei fieri remissionem aliquam, quia tunc se habet ut conductor; secùs est, si damnum non sit adeò notabile, vel canon pendendus sit exiguus, *Reiffenst. à n. 156.* Plura vide apud Authores cit.

# CASUS LIX.

## De sponsione & ludo.

*Mævius ludit cum filiisfamilias, Religiosis.* 1. 2. *Qui vel non habent licentiam, vel tantùm habent licentiam exponendi tres florenos, cùm tamen exponant triginta, quos erant lucrati.* 3. *Ludit cum patre-familias cum damno liberorum.* 4. *Apponit pecuniam adulterinam, furtivam, vel saltem suspectam de furto.* 5. *Alium ludere cogit.* 6. *Chartifolia notat, abscondit, vel ita disponit specula, ut alterius folia videre possit, fingit se imperitum.* 7. *Etsi sit altero multò peritior.* 8. *Certus, Titiam nunquam nupturam esse certat cum pluribus, quòd eam non sint habituri in uxorem, addens, se de hoc esse certum.* 8. 9. *Ludit lusu prohibito.* 10. *Quod inde lucratur, retinet; quod verò perdit, non solvit, vel solutum repetit.* 11. *Imò ludit animo non solvendi vel opponendi exceptionem legis.* 12. *Lucrum ex lusu prohibito perceptum reddere renuit, negátque, se tali lusu lusisse.* 13. *Aliis in lusu blasphemare solitis colludit, & aleas subministrat Principe connivente.* 14. *Ludit in loco sacro, pecuniam verò erga preces & Missas exponit.* 15. Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit sponsio, & ludus?

R. Sponsio est contractus, quo duo vel plures de veritate alicujus rei incertæ sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus. Sponsioni affinis est ludus, qui definitur: Certamen quoddam ob animi oblectationem susceptum eâ conditione, ut res ab utroque exposita victori cedat. Certum est, hos contractus secundùm se esse licitos, & spectare ad virtutem eutrapeliæ seu affabilitatis pro recreando animo, 1.

mo, dummodò extrinsecùs à periculo blasphemiæ, perjurii, rixarum, furti, scandali, &c. non vitientur, & adsint sequentes conditiones: Prima conditio est, ut ludens possit alienare rem, quam lusui exponit; hinc 1. Filiusfamilias ex bonis patris sine licentia saltem tacita ejusdem, Religiosus sine licentia Superioris non possunt pecuniam lusui exponere, ideóque nec perdere, nec lucrari. Ratio est, quòd invito domino exponerent pecuniam alienam, cujus collusor non potest fieri dominus; ergò nec ipsi poterunt justè acquirere pecuniam collusoris, aliàs enim conditio esset inæqualis. Quòd si collusor sciat, filium vel Religiosum non habere licentiam, & tamen cum iis ludat & perdat, Religiosus, & familias non tenebitur ad restitutionem, quia scienti & volenti non fit injuria, *Tamb. Spor. t.6. c.6. §.3.* Dixi, sine licentia saltem tacita; nam sæpè Superiores non sunt inviti, ut Religiosi ex pecuniis ad honestam v.g. recreationem concessis modicum quid in lusum, qui statum non dedecet, impendant; idem à potiori tenet in filiis-familias, quorum patres minùs sunt inviti, præsertim si sint divites, benigni, liberales. Vide dicta *Casu 31. à n. 3.* Sed quid si Religiosus aut filius-familias habeat licentiam in lusu exponendi tres florenos, si cum iis lucratur triginta, an possit sine nova licentia exponere triginta tres? R. Continuante eodem lusu potest, quia lucrum non censetur plenè acquisitum ante finem lusus; lusu finito Religiosus non poterit omnes sine nova licentia exponere, *Laym. hîc n. 6.* 2. Uxor si non habeat bona paraphernalia vel alia propria, non potest plus exponere, quàm maritus tacitè, vel expressè concedit; tacitè autem censetur concedere, quantum ejusdem conditionis fœminis concedi solet. 3. Maritus invitâ uxore ludens non peccat contra justitiam, sæpè tamen contra charitatem, si obinde damnum notabile patiatur familia, attamen qui à marito lucratur, non tenetur ad restitutionem, quia maritus ista validè exponit, etsi illicitè. 4. Qui in lusu apponit monetam adulteram, tenetur restituere quod lucratur, nisi voluerit substituere aliam casu quo perderet. 5. Qui lucratur rem, vel pecuniam furtivam à fure non mixtam suæ indiscernibiliter, tenetur eam restituere domino; in dubio an pecuniæ sint furtivæ, præsumuntur non esse, quia delicta non præsumuntur. Qui bonâ fide non ipsam rem, sed pretium rei furtivæ à fure venditæ lucratur, potest retinere, quia fur erat dominus hujus pretii, ex *l. si vi. 48. ff. de furtis.* V. dicta *Casu 55. n. 12.* Si verò scienter ludat cum fure, qui aliunde pro furto satisfacere non potest, tenetur restituere non ex re accepta, sed ex injusta acceptione, quia per lusum est causa, quòd fur fiat inhabilis. Si bonâ fide processit, *Tamb. Spor. n. 76. La Croix l. 3. p. 2. n. 1078.* adhuc obligant ad restituendum lucrum; sed contrà est: nam 1. fatentur, furem habere verum dominium pretii pro re furtiva accepti,

ergo illud validè exponit ad lusum, sicut validè exponit ad emendum triticum; aliàs enim vendens bonâ fide triticum teneretur pretium furtivum restituere, etiamsi fur triticum consumpsisset, quod nemo dicit. 2. Si fur pecunias furtivas suis indiscernibiliter miscuerit, quamvis alias non habeat, validè eas exponit ludo, & collusor, qui eas bonâ fide lucratur, potest eas retinere; non enim tenetur eas restituere ex re accepta, quia fur erat eorum dominus, ideóque eorum dominium alteri validè tradere potuit; neque tenetur ex injusta acceptione, quia bonâ fide processit, ut supp. 3. Qui ex mutuo creditori debet 100. etsi non habeat nisi decem, tamen eos validè exponit; ergo quamvis fur ex justitia pretium furtivum debeat domino, si aliundè satisfacere non possit, tamen illud validè poterit alienare, quia est dominus pretii.

6. Conditio secunda: Ut nemo injusto metu, vi, vel fraude cogatur ludere; qui enim injustè cogit ludere, si alter in lusu perdat, cogens probabiliter tenetur ad omne damnum, quia fuit ejus injusta causa; oppositum tamen etiam est probabile, si nempè utrimque fuit par periculum perdendi, & lucrandi, tunc enim lusus in se videtur esse justus, & damnum non tam sequi ex coactione, quàm fortuna colludentis; hoc apud omnes indubitatum est, quòd coactus ad lusum si quid lucretur, illud retinere possit, quia ex sua parte nulla est injustitia, *Sanch. Less. dub. 2. n. 9. Salas dub. 6. n. 2.*

Tertia conditio est: Ut in lusu absit omnis fraus & dolus in tali lusu non permissus; ejusmodi fraus est chartas notare, abscondere, specula taliter disponere, ut chartas alterius videas, fingere se imperitiorem, &c. hujusmodi fraudibus utens non tantùm tenetur restituere lucrum, quod ipse fecit, sed etiam lucrum, quod alter absente dolo facturus fuisset pro rata scilicet spei; econtrà si fraude utens perdat, poterit innocens id tutâ conscientiâ retinere, quia ex sua parte ludus est justus; dolus autem in lusu permissus, aut potiùs astutia tunc est, quando simulas te habere deteriores chartas, aut simulas metum, ut alter sponsionem augeat, vel econtrà audaciâ tuâ sponsionem augendo facias alium à sponsione desistere, aut si ex alterius negligentia chartas ejus videas, &c. in dubio an dolus sit justus, standum est arbitrio viri in tali lusu periti, *Covarr. Medin. Lug. d. 31. à n. 33.* Si adversarius erret contra se in numerandis punctis, vel in accipiendo primo loco, non teneris monere, saltem si ita habeat ludi consuetudo, *Less. Sanch. l. 1. cons. c. 8. dub. 12.* 7.

Quarta conditio est: Ut sit æquale periculum perdendi & lucrandi inter ludentes, hoc est, ut sit æqualis peritia, & exponatur æquale pretium; vel si quis sit altero peritior, debet plus pretii ponere, vel per alias faventes conditiones majorem peritiam compensare, nisi alter juri suo resignet, sicut omnes resignare probabiliter docent *Covarr. reg. peccati §. 4. n. 6. Tolet. Nav. c. 20. n. 18. Tamb. lib. 8. tr. 2. c. 9.* 8.

*c.9. §.1. n.4.* Eo ipso, quo sponte, hoc est, fraude vel metu non adacti ludant, sivè sciant, sivè non sciant alterius majorem peritiam; sibi enim imputent, quòd cum eo, cujus peritiam perspectam non habent, ludere velint. Si autem unus sit quasi certus de lucro, aut simulet se imperitum, ut idiotam ad ludum inducat, restituere tenetur lucrum, quia talis ludus est injustus; in ludo enim erga periculum perdendi emitur spes lucrandi: si ergo spes lucrandi sit quasi certa, nullum erit perdendi periculum, ideóque aperta inæqualitas in lusu. Idem probabiliùs tenet de sponsione, ut certus de eventu non possit sponsionem lucrari, nisi fortè alter dicat se esse certum; tunc enim *Cov. Nav. Dian. Lopez. Sanch. dub. 13. n. 9.* dicunt, alterum resignare juri suo; sed & in hoc probabiliùs contradicunt *Filliut. Molin. Lug. n. 81. La Croix n. 1068.* quia alter putat tibi id non esse satis serium, & emis spem lucrandi erga periculum perdendi, quod tamen non adest, sicut si alter à te emat vitrum pro gemma, etsi dicas esse vitrum, non tamen potes accipere pretium gemmæ, sed vitri, neque alter resignat juri suo; quia si certò crederet esse vitrum, non daret pretium gemmæ: ergo dat invitus.

9. Ex dictis pro ulteriori resolutione Casûs deduces sequentia: 1. Mævius certus de non futuro matrimonio Cajæ cum Titio non potest certare, quia non est æquale periculum perdendi, & lucrandi; si tamen tres, vel plures haberent spem probabilem sibi desponsandi Cajam, potest cum quolibet seorsim certare, quamvis certus sit, quòd cum uno tantùm possit perdere, à cæteris autem certò sit lucraturus. Ratio est, quòd nemini faciat injuriam, quilibet enim seorsim habet spem probabilem perdendi & lucrandi, *Sanch. Lug. n. 87.*

2. Omnes lusus, qui magis fortunâ, quàm industriâ reguntur, ut alearum & similes, tam Jure Canonico, quàm civili, sunt prohibiti; laici tamen has leges non observantes non videntur peccare mortaliter, quia quoad ipsos ejusmodi leges non sunt in tanto rigore receptæ, *Salas. Less. c. 26. dub. 1. Tamb. l. c. Lug. à n. 9.* Econtrà arctiùs ad non ludendum obligantur Clerici & Religiosi, per *Trid. sess. 22. c. 1. de refor.* Non tamen statim damnandi sunt mortalis, nisi frequenter, nimis sumptuosè, aut publicè cum scandalo populi, aut gravi statûs sui dedecentia ludant. 10.

3. Qui aliquid lucratur lusu prohibito, tutâ conscientiâ id retinere potest, quia jura non invalidant contractum, sed tantùm præcipiunt, restitutionem fieri post sententiam Judicis, *Bannes, Soto, Less. d. 3.* Econtrà qui lusit ad creditum, & perdidit, potest se tueri exceptione legis prohibentis, *Less. Nav. Lug. n. 70.* nisi juraverit se soluturum; tunc enim contractus firmatur, obligátque jure naturæ, & civili. Si fictè mineris eum convenire coram judice, & alter aliquid det, ne in judicio reperas, id justè retinere potes, quia reverà habes jus repetendi, cui juri cedis, 11.

cedis, quod est pretio æstimabile, *Spor. n. 82.*

12. 4. Qui ludit animo nunquam solvendi, si quid lucratur, restituere debet, quia decipit in materia substantiali, nisi alter hoc sciat, aut etiam habeat animum non solvendi, tunc enim injuria per injuriam compensatur. Si ludo prohibito ludas animo quidem te obligandi, sed opponendi exceptionem legis aleatum, vel solutum repetendi, ludus est justus, quia habes animum utendi jure tuo, quod & alter facere potest, & voluntas implendi contractum non est de essentia contractûs, *Lopez, Victoria, Sanch. dub. 5.*

13. 5. Si lucrum ex lusu prohibito perceptum à te repetatur, & tu coram judice neges te esse lucratum, vel lege prohibitâ lusisse, teneris nihilominùs restituere, quia fraude, seu mendacio impedis, quò minùs alter per sententiam judicis recipiat, quod justè petit; si tamen alter nec semiplenam habet probationem, non teneris fateri, nec quidquam restituere, quia tunc mendacium non impedit sententiam judicis, sed defectus probationum, *Molin. d. 514. Dian. r. 27.*

14. 6. Qualiter peccent, qui taxillos, chartifolia, & similia instrumenta absque gravi causa subministrant ad lusus, ex quibus prævideantur blasphemiæ, perjuria, rixæ, fraudes, dilapidationes, dixi *Cas. 20. à n. 9.* Unde à potiori constat, peccare mortaliter eos, qui blasphemare vel pejerare solitis colludunt; imò *Tamb. & alii* dicunt, non tantùm collusores, sed & instrumenta præbentes in defectu ludentium teneri ad restitutionem, si fraudes vel aliæ injustitiæ ibidem contingant. Idem tenet de Principe absque gravi causa lusus noxios permittente. Si dicas: Princeps licitè potest permittere domos publicas meretricibus, imò tali casu licitum erit etiam privato ejusmodi domos meretricibus elocare: ergo & permittere potest domos publicas lusoribus, quamvis in iis sciantur fieri plura peccata. R. *Tamb. sup. n. 31.* N.C. Faciliùs homines se temperare possunt à lusu, quàm à carnis voluptatibus, & majora mala reipublicæ timentur, si prohibeatur meretricium, quàm si domus lusoria: ergo major est ratio hoc, quàm illud permittendi.

15. 7. Ludere in Ecclesia lusum ibi specialiter non prohibitum est tantùm veniale; exponere spiritualia ad lusum eâ v. g. conditione, ut victus teneatur orare quinquies Pater & Ave, audire vel legere Missam pro defunctis, juxta *Lopez.* est mortale, consentit *Lug. n. 5.* Si alter exponat aliquid temporale, quia putat tunc esse periculum simoniæ; sed id meliùs negant *Rodriq. Steph. Dia. r. 41.* apud *La Croix n. 1090.* Nam non ideo res spiritualis æquiparatur temporali, sed offertur executio spiritualis loco temporalis alioquin tradendæ; si enim tibi debeam 100. aureos, licitè offero 100. Missas, ut sic te moveam ad remittendos 100. aureos.

CASUS

# CASUS LX.

## De Contractu societatis, Assecuratione, Fidejussione, Pignore, Hypotheca.

*NEnius dat Cajo suas pecunias pro communi lucro ad negotiationem, assecurato capitali, item vaccas cum obligatione de qualibet annuò dandi vitulum servato numero integro.* 1. *Solutâ societate negotiator ob impensam frustrà operam aliquid de sorte retinet.* 2. *Fidejubet, erga pretium, etsi non sit periculum, ex post creditori aliquid offert, ut se à fidejussione liberet.* 3. 4. *Antè sententiam solvere renuit, eò quòd plures, inter quos mulier, Prælatus, Religiosus, &c. fidejusserint, & debitor impetrârit prorogationem, vel sua bona dilapidare incipiat.* 5. *Merces Caji assecurat, quas ex privatis litteris jam novit esse extra periculum.* 6. 7. *Assecurat mille, cùm ipse tantùm habeat 500.* 8. *Pignora & hypothecas alienat, aliis oppignorat.* 9. 10. *Et quia debitor est in mora solvendi, pignus vendit, vel sibi emit, etsi id non facere promiserit.* 11. *Fructus pignoris percipit, & pignus habet à Prælato absque consensu Capituli.* 12. Pro Resol.

QUÆR. I. Quid sit societas, & quæ ad eam conditiones requirantur?

1. R. Societas est contractus, quo aliqui ad negotiationem & commune lucrum conferunt rem ad lucrandum idoneam, v. g. pecuniam, mercem, operam, animalia, &c. hic contractus est justus & licitus, dummodò adsint sequentes conditiones: 1. Ut negotiatio, ad quam societas instituitur, sit honesta. 2. Ut communia sint lucra, damna & expensæ, pro bono societatis factæ, ita tamen, ut plus lucri pecipiat, qui plus pecuniæ, vel operæ contulerit. 3. Ut res vel capitale collatum maneat sub dominio & periculo conferentis, ita ut si casu & sine alterius culpa pereat, pereat conferenti, & in hoc præcipuè societas distinguitur à mutuo, in quo res mutuata transit in dominium mutuatarii, cui proindè etiam res perit, *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5.* Possunt tamen societati contractus assecurationis, & similes adjungi, v. g. do 1000. florenos ad negotiationem, ex qua sperare possum circiter 200. in lucrum, ut mihi capitale assecures, remitto tibi spem lucri in 100. ut iterum assecures certum lucrum, v. g. 5. in 100. denuò remitto 50. hæc assecuratio non est usuraria, sed justa, dummodò verè societatem exerceas, & dominium penes te remaneat, altérque non suo tantùm, sed & tuo nomine negotietur negotiatione lucrativâ, aliàs enim erit verum mutuum, & usura palliata; quò autem majores fructus ex negotiatione sperantur, pericula verò, & expensæ sunt minora, eò plus lucri, v. g. 7. vel etiam 8. in 100. peti possunt. Econtrà si fructus negotianis sit tenuis, expensæ autem & peri-

cula graviora, minus, v. g. tantùm duo vel tria in 100. peti debent, juxta æstimationem prudentum, *Nav. Laym. hìc c. 20. n. 2.* Hinc patet, licitum posse esse contractum, quo rustico ad pascua do 10. v. g. vaccas, eâ conditione, ut numerum integrum servet, & de qualibet vacca annuò det vitulum, ipse verò lac & stercorationes sibi retineat. Idem est de grege ovium vel gallinarum, dummodo rustico expensæ, industriæ, & pericula per lac vaccarum, aut lanam ovium ad æqualitatem compensentur. 4. Si societas finiatur,
2. cuilibet sua sors est reddenda, etiamsi nullum adsit lucrum, nec propterea, qui suam operam contulit, & quasi gratis perdidit, de sociorum sorte aliquid retinere poterit; quia si pecunia periisset, periisset suo domino: ergo similiter opera sua domino perit. Nec obstat, quòd opera fortè plus valuerit, quàm usus pecuniæ, nam tunc quidem operam collocanti plus lucri debebatur, non tamen aliquid de sorte sociorum. Econtrà si pecunia ab altero collata plus valeat, quàm tua opera, plus quidem ex lucro peti potest, à te tamen nihil præter operam quam contulisti, ita ferè *Laym. c. 20. Tamb. l. 9. t. 8. Spor. t. 6. c. 6. à n. 50. Lug. d. 30. La Croix à n. 1097. Viva. op. 4. q. 3. a. 3.*

QUÆR. II. Quid circa Fidejussionem?

3. R. Sequen. 1. Fidejussio est contractus, quo aliquis suscipit in se alienum debitum solvendum in defectu principalis; dico, in defectu principalis, quia fidejussor regulariter conveniri non potest, nisi excusso priùs principali constet, eum non esse solvendo; dico regulariter, nam si principalis notoriè non sit solvendo, aut ejus excussio ob absentiam, vel aliam causam esset impossibilis, tunc fidejussor primò excuti posset, *Mynsing. cent. 2. observ. 15. Eng. l. 3. c. 22. n. 9.* Hæc obligatio etiam transit ad hæredes, *l. 24. C. de fidej.* 2. Si fidejussor solverit pro principali, tenetur hic ei solutum refundere unà cum expensis vel damnis, si quæ passus est ex mora, vel culpa debitoris principalis. 3. Fidejussor potest aliquid accipere pro fidejussione, utì certum 4.
est, si adsit periculum, vel molestia; si verò absit omne periculum, adhuc modicum quid accipi posse arbitrio prudentis, ut docet *Sotus, Azor.* aliique apud *P. Nav. l. 3. c. 2. n. 247. Spor. n. 82. La Croix n. 890.* quia ejusmodi obligationem in se suscipere, est de se pretio æstimabile, sicut obligatio mutuandi in futuro, ut habet communis, & obligatio ad solvendum in defectu alterius est reverà obligatio ad dandum virtualiter mutuum in futuro: ergo similiter creditor aliquid accipere potest, ut fidejussorem à sua obligatione liberet, *Molin. Sà. Rebell. Dicast. l. 2. t. 16. d. 1. n. 28.* 4. Fidejussor ad plus non obligatur, quàm principalis, & cessante obligatione principalis cessat obligatio fidejussoris, quæ solùm accessoria est; hoc tamen non obstante posset fidejussor alio titulo se magis obligare, quàm obligatus fue-

fuerit principalis, v. g. addendo juramentum, vel constituendo hypothecam, &c. 5. Fidejussor in 5. defectu principalis tenetur etiam solvere ante sententiam judicis; nam ipsum jus naturæ in conscientia obligat ad fidem interpositam & acceptatam servandam, *P. Nav. Dicast. n. 17.* Oppositum tamen etiam est probabile, quia in ejusmodi contractibus quilibet se intendit obligare juxta usum receptum, & communem; sed communis usus videtur invaluisse, ut fidejussor non solvat nisi sententiatus à judice: ergo. Igitur attendenda est locorum consuetudo. 6. Si plures pro eodem debito fidejusserint, singuli tenentur in solidum, ita ut etiam unus, si cæteri non sint solvendo, excuti possit; si omnes sint solvendo, quilibet contra creditorem excipere potest, ne solus conveniatur; si unus solus fuisset coactus solvere à creditore, potest petere jus agendi contra alios, ut & ipsi suam partem contribuant, §. 2. *si plures Instit. de fidej. Reiffenst. l. 3. tit. 22. n. 48.* 7. Si fidejusseris ad certum tempus, ad annum, vel nundinas, & principalis impetret temporis prorogationem, liber es à fidejussione, secùs si fidejusseris indefinitè, *Gometz. Azor. Dicast. n. 14.* Si debitor bona sua dilapidare incipiat, fidejussor à judice liberationem petere poterit, *Reiffenst. n. 67.* 8. Mulier non obligatur ex fidejussione nequidem in conscientia, nisi instrumentum publicum intervenerit, imò & tunc se tueri posset exceptione S. C. Vellej. *Haunol. Eng. n. 7.* Nisi fidejusserit in suam utilitatem, vel juramento confirmaverit fidejussionem, &c. Fidejussio Religiosi vel etiam Prælati sine consensu Capituli de bonis Ecclesiæ facta non obligat Ecclesiam, *c. 4. de fidej.* privátque Prælatum ipso jure administratione tam temporalium, quàm spiritualium, *c. 2. de solut.*

QUÆR. III. Quid sit assecuratio, & quæ conditiones ad eam requirantur?

R. Assecuratio est contractus, quo quis gratis vel erga pretium suscipit in 6. se periculum rei alienæ, obligando se ad ejus compensationem, si pereat; v. g. si dederis mihi 1000. assecuro, quòd merces tuæ salvæ sint adventuræ, etsi perierint, earum valorem tibi reddam. Distinguitur assecuratio à fidejussione, quòd hæc solùm in debitis locum habeat, obligétque tantùm accessoriè seu in defectu principalis; assecuratio autem est obligatio principalis; hinc si non nudè fidejussisti, sed simul assecurâsti, quòd v. g. Cajus debitum soluturus sit, tu teneberis, etiamsi Cajus per impotentiam, aut aliter à debito excusetur. Contractus assecurationis est omninò justus, dum- 7. modo adsint sequentia: 1. Æqualitas inter pretium, & periculum rei assecurandæ; hinc si per privatas litteras certò scias, nullum adesse periculum, eò quòd merces jam sint in tuto, aut viæ à latronibus, pyratis, hostibus, &c. sint liberæ, nec assecurare, minus aliquid exigere potes, *Salon. Azor. Dicast. n. 78.* cont. *Less.*. Ratio est, solus titu-

lus aliquid exigendi est periculum rei alienæ, quod assecurator in se suscipit; si ergo nullum est periculum, nihil justè exigi potest. 2. Assecurator debet admoneri de periculis, nisi illa jam nota sint, ut his consideratis deliberet, an velit, an non velit assecurare, quò majus est periculum, eò plus assecurans petere poterit. 3. Si res jam certò sciatur periisse, non poterit assecurari, quia assecuratio verè est contractus sortis, in quo debet esse utrimque periculum perdendi & lucrandi, quod cessat, si res jam certò constet
8. periisse. 4. Assecurator debet tantum habere in re, vel in spe, ut totam rem assecuratam casu, quo pereat, solvere possit, quia in hoc consistit substantia hujus contractus; si res assecurata valet 1000. & assecurator habeat tantùm 500. *Bannes, Salon. Spor. n. 98.* dicunt totum contractum esse invalidum, & assecurantem nequidem medium pretium retinere posse, eò quòd sit dolus quoad substantiam contractûs, sed verius est, quòd tantùm sit deceptio quoad medietatem substantiæ; adeòque sicut ipse assecurans, si merces periissent, debuisset solvere 500. quos habet, sic & medium pretium retinere poterit. Prob. à pari, si in ludo certem pro 10. non habeam autem nisi 5. si lucrer 10. quinque tantùm restituere teneor, quia quoad alia quinque ludus erat justus, & par periculum perdendi & lucrandi, *Rebell. l. 16. q. un. n. 11.*

QUÆR. IV. Quid sit pignus & hypotheca, & qui eorum effectus?

9. R. Pignus vel hypotheca est contractus, quo res alicui traditur, vel obligatur in securitatem debiti; si res illa est mobilis, propriè vocatur pignus, si immobilis, hypotheca; duplex autem est hypotheca, particularis una, quâ certa aliqua res obligatur, altera generalis, quâ omnia bona tam præsentia quàm futura obligantur. Item pignus aliud vocatur conventionale, quod partium consensu, aliud prætorium, quod à judice, aliud tacitum, seu legitimum, quod à Legibus constituitur, sic pupillus & minorennis tacitam habent hypothecam in omnia bona tutorum & curatorum pro debita administratione, item uxor pro assecuratione dotis in omnia bona mariti, &c. Effectus pignoris & hypothecæ sunt sequentes: 1. Creditor 10.
hypothecarius præfertur non hypothecariis; si plures hypothecam habeant, præferendus est ille, qui habet privilegiatam, qualem in bona mariti ratione dotis habet uxor; si nullus habet privilegiatam, præfertur, qui prior est tempore, ut dixi *Cas. 46. an. 4.* 2. Res oppignorata quamvis à domino alienetur, manet sub pignore, si deterioretur, vel ex parte destruatur, v. g. domus exuritur, id quod remanet, nempe solum, vel fundus, rationem pignoris retinet. 3. Res eadem oppignorari potest pro debitis pluribus, dummodo iis solvendis sufficiat, imò rem tibi oppignoratam alteri pro simili debito oppignorare potes; hoc enim aliud non est, quàm jus tuum cedere alteri, quod licitum est, *l. 1. C. si pignus.* 4. Si debitor 11.
elapso termino semel monitus intrà bien-

biennium non solvat, potest pignus vendi; quod tamen superat debitum, debitori reddendum est; si pactus es non distrahere pignus, adhuc distrahere poteris, sed biennio & trinâ interpellatione opus erit, *l. 4. ff. de pign. act.* Ratio est, quòd potestas distrahendi pignus sit de natura pignoris; quomodo enim per pignus assecuraretur debitum, si altero solvere nolente pignus distrahi non posset? Si ipse creditor pignus emat, vel distrahat contra LL. distractio est irrita, *l. 4. C. si vendito. Reiffenst. à n. 76.* quamvis *Spor. à n. 119.* dicat, ejusmodi Juris subtilitatibus opus non esse in foro conscientiæ, sed rem etiam ante elapsum biennium monito debitore justo pretio vendi posse. 5. Periculum, expen-
12. sæ, & fructus pignoris pertinent ad ejus dominum; si accipis rem oppignoratam cum jure percipiendi ejus fructus, hic contractus vocatur antichriseos; & quamvis à Jure civili toleretur, reprobatur tamen à Jure Canonico tanquam usurarius; possunt equidem adesse tituli excusantes, ut si verè intendas emere fructus illos in censum annuum, & illi non excedant pensionem aliàs debitam; aut si rem oppignoratam emas cum pacto retrovendendi, tunc enim sicut fis dominus rei, ita & fructuum, quo casu periculum & expensæ rei ad te pertinebunt, &c. 6. Prælati non possunt bona Ecclesiæ alienari prohibita specialiter hypothecare absque consensu Capituli; possunt tamen generaliter non in utilitatem propriam, sed Ecclesiæ, & ejusmodi debita tenetur ejus successor solvere, ut patet ex *c. 3. de pign. Covarr. Pyrr. l. 3. tit. 31. n. 17. Reiffenst. à n. 34.*

# CASUS LXI.

## De Testamentis, & ultimis Voluntatibus.

*Onesius circa ultimas voluntates varia habet dubia:* 1. *An corruente testamento corruant legata, donationes mortis causâ.* 2. *Quæ solemnitates requirantur ad testamentum profanum.* 3. *Ad testamentum ad causas pias, & speciatim in Diœc. Colon.* 4. *Ad testamentum inter liberos, ad testamentum militum, rusticorum, aut factum tempore pestis, vel Principi oblatum.* 5. *Quid si quis juret non revocare testamentum, vel juratò renuntiet hæreditati.* 6. *An succedens ex testamento non solemni teneatur solvere legata.* 7. *Quid si Caja succedat eâ conditione, ut si improlis discesserit, hæreditatem relinquat Titio, ipsa autem ingrediatur Religionem.* 8. *Quid si testator dicat: Si Caja nubat, habebit 200. si verò Religiosa fiat, habebit tan-*

*tùm 100. vel nihil. 9. Quid si eâ conditione quid legetur Titio, ut ducat Cajam, Titius autem suscipiat S. Ordines, aut si aliquid legetur sub causa, modo, vel demonstratione falsa, ib. remissivè. 10. An legata ad causas pias in genere, vel pauperibus indeterminatè relicta dari possint Monasterio; item si legata omnia solvi nequeant, an etiam legata pia minuenda sint pro rata. 11. Quid si duo homines sint ejusdem nominis, & sciri non possit, de quo testator locutus sit. 12. Quid de legato rei alienæ. 13. Quando legatarius acquirat dominium, & fructus legati. 14. Quid debeatur hæredibus necessariis, & an præteriri possint. 15. Quid si parentes uni proli plùs relinquant quàm alteri, & quid hic observandum Confessariis. 16. Quid si testator Cajæ destinaverit dare Crucem auream, sed ante ejus traditionem moriatur. 17. An hæres ex legatis sibi detrahere possit quartam partem. 18. Quid de testamentis & donationibus ante vel in Novitiatu factis.* Pro Resolut.

QUÆR. 1. Quid sit ultima voluntas, testamentum, legatum, fidecommissum, codicillus?

℟. Ultima voluntas ex Ulpiano
1. definitur: Justa voluntatis sententia de eo, quod quis post mortem fieri vult; si fiat cum hæredis institutione, vocatur Testamentum; in quantum continet donationem ab hærede post mortem Testatoris præstandam, vocatur Legatum; & ille, cui fit ejusmodi donatio, vocatur Legatarius; si hæredi imponatur, ut hæreditatem absolutè aut sub conditione, v. g. si ei non nascatur proles, restituat alteri, dicitur Fideicommissum vel generale, si scilicet restituenda est tota hæreditas, vel particulare, si tantùm aliqua ejus pars, & eatenus coincidit cum legato. Dispositio, quâ testamentum corrigitur, vel declaratur, aut etiam sine testamento hæredi ab intestato legatum, fideicommissum, vel aliud quid committitur, vocatur Codicillus. Ab his omnibus differt donatio mortis causâ, quæ firmatur solâ morte donantis, nec ullatenus pendet à valore testamenti; econtrà Legatum, Fidecommissum sunt accessorium testamenti, & illo corruente corruunt; hoc excepto, quòd corruente ex defectu solemnitatum testamento profano probabiliùs non corruant legata pia, *Covarr. Eng. l. 3. tit. 26. n. 20. & ibid. Pyrr. Reiff. n. 173.*

QUÆR. II. Quotuplex fit Testamentum?

℟. Testamentum dividitur: 1. In 2.
solemne, & non solemne; solemne vocatur, quod habet omnes solemnitates, seu conditiones à jure requisitas, quales de Jure Cæsareo sunt, ut testator coram septem testibus masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, distinctis ab ipso hærede, non surdis, non mutis, mentem suam declaret, vel in scripto ab ipso testatore & omnibus testibus subscribendo, ac consignando, aut vocaliter coram dictis testibus suam voluntatem exprimat; primum testamentum vocatur scriptum seu clausum; secun-

cundum vocatur nuncupativum.
3. 2. Testamentum dividitur in privilegiatum, & non privilegiatum; Privilegiatum est, quod non requirit omnes juris solemnitates; tale est 1. testamentum ad causas pias, in quo nullæ solemnitates requiruntur, sed sufficit, quòd vel per testes, vel per nutus, aut scripturam de voluntate testatoris certò constet, *Barth. Clarus, Pyrr. n. 19.* & claret *ex c. relatum 11. de testam.* uni enim testi etiam probatissimo, v. g. Parocho, nequidem in foro conscientiæ necessariò credendum est, sed Jure Canon. requiruntur & sufficiunt duo vel tres testes: in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, *c. cùm esses 10. de testam.* ideòque Archi-Diœc. Colon. in Synodo habita Anno 1662. *part. 2. pag. 116.* declarat, quòd testamenta Ecclesiasticorum facta sine Notario vel Pastore & duobus testibus sint invalida, quamvis admittat legata pia tantùm scripta, vel subscripta à testatore valere. Si testator in testamento vel coram duobus testibus asserat, quòd Confessario vel Parocho mandaverit aliqua erogare ad causas pias, secundùm dictum Confessarii vel Parochi executio facienda est. *Eng. n. 10.* dicit, etiam in terris Imperii valere testamenta Clericorum cum duobus vel tribus testibus absque solemnitatibus juris civilis; ubi enim jus Canon. & civile discrepant, Clerici non subjacent legibus civilibus, sed
4. Canonicis. 2. Testamentum inter liberos valet, si pater totum testamentum manu propriâ scribat, tempus liberorum, ac signa rerum specialium declaret, *Nov. 107. c. 10. auth. quòd sine.* etsi nullus testis, vel alia solemnitas adhibeatur. 3. In testamento militum duo, in testamento rusticorum, si plures haberi non possint, quinque testes sufficiunt, sive testamentum sit scriptum, sive nuncupativum, *l. fin. c. de testam. Carpzov. Konig. de test. n. 8.* 4. Testamentum tempore pestis ex paritate rationis valet cum duobus testibus, si plures haberi non possint, *Mynsi. Jason. Gail. l. 2. obs. 118.* 5. Testamentum Principi oblatum vel coram eo factum valet absque omni solemnitate, dummodo probari possit, quòd sit oblatum, *arg. l. omnium cod. de testam. Covar. Laym. hîc n. 15.*

QUÆR. III. Quid amplius notandum circa Testamenta?

℟. Seq. 1. Testamentum ex natura sua ante mortem semper est re- 5.
vocabile, si quis jurâsset non revocare, peccat quidem revocando, revocatio tamen est valida, quia juramentum non immutat naturam actus, qui ex se est, & manet revocabilis; similiter renuntiatio vel pactum circa hæreditatem adhuc viventis in favorem tertii est invalidum, etsi fuerit juramento firmatum, quia hoc juramentum est contra bonos mores & in præjudicium tertii, quia inducit votum captandi mortem alterius, *l. fin. C. de pactis. Sanch. in Decal. l. 7. c. 2. n. 33.* Unde si filia accipiens dotem dicat se eâ esse contentam, & renuntiare paternæ hæ-

re-

reditati, hoc non obstante potest postea petere complementum suæ legitimæ portionis, *l. pactum dotale, C. de collat. & c. quamvis de pactis in 6.* Si verò renuntiatio fiat ad causam piam, valet etiam non requisito consensu ejus, de cujus hæreditate agitur, *Pyrr. tit. 31. n. 90.*

6. 2. Famosissima est quæstio: An testamentum ad causas non pias, non habens omnes solemnitates à jure requisitas, sit validum? Pro foro conscientiæ sufficit, quòd utraque sententia sit probabilis, & in praxi tuta, ita ut hæres ab intestato possit judicare testamentum esse nullum, sibique usque ad sententiam judicis bona defuncti retinere. Econtrà hæres scriptus ex testamento hæreditatem tutò adire possit, quo casu tamen etiam tenebitur legata solvere, non tantùm pia, (ad quorum valorem nullæ solemnitates requiruntur) sed etiam profana. Nec obstat, quòd legata profana in tali testamento probabiliter sint nulla; nam eo ipso, quo in suî favorem sustinet testamentum esse validum, debet etiam stare pro valore legatorum, aliàs certò peccabit contra jus unius; vel enim valet testamentum, & sic agit contra jus legatarii, vel non valet, & agit contra jus hæredis ab intestato.

7. 3. Sæpè testamento vel legato adjicitur conditio, quæ si justa est, erit observanda ex justitia, vel legatum restituendum, aut testamentum non adeundum; si sit conditio turpis, habetur pro non adjecta. Præcipuè tamen attendenda est voluntas testatoris; unde valet testamentum sub hac clausula: Si Caja improlis decesserit, relinquet hæreditatem Titio; quo casu si Caja profiteatur in Monasterio bonorum capace, succedet Monasterium, *c. 8. de probat.* nam hæc præsumitur esse voluntas testatoris, qui creditur potiùs voluisse favere Monasterio, in quo filia profitetur, quàm extraneo; si verò constat de contraria testatoris voluntate, hæc servanda est, ut si dicat: Si Caja filia mea religionem profiteatur, succedet Titius, quia præsumptio cessat, ubi versamur in claris, *Covarr. Sanch. c. 16. n. 12. Pyrr. n. 76.* Unde etiam valet legatum, si 8.
testator dicat: Lego Cajo ducentos florenos, si nupserit, aut in sæculo remanserit; si verò sacros Ordines, vel Religionem assumpserit, centum, vel nihil, *Menoch. Reiff. à n. 652. Leuren. l. 3. q. 98. n. 9. & Authores citati.* Nam ista conditio non est turpis, nisi fiat ex odio religionis, secùs si fiat ex justa causa ad propagationem familiæ vel stemmatis, & sic fieri præsumitur. Item valet testamentum, legatum sub conditione, si 9.
Cajus nupserit Titiæ, si proles susceperit, *l. cùm ita. & l. Titio ff. de cond. & dem.* Si Cajus non nubat, sed profiteatur in religione bonorum capace, conditio habetur pro non adjecta, & legatum cedit Monasterio, *Nov. 123. c. 37.* Si S. Ordines suscipiat, legatum retinere potest, ita tamen ut in Clericatu usque ad finem vitæ perseveret, & legatum

ad

ad pia opera expendat, *cit. Nov. Covar. Barb. Pyrr. à n. 74. Eng. n. 29.* de legato sub modo, causa, demonstratione falsa dixi *Casu 50.*

10. 4. Si quid sit legatum in genere ad causas pias, vel pauperibus indeterminatè, dari potest Monasterio pauperi, *Laym. Sylv. Sanch. Pyrrh. n. 109.* Si legata omnia solvi non possint, omnia legata etiam pia diminuenda sunt pro rata, etsi alii quoad legata pia contradicant, valdè probabiliter putantes ea ante omnia integra solvi debere.

11. 5. Si duo homines sint ejusdem nominis, & ex circumstantiis colligi non possit, de quo testator locutus sit; plures Juris-Consulti docent, legatum non valere, & neutri dandum, sed hæredi relinquendum esse; idem est, si legatum duobus ejusdem nominis relictum uni revocetur, nec constet cui, utrique volunt esse revocatum; sed *Molin. d. 197. Dian. to. 2. tr. 5. Miscell. R. 58.* meliùs dicunt, ejusmodi legatum inter utrumque esse dividendum; nam uterque habet æquale jus, & certum est, quòd testator noluerit illud manere hæredi. Collig. *ex l. qui duos 9. ff. de rebus dubiis.*

12. 6. Certum est, quòd jure civili valeat legatum rei alienæ, si testator scivit esse alienam, (cujus probatio incumbit legatario) secus, si putavit rem esse suam, seu ignoravit esse alienam, §. 4. *Instit. de Leg.* ubi ratio additur: *Forsitan enim si scivisset alienam, eam non legâsset*, quæ verba indicant legem hanc fundari in præsumptione, quæ quia cessat in proximè conjunctis, respectu quorum potiùs præsumitur contrarium, putà quòd testator sciviset rem esse alienam, adhuc rem, vel ejus pretium fuisset legaturus, ideò tenebitur hæres rem alienam emere, vel eis tradere rei æstimationem, *l. 10. C. de leg.* idque etiam tenere Jure Canon. docent *Covar. in c. filius 5. de test. n. 6. Fachin. l. 5. n. 38. Pyrr. n. 84. Leuren. q. 707. n. 4.* Prob. *ex c. si Episcopus 5. c. 12. q. 5.* ubi legatum rei alienæ valere apertè supponitur; accedit ratio, quòd leges civiles etiam juxta Canones servari debeant, nisi ab his legantur correctæ.

13. 7. Si res certa & determinata legata sit, v. g. hæc domus, hic ager, ejus dominium acquiritur legatario etiam ignoranti à die aditæ per hæredem hæreditatis, sed non antè, *l. si tibi 86. de legat. l. si nemo 181. ff. de R. J. Fachin. l. 1. c. 94.* Hoc tamen dominium est revocabile, potéstque legatarius adhuc repudiare legatum, post acceptationem autem redditur irrevocabile, *d. l. 86.* & fictione juris retrotrahitur dominium ad diem mortis, *Reiffenst. n. 680.* ideòque fructus illi, qui aliquo modo sunt pars rei legatæ, velut lana & fœtus ovium, à die mortis debentur legatario, *l. 20. ff. de leg.* de aliis fructibus controvertunt DD. si legatum non est quid determinatum, sed in genere, tunc fructus intermedii acquiruntur hæredi, nisi sit in mora solvendi, *l. si quis 23. ff. de leg. Gomez, Barth. Molin. d. 194. n. 13. V. Leuren. q. 721.*

14. 8. Hæredes alii dicuntur ex testamento, alii ab intestato, qui scilicet sine testamento succedunt; alii vocantur hæredes necessarii, qui in testamento prætiriri non possunt, utpote filii & filiæ, nepotes & neptes, quibus ad minimum debetur legitima triens, seu tertia pars bonorum, æqualiter inter eos dividenda; si verò illorum sint plures, quàm quatuor, debetur medietas, & quamvis ex justa causa in testamento expressa etiam hæres necessarius exhæreditari possit, non potest tamen Jure Cæsareo validè prætiriri; si enim nulla ejus mentio (quod prætiriri dicitur) in testamento fiat, testamentum quoad hæredis institutionem nullum est, valet tamen quoad cætera; imò jus naturæ videtur exigere, ut parentes liberis indigentibus præter legitimam jure civili debitam tantum relinquant, quantum ad honestam eorum sustentationem est necessarium; idem à fortiori tenet in liberis respectu parentum.

15. 9. Peccant parentes contra charitatem, si sine justa causa uni filio vel nepoti plus relinquant quàm alteri. Dixi: *sine justa causa*, qualis esset, si unus esset magis probus, magis de testatore meritus, si plus indigeat, si sit pupillus nondum qualificatus, &c. tunc enim tali plus relinqui posset. Caveant Confessarii, ne cum præjudicio prolium indigentium in suî vel Ecclesiæ favorem pia legata extorqueant; suadeant potiùs, ut memores animæ suæ adhuc in vivis peccata eleëmosynis redimant, quia hoc Deo est gratius; in morte enim dant quasi coacti, quod retinere amplius non possunt, & post mortem hæredes legata sibi demandata infideliter sæpè exequuntur.

16. 10. Si Cajus filiæ à se specialiter meritæ destinaverat dare suppellectilem argenteam, eámque jam ex parte fieri curaverat, sed ante actualem traditionem moriatur, multi sustinent suppellectilem deberi Cajæ, quia satis constat de voluntate donantis, estque donatio virtualis; probabilius tamen est oppositum, quia donatio perficitur traditione, qualis hîc nulla fuit, ut supp. *La Croix l. 3. p. 2. n. 1120.*

17. 11. Hæres sicut succedit in omnia jura & commoda defuncti, ita & in onera seu debita realia, cum hoc tamen privilegio, ut si inventarium fecerit, non teneatur ultra vires hæreditatis, imò solutis expensis funeris, aliisque debitis debetur ei ex Lege Falcidia quarta pars hæreditatis, & si eam habere non possit, ex legatis (intellige non piis) tantumdem subtrahere potest. *Less. Sylv. Dicast. l. 2. t. 19. d. 3. à n. 56.*

18. 12. *Trident. sess. 25. c. 16. de Regul.* statuit, omnes donationes & renuntiationes etiam juratas Novitiorum esse invalidas, nisi fiant duobus mensibus ante Professionem, & cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii; hæc tamen constitutio se non extendit ad contractus onerosos venditionis, permutationis, locationis, quia

quia in his Novitius tantum accipit, quantum dat, neque à regressu impeditur, *Laym. Sanch. Hyac. Don. to. 2. tr. 7. q. 30. n. 5. Pyrrh. n. 87.* Deinde se non extendit ad testamenta Novitiorum, aut donationes mortis causâ, quia cùm hæ firmæ non sint, nisi secutâ Professione, non obstant, quò minùs Novitii liberè ad sæculum regredi possint, quod unicè Trid. præcavere voluit. Item se non extendit ad renuntiationes & donationes factas ante ingressum, *Sanch. Laym. Pyrr. n. 80.* nisi factæ sint intuitu ingressus, tunc enim comprehenduntur Decreto Trid. & sunt invalidæ, *Barb. Less. Pyrr. l. c. Krimer l. 3. q. 31. n. 1723. Reiff. à n. 143. & n. 149.* ubi adducit plures declarationes S. Congreg. Ratio est, quia per ejusmodi donationes non minus impeditur libertas regrediendi, quàm impediatur per donationes in Novitiatu factas, quod impedire voluit Trid. vide tamen *Schmalzgr. l. 3. t. 31. n. 129.* ubi cum multis docet contrarium, dicitque multoties à Rota decisum. Novitius testans in ipso Novitiatu non tenetur servare solemnitates juris civilis, sed potest se conformare Juri Can. de cujus foro jam effectus est; secùs si ante Novitiatum testetur, nisi testetur ad causas pias, *Eng. n. 32.* An Clerici sæculares de bonis Ecclesiasticis testari possint, dixi *Cas. 26. n. 11.*

## *Ex Tractatu de Judiciis.*

## CASUS LXII.

*Publius Judex causas retardat, & ignorans injustas fert sententias, 1. In dubiis & probabilibus sententiatur pro amico, 2. Munera accipit, 3. In quavis causa advocatum agit, 4. Et pluribus subservit, quàm tueri possit, 5. Audito crimine inquirit in Cajum, 6. & cùm nec Fiscus nec alii Cajum accusent, 7. Testes etiam occulta crimina, & ea, quæ sub secreto habent, 8. & omnia, quæ credunt esse vera, etsi ipse sciat esse falsa, edicere cogit, qui falsò dicta non revocant, 9. Reus super crimine interrogatus primùm jurato negat, 10. ex post promissa impunitate fatetur, 11. complices occultos prodit, accusatores de veris & falsis criminibus accusat, 12. Ad declinanda tormenta fatetur crimen à se non commissum vel planè occultum, 13. contra satellites se defendit, carcerem amicis suadentibus & juvantibus effringit, ad triremes condemnatus fugit, 14.* Pro Resolutione

QUÆR. I. Quæ personæ concurrant ad judicium, & quæ sit judicis obligatio?

RE. Ad judicium præcipuè concurrunt judex, advocatus, actor, reus, 1.

testis, &c. Obligatio judicis est : 1. Habere scientiam officio competentem ; si ex culpabili ignorantia, malitia, vel respectu humano iniquam ferat sententiam, peccat mortaliter, tenetúrque ad omne damnum parti læsæ ; idem est, si sententias sine justa causa differat, causetque partibus inutiles expensas, si pergat cum periculo partium in sua inqualificatione, absolvi non potest nisi dimisso officiô. Si bonâ fide pronunciavit injustam sententiam, tenetur monere partem læsam, ut appellatione vel
2. aliter sibi provideat. 2. Debet in judicando sequi id, quod probabilius est, ut dixi *Casu 3. n. 8.* Ratio est, quòd judex ex vi officii & tacito contractu cum Rep. debeat judicare juxta allegata & probata, ideóque illi addicere causam, qui magis probaverit. Si jus utriusque partis sit æquè probabile, aut æquè dubium, & neuter sit in possessione, debet rem litigiosam dividere, aut si dividi non possit, litem per concordiam
3. vel transactionem finire. 3. Debet tantùm judicare subditos, & causas sibi subjectas ; trahens clericum ad tribunal sæculare excommunicatur in Bulla cœnæ. 4. Utroque jure Canonico & civili prohibitum est offerre & judici acceptare munera ob periculum perversionis : imò munera magna ante prolationem sententiæ acceptare videtur jure naturæ illicitum, quia multum inclinant ad pervertendum judicium, juxta illud Eccl. 20. *Xenia & dona excœcant oculos judicum.* Et quamvis unus foret, qui à tali dono non moveretur, moventur tamen plerique, & ideo rectè censetur jure naturæ prohibitum, sicut fornicatio, quamvis fortè in uno vel alio casu non noceat educationi prolium, quia tamen nocet plerumque, ideo omni casu est prohibita ; & quamvis acceptans acquirat istorum munerum dominium, tamen per se ea tenetur restituere ante sententiam, nisi inde timeatur gravis infamia ; nam sicut acceptatio, sic & retentio movet plerumque ad pervertendum judicium, *Lug. d. 37. à n. 129.* Si verò absit omne periculum, nec judex juramento astringatur ad non acceptanda munera, jure naturæ non erit illicitum, exigua quædam acceptare, præsertim post sententiam, dummodò dentur planè liberè, ex justo titulo, v. g. pro extraordinaria judicis diligentia in maturanda sententia, &c.

QUÆR. II. Quæ sint obligationes Advocati?

R. Sequentes : 1. Ut habeat scientiam convenientem suo officio. 2. Ut causa, quam tuetur, sit justa, aut saltem verè probabilis ; nec obstat, quòd opposita ei videatur probabilior ; nam sic cliens habet jus rationes suas probabiles in judicio proponendi, sicut & advocatus nomine ipsius, & fortè judex judicat probabiliorem, quam ipse judicat minùs probabilem, *Vasq. Salas. Lorca, Diana*, & plures apud *Lugo d. 41. n. 8.* Si in cursu litis advertat causam esse injustam, tenetur monere clientem 4.

ut

ut desistat: aliàs & clienti & parti adversæ tenebitur de omni damno inde secuto, *S. Th. q. 73. a. 3.* Hinc antequam suscipiat causam, ejus merita diligenter examinare, & de ejus periculo clientem monere debet. Si quasvis causas suscipere paratus sit, est in continuo statu peccati mortalis, ideóque non potest absolvi
5. nisi mutatâ in melius mente. 3. Debet clienti suo esse fidelis, causam & documenta ejus non prodere, aut adversæ parti simul inservire, nec in eadem causa agere Advocatum & Judicem propter periculum partialitatis, aut plures causas suscipere quàm tueri possit, nec injustè causas vel probationem differendo, clienti vel parti adversæ causare inutiles expensas, tunc enim utrique tenebitur ad restitutionem; pleraque jam dicta etiam tenent de Referendariis, Secretariis, Procuratoribus, Notariis, &c.

QUÆR. III. Quid de ordine judiciali, de actore, reo, testibus, &c.

6. R. 1. Judex in civilibus non procedit nisi ad instantiam partis, qui instat vel petit aliquid in judicio, vocatur actor, à quo aliquid petitur, vocatur reus. In criminalibus triplici modo judex procedere potest: 1. Per viam accusationis, quando scilicet accusator reum in scriptis judici defert cum onere probandi. 2. Per viam denunciationis, quando verbo vel scripto reus judici defertur sine obligatione probandi. 3. Per viam inquisitionis, quando judex ex officio inquirit in crimen, idque vel generaliter, v. g. in genere quærendo, an aliquod crimen commissum sit, vel specialiter, an hoc crimen ab hac persona, v. g. Cajo commissum sit. Inquisitionem generalem judex semper facere potest; specialem non potest, nisi præcesserit infamia authoris per duos testes juratos, ante inquisitionem probata. R. 2. Fiscus vel alius 7.
à Magistratu ad hoc constitutus tenetur ex justitia & officio reos accusare, privatus nunquam tenetur, nisi crimen vergat in grave damnum Reip. vel innocentis, tunc enim tenebitur ex charitate, si commodè possit, illud accusare vel denunciare judici. R. 3. Ad judicium requiruntur ad minus duo testes omni 8.
exceptione majores, in aliquibus causis etiam plures; nemo tamen tenetur testari, nisi legitimè jussus à judice, aut cùm ejus testimonium necessarium est pro avertendo malo Reip. vel innocentis: si crimen sit occultum, nemini damnosum, & in judicio probari possit, licitè potes illud judici deferre, ne crimina maneant impunita, *Suar. Filiut. Mol. tom. 5. d. 32.* ad hoc tamen non teneris; Si verò criminis notitiam habes per injuriam, v. g. ex literis sine jure apertis, sub secreto im- vel explicito, v. g. quà consultus advocatus, medicus, chirurgus, &c. tunc etiam à Superiore jussus crimen fateri nec potes, nec teneris; quia secretum obligat ex jure naturali, contra quod Superior præci-

pere non potest; excipe, nisi reus pergat innocenti vel Reip. nocere, tunc enim secretum esset de re illicita, utpote contra bonum commune vel innocentis, ideòque non obligat, *Less. Mol. d. 5. V. Cas. 18. à n. 7.* Quòd si testis legitimè à Superiore jussus se à testando subtrahat, & alter ex defectu talis testimonii causâ cadat, multi talem obligant ad restitutionem; at verius est oppositum, quia non ex justitia sed obedientia tenebatur dare testimonium: ergo si ex defectu testimonii alter patiatur damnum, hoc reparare non tenebitur; sicut non tenetur juxta omnes Religiosus vel filius-familias, si à Superiore vel patre jussus restinguere incendium in domo vicini, illud non restinguat. ℟. 4. Nullo
9. casu licet testari, vel alium inducere ad testandum scienter falsum; si testis ignoret, tu verò scias, esse falsum, adhuc inducere non pores ad jurandum, quia perjurium etiam materiale est intrinsecè malum sicut blasphemia, *Azor. Suar. Vasq. Pontius, Sanch. to. 1. in dec. l. 3. c. 8. n. 10.* nisi fortè dicas, hîc non esse perjurium, nequidem materiale, eò quòd testis non juret rem ita esse, sed se putare, quòd ita sit, quòd verum est. Qui testatus est scienter falsum, tenetur illud revocare etiam cum pari suo damno, si speretur fructus revocationis. Ratio est, quia in pari damno habenda est major ratio innocentis. Si bonâ fide falsum dixit, adhuc tenebitur & quidem ex justitia revocare, ut patet ex dictis *Cas. 44. n. 3.* sed non cum notabili damno, nisi fortè agatur de vita innocentis. Si dixit crimen verum, sed injustè, quia v. g. habebat sub secreto, vel quia dixit iis, quibus sine detractione dici non poterat, est quidem obligatio famam læsam redintegrandi, sed non cum periculo vitæ, etsi alter inde incurrat sententiam mortis, *Tamb. l. 8. t. 4. c. 1. §. 9.* Nam si crimen est verum & legitimè probatum, sententia mortis est justa, pro justa autem mortis sententia non debetur restitutio saltem cum tanto incommodo. ℟. 5. Circa reum tenenda sunt sequentia: 10.
1. Reus regulariter à judice non potest condemnari, nisi citatus, auditus & convictus. 2. Si reus interrogetur à judice super crimine nequidem per unum testem vel alia indicia semiprobato, respondere non tenetur, imò crimen etiam juratò negare potest; hoc enim non est mentiri, sed dicere se non commisisse crimen semiprobatum, quod verum est, si crimen est semiprobatum, *Nav. Sylvest. Ang. Rodriq.* aliique apud *Lug. d. 38. n. 14.* docent, reum adhuc non teneri fateri, quando agitur de amissione vitæ vel membri, honoris, libertatis vel omnium bonorum, idque *Lug. Less. Henriq.* meritò dicunt esse valde probabile. Ratio est 1. quòd lex humana non obliget cum maximo vitæ periculo, nisi propter maximum Reip. damnum, quod hîc esse non supponitur. 2. Reus absens citatus non tenetur comparere etiam cri-

crimine plenè probato, & incarceratus fugere potest: ergo nec crimen semiprobatum tenetur fateri. 3. Testis jussus testari contra proximè conjunctum vel etiam contra extraneum cum gravi suo damno non tenetur obedire: ergo nec contra seipsum cum manifesto vitæ periculo; opposita tamen sententia, quòd reus super crimine semiprobato juridicè interrogatus teneatur veritatem contra se fateri, est communis, *S. Th. q. 69. a. 1. Cajet. Sotus, Covar. Less. Sanch. cons. l. 6. c. 3. dub. 29.* nam judex in tali casu habet jus interrogandi: ergo alter obligationem respondendi, sunt enim hæc essentialiter correlativa; deinde bonum commune videtur exigere ejusmodi confessionem, ne crimina maneant impunita; bono autem communi vita privata nocentis postponi debet. Sententia prior in tantum servit, ut Confessarius non teneatur multum urgere reum ad fatendum crimen, minùs propterea denegare absolutionem, dummodo neget bonâ fide. 3. An confessio rei spe impunitatis extorta sufficiat ad ejus condemnationem, non convenit inter DD. 11. Si reus erat obligatus crimen fateri, eò quòd esset semiprobatum, tunc sive impunitas fictè, sive ex animo promissa fuit, judex nec potest, nec debet stare promissis, postquam crimen legitimè confessus est, nisi fortè sit judex supremus, & illæ adsint circumstantiæ, ut pœnam licitè relaxare possit; judex autem inferior, quia non potest pœnam relaxare, sed ex officio tenetur plenè confessum condemnare, ideóque ejus promissio fuit de re illicita, & per consequens impleri nec potest, nec debet, *Felin. Sanch. l. 1. de matr. d. 11. n. 2.* Econtrà si reus non tenebatur fateri crimen, eò quòd semiprobatione vel aliis indiciis non esset sufficienter gravatus, confessio non est valida, & sententia inde secuta est nulla, tenetúrque judex ad omnia damna, *Gometz, Imola cons. 106. Lug. à n. 178.* Ratio est, quia tunc judex nullum jus habet ad interrogandum, minùs ad dolo extorquendam confessionem: ergo confessio est injuriosè obtenta cum obligatione restitutionis; si tamen tertius absque culpa judicis confessionem extorsisset, posset reus à judice condemnari, quia crimen est plenè probatum, & judex nulli fecit injuriam. 4. Reus nec debet nec potest prodere complices omninò occultos, si convinci non possint, nec pergant nocere; tunc enim non est justa causa eos diffamandi, potest verò ad justam sui defensionem accusatoris vel testium occulta crimina revelare ad infirmandam eorum authoritatem, non tamen licitum est eis falsum crimen imponere, etiamsi injustè ab iis esset accusatus, ut certum est ex *Cas. 46. n. 18.* Sicut non licet alteri, sic nec sibi ipsi ad evitanda v. g. tormenta falsum crimen imponere, id enim foret pernicioſum mendacium, & seipsum moraliter occidere, si obinde

11. 12. 13.

de prævideatur ad mortem condemnandus, ſicut moraliter occideret alterum, ſi ad evitanda tormenta ei capitale crimen imponeret, & judicem induceret ad occidendum innocentem. *Dices:* Ergo etiam ad evitanda tormenta vel ex motivo pœnitentiæ non poſſem fateri occultum crimen verum, ob quod occidar, quia eſſet poſitivè concurrere ad mortem propriam. ℟. Eſſet concurrere ad mortem propriam juſtè infligendam, quod faciliùs excuſari poteſt, quàm ſi concurratur ad mortem injuſtam ſeu non prometitam. 6. Reus poteſt licitè facere, ut non capiatur, vincula & carceres & fringere & fugere, vel etiam ſe ex manibus ſatellitum extricare, dummodo miniſtris juſtitiæ vim non inferat; hoc enim eſſet poteſtati publicæ reſiſtere, quæ conſiſtit in judice & miniſtris, non in vinculis & carcere, *Leſſ. Sanch. c. 4. dub. 7. Lug. d. 4. à n. 41.* ubi dicit, juſtè ad triremes damnatum, & jam ibi exiſtentem, licitè fugere poſſe, quia præceptum ibidem perſeverandi eſt infirmitati humanæ intolerabile, ſicut præceptum ferendi mortem vel mutilationem. Sed potéſtne quis licitè adjuvare reum ad fugiendum, vel carcerem effringendum? ℟. Certum eſt, id non licere miniſtris & Officialibus juſtitiæ, quia ex officio tenentur cuſtodire; certum eſt ſecundò, alios poſſe ſuadere reo fugam; quia ſi reo licitum eſt fugere, cur non liceat conſultori fugam conſulere? Tertiò licitum eſt reo præbere inſtrumenta ad effringendum carcerem; quia reus licitè poteſt uti illis inſtrumentis, ergo & alius licitè ea ſubminiſtrat; ſicut ſi licitè quis piſcetur in alieno lacu, licitè ei ad hoc miniſtro mea retia, ita contra *Sotum, Valent. Nav.* tenent *Cajet. Salon. Medin. Vaſq. Leſſ. c. 31. dub. 6. Sanch. ſup. dub. 10. Tamb. l. 9. c. 2. §. 2. n. 12.* ubi dicit, etiam licere reum juvare ad ipſam carceris fractionem: 1. Quia licitè ad hoc reo exhibeo mea inſtrumenta, cur non meam operam? 2. Reus me licitè adhibet ſocium in effringendo; cui enim licet finis, etiam licent media neceſſaria: ergo & ego eum licitè adjuvo; ſicut ſi extremè indigens licitè aliena ſurripere poſſit per ſe, poſſum & ego pro ipſo tanquam inſtrumentum, idque quoad proximè conjunctos, qui ſunt eadem perſona cum reo, facilè admitto cum Dicaſt. de aliis cum communi N. quia ſi cuilibet liceret effringere carcerem, periret omnis carceris ſecuritas, cùm facilè uni reo, non autem omnibus invigilari & reſiſti poſſit.

****

Ex

*Ex Tractatu de Religione.*

# CASUS LXIII.

## De Statu Religioso, ejus essentia & proprietatibus.

*QUirinus Theologus interrogatur:* 1. *An vovens castitatem, obedientiam, &c. in manu Confessarii, sit verus Religiosus.* 2. *An ad Novitiatum admitti possit impubes, infamis, debitis obstrictus, &c.* 3. *An annus Novitiatûs debeat esse integer de momento ad momentum.* 4. *An interrumpatur, si Novitius diu extra moretur, vel vestem secularem animo abeundi sponte, aut jussu Superioris ad breve tempus reassumat.* 5. *An completo Novitiatu dimissus & reassumptus indigeat novo Novitiatu.* 6. *Quid si transeat ad aliud Monasterium, vel post transitum redeat.* 7. *Quid si Professio sit nulla defectu etatis, vel ob non expletum annum probationis.* 8. *An Novitius juste vel injuste ejectus & iteratò receptus, debeat Novitiatum de novo inchoare.* 9. *An exire possit, qui vovit perseverare.* 10. *An Novitius licitè ejici, & donata ab ipso saltem ad compensationem victûs retineri possint.* 11. *An valeat Professio ante annum decimum sextum, vel facta ex metu reverentiali, aut absque consensu omnium Conventualium, & an mortuo Prælato Conventus Professiones recipere possit.* 12. *Quid si fœmina profiteatur in Monasterio virorum, vel hermaphroditus, aut fortè non baptizatus, vel non manifestans defectum occultum.* 13. *Qui sint effectus Professionis.* 14. *Qualiter intra quinquennium Professio invalida reclamari possit, & an credatur juranti.* 15. *An ignorans invaliditatem audiatur post quinquennium, & an interim gaudeat Ordinis privilegiis, & in Superiorem promoveri possit.* 16. *Quid si invaliditatem probare nequeat.* 17. *An Professio invalida revalidari possit sine nova Superiorum acceptatione.* 18. *An & qualiter Professo transire liceat ad aliam Religionem?*

Religio quandoque accipitur pro virtute, quâ Deo debitus cultus exhibetur, de hac & vitiis eidem oppositis agemus paulò post; pro nunc tractabimus de Religione, in quantum significat Statum Religiosum. Et quidem pro Resolutione Casûs

QUÆR. I. Quid sit Status Religiosus?

R. Est vita communis, quâ fideles per emissionem trium votorum in Ordine ab Ecclesia approbato tendunt ad perfectionem Christia-

nam; est communis & certa: tria autem vota consistunt in obedientia, quâ propria voluntas, in paupertate, quâ jus & omne dominium rerum temporalium, & in castitate, quâ omnis delectatio venerea abdicatur; ideoque tria ad substantiam Religionis requiruntur: 1. Dicta tria vota. 2. Traditio sui facta irrevocabiliter saltem ex parte voventis; quod addo, quia Societas JEsu est vera Religio, ut patet ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*, aliorúmque Pontificum, & tamen ex parte Societatis acceptatio est revocabilis, quoad illos, qui emiserunt vota simplicia. 3. Debet fieri traditio in Ordine à Sum. Pontifice approbato, unde omnes ii, qui in manus Confessarii, vel aliter extra Religionem approbatam tria vota emittunt, non sunt propriè Religiosi, *Suar. Laym. Hiac. Donatus rerum Regul. to.* 4. *tr.* 1. *q.* 4. Et quamvis omnes Religiones in substantia conveniant, distinctas tamen, & præcipuè quatuor habent regulas, videlicet S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci, excipe Carthusianos, Societatem JEsu, & Minimos institutos à sancto Francisco de Paula, qui speciales habent regulas ab Ecclesia approbatas, *v. Reiff. l. 3. decret. t.* 31. *à n. 23.* ubi omnes Ordines eorúmque initia recenset.

QUÆR. II. Quinam ad Religionem recipi possint?

R. Ut aliquis ad Novitiatum recipi possit, requiruntur seqq. 1. Ætas pubertatis, id est, in fœmella annus duodecimus, in masculo decimus quartus completus, *c.* 18. *de Regul.* quia tunc priùs adest discretio sufficiens ad experienda onera Religionis, *Pyrrh. l. 3. t.* 31. *n.* 26. ita ut quamvis habitus citiùs assumi possit, non tamen valeat ad annum probationis computari. In nostro S. Ordine Præmonstratensi in Clerico ad Novitiatum licitè recipiendo requiritur annus decimus sextus, in converso vigesimus. 2. Requiritur, ut sit liber à servitute, ut certum est ex Bullis Sixti V. & Clementis VIII. 3. Ut non sit infamis, *arg. c. 1. caus.* 19. *q.* unde arcendi sunt lictores, carnifices, histriones, mimi. 4. Prohibentur recipi debitis & ratiociniis obstricti, *c.* 1. *dist.* 53. intellige, si in sæculo manentes intra breve tempus satisfacere possint, *v. Cas.* 49. *n.* 18. 5. Corpore vitiati, ut cœci, muti, surdi, deformiter claudi, gibbosi, hermaphroditi, morbo caduco vel gallico affecti, *Pellizz. t. 2. c.* 4. *Donat. to.* 7. *t. 3. q.* 23. *&* 26. cùm enim ex *tit. de corpore vitiatis* hi arceri debeant à Statu Clericali sæculari, multò magis à Statu Religioso, utpote perfectiore. 6. Recipi prohibentur criminosi, fures, latrones, homicidæ, & de similibus criminibus suspecti. 7. Recipi non potest Episcopus sine Papæ licentia, *c.* 2. *de translat. Episc. c. nisi* 10. *de renunt.* 8. Nec filius, cujus parentes sunt in gravi vel extrema necessitate, & ab ipso in sæculo manente

2.

nente absque periculo animæ propriæ juvari possunt, *Donat. q. 2.* quia propter opus consilii non est relinquendum opus præceptum. Si parentes filii ope non indigeant, iis etiam invitis recipi potest, *c. cum virum 12. de Regul.* 9. Antequam Novitius recipiatur, diligens inquisitio facienda est super ejus vita, moribus, habilitate, & quo spiritu, mente & zelo Religionem elegerit, Bulla Clem. VIII. *cùm ad Regularem.* An verò Religionem ingredi, & per consequens admitti possit, qui vi, fraude vel spe matrimonii virginem defloravit, dixi *Cas. 43.*

QUÆR. III. Quid circa Novitiatum?

52. Sequentia: 1. Requiritur
3. annus integer à susceptione habitus, ita ut Professio antea facta sit invalida, *Trid. sess. 25. c. 11.* & quidem hoc tempus computandum est à momento ad momentum, ita ut si vel una hora desit, Professio sit invalida, *Azor. Sanch. Dian. Graffius, Sannig. de reg. c. 4. n. 3. La Croix l. 4. n. 13. Krimer l. 3. n. 2683.* Ratio est, quia Trid. requirit annum integrum, sed si desit hora, non est integer: ergo. Idque nunc certum esse per definitionem S. Congregat. ex Barbos & Fagn. docet *Reiffenst. n. 97.* 2. Novitiatus
4. debet esse continuus, si fuerit interruptus, debet de novo inchoari, *Miranda, Pirrh. n. 40. Krimer n. 2680.* & teste Fagn. omnes: tunc autem censetur Novitiatus interrumpi, si Novitius vel sponte, vel dimissione à Superiore obtentâ locum & animum Religionis dimiserit, etiamsi tantùm ad unam vel alteram horam, *Sylvest. Sanch. Nav. Krimer. l. c.* & ita declaravit S. Congreg. apud Fagn. in *c. insinuante n. 36.* quia Tridentinum ad valorem Novitiatûs requirit annum continuum, sed si vel una hora per interruptionem Novitiatûs cesset, non est annus continuus: ergo. Si Novi- 5.
tius cum licentia Superiorum sanitatis vel negotiorum causâ etiam per aliquot menses moretur extra Monasterium, vel ægrotet, non interrumpitur Novitiatus, sed nec tunc si Superior Novitium indutum veste sæculari eras volebat dimittere, sed mox mutatâ mente vestes Ordinis reddat, aut si Novitius ex intentione abeundi clam dimittat habitum, sed Monasterio nondum relicto iterum reinduat, non indigebit novo Novitiatu, quia interruptio non censetur completa, nisi accedat Superiorum dimis- 6.
sio vel Monasterii egressio. 3. An verò post completum Novitiatum dimissus & reassumptus indigeat novo Novitiatu, disputant AA. si mores Novitii non videantur notabiliter immutati, neque Religio sit interim reformata ad majorem rigorem, probabilius judico Novitiatum non esse necessariò renovandum, *Pelliz. Sanch. Lezana, Pyrrh. Krimer n. 2694.* quia Tridentinum plus non requirit quàm annum integrum probationis, nec

ullâ lege præscribitur, ut Novitiatus & Professio fiant tempore continuo. Si Novitius ex inconstantia Religionem deseruit, expediet eum de novo probari, si non per annum, saltem ad aliquot tempus. 4. Si Religiosus ad diversam Religionem, vel ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium, quod est reformatæ & strictioris observantiæ, transeat, indiget novo Novitiatu, quia novi Monasterii vel Ordinis asperitates nondum probavit, nec Ordo vel Monasterium ipsius mores. Econtra si à posteriore Ordine, ad quem legitimè transiit, redeat ad priorem, non tenetur in illo repetere Novitiatum, quia jam probavit asperitates prioris Ordinis & hic illius mores, *Pelliz. in man. t. 2. c. 1. q. 13. n. 20.* 5. Si præmisso integro Novitiatu ex defectu ætatis vel alterius requisiti Professio est invalida, non indiget novo Novitiatu, quia per integrum annum probatus fuit, adeòque expletâ ætate vel sublato per dispensationem impedimento satis est, si ratificetur Professio invalidè edita; imò nec tunc, quando Professio est nulla, quia emissa est ante expletum probationis annum, necessarium est totum annum repetere, sed sufficit, si suppleatur tempus, quod deerat, & Professio ex post renovetur, vel ratificetur, quia Novitiatus per Professionem non fuit interruptus, *Sanch. l. 7. de matr. d. 37. à n. 45.* 6. Novitius justè ejectus, si reassumatur, debet novum Novitiatum subire, quia judicatus est ineptus ad Ordinem, per consequens Novitiatus ejus non fuit validus, secùs si injustè ejectus, & per appellationem ad superiorem fuerit restitutus; nam per accessum ad Superiorem Novitiatus non interrumpitur, *Pellix. q. 26. n. 43.* 7. Novitius, si bonâ fide judicet, religionem sibi non expedire, liberè ad sæculum regredi potest, etiamsi voverit eam intrare, vel in ea perseverare, *Sotus l. 7. q. 2. a. 1. ad 3. Pyrrh. n. 67.* Ratio est, quia *Trid. sess. 25. de Reg. c. 15.* declarat, ipsam professionem seu votum solenne permanendi emissum ante expletum probationis annum nullam habere vim & obligationem: ergò multò minùs obligationem pariet, & libertatem regrediendi impediet votum simplex perseverandi. Si voverit ingredi certum Ordinem, & non recipiatur in uno Monasterio, tenetur operam dare, ut recipiatur in altero; & si admissus sine gravi causa egrediatur, peccat mortaliter, & denuò pro susceptione instare tenetur, *D. Th. 2. 2. q. 88.* 8. Novitium injustè ejicientes peccant mortaliter cum obligatione recipiendi, ut dixi *Cas. 44. n. 6.* & ejectus appellare potest ad Superiorem, qui eum restituere debet, *De-Luca, Pignat. Donatus to. 2. t. 5. q. 10.* Ratio est, quòd legitimè susceptus acquisierit jus ad rem seu professionem. 9. Novitio ejecto vel exeunti omnia, quæ secum tulit, & quæ parentes vel consanguinei ex ejus bonis (intellige in tanta quantitate,

7. 8. 9. 10.

titate, quæ liberum ejus regreſſum impedire poſſint) Monaſterio donârunt, *à Trident. ſeſſ. 25. c. 16.* ſub anathemate reddi jubentur; non tamen ipſe habitus, ſed ejus pretium, quo æſtimatur tempore diſceſsûs, ei reddi debet, *Barboſ. Pelliz. c. 6. n. 28.* Nec poteſt aliquid exigi pro victu vel amictu, niſi ita habeat conſuetudo, vel de ſolutione pactum interceſſerit, *Lug. de juſt. ſ. 9. àn. 61. La Croix n. 54. Eng. l. 3. t. 31. n. 5.* quia reditus Monaſterii non tantùm ad alendos profeſſos, ſed & Novitios, ordinati ſunt, & Novitii Monaſterio exhibent ſua officia: ergo dignum eſt, ut à Monaſterio alantur: & quamvis ſuper victu vel veſtitu pactum ſit, non poterit tamen Novitius ab egreſſu impediri, uſque dum ſolvat; & ſi tunc non habeat, vel ſolvere recuſet, cum poſtea convenire & Monaſterium ſibi imputare debet, quòd talem ſuſceperit, *Sanch. Pelliz. n. 11. Pyrrh. n. 65.* Si Novitius moriatur in Novitiatu, vel antequam ſit validè profeſſus, & dos jam ſoluta ſit Monaſterio, reſtitui debet hæredibus unà cum fructibus, & ita deciſum eſſe refert *Barboſa de pot. Epiſcopi alleg. 101. n. 40.*

QUÆR. III. Quid ſit profeſſio, & quæ ejus requiſita?

11. R. Profeſſio Religioſa eſt legitima emiſſio votorum ſolennium in Religione approbata; ad ejus valorem requiruntur ſequentia: 1. Annus ætatis decimus-ſextus completus, *Trid. ſeſſ. 25. de Reg. c. 15.* In Ordine noſtro Præmonſtratenſi prohibetur profeſſio fieri ante annum decimum-octavum completum, valet tamen citiùs facta, quia lex hæc eſt ſolùm prohibens, non irritans. 2. Prærequiritur annus integer probationis, ut dictum eſt ſup. in probabili periculo mortis valet profeſſio ante expletum Novitiatum quoad indulgentias & gratias ſpirituales, non autem quoad reliquos effectus, ideóque Novitio reconvaleſcente reiteranda eſt, utì ex ipſa Bulla Pii V. qui illud privilegium conceſſit Monialibus S. Dominici, probant *Rodriq. Reiffenſt. n. 183.* 3. Requiritur, ut profeſſio ſit libera à metu gravi & injuſto, *Trid. l. c.* Metus gravis reputatur intentatio mortis mutilationis, inediæ, carceris, gravium verberum, ſtupri, amiſſio patrimonii vel bonorum. Ita omnes teſte *Sanch. l. 4. de mat. d. 4.* Metus reverentialis non cenſetur gravis, niſi conjungatur cum importunis precibus, minis, aut cum timore gravis & diuturnæ indignationis parentum, in dubio ad arbitrium judicis recurrendum eſt. Ita plurimi apud *Sanch. diſp. 6. Donat. Pyrrh. l. c.* Qui puellam invitam cogunt Monaſterium ingredi, vel volentem ingredi ſine cauſa impediunt, non tantùm peccant mortaliter, ſed & excommunicantur à *Trid. c. 18.* 4. Ad valorem profeſſionis requiritur, ut acceptetur à Superiore Ordinis cum conſenſu Conventûs, *Rodriq. Laym. Pelliz. t. 3. c. 3. q. 7.* quia profeſſio eſt contractus oneroſus & reciprocus, *& quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, R. 29. jur. in 6.* Non

tamen requiritur, ut singuli consentiant, sed sufficit, si consentiat major pars; imò ex consuetudine fieri potest, ut potestas recipiendi ad solum Superiorem spectet, & tunc eo mortuo nequit Conventus Novitios ad professionem recipere; secùs si ad Conventum & Superiorem simul spectet, *c. fin. de Regul. transf. in 6. Reiffenst. à n. 168.* 5. Requiritur debitus sexus, unde invalidè profitetur mulier in Monasterio virorum, vel econtrà, item hermaphroditus, in quo prævalet sexus oppositus, vel in quo uterque sexus est æqualis, quia Superiores non censentur talem professionem velle admittere, *Sanch. de mat. l. 7. d. 106.* 6. Invalida est professio non baptizati, quia non est membrum Ecclesiæ, ergo nec Religionis. Si Baptismus sit dubius, debet quidem baptizari, standum tamen videtur pro valore professionis, quæ est in possessione, *Menoch. l. 6. præsumpt. 4.* 7. Si professurus interrogetur super defectu vel crimine, illudque non manifestet, & Superior non intendat eum incorporare cum tali defectu, professio est nulla; si Superior simpliciter consentiat, non recordatus fortè talis defectûs, professio est valida, etiamsi consensurus non fuisset cognito defectu, nisi sit speciale statutum hujusmodi professionem irritans; profitens cum defectu occulto nocivo Religioni gravem facit ei injuriam.

12.

13. 13. QUÆR. IV. Qui sint effectus professionis Religiosæ?

R. Sequentes: 1. Obligatio perpetua ad tria vota substantialia & manendi in Religione, quod vinculum mutuo Religionis & professi consensu tolli non potest; imò nec Papa facere potest, ut quis manens Religiosus non obligetur tribus istis votis, quia hæc vota sunt de essentia statûs Religiosi; potest tamen Papa ex causa boni communis dispensare in his votis, & facere de monacho non monachum, *Gloss. in c. 6. de stat. monach. & ibid. Abbas n. 21. Cajet. Nav. Laym.* & innumeri apud *Sanch. de mat. l. 8. d. 8. n. 4. Mendo diff. 12. n. 37* & Papam sic sæpiùs dispensâsse constat ex historiis apud Baron. ad annum Christi 1041. Ratio est: Papa potest dispensare in votis simplicibus, ut admittunt omnes, ergo & in solennibus, cùm solennitas sit inventum Ecclesiæ, *c. un. de votis in 6.* Vid. *Cas. 107. q. 3.* 2. Remissio omnis culpæ & pœnæ, ita ut à SS. PP. Baptismo æquiparetur, quod *Laym. hìc c. 10. n. 1. Pelliz. c. 4. n. 12.* etiam ad renovationem votorum extendunt. 3. Professio commutat vel extinguit omnia vota simplicia priùs emissa, *c. scripturæ de voto*, ubi dicitur: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare.* V. dicenda *Cas. 71.* 4. Aufert irregularitatem ex natalibus provenientem in ordine ad suscipiendos S. Ordines, non autem ad prælaturas, *c. 1. de filiis presbyt.* Neque tollit irregularitates ex aliis culpis vel defectibus ortas. 5. Inhabilitat ad matrimonium subse-

sequens, & dissolvit matrimonium ratum, ut dicam *Cas. 107. q. 3.*

QUÆR. V. Quid circa revalidationem vel reclamationem Professionis?

14. Rs. 1. Si Professio ex defectu ætatis, liberi consensûs, vel aliter est invalida, Religiosus non tenetur eam revalidare, sed *Trid. sess. 25. c. 19.* concedit ei quinquennium à die Professionis, quo contra eam reclamare valeat; *Et tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. Quòd si autem habitum sponte* (hoc est temerè & sine causa) *dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim verò nullo privilegio sui Ordinis juvetur.* Ad probandam autem invaliditatem Professionis non sufficit nuda assertio, etsi juramento firmata, *Sanch. l. 7. de mat. d. 37. n. 14. Cajet. 2. 2. q. 88. a. 1.* quia contra jurantem stat præsumptio juris, & de jure contra quam nulla admittitur probatio,

15. nisi evidens. 2. Post quinquennium non ampliùs auditur, nisi doceat se invaliditatem ignorâsse, vel à reclamatione vi, metu aut fraude fuisse impeditum, quia impedito non currit tempus, ita probabiliter *Suar. Rodriq. Nav. l. 3. cons. 23. n. 3. Castropalao dis. 2. pun. 7. n. 5.* Ad intentum tamen Trid. veriùs est, etiam ignorantem post quinquennium non audiri, cùm Trid. expressè dicat: *Quinquennium currat à die Professionis tantùm*; ergò non à die habitæ notitiæ, & pro hoc declarationes Cardinalium afferunt *Fagnan. Donatus to. 2. t. 12. q. 13. Pignat. to. 3. cons. 37.* Hoc tamen non obstante iidem cum *Sanch. Barbos. Reiffenst. n. 204.* docent ab ignorante invaliditatem, vel aliter impedito, post quinquennium impetrari posse restitutionem in integrum, sed non nisi à Papa & cum magna difficultate, interim quo se ab Ordine expedire non potest, gaudet omnibus Ordinis privilegiis, & potest absolvi ut alii Religiosi, quia præsumitur esse talis, donec contrarium per sententiam declaretur, possetque ad Ordines & Superioratum promoveri, nisi expressè reclamaret & diceret, se ratificare non velle, *Sanch. La Croix n. 29.* 3. Si quis in foro 16. externo nullitatem probare non possit; in foro tamen conscientiæ certus sit professionem esse nullam, eandemque nunquam expressè vel tacitè ratificaverit, non obligatur Religione, sed potest discedere, dummodo absque gravi scandalo vel majori incommodo fieri possit, *Nav. consil. 89. Pyrrh. n. 148. Donat. q. 21.* Ratio est, quòd ad Professionem essentialiter requiratur consensus profitentis, quem lex humana supplere non potest, & Trid. præcipiens post quinquennium non audiri Professum fundatur in præsumptione ratificationis; si ergo Professio ex post nunquam ratificata fuit, manet nulla,

nec

nec obstat, quòd ignorans invaliditatem professionem forsan renovaverit, sive expressè, sive tacitè exercendo officia veri professi, dando votum in Capitulo assumendo S. Ordines, &c. quia ignorantis nullus est consensus, sicut incogniti nulla voluntas, *Nav. cons. 5. & 39. n. 4. Pelliz. c. 5. n. 57.* nisi expressè apud se statuat, quòd velit modò Professionem ratificare, etsi ab initio fuisset invalida, *Pelliz. Pyrrh. l. c.* 4. Si Professio sit nulla
17. ex defectu solius consensus in professente, tunc revalidari & ratificari potest in secreto coram Deo, nec opus est Superioribus de hoc quicquam dicere, idem probabiliter etiam tenet de Professione invalida ex defectu ætatis vel alterius necessariò requisiti, quia Superiores jam consenserunt in Professionem, & consensum non revocârunt, vel saltem sufficit, quòd Papa, qui est supremus Ordinum omnium Generalis, consentiat, juxta *c. significatum de reg. & trans. & c. 1. eod. in 6. Barbos. Nav. l. c. Sanch. La Croix l. 4. n. 31. Reiffenst. à n. 219.* ubi id probat ex Trid. & declaratione Cardin. edita 29. Martii 1598. quæ solùm requirit tacitam vel expressam ratificationem professi, nullam autem mentionem facit novæ acceptationis ex parte Superiorum.

QUÆR. VI. An professus ad alium Ordinem transire possit?

18. R. Id de jure fieri posse, si adsint sequentia: 1. Ut non fiat ex temeritate, levitate, ira, odio erga Prælatum, sed zelo majoris boni vel perfectionis consequendæ, si præcesserunt rixæ, aut transitum minatus est, præsumitur finis non bonus, *Sanch. l. 6. mor. c. 17.* 2. Transitus regulariter fieri debet ad Ordinem strictiorem, & austeriorem, si non ex regula, saltem ex moderna observantia talem, *Rodriq. to. 3. q. 52. a. 4. Reiffenst. n. 264.* 3. Transitus fieri non debet cum gravi damno vel infamia primæ religionis, quia commune bonum privato præferri debet, *Pyrrh. n. 160.* 4. Requiritur licentia, quam causâ & fine transitûs examinatis dare potest immediatus Superior localis, vel Abbas, *Sylvest. Azor. Sanch. l. c.* nec requiritur consilium vel consensus conventûs in transitum ad strictiorem, secùs si ad æqualem, *Pyrrh. n. 65.* quia in transitu ad strictiorem Religiosus utitur suo jure, & in melius commutatur, quod non fit in transitu ad æqualem. Dixi, de jure communi; nam hodiedum pleræque Religiones privilegium habent, vi cujus Religiosi prohibentur transire ad Ordinem etiam strictiorem sine expressa licentia Papæ, teste *Donat. to. 1. t. 5. q. 45.* & illa licentia non conceditur, nisi doceatur, quòd Religio strictior parata sit eum suscipere, & antequam suscipiatur, debet transiens exhibere litteras dimissorias sui Superioris & licentiam Papæ. Hujusmodi transitus non expedire neque utiles esse docent plerique cum *D. Th. 2. 2. q. 189. a. 8.* & probat experientia.

CASUS

# CASUS LXIV.

## De obligatione Religiosorum. De clausura. De ejectis, fugitivis, apostatis, aut habitum deponentibus.

*Raguſa monialis præcepta Superiorum, eò quòd putet eſſe nimis dura vel inutilia, non obſervat.* 1. *Reformationem admittere renuit.* 2. *Statuta ſub peccato non obligantia negligit.* 3. *In Novitiatu ſuos inviſit cum licentia ſolius Abbatiſſæ.* 4. *Profeſſa petit licentiam ab Epiſcopo vel Superiore Regulari.* 5. *Clauſuram admittere non vult, quia eam non eſt profeſſa.* 6. *Exit prætextu morbi, aut ad aſſiſtendum matri infirmæ, vel allegat cauſam falſam, vel ceſſante causâ non redit.* 7. *Puellas & pueros,* 8. *Sartores, ſutores ad clauſuram admittit, Confeſſarius & Superior ex variis cauſis clauſuram intrant, v. g. ad ſuſcipiendam inveſtitionem vel profeſſionem, ad viſitationem, ad præſidendum electioni.* 9. *Hi ſe excuſant per conſuetudinem.* 10. *Monialis per licentiam ab Abbatiſſa vel Confeſſario conceſſam.* 11. *Vel ex hoc quòd clauſura tantùm leviter ſit violata.* 12. *Ad clauſuram virorum cum aliis admittitur.* 13. *Et quia Superiores de ea dimittenda deliberant.* 14. *Ipſa ſub prætextu adeundi Superiores fugit.* 15. *Et ad latitandum vel liberiùs peccandum habitum dimittit, vel alium ſuperinduit.* 16. Reſolutio conſtabit ex ſequentibus.

QUÆR. I. Ad quid obligetur
1. Religioſus vi ſuæ profeſſionis?

*R. D. Janſen Pars I.*

R. 1. Obligatur ad tria vota ſubſtantialia, paupertatem, caſtitatem, obedientiam; paupertas vetat omne proprium, ut fusè dixi *Caſ. 27.* Caſtitas omnem delectationem veneream in- & externam; obedientia obligat ad omne illud, quod Superior juſtè præcipit; præcipit autem juſtè omnia ea, quæ in Regulis & Statutis ſui Ordinis continentur, vel ad eorum votorúmque meliorem obſervantiam conducunt, dummodo non ſint exorbitantia & ab inſtituto Ordinis planè aliena; ſic quamvis continua carnis abſtinentia, veſtium groſſities, diſciplinæ aliæque corporis macerationes tutiorem fortè reddant caſtitatem, propterea tamen non poſſunt continuò præcipi, ſed ſolùm ad tempus & moderatè, aut in pœnam, vel tunc quando alia media ad domandam carnem non ſuppetunt. Superior nunquam cenſetur velle obligare ſub culpa, niſi ex verbis vel modo præcipiendi id colligi poſſit, ut ſi dicat: Præcipio in virtute S. Obedientiæ, in nomine JESU Chriſti, quantum poſſum, &c. tunc in materia gravi non obedire erit mortale, ſecùs tantùm veniale, Sanch. *l. 6. mor. c. 4. n. 70.* In dubio an præceptum ſit juſtum, utile vel

honestum, præsumptio stat pro Superiore, utpote cujus potestas præceptiva est in possessione, idque exigit bonum commune; & dato quòd Superior erret, tamen subditus obediendo non carebit suo merito. 2. Sed quid si Superiores velint reformationem inducere, vel regulam ad primævum rigorem revocare, an subditi teneantur obedire, maximè ii qui professi sunt ante ejus reformationem? R. 1. Si primævus rigor est mitigatus ex privilegio Apostolico de decreto Ordinis, vel ex rationabili consuetudine remittente v. g. vigilias nocturnas, continua cilicia, abstinentiam perpetuam à carnibus, &c. tunc ij qui ejusmodi rigorem professi non sunt, non tenentur eum admittere, quia ex consensu Superiorum, vel ex rationabili consuetudine est abrogatus. R. 2. Si relaxatio inducta est ex negligentia Superiorum, tendatque in destructionem disciplinæ, scandala aut votorum substantialium violationem, tenentur omnes etiam ante reformationem professi eam admittere, quia ejusmodi consuetudo utpote irrationabilis non jus, sed corruptelam induxit; attamen novus ille rigor non debet esse nimius, & multum à moderna observantia alienus: quia perfectio hominis religiosi non consistit in summo rigore & vitæ austeritate, quam multi sine corporis & animæ ac etiam desperationis periculo ferre non possent, sed in perfectione amoris Dei, ad quem etiam in Ordine mitigatiore sufficientia remedia esse queunt, & antecedenter professi hunc rigorem in novitiatu non sunt experti, neque præsumi possunt ad illum in professione se obligare voluisse, *Eng. l. 1. decret. t. 2. n. 124. Fagn. in c. recolentes de Stat. Monach. à n. 5. Zoes. l. 3. t. 35. n. 9. Pyrrh. ibid. n. 14. Schmalzgrub. ibid. n. 78.* ubi dicit ad inducendum novum rigorem requiri consensum majoris partis Capituli.

3. R. 2. Altera obligatio Religiosi est ad servandas Ordinis sui constitutiones & regulas, quæ si sint præceptivæ, obligant juxta qualitatem materiæ graviter vel leviter, si purum contineant monitum, vel sint purè directivæ, per se loquendo non est peccatum eis contravenire. Dico: per se loquendo; nam per accidens ordinariè erit veniale ex affectu tepiditatis, acediæ, otiositatis; vel etiam mortale, si adsit contemptus Regulæ vel Superioris, *D. Th. 2. 2. q. 186. a. 10.* Imò communis est sententia, quòd mortaliter peccet, qui nullum habet perfectionis studium, aut ex consuetudine vel levitate quaslibet regulas vel statuta de se non obligantia infringit, quia ordinariè adest contemptus virtualis, grave damnum disciplinæ vel scandalum, quo alii ejus exemplo ad idem faciendum pertrahuntur, vel facit se Ordini & Superioribus onerosum, aut Ordine indignum, *Suar. Laym. l. 4. t. 5. c. 9. n. 9.* Ratio à priori est, quia omnis Religiosus tenetur sub mor-

mortali tendere ad perfectionem seu finem suæ vocationis, idque per media à suo Ordine præscripta; atque si illa media plerumque ex levitate vel consuetudine negligat, verè non tendit ad perfectionem, imò facit se ineptum ad perfectionem sui Ordinis consequendam: sic quamvis nullum sit peccatum die festo dormire, si tamen per dormitionem me voluntariè faciam ineptum ad audiendam Missam, pecco mortaliter: ergo quamvis Regulæ de se non obligent sub peccato, si tamen per familiarem earum prævaricationem fiam ineptus ad finem vocationis, aut inferam grave damnum disciplinæ, vel scandalum communitati, pecco mortaliter: quod à potiori locum habet, si negligantur ea, quæ ad finem perfectionis religiosæ magis sunt necessaria, v. g. meditatio, examen conscientiæ, occupatio temporis, lectio spiritualis, aut si quis vanis otiosisque rebus animum occupando se ad ejusmodi exercitia vel alias Ordinis functiones continuò reddat ineptum.

QUÆR. II. Quid circa clausuram monialium?

Rs. Tenenda esse sequentia: 1. Clausuram severissimè præcipit Pius V. 4.
Bonif. VIII. *Trid. sess. 25. de reg. c. 5.* Greg. XIII. Paulus V. quorum decreta innovavit Alex. VIII. præcepitque sub *pœna nullitatis, ne impositurum ad habitum Regularem admittantur novitiæ, vel jam in probationis anno existentium professiones excipiantur, nisi monasterium, in quo vestiri vel profiteri cupiunt, amplexum sit, & ad amussim observet clausuram juxta normam, quam superiùs relati Pontifices præscripserunt.* Et quamvis hæc decreta in diœcesi Colonienſi 30. Aprilis 1690. de mandato Archi-Episcopi Josephi Clem. publicata sint, nondum tamen plenè ad praxin forsan ob monasteriorum paupertatem deduci potuerunt. In iisdem decretis statuitur, ut monialis (intellige professa, nam novitiæ in odiosis & pœnalibus non veniunt nomine monialium) sine licentia in scriptis obtenta clausuram egrediens, item Superior sine justa causa licentiam concedens, & omnes, qui eam sic egressam recipiunt vel comitantur, incurrant excommunicationem majorem Papæ reservatam ipso facto sine ulteriore declaratione, Superior insuper fit inhabilis ad omnes dignitates & officia; posse tamen ab hac excommunicatione, si occulta sit, absolvere Episcopum, docet *Delbene de imm. c. 19. dub. 22. n. 1.* quia *Trid. sess. 24. c. 6. de reform.* concedit Episcopo omnes casus occultos, imò possunt Religiosi privilegiati toties quoties absolvere ab hac excommunicatione etiam publica, quia habent privilegium absolvendi ab omnibus Papæ extra Bullam Cœnæ reservatis, *Leur. l. 3. tit. 35. q. 918.* 2. Licentiam egre- 5.
diendi dare potest solus Episcopus non tantùm monialibus subditis, sed etiam exemptis, ut in terminis habet Constitutio Pii V. *circa Pasto-*

*ralis* apud *Reiffenſt. l. 3. t. 35. n. 37.* & ibid. *Pyrrh. n. 37. Leur. q. 916. Barboſ. de poteſ. Epiſc. alleg. 102. à n. 5.* ubi docet, moniales etiam exemptas quoad clauſuram ſubeſſe Epiſcopo, ab eoque viſitari, ad clauſuram cogi, & Superiores ſine interventu Epiſcopi exitum concedentes tanquam clauſuræ violatores ab Epiſcopo puniri poſſe, prout declaravit S. Congregatio apud *Hiac. Donatum to. 1. t. 3. q. 1.* quod quidem de jure verum eſt, ſed non ex toto in praxi receptum; videmus enim paſſim Regulares exemptos monialibus ſibi ſubjectis, licentiam egrediendi concedere Epiſcopo non requiſito.

6. 3. Epiſcopus authoritate Apoſtolicâ poteſt monialibus etiam exemptis ſtrictam clauſuram præcipere, etiamſi eam expreſsè non ſint profeſſæ, quia id eſt conforme primæ earum regulæ, & neceſſarium ad votorum obſervantiam, ideòque indirectè includitur in Profeſſione, quam emiſerunt, *D. Th. Quodl. 10. a. 10. Delbene dub. 3. §. 1. Leur. q. 913. La Croix l. 4. n. 68.* quare Superiores à profeſſuris vel etiam inveſtiendis meritò exigunt, ut ſe in ſcriptis obligent ad acceptandam clauſuram, reformationem, ſtrictiorem Regularum obſervantiam, &c. *Leſſ. in auct. V. Religioſus.*

7. 4. Cauſa exitûs debet eſſe graviſſima, ut flagrans incendium, peſtis, epidimia, lepra, vel ſimilis morbus contagioſus, aut alia cauſa æquè gravis vel gravior, ut inundatio, incurſus hoſtium, præſertim hæreticorum vel infidelium, imò ſufficere, quòd monialis laboret gravi morbo, à quo in Monaſterio curari non poſſit, docent *Suar. Nav. Pyrrh. n. 34.* & ibid. *Schmalzgrub. l. 3. c. 35. Reiffenſt. n. 32. Donatus to. 4. q. 2. Leur. q. 915.* quia defendere ſe contra morbum eſt juris naturalis, & leges humanæ non obligant cum periculo vitæ, unde ſæpè videmus à doctis & piis Epiſcopis monialibus balnea permitti. Cauſa viſendi amicos vel aſſiſtendi matri infirmæ non ſubſiſtit, niſi fortè in raro caſu excuſet conſuetudo legitimè introducta, & ad decem ſaltem annos continuata. Licentia dolo, metu, vel per falſam cauſam obtenta irrita eſt, & monialem non excuſat. Imò *Schmalzgr. n. 108. Leur. q. 917. n. 2.* cum aliis docent, monialem prædictas pœnas incurrere, ſi legitimè egreſſa ceſſante egreſsûs causâ extra moretur.

8 5. Idem Trid. ſub eadem excommunicatione (non quidem per Trid. ſed ex ſtilo curiæ reſervatâ, teſte *Schmalzg. n. 126.*) prohibet, ne ad clauſuram monialium ſine licentia in ſcriptis obtenta ulla perſona ad alliciendum vel ad carnaliter peccandum apta, ſive mas, ſive fœmina, admittatur. Attamen puellas educationis causâ ab anno ſeptimo ad vigeſimum quintum cum conſenſu Superiorum ad locum à dormitorio monialium ſeparatum admitti poſſe declaravit S. Congreg. apud Quarantum *in Summa Bullarii. V. Monaſteria monialium.* Qualiter con-

conjugatæ, viduæ & ancillæ sæculares admitti possint, vid. apud *Sanch. sup. Barbos. n. 61.* praxis & consuetudo hîc maximè sunt attendenda. 9. 6. Causa ingressûs debet esse gravis & necessaria, ut si organum, horologium, ædificium sint reparanda; si ægræ vena est secanda, si vestis à sutore est metienda, quod alii dicunt in ostio clausuræ fieri debere; sutor ex antiquis calceis mensuram sumere potest. Confessarius regularis licitè ingreditur, & pro majori decentia cum socio, quoties monialis ægra etiam ex mera devotione confiteri vel communicare petit, ut declaravit S. Congreg. apud *Delbene d. 41. n. 15.* Imò Confessarium diebus saltem Festis & Dominicis in infirmaria mulierum ex concessione Leon. X. celebrare posse, ut ægra Missam audiat, docent *Barb. n. 4. Rodriq. to. 1. q. 47. a. 4. Miranda de Sanctim. q. 2. a. 18.* ubi probat hoc privilegium nullibi esse revocatum.

De cætero nec ipse Episcopus aut Superiores clausuram ingredi possunt, præterquam in casibus necessariis, qualis censetur causa visitationis, *Sanch. n. 54. Barb. n. 45.* ita tamen ut sint comitati duobus vel tribus sociis Religiosis. Inter causas autem justas non reputatur vestire Novitias, vel suscipere Professiones, idque decisum esse à S. Congreg. docet *Barb. l. 1. juris Eccl. c. 44. n. 151.* similiter non licet ingredi ex causa præsidendi electioni, *Trid. c. 7.* 7. Certum est, consuetudinem saltem decem annis continuatam contra clausuram quoad e- & ingressum prævalere posse, cùm sit jure humano introducta, *Reiffenst. n. 66.* & experientiâ constat, *quòd multis in locis*, inquit Sylvius *p. 1. V. Clausura Cas. V. voveatur & servetur à monialibus bona clausura, etiamsi ea non servetur cum omni rigore, qui est in Italia, sed modificata juxta personarum, locorum & temporum necessitates.* Nec opus videtur tanto rigore, ubi non sunt tanta seductionum pericula; si verò clausura adeo laxaretur, ut castitas non esset satis tuta, & vergeret in destructionem Religiosæ disciplinæ, consuetudo fieret irrationabilis, & per Superiores omninò tollenda, idque tremendis verbis Episcopis mandat *Trid. c. 5.* 8. Licentiam ingrediendi clausuram monialium Episcopo subjectarum dat Episcopus, ad Monasteria exempta dat Superior Regularis, *Barb. n. 40. Reiffenst. n. 57.* ubi pro hoc adducit declarationem Cardin. & qui potest aliis dare licentiam, ex eadem causa etiam sibi dare potest. Abbatissa hanc licentiam dare non potest, nisi in repentina necessitate Medico, Confessario, chirurgo, opifici, &c. tum ex consuetudine, tum ex tacito Episcopi consensu, DD. cit. 9. Finitâ causâ statim redeundum est, exiguam trahere moram urbanitatis vel etiam curiositatis gratiâ, vel nullum vel tantùm veniale peccatum est, datur enim hîc parvitas 10. 11. 12.

materiæ, sicut & si quis tantùm unum alterúmve pedem clausuræ inferat, & statim recedat, *Sanch. Rodriq. l. c. La Croix n. 84. Reiffenst. n. 65.*

QUÆR. III. Quid circa clausuram virorum?

Rz. Seqq. 1. Pius V. Greg. XIII. severè prohibuerunt, ne ullæ mulieres, 13.
quæ peccato cooperari possunt, ad clausuram virorum admittantur, exceptis Reginis, Ducissis & Fundatricibus earúmque pedissequis, *Rodriq. Pelliz. Laym. c. 12. n. 5. La Croix n. 87.* testatur, etiam Comitissas in Germania admitti, & clausurâ semel apertâ non tantùm pedissequas, sed & quasvis alias. 2. Ingredientes ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, utì & Religiosi admittentes, qui insuper incurrunt suspensionem à Divinis, privationem officiorum, & inhabilitatem ad ea, *Delbene d. 79.* In processionibus, vigiliis, Missis, concionibus, &c. si ita consuetudo habeat, quævis mulieres cum populo clausuram intrare possunt, dummodo arceantur ab officinis internis. 3. *Rodriq. sup. Engel. Schmalzg. Laym. sup. Pyrrh. n. 45.* docent, prohibitionem Pii V. tantùm comprehendere mulieres ingredientes sub prætextu privilegii Apostolici. Econtrà *Nav. Pelliz. Donat. Suar. to. 4. de Rel. t. 8. l. 1. c. 7. n. 9. Reiffenstul n. 73.* probabiliùs docent, omnes mulieres etiam sine prætextu privilegii intrantes, vel eas admittentes, peccare mortaliter, & incurrere excommunicationem; ita enim habet Declaratio Pii V. inserta Bullario Cherub. *Declaramus fuisse & esse mentem & intentionem nostram, quòd prædictæ litteræ non solùm comprehendant mulieres habere prætendentes facultatem & indulta ingrediendi monasteria, sed etiam mulieres quascunque alias in genere & in specie.* Nec obstat, quòd hæc Declaratio hîc fortè non sit promulgata, nam declarationes non sunt necessariò promulgandæ, quia non afferunt novam legem, sed explicant antiquam, quæ jam promulgata est. Meliùs dicit *Laym. n. 4.* illam declarationem in Germania non esse in tanto rigore receptam, & consuetudinem rationabilem contra clausuram prævalere posse, dixi suprà.

QUÆR. IV. Quid circa Religiosos, ejectos, fugitivos, apostatas, & habitum dimittentes?

Rz. I. Quamvis olim ob varias 14.
causas professus expelli potuerit, hodie tamen nullus ejici potest, nisi sit verè incorrigibilis, hoc est, super delicto gravi, publico & scandaloso ter monitus & punitus, ac unius anni spatio in carcere, in jejunio & pœnitentia probatus; demùm *ab ipso Generali tantùm de consilio & consensu sex Patrum.... in Capitulo generali eligendorum plenè probatis causis expulsionis* condemnatus fuerit, utì declaravit S. Congregatio jussu Urbani VIII. edita 21. Septembris 1628. Ejectus tenetur non tantùm ad vota substantialia, jejunia, abstinentias & alia Ordinis Statuta, sed & tenetur se corrigere, ut iterum ad Ordinem admitti possit, *Sanch. l. 6. mor. c. 9. n. 25. Donat. to. 1. t. 8. q. 52.*

Pyr-

*Pyrrhing. à n. 169.* De cætero benè notat Landmeter, hodiedum vix aliam ejectionem locum habere, quàm quæ fit perpetui carceris damnatione, & ita declaravit S. Congreg. 19. Junii 1573.

15. ℟. II. Religiosus sine licentia deserens Monasterium animo ad tempus vagandi, sed iterum redeundi, vocatur fugitivus; si fugiat animo nunquam redeundi, sive cum, sive absque habitu, est apostata, *Sanch. c. 8. n 4. Pyrrh. n. 187. Donat. t. 6. q. 2. Reiffenst. à n. 244.* Et quamvis de jure communi fugitivus vel apostata excommunicationem non incurrant, nisi habitum dimiserint, *Sanch. n. 11. Donat. q. 6.* attamen in plerisque Ordinibus, & in specie in S. Ordine nostro Præmonstrat. Dist. 3. c. 9. n. 1. apostata etiam non dimisso habitu habetur ut excommunicatus, à qua pœna n. 19. eximitur fugitivus, inter fugitivos reputantur, qui à Conventibus recedunt etiam prætextu Superiores adeundi, nisi obtentâ ab iisdem in scriptis licentiâ, aut docere possint se injustè vexatos licentiam petiisse & non impetrâsse, *Trid. sess. 25. c. 4. de Reg. Sixtus V. in Const. ad Romanum.*

℟. III. Omnes Religiosi non fu- 16.
gitivi, qui habitum dimittunt, ut celent statum, & liberiùs vagentur, peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem latam à Paulo & Pio IV. Dico, qui temerè dimittunt, ut celent statum, & liberiùs vagentur; nam qui habitum dimittunt in ludo vel recreatione, ut sint velociores, ut natent, vel etiam fornicationis gratiâ, dummodo primariò non intendant celare statum suum, sed fornicari, pœnam hanc non incurrunt. Idem à potiori tenet, si quis ex justa causa, v. g. ad evitandum damnum, scandalum, vel infamiam habitum dimittat; sine causa ad horam dimittere videtur tantùm veniale ob parvitatem materiæ. Portare habitum Regularem absconditum sub aliis vestibus, ita ut dignosci non possit, probabiliùs continetur sub dicta prohibitione, & est per se peccatum mortale; probabile tamen est non incurri censuram, quia verba pœnalia strictè interpretanda sunt de propriè habitum dimittente, *Sayr. Suar. Castrop. t. 16. d. 4. p. 6.*

CASUS

# CASUS LXV.

## De Religione, prout est virtus, & de vitiis eidem oppositis, & in specie de superstit. divinat. magia, &c.

*SAburtia à Parocho Jansenista, 1. jubetur Sanctos non invocare, S. Crucem & imagines non adorare, 2. Sed ipsa nimium devota reliquias sui Confessarii osculo, jejunio, oratione & Missæ Sacrificio honorat, 3. 4. 5. 6. Ceremonias varias veteris Testamenti observat. 7. Ægyptios consulit, ex somniis, astris, manuum lineamentis varia prædicit, mensæ, in qua tredecim sunt, non vult accumbere. 8. 9. 10. Aquâ benedictâ, crucibus, aliterve morbos sanat, canes mutos reddit, credit se à dolore dentium immunem, si in Paschate à carnibus abstineat. 11. Infirma adhibet medicinas de superstitione suspectas. 12. Medicum de magia suspectum consulit. 13. Et petit ab eo tolli maleficium, si quod sit. 14. Rebus à saga vel dæmone acceptis utitur. 15. A Deo per miraculum petit instrui, & solâ internâ peccatorum confessione salvari. 16. Ex joco, ira, aut mala consuetudine, in Deum, Sanctos, parentes, & bestias convitia evomit, verbis S. Scripturæ abutitur. 17. Dæmonem in obsesso adjurat, petit ut exeat in sagam vel ejus vaccam, & multa ab eo interrogat. 18.* Pro Resolutione

QUÆR. I. Quid circa virtutem Religionis?

1. R. Seqq. 1. Religio est virtus supernaturalis, ordinans creaturam rationalem ad cultum DEO debitum; hic autem cultus præcipuè consistit in actibus in- & externis fidei, spei, charitatis, orationis, adorationis, in usu Sacramentorum, in observatione juramentorum, votorum, in jejunio, in cultu Sanctorum, &c. de quibus suis locis vel actum est, vel agetur. 2. Adoratio est actus sive in- sive externus, quo per nostram submissionem profitemur alterius excellentiam; éstque triplex, latria, dulia, & adoratio politica; latria est cultus soli DEO debitus ob infinitam ejus excellentiam; dulia est cultus debitus excellentiæ creatæ supernaturali, si hæc excellentia est extraordinaria, veluti maternitas B. M. V. & sanctitas creata humanitatis Christi, cultus his debitus vocatur hyperdulia; adoratio politica est cultus ob excellentiam aliquam creatam naturalem, qualis exhibetur Principi, Regi, aliisque Superioribus. 3. Certum 2.
est contra hæreticos, B. V. & Sanctos eorúmque reliquias, modò de iis authenticè constet, & imagines honorandas esse cultu duliæ, cum hac tamen distinctione, quòd B. V. & Sancti honorentur cultu absolu-

to,

to, hoc est, propter excellentiam illis propriam, imagines verò & reliquiæ colantur cultu respectivo in ordine ad excellentiam, quæ inest, non ipsis, sed Christo, B. V. vel Sanctis; sic cruces, clavi, aliæque Christi Domini reliquiæ adorantur cultu latriæ respectivo propter Divinitatem non sibi, sed Christo intrinsecam, quam ipsa quodammodo repræsentant.

3. QUÆR. II. Quæ sint vitia Religioni opposita?

℟. Seq. *Superstitio, sacrilegium, blasphemia, simonia, perjurium, votorum neglectus, &c.* De duobus primis agemus in præsenti, de reliquis in Casu seq. Itaque 1. *Superstitio* est indebitus veri vel falsi Numinis cultus, quando scilicet vel creaturæ exhibetur cultus soli DEO debitus, ut fit in idololatria, magia, divinatione, vana observantia, maleficio, &c. de quibus mox singulatim; vel DEO exhibetur cultus falsus, profanus, ut si DEUM colas per ritus Calvinisticos, Mahumetanos, vel similes, in his semper peccas mortaliter, quia facto profiteris DEUM approbare falsas sectas; idem est, si DEUM velis colere per actum malum, v. g. ebrietatem, fornicationem, mendacium, aut exponendo vel colendo scienter falsas reliquias, promulgando falsa miracula, &c. *Suar. Nav. Sanch. l. 2. mor. c. 37. à n. 7.* hoc enim est æquivalenter dicere, DEUM ejusmodi peccata amare, approbare, &c. quæ est gravis in DEUM irreverentia; DEUM verò colere per actum profanum, superfluum, ut si in Missa addas ceremonias vel orationes ab Ecclesia non præscriptas, ob levitatem materiæ poteris tantùm peccare venialiter, *Cajet. 2. 2. q. 95. a. 1. Less. l. 2. c. 34. dub. 1.* 2. *Idololatria* est, cultum seu honorem soli DEO debitum tribuere falso Numini, éstque peccatum de se gravissimum. 3. Ex pacto expresso vel tacito à dæmone exspectare vel petere effectus miros, propriè vocatur *Magia.* 4. Ex simili pacto petere vel exspectare à dæmone revelationem secreti, v. g. thesauri absconditi, futuri mariti, &c. dicitur *Divinatio.* 5. Per media improportionata, & per consequens ope im- vel explicitâ diaboli procurare sanitates, benevolentias, amores, divitias, &c. dicitur *Vana observantia.* 6. *Maleficium* est vis & potestas nocendi aliis ex pacto expresso vel tacito cum dæmone; pactum expressum est, quando cum dæmone convenis, vel eum invocas pro habendo tali effectu: *Pactum implicitum* (quod serviat pro regula generali) *est, quando adhibes media inutilia, quæ scis neque ex vi sua naturali, neque ex Dei vel Ecclesiæ institutione, habere virtutem causandi talem effectum,* ideóque implicitè ejusmodi effectum exspectas à diabolo, ut si quis per peregrina signa vel verba, per figuras inutiles, per falsitates, v. g. per febrim Christi curet morbos, &c. omnis effectus, sive sit divinatio, observatio, vel maleficium, qui fit ex tacito vel expresso ejus- 4.

modi pacto, semper est peccatum mortale, nisi excuset ignorantia vel inadvertentia, *Cajet. a. 1. Suar. Less. dub. 8. Sanch. c. 38. Spor. t. 2. c. 9.* Putant quidem plures apud *Sanch. n. 20. Castropalao hic punct. 3. n. 6.* tantùm peccari venialiter, si quis ex joco utatur mediis vanis & improportionatis, non quidem credens, sed tantùm volens experiri, an talis effectus sequatur, sed oppositum est tenendum. Ratio est, quia cùm scias media illa esse improportionata, vis tentare & experiri, annon fortè dæmon se immisceat, adeòque tentas cum dæmone habere societatem, eumque invocas sub conditione, ut si pactus sit, talem effectum producat, quod videtur esse mortaliter malum, etiamsi fiat ex joco, *Castrop. l. c. La Croix l. 3. p. 1. n. 11.* nec obstat, quòd quis fortè protestetur, se nullam velle habere communicationem cum dæmone, nam hæc protestatio est facto contraria, & ideò frivola. 7. *Sacrilegium* est, quo persona sacra, res sacra, aut locus sacer dehonoratur, quod variis modis fieri 5. potest, de quo suis locis. 8. *Blasphemia* est convitium seu verbum contumelioſum contra Deum, res sacras, aut Sanctos, vel alias creaturas, in quantum referuntur ad Deum, eorúmque inhonoratio in Deum redundat, hinc convitia in Sanctos, in res sacras, v. g. in Sacramenta, in Crucem aut Passionem Domini, in imagines, in Reliquias Christi & Sanctorum, semper est blasphemia, quia sancta semper apprehenduntur referri in Deum, tanquam eorum Authorem, non item aliæ creaturæ, ideòque qui maledicit patri, peccat quidem contra præceptum quartum de honorandis parentibus, non tamen est blasphemus; omnis contumelia in Deum & Sanctos etiam ex joco prolata semper est mortale, utpote gravis in Deum irreverentia; putat tamen Tamb. cum aliis non esse mortale, si quis ex joco leve quid diceret de Sanctis, quà homines sunt, v. g. Crispinum fuisse sutorem, &c. reliqua dabit resolutio Casûs. Ad quem

Rr. 1. Sanctos & sanctas reliquias 6.
colendas esse constat ex *q. 1.* cultu tamen publico non licet colere, nisi illos Sanctos, qui canonisatione, beatificatione, vel communi Ecclesiæ approbatione sunt tales; cultus publicus autem vocatur, qui fit nomine Ecclesiæ, ab eáque est institutus, ut Sacrificium Missæ, exstructio Altaris etiam privati in Sancti honorem, nomen Sancti ponere in Litaniis etiam privatis, aut de eo Collectam in Missa, ejus imaginem in Ecclesiis vel altaribus exponere, &c. defunctum tamen, quem confideratis miraculis, vitæ sanctitate aliisque indiciis prudenter judicas sanctum, quamvis ab Ecclesia pro tali nondum sit declaratus, potes honorare cultu privato, v. g. pedes & reliquias ejus deosculari, imaginem ejus domi habere, preces ad eum fundere, jejunium & votum

ei

ei nuncupare, &c. quia hæc non fiunt nomine Ecclesiæ, nec pro publico cultu reputantur, *Bonac. Sanch. in dec. c. 43. n. 3. Reiffenst. l. 3. decret. t. 45. à n. 18.* ubi desuper refert Constit. Urb. VIII. 2. Peccat
7. Saburtia exercendo ceremonias Veteris Testamenti, præsertim eas, quæ repræsentant Christum adhuc venturum, utpote esus Agni Paschalis, circumcisio, &c. tales enim ceremoniæ nunc sunt abolitæ, vanæ,
8. falsæ & superstitiosæ. 3. Saburtia futura prædicendo, quandoque peccat, quandoque non peccat, si prædicat ex signis omninò improportionatis, quæ nec ex se, nec ex constitutione Dei aut Ecclesiæ cum effectu prænunciato connexionem habent, est manifesta superstitio, quia tunc talis effectus non potest credi futurus à Deo, quia hic ejusmodi divinationes gravissimè prohibet; neque ab angelis aut beatis, quia hi nequeunt agere contra DEI præceptum; neque ex naturali virtute signorum, ut supponitur, ergo ex ope dæmonis, ut patet ex regula data *q. 3.* Hinc ex astris, ex vultûs, frontis, manuum aut corporum lineamentis, ex sortibus, ex sternutatione, ex somniis, ex volatu vel garritu avium, &c. prædicere effectus liberos à voluntate dependentes, casus fortuitos, divitias, honores, furta, homicidia vel similia, semper est superstitiosum, quia nullam connexionem cum signis habent, *S. Th. 2. 2. q. 95. a. 5.* & si seriò cum firma fide fiat, est mortale; sicut & mortale est consulere ejusmodi divinatores, astrologos Ægyptios, vulgò Ziginos, si nimirùm fiat animo credendi, & se ex hoc dirigendi; secùs si fiat ex curiositate, joci vel risûs causâ; secluso tamen semper scandalo, quod addo, quia si prudenter judices, hos divinatores non ex joco aut scientia naturali agere, sed ex superstitione aut pacto diabolico, nequaquam consulere licet, hoc enim esset inducere ad peccatum. Dixi: *ex signis improportionatis*; 9.
nam si signa habeant naturalem connexionem saltem probabilem cum effectu futuro vel occulto, eum prædicere, non erit illicitum; sic ex motu, situ, cursu, conjunctione vel oppositione astrorum divinare ecclipses, ventos, pluvias, tempestates, sterilitatem, malum non est, item temperamentum hominis sub tali astrorum constitutione concepti vel nati, ejus naturale ingenium inclinationem in bonum vel malum, quia certum est, quòd astra inclinent; similiter ex physiognomia, hoc est, ex corporis humani temperamento, vultu, manuum corporisque lineamentis, aut etiam ex somniis animi inclinationes humorúmque temperies aliaque similia rectè judicantur; experientiâ enim constat, quòd sanguinei læta somnient, cogitent & ament; melancholici è contra tristia, mortes, infirmitates; phlegmatici gravia, lapsus, submersiones: item qui in somnis impuris resistunt cogitationibus, mentò casti habentur; qui

verò facilem præbent assensum in somno, periculum est, ut & vigilantes consentiant, & similia innu-
10. mera. Verùm tamen si ejusmodi divinatores effectus contingentes, morbos, tempestates, hominis propensiones, &c. majori certitudine affirment, quàm ex astris, somniis, aliisque signis consequi possunt, non committunt peccatum superstitiosæ divinationis, sed temeritatis vel mendacii, *Suar. Laym. Sanch. l. 2. in dec. c. 38. n. 29.* Quid si quis mihi superstitiosè divinet, quòd ubi sunt tredecim in mensa, unus ex illis isto anno sit moriturus; aut quòd hæc navis sit submergenda, an propterea navim vel mensam declinare possum; item ex manuum lineis prædicit quis, me futurum Cardinalem, an ex ea spe licitè tendo Romam? R. Cum *Nav. Cajet. Tamb. Sanch. Sporer l. c.* ex illa spe vel timore aliqua agere vel omittere sine firma credulitate effectus futuri, non erit mortale, etsi sit stulta & meritò ridenda temeritas, si tamen sæpiùs vel ordinariè juxta ejusmodi prædictiones (idem est de somniis futurorum contingentium) te dirigeres, signum esset magnæ credulitatis,
11. adeòque peccatum mortale. 4. Saburtia per cruces, aquam benedictam, Evangelium S. Joannis, oratiunculas & similia morbos sanans, committit superstitiosam observantiam; nam quamvis hæc de se bona sint, si tamen fiant cum certa credulitate futuri effectus, quem Deus non promisit, fiunt superstitiosa; & universaliter *quotiescunque adhibentur ad effectum qualemcunque media impertinentia, vana, falsa, aut si bona & sancta sint, habent tamen admixtas circamstantias vanas vel inutiles ad talem effectum, aut denique si totum sanctum & bonum sit*; si tamen in iis constituatur *certa fiducia ad consequendum ejusmodi effectum, à Deo non promissum, certum est, esse superstitionem cum implicita saltem invocatione aut pacto cum dæmone*, quod ex genere suo est peccatum mortale, DD. cit. Hinc superstitio est ad reddendos canes mutos uti textibus S. Script. uti ovis Crucifixo oblatis, floribus ex Altari vel Monstrantia desumptis, aquâ, cerâ, sale aut aliis rebus ab Ecclesia benedictis ad sanandos homines vel pecora, cum certa fiducia consequendæ sanitatis, vel alterius effectus, quia ejusmodi certa vis neque ex se, neque ex Dei aut institutione Ecclesiæ illis inest, consequenter ille effectus censetur aliunde peti, scilicet à dæmone, qui etiam non vocatus se libenter ingerit, ut sub specie sanctitatis homines faciliùs decipiat. Dixi: cum certa fiducia exspectando effectum infallibiliter, quasi ex opere operato; nam per humilem deprecationem conjunctam cum applicatione alicujus rei ab Ecclesia permissæ, v. g. aquæ vel salis benedicti, exspectare aliquem bonum effectum, v. g. sanitatem pecorum, utique malum non est, nisi adhibeantur ceremoniæ vel circumstantiæ vanæ & superstitiosæ, ut quòd aqua debeat esse benedicta die

die Palmarum à Sacerdote, qui vocatur Joannes, in paramentis violaceis, &c. Ex dictis sequitur, similiter superstitiosum esse, per integrum annum quotidie orare preces S. Brigittæ, quamvis de se sanctissimas, cum certa credulitate, quòd orantes morte æternâ nunquam sint damnandi, prout in quibusdam libellis falsò adscribitur, id fuisse S. huic viduæ revelatum; per hanc enim inanem fiduciam homines retrahuntur à Sacramentis, & orationi vim tribuunt infallibilem à Deo non promissam; idem est de aliis oratiunculis, jejuniis, si iis effectus aliquis infallibilis contra febres, dolores dentium, ictus gladii &c. tri-
12. buatur. 5. Quando est prudens dubium, an hæc vel illa res habeat vim naturalem ad hunc vel illum effectum, licitè præsumi potest, quòd sic; cùm enim miræ sint causarum naturalium virtutes, præsertim herbarum, lapidum, &c. quæ etiam doctissimos sæpè latent, non est ratio sufficiens effectum tribuendi diabolo ex hoc, quòd illa virtus nobis incognita vel dubia sit; hinc saltem in necessitate licitum erit uti ejusmodi re dubiâ, in ordine ad sanitatem vel alium effectum necessarium, modò id non fiat cum infallibili fiducia, adsitque protestatio de non volendo effectum casu, quo aliter quàm ope dæmonis haberi non posset, *Valent. Sanch. c. 40. Castrop. pun. 10. Sporer. La Croix l. c.* Ratio est, quòd per protestationem illam tollatur omne commercium cum dæmone, & aliunde ex causa naturali effectus sperari potest: ex hac ratione Sporer cum multis damnare non audet usum virgæ avellanæ divinatoriæ, in quantum per ejus inclinationem dereguntur metalla subterranea auri & argenti, nec damnare ausim ego, etsi in oppositum multas rationes adducat *La Croix n. 35.* Dimittere annulum in vasculum vel vitrum ex fune pendentem inter pollicem & indicem ad indicandas horas diei vel noctis jam communiter pro superstitione habetur; si certum est, rem à causa naturali esse non posse, dubitetur autem, an sit à Deo vel diabolo, præsumitur esse à diabolo, quia constat se Deum rebus vanis non immiscere, DD. cit. 6. In necessi- 13.
tate ad curandum, v.g. gravem morbum ab alio non curabilem, licitè consuli potest de magia suspectus, modò prudenter credatur, non arte magicâ, sed scientiâ naturali curaturus; si de hoc dubites, vel etiam omninò credas, eum usurum medio superstitioso, adhuc te ejus operâ uti posse affirmant *Sanch. Less. Suar. Sporer cum Castrop. pun. 12.* tum quia in dubio nemo præsumitur malus, tum quia ex gravi causa petitur aliquid, quod licitè & sine peccato præstari potest; potest enim, ut supponitur, curare medio naturali, & patet à pari in petitione mutui ab usurario; sed meliùs contradicunt *Cajet. Wiggers apud La Croix n. 44.* quia hoc esset petere vel admittere beneficium à dæmone, & cum eo

habere commercium, vel saltem se hujus periculo scienter exponere, quod non tenet de accipiente mutuum ab usurario; in dubio an magus vel saga habeat medium naturale curandi vel tollendi maleficium, examinandi erunt super medio adhibendo, si modum curandi edicere nolint, præsumendum est de medio magico vel superstitioso, adeòque tunc eorum opera nullatenus est adhibenda, quia intrinsecè malum est petere commercium dæmonis, ejusque beneficio velle sanari. 7. Si 14. maleficus maleficia posita sine novo maleficio tollere possit, ad hoc tenetur ac cogi potest & debet; secùs si opus sit novo maleficio, quale censetur esse, si morbus vel febris ab homine transferatur in canem, cattum, vel alium hominem, aut si pro recuperando butyro vel lacte magicè subtracto, lac coquatur ad ignem, dolore tam diu in sagam translato, usque dum maleficium tollat; aut si speculum magicum inspiciatur, ad dignoscendum furem, adulterum, &c. Licitè autem maleficia tolluntur, removendo signa magica, sive per magum ipsum, sive per quemvis alium, v. g. dæmon homines vel animalia intoxicavit ad positionem ollæ plenæ intextis capillis, ossibus, murium, serpentum, &c. quilibet ejusmodi signum auferre potest, imò ex charitate tenetur, si commodè possit: Item licitè removetur conditio, sine qua non persistit aut perdurat maleficium. V. g. solet diabolus cum mago vel saga pacisci, inficiam, quem tù incantaveris, insufflaveris, tetigeris, &c. nisi mox ipse se cruce signet, aquâ lavet, repercutiat, aut eo die pultem comedat, licitum erit tunc se cruce signare, repercutere, lavare, pultem comedere, quia hoc non est ponere signum magicum, sed impedire per medium de se non malum: hâc ratione judices jubent magos exui, radi, lavari, ne ad tormenta insensibiles aut planè muti reddantur, *Sanch. Suar. Sayr. Sporer l. c.* 8. Qui impetravit per magiam 15. vel superstitionem aliquid à dæmone, si illa res de se sit bona, v. g. sanitas, scientia, pecunia, (intellige non adulterina, vel furto à dæmone ablata) licitè iis uti potest; quamvis enim gravissimè peccaverit ea ope dæmonis impetrando, tamen rei impetratæ usus de se malus non est, *Delrio, Victoria, Sanch. c. 41. n. 1.* 9. Religioni pariter opponitur *tentatio* Dei, quæ definitur, quòd sit dictum vel factum, quo quis vult experiri, an Deus habeat hanc vel illam perfectionem, an sit omnipotens, omniscius, misericors. Alia est Dei *tentatio formalis*, quâ quis dubitans de aliqua Dei perfectione, eandem vult experiri, ut si quis nolit dolere aut confiteri peccata, volens videre, an Deus non sit salvaturus absque his; hæc tentatio Dei formalis semper est peccatum mortale, opponiturque fidei, quatenus de perfectione Dei dubitat; spei, quatenus præsumit; Religioni specialiter, quatenus irreverenter explorare vult 16.

ali-

aliquod Dei attributum. Alia est tentatio Dei interpretativa, cùm quis, etsi actu non dubitet de perfectione aliqua Divina, nec expresse intendat de Deo sumere experimentum, tamen aliquid agit, quod ex se refertur ad sumendum de Deo experimentum, ut si quis in lethali morbo respuat omnem medicinam commodè parabilem, speretque à Deo miraculosè sanari, aut si ex spe auxilii extraordinarii se temerè conjiciat in periculum, v. g. in aquas, in conflictum, è quibus liberari non possit nisi à solo Deo, *S. Th. q. 97. a. 8. & ibi Cajet. Valent. Less. c. 45. dub. 1.* fit tamen sæpè venialis, non tantùm ex imperfectione actûs, ob indeliberationem, simplicitatem, ignorantiam, sed etiam ex levitate materiæ, ut si quis in levi morbo respuat medicinam, confidens à Deo sanitatem consequi ex generali providentia nullo petito miraculo, *Tolet. Sayr. Less. Sanch. Sporer l. c.* Nec semper malum est petere miraculum, sed aliquando est actus spei & fiduciæ, si nempè id necessitas propriæ vel alienæ salutis exigat, ut si quis oret miraculosè instrui in fide, eò quòd aliam instructionem habere non pos-
17. sit. 10. Maledicta seu imprecationes (de quibus *V. cas. 17. n. 16.*) in homines, jumenta, aut alias creaturas absque speciali ordine vel relatione ad Deum non sunt propriè blasphemiæ; maledicta in Sanctos, Sacramenta vel res sacras indubiè sunt blasphemiæ, & quidem probabiliter ejusdem speciei cum blasphemiis in Deum, *Cajet. Bannes. Arrag. Bonacina, Sanch. c. 31. à n. 31.* Blasphemia tamen sæpè habet adjunctas alias malitiæ species, ut si fiat ex odio Dei vel proximi, ex desperatione, ex errore vel voluntario dubio in fide, quæ omnia specialiter in Confessione exprimenda sunt; & quidem blasphemia hæretica cum errore in fide est reservata in Bulla Cœnæ; qui ex consuetudine blasphema verba proferre solent, quamvis id non faciant cum plena advertentia ad malitiam, tamen sub mortali tenentur consuetudinem corrigere, vel non erunt absolvendi, quia ejusmodi verba sunt Deo valde injuriosa & scandalosa, *Less. l. 2. de just. c. 45. dub. 5. n. 30.* 11. Abuti verbis S. Scripturæ ad res turpes vel profanas cum contemptu semper est mortale peccatum contra reverentiam rebus sacris debitam, uti ad res honestas vel profanas facetias, si absit contemptus, neque tam sæpè fiat, ut censeatur esse contemptus, est tantùm veniale, *Tamb. Gobat, La Croix n. 250.* 12. Circa adjurationem dæmonis tenenda 18.
sunt seqq. 1. Si fiat in ordine ad habendum ejus auxilium vel familiaritatem, per se patet, esse magiam; si autem adjuratio, Græcè exorcismus, fiat in ordine ad dæmonem in nomine veri Dei expellendum, est licita; quoad modum requiritur, ut fiat imperativè, v. g. exi, mando, ut facias, &c. si fiat deprecativè, v. g. rogo, ut facias, fac mihi hanc gratiam, nisi ignorantia excuset, erit mortale, quia deprecatio præ se fert hu-

humilitatem, submissionem aut amicitiam, quæ ad dæmonem habere mortale est, *S. Th. 2. 2. q. 90. a. 2. & ibi Cajet. Less. c. 42. dub. 13. à n. 70.* 2. Adjurans licitè interrogat ea, quæ ad dæmonis ejectionem sunt necessaria, longos, curiosos & inutiles sermones cum eo miscere est mortale, unam alterámve indifferentem quæstionem facere ob parvitatem materiæ veniale, reputant *Sylvest. Cajet. Less. l. c. Sanch. in dec. l. 2. c. 42. n. 25. Tamb. l. 3. c. 8. §. 2. cont. Castropalao. Dices* 1. Loqui deprecativè cum dæmone est mortale, sed interrogare curiosa vel semel, est deprecativè loqui: ergo. 2. Est communicare cum dæmone, ejusque opera uti ad scienda incognita. 3. Quidquid facit dæmon, facit ex gravissimo Dei & hominum odio: ergo sine justa causa non possum eum interrogare; sic enim facio, ut de novo aliquid dicat ex DEI & hominum odio. R. Ad 1. N. Min. Interrogare simpliciter est tantùm exponere suum desiderium sciendi, non autem humiliter deprecari, potestque fieri imperativè: *Mando, ut dicas.* Ad 2. Illa communicatio est tantùm mortalis, ex qua prudenter præsumor, velle habere amicitiam & societatem cum dæmone, quod ex una vel altera quæstione judicari non potest. Ad 3. Dæmon semper est in habituali & actuali odio Dei, quod per interrogationem curiosam non augeo vel renovo. 3. Exorcista concedere non potest, ut dæmon in alium hominem, etiam indeterminatum, exeat, quia quilibet habet jus, ut ab hoc hoste non infideatur; aliud est de bestia, quæ diabolo concedi posset, si non esset alius (quod rarò contingit) eum expellendi modus; cùm enim obsessus sit quasi in extremo malo, alter rationabiliter invitus esse non potest, ut bestiam suam pro proximi salute corporis forsan & animæ impendam. 4. Parochus est obligatus ex justitia, & in ejus defectu alii Sacerdotes ex charitate obsessum exorcizare, si sit spes diabolum expellendi. 5. Laicus solenniter exorcizans non peccat saltem mortaliter, si sit homo intelligens & pius, nec adsit Clericus, qui velit & possit, abstque scandalum, quod abesse credo, si dicat adstantibus, id in tali casu ex charitate proximi esse licitum. Ratio est, quia laicus licitè facit officium Acolythi inserviendo Missæ solenni: ergo & officium Exorcistæ, item in necessitate licitè baptizat; accedit, quòd omnis homo baptizatus, præsertim existens in statu gratiæ, habeat specialem vim in dæmones, DD. cit.

# CASUS LXVI.

## De Simonia.

*Tilmon Clericus dubitat, an simonia ejusque pœnis sit obnoxius:* 1. *Quia ficte promisit temporale pro spirituali.* 2. *Commutavit spirituale pro spirituali.* 3. *Emit sacellum destructum, calicem consecratum, quem pro pretio elocat.* 4. *Dedit aliquid gratis, sed eâ intentione, ut ex gratitudine reddatur spirituale.* 5. *Emit S. reliquias, Officium, Sacristæ, &c.* 6. *Servit Episcopo ex spe beneficii, frequentat chorum propter præsentias.* 7. *Resignat beneficium Cajo, confidens, quòd hic iterum sibi vel amico sit resignaturus.* 8. *Super dote Novitiorum & conviviis pacisciture, nepotem in studiis alit, eâ conditione, ut Religiosus fiat.* 9. *Theologiam & Catechesin erga pretium tradit, Magisterium & Cathedram emit.* 10. *Sacramenta, etsi sit satis dives, non nisi erga pecuniam administrat, & pro majore labore plus exigit.* 11. *Pueros muneribus ad Religionem, & Superiores ad eorum admissionem allicit.* 12. *Aliquid exigit pro dispensatione, ejus omissione vel executione.* 13. *Pro dimissorialibus, pro approbatione, pro sententia in causa Ecclesiastica.* 14. *Pro obtinenda Romæ gratia vel justitia, pro habita visitatione.* 15. *Pro sepultura.* 16. *Pro jure Patronatus, decimarum.* 17. *Pro jure ad fructus beneficis, item pro eo, ut duo Religiosi sibi invicem dent vota ad Prioratum vel Provincialatum.* 18. *In resignatione sibi privatim pensiones reservat vel redimit.* 19. *Aliquid dat pro recommendatione, pro faciliori aditu ad collatorem, vel ut sibi statim significentur beneficia vacantia.* 20. *Dat Cajo beneficium, ut se & nepotem ex eo alat, ejus debita solvat.* 21. *Mutuum à collatore suscipit, ut timore amittendi debiti beneficium conferat.* 22. *Ab Episcopo beneficium acceptat cum pacto instruendi ejus consanguineum.* 23. *Cajo non vult conferre beneficium, nisi rogetur à Titio, quem sibi vult habere obligatum.* 24. *Promittit Titio mille Missas vel reparare Ecclesiam, aut dare votum ad Pastoratum, ut sibi det votum ad Decanatum.* 25. *Dat temporale, ut alteri sit motivum conferendi spirituale.* 26. *Dat bona sua Ecclesiæ eo pacto, ut frater recipiatur in Canonicum.* 27. *Certat cum collatore, quòd sibi beneficium non sit collaturus.* 28. *Dicit Cajo: Do vel dabo tibi beneficium, qui respondet: Accepto & do in gratiarum actionem mille aureos; vel: Da beneficium, ero gratus.* 29. *Postquam alius patrono hæretico pecuniam pro beneficio obtulit, ipse plus offert.* 30. *Fratri suo emit titulum Ordinationis in mensa Abbatis.* 31. *In his excusat se per consuetudinem, vel saltem dubitat, an simoniam admiserit.* 32. *Dat pecuniam vel beneficium Cajo, ut à lite sibi super*

*super beneficio intentata desistat, vel sibi debitum solvat.* 33. *Dat aliquid pro confirmatione vel possessione.* 34. *Vel ut apud confirmantem non denigretur.* 35. *Putat se non obligari ante sententiam, restituere beneficium simoniacum aut ejus fructus, tum quia simonia est tantùm ecclesiastica vel confidentialis, tum quia non est completa, aut est ficta vel mentalis, aut beneficium dimittere non potest sine infamia vel gravi damno.* 36. *Quia simonia commissa est à tertio, & ipse tantùm solvit munus à tertio promissum.* 37. *Tandem à simonia petit absolvi per Episcopum vel Religiosum Mendicantem.* 38. *Fructus & munera accepta restituit Ecclesiæ, pauperibus, vel danti.* Pro Resol.

QUÆR. I. Quid est simonia?

1. Rs. Est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum, *S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1.* Malitia igitur simoniæ consistit in hoc, quòd res spiritualis æstimetur tanquam aliquid æquabile vel commutabile cum re temporali, quæ est magna in Deum & res sacras irreverentia: si quis fictè sine animo se obligandi vel implendi promittat temporale dare pro spirituali vel contra, propriè non committit simoniam, nequidem mentalem, cùm nihil det neque intendat dare vel commutare temporale pro spirituali, hinc nec pœnas incurrit, *Cajet. Sotus, Pyrrh. l. 5. t. 3. n. 9. & ibid. Wiestner n. 18.* peccat tamen mortaliter; est enim gravis irreverentia, ita abuti rebus sacris mentiendo & inducendo ad crimen simoniæ, quod credit alterum committere; de cætero ad simoniam tria requiruntur: 1. *Materia spiritualis*, hoc est, ex se aut ex institutione Divina vel Ecclesiæ ad finem supernaturalem ordinata, ut gratia, Sacramenta, sacræ reliquiæ, S. ceremoniæ, orationes privatæ & publicæ, omnis actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut dispensatio in votis, juramentis, aut impedimentis Ecclesiasticis, absolutio à peccatis & censuris, collatio indulgentiarum, officii, beneficii vel dignitatis Ecclesiasticæ, item omnia his annexa, ut jus Patronatus, jus decimandi, jus ad reditus beneficii, denique omnia vasa & paramenta sacra, quà talia, res ab Ecclesia benedictæ, &c. 2. *Requiritur pretium temporale*, sive pecunia, sive quodcunque aliud per modum pretii æquiparatum rei sacræ; unde extra materiam beneficiorum non est simonia, dare rem spiritualem pro spirituali, Reliquias pro Reliquiis, Calicem pro Ciborio, Missas pro eleëmosynis vel orationibus, *Gonzales, Chockier, Laym. Leuren. l. 3. q. 90.* quia nulla est irreverentia, si una res spiritualis commutetur cum alia, vel constituatur quasi pretium alterius; imò potest excessus valoris materialis unius compensari per pecuniam, ut cùm calix mutatur cum calice, Ecclesiæ cum Ecclesia, *c. ad quæstiones de rerum perm. Haunol. de just. t. 6. t. 2. n. 568.* Dixi: *Extra materiam beneficiorum*; nam omnis contractus circa beneficia iisque annexa initus sine authoritate Superiorum est simonia, saltem juris Ecclesiastici, velut 1.

velut permutare beneficia authoritate propriâ, aut in iis constituere pen-
3. siones, ut latiùs dicam *q. 10.* Neque est simonia, dare rem temporalem pro spirituali materialiter tantùm, ut pecuniam pro calice consecrato, pro Agnis Dei, pro vestibus sacris, oleo & pane benedicto, Ecclesiis, Sacellis, loco sepulturæ, &c. modò cariùs non vendantur ratione consecrationis, quia tunc non venditur ipsa consecratio, sed materia sola, aurum, fundus, &c. De Ecclesia quidem dicitur *c. querelam, de sim. quod nec emi, nec redimi possit*; sed *d.c.* loquitur de venditione Ecclesiæ Regularis sine consensu Capituli, & ea constitutio contrariâ praxi abrogata est: notandum etiam, quòd prædicta ad usus sacros integra vendi possint; ut vendantur ad usus profanos, debent priùs confringi, ut amittant consecrationem, imò ligna & lapides Ecclesiæ etiam destructæ sine licentia Superiorum vendi prohibentur, *Sylvest. V. Simonia q. 12. Valent. Soto, Nav. c. 23. n.* 108. neque potest vestis, calix, vel alia res sacra erga pretium elocari, quia hoc esset vendere usum rei sacræ, *Suar. l. 4. de sim.*
4. *c.* 14. *Engel l. 5. t. 3. n.* 18. 3. Ad simoniam requiritur, ut detur aliquid ex pacto im- vel explicito; nam ex mera liberalitate vel gratitudine aliquid dare vel recipere, non est simonia; pactum explicitum est, in quod partes expressè consentiunt, v. g. do beneficium, ut des pecuniam, ut remittas debitum, ut des mutuò, ut concedas usum domûs, &c. & hoc vocatur *munus à manu.* Vel: Do beneficium, ut mihi servias, causam meam evincas, & vocatur *munus ab obsequio.* Vel: Procurabo beneficium, si me laudes, recommendes, & dicitur *munus à lingua.* Pactum implicitum est, cùm partes quidem expressè non conveniunt, ex circumstantiis tamen satis intelligitur, quòd dans spirituale velit obligare ad retribuendum temporale, vel econtra; ut si dicas: Da beneficium, ero tibi gratus, subintelligendo, per temporale, ùt hodiedum plerumque subintelligitur, nam si non retribuas, communiter haberis ingratus. Quòd si nullum pactum interveniat, adhuc poterit esse simonia mentalis, putà si detur temporale, ut sit finis vel motivum conferendi spirituale, vel detur spirituale eâ intentione, ut alter obligetur dare temporale, non ex justitia, sed ex gratitudine aut benevolentia; tunc enim etsi signatè tantùm aliquid intendatur vel petatur ex gratitudine, virtualiter tamen intenditur ut pretium; gratitudo enim non obligat ad aliquid determinatè, minùs ad aliquid temporale; nam gratitudini satisfit, si pro benefactore oretur, Missa legatur, eleëmosyna detur, &c. Hinc Inn. XI. benè damnavit Prop. 45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali aut econtrà.* Item 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritua-*

*lis, sic ut illud pluris æstimetur quàm res spiritualis.* Vid. dicend. n. 25.

QUÆR. II. Quotuplex sit simonia?

5. R. Simonia dividitur *Primò* in eam, quæ est juris divini, & eam, quæ est juris humani seu Ecclesiastici. *Simonia juris Divini* est, quæ propter intrinsecam malitiam à Deo prohibetur, ut cùm venditur, vel erga temporale quomodocunque commutatur res propriè spiritualis, ut Sacramenta, S. Reliquiæ, Officia spiritualia &c. Gravissima enim est irreverentia, si res spiritualis tam vilis habeatur, ut instar mercium vel rerum temporalium pretio venalis exponatur, vel commutetur, nec in hoc datur parvitas materiæ, *Nav. Suar. Sanch. l. 1. in dec. c. 4. n. 1. Wiestner l. c. Reiffenst. l. 5. t. 3. n. 11. Simonia juris humani* dicitur, quæ ab Ecclesia ex motivo Religionis prohibetur, ut cùm beneficium permutatur vel resignatur pro beneficio, de quo *infrà q. 10.* aut venditur vel commutatur res non propriè spiritualis, sed spirituali annexa, vel ad eam ordinata, velut officium Sacristæ, œconomi, thesaurarii, Advocati Ecclesiæ, organœdi &c. *c. si quis Episcopus c. 1. q. 1. c. salvator c. 1. q. 3.* intellige, si exerceri soleant per Clericos, secus si per Laicos, *Sylvest. Suar. c. 25. n. 3. Pyrrh. n. 121.*

6. *Secundò* dividitur simonia in mentalem, conventionalem, realem & confidentialem. *Mentalis* non consistit in nudo proposito, sed in actuali collatione rei spiritualis, cum voluntate vel intentione obligandi, aut saltem movendi accipientem ad retribuendum aliquod temporale, vel contrà, quamvis id exteriùs non significetur, neque ulla conventio im- vel explicita interveniat, sed sola spes aut voluntas aliquod temporale pro spirituali tanquam ex debito recipiendi, ut si Prælatus beneficium conferat Clerico, ut ideo obligetur vel moveatur ad ei serviendum, aut Clericus serviat Episcopo eâ intentione, ut ei loco mercedis debitæ conferat beneficium, *Valent. Castropalao pun. 2. n. 3. Wiestner n. 7.* Item simonia mentalis est, si spirituale principaliter fiat vel intendatur propter temporale, aut contrà, ut si quis Missam legat, Sacramenta ministret, concionetur, chorum frequentet, propter distributiones vel stipendium temporale, in eo sistendo, si temporale intendatur velut pretium æquivalens rei spirituali, *D. Th. quodl. 8. a. 11. Cardenas 2. crisi. d. 27. c. 5. a. 2.* & patet ex dictis *n. 5.* Certum est, hanc simoniam mentalem esse peccatum, quia in animo æquiparat & commutat spirituale cum temporali, *Gonzales, Suar. Leuren. l. 5. q. 71. Simonia conventionalis* est externa conventio seu pactum im- vel explicitum dandi vel recipiendi aliquid spirituale pro temporali, conventione tamen nondum impletâ ex utraque parte; est gravius peccatum quàm purè mentalis. *Simonia realis* vocatur, quæ 7.
est ex utraque parte completa, ita ut unus tradiderit pecuniam saltem ex parte, & alter beneficium. *Simonia confidentialis* est, si quis sine expressa

Papæ

Papæ licentia alicui procuret beneficium, conferendo, eligendo, præsentando, instituendo, confirmando, resignando, dando in commendam cum certa confidentia, id est cum pacto vel quasi pacto, ut is cui procuratur, illud ipsi vel alteri resignet, aut pensiones solvat, *Engel n. 32. La Croix l. 3. p. 1. n. 63.* potéstque esse realis, vel purè mentalis, ut per se patet.

QUÆR. III. An simonia sit, pro
8. ingressu vel receptione in Religionem accipere vel exigere temporale?

Rr. 1. Est simonia juris Divini pro ipsa receptione ad Novitiatum vel Professionem temporale recipere tanquam pretium, quia sicut Status Religiosus, sic & receptio ad illum est aliquid spirituale, *S. Th. q. 110. a. 3. & ibi Sylvius, Suar. l. 4. c. 17. à n. 4.* Idem est, si Monasterium alicui personæ det quid temporale, eo pacto, ut Monasterium ingrediatur, quia hoc est pretio emere vel conducere alterius ministerium spirituale, *Pyrrh. n. 61.* 2. Licitum est in Monasteriis non satis fundatis non tantùm acceptare spontè oblata, sed etiam aliquid exigere in dotem vel sustentationem personæ assumendæ, *S. Th. l. c. & ibi Cajet. Sylvius, Sylvest. March. Engel. n. 21. Castrop. pun. 9. n. 4.* quia sustentatio non est aliquid spirituale; & sicut pro Sacramento matrimonii nihil licet exigere, benè autem pro onere sustentandi conjugem, ita & hîc; nec obstat *c. quoniam de sim.* ubi tamquam simoniacum prohibetur etiam sub prætextu paupertatis aliquid temporale exigere; nam loquitur tantùm de prætextu falsæ paupertatis, quando Monasterium verè inops non est. 3. Si Monasterium sit satis dotatum, ita ut ex reditibus præhabitis recipiendos commodè alere possit, est simonia pro onere sustentandi vel titulo dotis temporale exigere, claret *ex c. non satis, c. veniens, c. dilectus de simon.* omnes cum *D. Th. in 4. dist. 5. q. 3. ad 3.* Præcipua difficultas est, an sit simonia solius juris Ecclesiastici, contra quam consuetudo prævalere possit, vel Juris Divini, ut docet *Reiffenstul à n. 170. cum March. Rodriq.* Idque probari potest 1. *ex d. c. quoniam & extrav. 1. de sim.* ubi contraria consuetudo dicitur corruptela. 2. Quia Monasteria opulenta nihil possunt exigere titulo necessariæ sustentationis, nec est alius titulus: ergo exigunt temporale pro ipsa admissione, *Sylvius a. 3. concl. 5.* idque meritò præsumitur, si assumptus nullum aliud talentum Religioni utile adferat præter pecuniam, *Steph. tr. 4. d. 11. n. 40.* 3. In collatione beneficii aliquid exigere pro jure ad fructus, est simonia juris Divini, quamdiu hoc jus est connexum cum officio spirituali, ut dicam inf. *n. 17.* Sed jus ad plenam sustentationem in monasteriis satis fundatis est connexum cum statu Religioso non minùs quàm cum beneficio: ergo. 4. Ab eo qui legitimè est electus, non potest aliquid peti pro confirmatione, quia jus ad eam habet, sed Religiosus

etiam jus habet ad sustentationem: ergo. 5. Talis exactio in Monasteriis opulentis est scandalosa, & retrahit à religione: ergo. Consuetudo contraria repugnat juri naturali & Divino. Econtrà hanc simoniam esse tantùm juris Ecclesiastici, ideóque consuetudinem contrariam, quæ in Germania passim invaluit, præsertim pro Monialibus, damnandam non esse, docent *Sylvest. Sotus l. 5. q. 6. a. 2. Arrag. q. 100. a. 3. Suar. c. 17. n. 3. Sporer n. 38. Pyrrh. n. 59.* Rationem dant 1. quia talis consuetudo scitur & toleratur ab Ecclesia. 2. Non datur temporale pro ipsa receptione, sed in sustentationem recipiendi, & augmentum personarum ac cultûs Divini. 3. Adportanda onera matrimonii carnalis potest maritus quantumcunque dives petere ab uxore dotem: ergo & Monasterium à Religioso. 4. Monasterium post professionem succedit loco filii, & jam tum habet spem sic succedendi: atque illa spes est pretio æstimabilis: ergo ejus intuitu aliquid exigi potest. Utraque sententia est probabilis, sed prior videtur juri & decori religioso conformior. 5. Si Abbas alat aliquem in studiis eâ conditione, ut monasterium ingrediatur, vel si nolit, victum solvat, non est simonia, quia relinquit ei ingressum liberum: secùs si eum absolutè obliget, *Suar. Castropalao l. c.* cont. *Sanch.* An in lusu liceat exponere Missam, Rosarium, vel aliud spirituale erga pecuniam, dixi *Cas. 59. n. 15.* 6. Quod attinet ad abusus, qui fiunt circa apparatus & sumptus conviviorum in susceptione & professione Regularium, & dona, quæ cum exactione pacto im- vel explicito pro vestiaria, infirmaria, Bibliotheca, &c. absque vera necessitate exiguntur, ea consuetudo tanquam corruptela reprobatur, *in cit. extrav. Nav. Suar. Pyrrh. n. 60.* Ratio est, quòd non sit titulus ea exigendi, ergo exiguntur pro ipsa receptione ad Ordinem, quæ est quid spirituale.

QUÆR. IV. An sit simonia, exigere aliquid pro doctione vel magisterio?

Rz. 1. Certum est, pretium accipi posse pro actu docendi scientias profanas, Mathesin, Philosophiam, Jurisprudentiam, imò & Theologiam tam moralem, quàm speculativam, quia harum finis est, instruere intellectum ad cognoscendas naturaliter veritates Theologicas; Theologia verò mystica seu Ascesis, Catechesis, Concio, instructio in fide pro pretio fieri non possunt, quia ex fine suo ordinantur ad excitandos affectus supernaturales, ideòque sunt intrinsecè invendibilia, *S. Th. q. 100. a. 3. ad 2. & ibi Cajet. Suar. c. 18. n. 2.* 2. Pretium accipi potest pro cathedra vel licentia docendi, pro gradu Magisterii vel Doctoratûs, pro resolutione casûs conscientiæ, &c. *S. Th. l. c. & ibi Arrag. Suar. l. c. Leur. q. 83.* quia nihil datur pro spirituali, sed pro re vel labore naturali. 9.

QUÆR. V. An aliquid dari vel exigi possit pro Sacramentorum administratione?

Rz. 1.

10. §. 1. Pro ipso Sacramento dare pretium, est simonia juris Divini, quod etiam tenet de Sacramento matrimonii, etsi includat contractum civilem, quia est verum Sacramentum, potest tamen exigi dos, & quidem eò major, quò major est contrahentium inæqualitas, quia sic nihil petitur pro ipso Sacramento, *S. Th. Pyrrh. n. 12. Illsung. t. 5. n. 309. Wiestner. n. 36.* Item potest aliquid dari pro redimenda vexa, si in necessitate Sacramentum injustè negetur, aut tyrannus injustè detineat Eucharistiam, S. Reliquias, &c. quia id non datur ut pretium Sacramenti, vel rei sacræ, sed ut à peccato desistat. 2. Certum est, pro administratione Sacramentorum, pro Officio Divino, Litaniis, precibus, sepultura, assistentia matrimonii, &c. temporale exigi posse, non ut pretium, sed in stipendium sustentationis ministrorum; nam *dignus est operarius mercede suâ, Matt. 10. Et qui servit Altari, æquum est, ut vivat de Altari, 1 Cor. 9. ℣. 13.* Nec obstat, quòd Minister fortè sit dives, vel aliunde sustentationem habeat; nam hoc per accidens est, & debetur sustentatio etiam ex hac actione spirituali: non tamen fas est Parocho, ob negatum injustè stipendium negare Sacramenta, sed oportet, ut aliâ viâ jus suum prosequatur, *c. 4. 36. & 42. de sim. Engel. l. 5. s. 3. n. 14. Reiffenst. n. 200.* 3. Ratione majoris laboris plus exigi potest, non quidem ut pretium, si labor actioni spirituali sit intrinsecus, sed in sustentationem; qui enim plus laborat, majori sustentatione dignus est, idque à potiori tenet de labore extrinseco, ut si debeas concionari, dicere Missam, statis horis, in loco dissito, cum cantu, &c. & hæc beneficio tuo annexa non fuerint, nunquam tamen plus exigi poterit, quàm lex vel consuetudo permittat, *Gutieretz, Valent. Sot. Suar. c. 21. n. 15.*

QUÆR. VI. Utrùm sit simonia, aliquid dare vel exigere pro actu virtutis?

11. §. 1. Affirmativè, si exigatur temporale ut pretium, secùs si permittente lege vel consuetudine detur ut stipendium sustentationis. 2. Potest dari spirituale ex spe & intentione consequendi temporale, dummodo temporale non sit finis principalis, vel econtra; sic enim habet consuetudo, ut detur Religiosis aliisque pauperibus eleëmosyna, spe, ab iis obtinendi orationes; & Religiosi offerunt sæcularibus suas preces & Sacrificia, spe consequendi temporalia; pueris dantur munera, ut alliciantur ad Confessionem, Communionem, S. Ordines, Statum Religiosum, &c. hæreticis promittitur matrimonium, ut convertantur, malefico vita, si fiat Catholicus; neque est simonia, Superioribus vel aliis absque omni pacto offerre munuscula, ut facilitetur admissio in Religionem, quia id nullo jure prohibitum est; & ejusmodi munuscula non dantur ut pretium rei spiritualis, sed ut incitamentum ad bonum, *Reiffenst. n. 89. Castropalao p. 11.*

*p. 11. n. 2. La Croix n. 189.* si verò dentur cum pacto vel obligatione, erit simonia, *Suar. c. 16. n. 16. Less. c. 15. dub. 12.* imò in materia beneficiorum est simonia, etiamsi absque omni pacto detur ex solo motivo vel fine obtinendi spirituale pro temporali, vel contra, ut magis explicabitur *n. 25.*

QUÆR. VII. An aliquid dari possit pro potestate spirituali, vel ejus usu, vel non usu?

12. R. 1. Dare pretium pro potestate spirituali, v. g. excommunicandi, absolvendi, dispensandi, eligendi, præsentandi, aut etiam pro ipso actu absolutionis, dispensationis, electionis, confirmationis, institutionis, installationis, immissionis in beneficium, &c. item pro omissione horum actuum, est simonia, quia hæc omnia sunt quid spirituale vel spirituali annexum, & ordinantur ad salutem animarum. 2. Si indignus absolvatur propter temporale, simonia committitur; nam esto non vendatur tunc verè absolutio, quæ nulla est, venditur tamen usus vel potiùs abusus potestatis spiritualis, *Suar. c. 19. n. 2. Leur. q. 77.* qui etiam dicunt, esse simoniam, si Confessarius pœnitentem obliget ad dandas sibi eleëmosynas, quod plerúmque saltem scandalosum est. 3. In dispensationibus solet aliquid exigi, non in pretium, sed in mulctam, vel in sustentationem dispensantis aut ejus Officialium, attamen Ordinarii aliique Officiales exequentes dispensationem à Sede Apost. concessam non possunt pro examinatione testium vel alio labore pecuniam accipere, nequidem in sustentationem, cùm id ipsum in litteris commissionis sub excommunicatione reservata, & nullitate dispensationis specialiter interdici soleat, *Nav. Castropalao p. 12. n. 12. Reiffenst. n. 217.* neque hîc excusare consuetudinem ex variis declarationibus S. Congreg. docet *Garc. de benef. p. 8. c. 1. n. 102.* Notario tamen pro examine testium & sumenda informatione super veritate narratorum in supplica permittitur quarta pars ducati; DD. cit. 4. Simonia 13.
est dare vel accipere pretium pro consecratione templi, calicis, campanæ, quia hæ actiones sunt spirituales, posse tamen ab Episcopo quid exigi in agnitionem Superioritatis, docet *Pyrrhing n. 34.* quid ni pro expensis itineris, si ita habeat consuetudo. 5. Pro collatione Ordinum vel primæ Tonsuræ, pro dimissorialibus, testimonialibus citra simoniam nihil dari, aut ab Episcopo vel ejus ministris, etiam spontè oblatum, acceptari potest, nullâ consuetudine etiam immemoriali obstante, *Trid. sess. 21. c. 1. de ref.* permittitur soli Notario decima pars aurei, si salarium non habeat, vel ita permittat consuetudo, uti in his partibus, in quibus Trid. secundùm illum vigorem non esse receptum testatur experientia & *La Croix n. 167.* 6. Similiter tanquam simoniacum prohibetur omnis datio vel acceptio munerum, etiam spontè

spontè sive ante sive post oblatorum intuitu examinis ad Parochiam, ab hac simonia *dantes & acceptantes absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam ante obtinebant, & ad alia imposterùm inhabiles reddantur, Trid. sess. 24. c. 18. de ref.* 7. Est simonia, si judex in causa Ecclesiastica accipiat pretium pro sententia, quia est actus jurisdictionis spiritualis; si tamen indigeat assessore, pro eo stipendium sustentationis exigere potest, *Pyrrh. à n. 40. Engel. n. 20.* 8. Bonif. VIII. Greg. XIII. & Alex. VII. in Bulla 19. data 2. Maji Anno 1656. sub excommunicatione & nullitate gratiæ obtentæ prohibent omnes donationes, promissiones, etiam apud mediatos intercessores vel promotores factas, pro obtinenda pro se vel alio justitia vel gratia apud S. Sedem, permittunt tamen mercedem convenientem pro labore illis, quibus non incumbit expeditio justitiæ vel
14. gratiæ. 9. *Trid. sess. 24. c. 3. de ref.* præcipit visitatoribus Ecclesiasticis sub pœna dupli, ne ultra procurationes canonicas, hoc est, victum pro se & suo moderato comitatu necessarium quidquam, etiam gratuitò oblatum, à visitatis per se vel suos acceptent, consuetudine quâcunque etiam immemoriali non obstante, unde inferunt *Barb. Pyrrh. l. 3. t. 39. n. 70. Engel. ibid. n. 16. Reiff. n. 56.* visitatores non posse exigere expensas factas in eundo vel redeundo, in conducendo aut emendo equos, minùs æstimare equos mortuos, vestes detritas, &c. quia vi Trid. solus victus debetur, & quidem tantùm ad dies, quibus fit visitatio; sed hic rigor non videtur ex toto receptus, quia passim videmus à viris doctis & timoratis exigi expensas necessarias itineris, ne visitatio iis præter laborem insuper damnum causet, absterreatque à functione tam salutari, neque aliquid petitur pro ipsa visitatione, quod esset simoniacum, sed pro expensis aut labore, *S. Th. q. 100. a. 3. ad 3.*

QUÆR. VIII. An vendi possit sepultura?

Rs. 1. Jus sepulturæ in loco sacro 15.
absque simonia vendi non potest, *c. quarta & seqq. de sim.* potest tamen vendi locus vel fundus, sicut vendi potest calix consecratus, quantum valet ejus materia; quia sic non venditur benedictio, nec propriè jus sepulturæ, sed illud materiale, ad quod alia sequuntur, *S. Th. Suar. l. c. Cardenas, Pelliz. de reg. t. 8. c. 5. n. 172.* 2. Etiam pro actu sepulturæ pretium exigere est simoniacum, exigi tamen potest, quod vel gratis offertur, vel in sustentationem aut fabricam Ecclesiæ dari consuevit. Et hâc ratione excusantur, qui plus ab is petunt, qui honoratiori loco inhumantur, æquum enim videtur, ut tales plus contribuant, non in pretium, sed sustentationem ministrorum, vel fabricam Ecclesiæ, si ita consuetudo habeat, *Arrag. Sylvest. Plat. Laym. n. 36. Castropalao p. 8. n. 4. Pyrrh. n. 40.* qualiter res be-

benedictæ, ut Agnus Dei, vestes, Ecclesiæ, calices, &c. vendi possint, dixi *q. 1.*

QUÆR. IX. An vendi possit jus Patronatûs, decimarum vel fructus beneficii?

16. R. 1. Vendere Jus Patronatûs seorsim est simonia, at potest vendi fundus vel prædium, cui Jus Patronatûs annexum est, modò obinde non augeatur pretium; est autem suspicio ideo augeri pretium, & simoniam committi, si in contractu de eo fiat expressa mentio: in dubio præsumitur, quòd mentio fiat non ratione venditionis, sed ut emptor sciat jura rei venditæ annexa, *Castropalao pun. 14. n. 5. Engel. n. 25. Pyrrh. n. 75.* 2. Neque vendi potest jus directum decimandi, quia est spirituale, vel spirituali antecedenti annexum; potest tamen jus decimandi in uno loco permutari cum jure decimandi in alio; certum etiam est, ipsos fructus decimarum, frumenta, vina, &c. vendi posse, cùm nihil sint spirituale, nec de se spirituali annexum; imò ipsum jus utile decimandi, si authoritate Papæ vel ex consuetudine separatum sit à jure directo, quod semper manet penes Ecclesiam, illud poterit laicis competere, vendi & emi, *Engel. n. 22.* 3. Fructus beneficii vendi & locari possunt etiam ad longum tempus; prohibetur quidem *extrav. ambitiosæ*, ne locentur ultra triennium, sed nullibi ferè id est receptum, teste *Nav. Cajet. Tolet. apud Castropalao p. 13. n. 5.*

QUÆR. X. Qualiter committatur simonia circa beneficia Ecclesiastica?

17. R. 1. Certum est, beneficium absque simonia vendi, seu pro eo pecuniam accipi non posse, & quamvis plerique Canonistæ cum Julio Claro, Garcia, &c. dicant, id esse simoniam solius juris Ecclesiastici; Theologi tamen communiter docent, esse simoniam jure Divino prohibitam, *S. Th. sup. a. 4. in Corp. Suar. Castropalao p. 3. Pyrrh. n. 75. La Croix n. 118.* Nam quamvis beneficium includat duo, Officium scilicet spirituale, & jus ad fructus seu emolumenta temporalia; tamen hoc secundum jus fundatur in primo, tanquam in primario, eique est annexum & accessorium: quamdiu ergo à suo principali per Papam (cui soli hoc competit) separatum non est, vendi non potest, quin hoc ipsum censeatur vendi ipsum principale seu Officium spirituale; nec obstat, quòd vendi possit calix consecratus quoad materiam, aut fundus, cui annexum est Jus Patronatus; nam in his spirituale per accidens connexum est temporali, tanquam in præsuppositio, ideòque temporale secundùm suum valorem æstimari & vendi poterit absque hoc, quòd censeatur vendi spirituale; at jus percipiendi fructus è beneficio fundatur in Officio spirituali, tanquam in præsuppositio & principali intuitu, cujus fructus debentur; ideòque dum venditur jus ad fructus, censetur & principale

pale vendi, ratione cujus fructus debentur; quæ autem habeant rationem beneficii, & per consequens sint materia simoniæ Ecclesiasticæ, dicam *Cas. 76.* Probabile est, Officia Regularium, ut Prioratus, Rectoratus, Provincialatus, &c. hîc non venire nomine beneficiorum, ideòque non esse simoniam sic paciscì: *Elige me in Priorem, & eligam te in Provincialom, Barb. Mendo d. 1. n. 311. Sanch. consil. 2. c. 3. d. 44.* quia materia pœnalis & odiosa tantùm extendenda est ad beneficia rigorosè talia: certum tamen est, hæc officia esse spiritualia, ideòque si pro iis detur temporale, erit simonia juris Divini; idem est, si temporale detur pro Vicaria vel Commenda ad tempus, Capellania laica, Coadjutoria, &c. nam quamvis hæc non sint strictè beneficia, ideòque sine simonia propriâ authoritate permutari, resignari, &c. possint, non tamen vendi; quia continent Officium spirituale, pro quo temporale accipere est simonia juris
18. naturalis & Divini. 2. Resignare, permutare beneficia authoritate propriâ, aut in resignatione cum authoritate facta privato pacto constituere pensionem, inæqualitatem fructuum pecuniâ vel aliter compensare, pensionem constitutam redimere saltem de stylo curiæ; alterum ad portandas omnes expensas obligare, vel aliud onus extrinsecum resignationi adjungere, &c. est simonia juris Ecclesiastici, quod prohibet omne pactum privatum circa beneficia, *Rebuf. Leuren. q. 90.* non tamen est illicitum aut simoniacum ante consensum Prælati partes tractare inter se de permutatione vel constituenda pensione, aut etiam se obligare sub conditione futuri consensûs, quia ejusmodi tractatio vel obligatio non est perfecta permutatio, *Less. Paris. Garc. Chockier de perm. p. 3. c. 7. Suar. c. 31. n. 7.* 3. Dare pecuniam, ut quis 19.
tibi rogando, scribendo, recommendando beneficium impetret, non est simonia; si detur pro labore, damno, aut onere gratitudinis, quod recommendans in se suscipit, modò munus non excedat æstimationem laboris & damni, *S. Th. l. c. S. Bonav. in 4. dist. 25. Soto l. 9. q. 7. a. 3. Suar. c. 53. n. 17. Patel. n. 888. Steph. d. 11. à n. 38. Mendo à n. 298.* ubi cum aliis dicit, non esse simoniam, si pecunia detur pro habendo faciliori aditu ad collatorem, vel ut assumatur ad obsequia Episcopi, sicque ejus benevolentiam lucretur, ad accipiendum gratis ab ipso beneficium, quia hoc est tantùm remotè sibi per pecuniam ad beneficium viam sternere; idem tenet, si famulo Episcopi des pecuniam, ut tibi statim significentur beneficia vacantia, *Viva opusc. 3. q. 9. a. 5.*
4. Non est simonia, alteri dare be- 20.
neficium, ut se honestè sustentare possit, quia sustentatio beneficiato debetur, & est finis secundarius beneficii, ergo à collatore licitè intenditur; secùs si detur eâ conditione, ut collatorem vel ejus

amicum sustentet aut juvet in solvendis debitis, hoc enim est onus
21. beneficio extrinsecum. 5. Si mutuum suscipias à collatore, ut ille te cogatur eligere vel conferre beneficium, ne alioquin ob tuam impotentiam debitum recipere non possit, es simoniacus, quia timore injusto damni temporalis emis votum, alter tamen sic dando votum non peccat, quia id facit ad redimendam injustam vexam, *Less. Laym. Pyrrh. n. 193.* Si bonâ fide mutuum accepisti, & alter timore perdendi creditum te sponte eligat, nec tu nec alter est simoniacus, quia beneficium dat liberè & sine pacto, ut moveat te ad faciendum id, ad quod ex justitia teneris.
22. 6. Qui acceptat beneficium cum pacto instruendi juventutem, vel quia instruxit, si beneficium sit loco pretii vel mercedis debitæ, dans & acceptans est simoniacus, secùs si acceptet beneficium, cui onus docendi authoritate Superioris est adjunctum, colligitur ex *Trid. sess. 5.*
23. *c. 5. sess. 23. c. 18.* 7. Est simonia, si quis Cajo nolit conferre beneficium, nisi rogetur à Titio, quem vult sibi habere obligatum, quia erga beneficium emit obligationem Titii; si tamen id fieret absque pacto, non esset simonia, *Laym. Pyrrh. n. 138.*
24. 8. Si quis se obliget ad dandum mille in usus pauperum, vel ad legendum mille Missas, eâ conditione, ut alter det vel procuret beneficium, est simonia; idem tenet, si sic paciscantur: Da mihi votum, & ego dabo tibi vel tuo consanguineo votum, quia Ecclesia circa beneficia prohibuit omnes pactiones sine consensu Superiorum, etiamsi spirituale detur pro spirituali, v. g. fructus eleemosynarum aut Missarum pro beneficio, vel votum pro voto; idem videtur dicendum, si quis, ut obtineat beneficium, promittat aliquid dare ad fabricam vel reparationem Ecclesiæ, ut expresè habetur *c. ex multis 1. q. 3.* non tamen erit simonia, si illa obligatio sit beneficio annexa; quia tunc vi talis pacti nullum onus novum imponitur, sicut si eâ conditione detur beneficium, ut persolvat horas Canonicas, legat Missas à fundatore impositas, &c. 9. Dare temporale, v. g. obsequium, pecuniam, 25.
mutuum eâ intentione, ut alter ex eo tanquam ex fine seu motivo moveatur ad dandum beneficium vel votum, aut econtrà, est simonia saltem juris Ecclesiastici, patet ex Propos. damnatis *sup. n. 4.* quamvis oppositum antehac docuerint DD. gravissimi. Ratio est, quòd si temporale sit motivum dandi spirituale, vel contra, tunc temporale se habet ut pretium virtuale; cùm enim non detur alio motivo vel titulo, datur reipsa pro beneficio: ergo committitur simonia, quam etiam admittit, qui recipit temporale, & propter hoc movetur ad dandum beneficium; & sicut judex, qui ideò fert sententiam iniquam, quia accepit munera, dicitur vendere justitiam, ita ille, qui

qui propter munera confert beneficium, dicitur vendere beneficium, quamvis nullum aliud pactum interveniat; si tamen munus temporale sit exigui momenti, non præsumitur simonia, quia tunc retribuens spirituale non censetur ad hoc fuisse motus à munere, nec alter per munus censetur movere voluisse, *Cardenas*, *La Croix n. 73.* si verò etiam antecedenter detur temporale, non ut alter pro temporali reddat spirituale; hoc enim esset velle, ut temporale fiat motivum conferendi spirituale, quod damnatum est; sed tantùm eâ intentione, ut conciliet sibi ejus amicitiam, benevolentiam vel gratitudinem, ex qua exspectatur collatio beneficii, vel aliquid aliud, non est simonia, quia tunc motivum conferendi beneficium non est illud temporale, sed amicitia vel gratitudo, cujus occasionem dedit temporale, *Platel. Pyrrh. n. 125.* & si juxta *D. Th. q. 78. a. 2. ad 3.* non est usura, dare mutuum ad generandam in mutuante obligationem gratitudinis, & intendendo, ut ex illa rependat aliquid, quod ipsi placuerit, ita & hîc non erit simonia, dare temporale eâ intentione vel spe, ut reddatur spirituale vel quid aliud ex mera gratitudine aut benevolentia; valde tamen periculosum erit, tunc aliquid dare, quando agitur de conferendo beneficio; facilè enim ejusmodi munus fiet motivum collationis, adeòque pretium virtuale & emptio implicita rei spiritualis, tuncque in foro externo præsumi intentionem simoniacam, testatur *Pyrrh. l. c. Engel. n. 7.*

10. Dare bona sua Ecclesiæ cum im- vel explicito pacto, ut assumatur in Canonicum, est simonia juris Divini, secùs si quis simpliciter roget, ut assumatur, vel bona sua det ex mera liberalitate & devotione, etsi Ecclesia ex post ipsi vel ejus liberis in gratiarum actionem conferat Canonicatum, *c. tua nos 34. de sim.* 26.

11. Qui certat cum collatore vel eo, qui beneficium procurare potest, quòd beneficium non sit impetraturus, simoniam committit; quia spe lucri virtualiter emit beneficii collationem vel procurationem; cùm enim in illorum potestate sit beneficium conferre vel procurare, ideòque sponsionem lucrari, ejusmodi sponsio est palliata emptio & simonia; nec obstat, quòd in lusu licitè exponam Missam erga pecuniam; nam hoc dato disparitas est, quòd ex concessione Ecclesiæ pro Missa debeatur stipendium sustentationis, non autem pro collatione vel procuratione beneficii. 27.

12. Si Cajus liberaliter dicat, do tibi beneficium, & tu respondeas, accepto, & do in gratiarum actionem mille aureos, non est simonia, nisi des ut pretium æquivalens beneficio. Si autem Cajus dicat, dabo tibi beneficium, & tu dicas, dabo tibi mille, ac in animo ita sis constitutus, (uti ordinariè fit) ut reverà non sis datu- 28.

rus, nisi alter det beneficium, es simoniacus, quia revera pacisceris & promittis virtualiter te daturum mille sub conditione, si alter permanserit in voluntare dandi beneficium, quod patet esse simoniam; aliud est, si ob visam in te benevolentiam gratis promittas dare mille, sive Cajus ex post det, sive non det beneficium; hoc autem rarò continget; si dicas, confer mihi beneficium, ero tibi gratus, si sincerè procedas, nolens te vel alterum ad quidquam obligare, non es simoniacus speculativè loquendo; in praxi tamen rarò aberit simonia, tum quia hæc verba hodiedum significant determinatè promitti compensationem temporalem; gratitudo autem ad nihil determinatè obligat, ideòque adest implicitum pactum de dando temporali, & dans plerumque movetur spe temporalis compensationis, quam si non faciat, dicetur ingratus. 29. 13. An patrono hæretico pro impetrando beneficio pecunia licitè dari possit, non convenit inter DD. in praxi pro majori conscientiæ securitate petenda est collatio à Papa, utì & licentia transigendi cum patrono hæretico super fructibus, quod à potiori tenet in Germania, ubi ex tolerantia Ecclesiæ, hæretici tolerati verè retinent jus patronatus: ergo si ab ipso hæretico immediatè pro pecunia accipias beneficium, committis simoniam Juris Divini; Papa autem ab ipso jus pro illa vice tollere & tibi conferre, insuperque dispensare potest, ut cum eo agas super fructibus; si tamen patronus hæreticus vellet beneficium conferre hæretico, vel Catholico indigno, non est simonia dare pecuniam, ut tibi vel alteri digno indeterminatè conferatur; tunc enim non intendis tibi emere beneficium, sed Ecclesiam, quæ jus habet, ut beneficia conferantur dignis, liberare ab injusta vexa; postquam verò unus dignus pecuniam obtulit pro vexa injusta, alius plus offerre non potest, quia vexa Ecclesiæ jam redempta est per primum: ergo secundus non habet titulum, quo à simonia excusetur. 14. Emere titulum ordinationis jam constitutum, v. g. onus aliquot Missarum, cui respondet stipendium honestæ sustentationis, utique simonia est, quia titulus jam constitutus est quid spirituale, per consequens emitur spirituale pro temporali; si titulus nondum est constitutus, v. g. emis ex alterius prædio censum annuum centum imperial. aut emis mensam apud Prælatum vel Nobilem, super quo censu vel mensa postea petis ordinari, non est simonia: Ratio est, quòd ille census vel jus mensæ, antequam ab Episcopo in titulum ordinationis assumantur, sint quid merè temporale, nulli spirituali adhuc annexum. 30. 15. Quamvis nulla consuetudo excusare possit à simonia juris naturalis & Divini, adeò ut nunquam liceat dare vel accipere temporale tanquam pretium pro re spirituali, à simonia tamen Ecclesiasti- 31.

siastica excusat consuetudo per decem ad minùs annos continuata, *Reiffenst. Engel. n. 16.* Ex hac consuetudine licitè exigitur stipendium pro benedictione nuptiarum, exequiis, collatione Sacramentorum, ut sup. dictum est. 16. In dubio multò magis in probabilitate, quòd simonia non intervenerit, potes te judicare innocentem & ab omni pœna immunem, quia in dubio delictum non præsumitur, & innocentia est in possessione, *Suar. Pyrrh. n. 132.* etsi forum externum, si verba sint dubia, in odium criminis adeò familiaris simoniam præsumat.

QUÆR. XI. Qualiter hîc vexa redimi possit?

32. R. Circa hoc tres assignari Regulas. PRIMA: *Non est simonia, pretio vel aliquo temporali redimere injustam vexam circa jus jam quæsitum,* v. g. potes dare pecuniam, ut quis desistat ab iniqua lite circa beneficium jam plenè à te obtentum, *S. Thom. q. 100. a. 2. ad 5.* Ratio est, quòd tunc non detur pecunia pro re vel jure aliquo spirituali, utpote quod jam supponitur esse acquisitum, sed pro tollenda vexa. Requiritur autem, ut vexa sit injusta; nam si justè vexeris, v. g. aliquis agit ad te privandum beneficio ob delictum; simonia est pretio vexam redimere, quia jus tuum tunc non est firmum, sed ob delictum auferibile: ergo redimendo vexam pretio emis tibi jus firmum. Si des aliquid spirituale, v. g. resignas alicui beneficium tenuius, ut cesset vexare in pinguiori, iterum es simoniacus, quia das spirituale pro temporali, scilicet pro liberatione ab iniqua vexa, quæ est quid temporale, *Pyrrhing. n. 108.* Intellige si beneficium des ex pacto, secùs si des merè liberaliter ad emolliendum vexantis animum, ut ab injusto processu, à struendis insidiis, ab iniqua vexatione, vel alia vexa desistat, aut ut pecuniam tibi liquidò debitam consequaris, non committis simoniam, *Pyrrhing. n. 141.* quia non das beneficium ex contractu, neque ut aliquid commutabile cum temporali vexa, sed ut incites ad actum justitiæ, & animum vexantis avertas à peccato.

SECUNDA REGULA: Si in jure acquirendo iniquè vexeris ab iis, qui prodesse, seu jus illud concedere possunt, iisque des aliquod temporale, ut à vexa desistant, simoniam committis, *S. Thom. l. c. Soto, Less. Suar. c. 50. n. 23. Viva opusc. 3. q. 9. a. 4.* quia desistere à vexa tunc est reipsâ tibi conferre jus spirituale, quod injustè negabant, adeòque illud jus virtualiter emis: v. g. Episcopus tibi legitimè præsentato negat institutionem, vel electo confirmationem, quamvis tibi institutio vel confirmatio ex justitia sit debita, tamen non potes dare pretium ei, qui instituere vel confirmare detrectat, quia ante institutionem vel confirmationem necdum habes plenum jus, sed illud tibi emis pecuniâ, quod est simoniacum: ècontra si jam institutus 33.

aut

aut confirmatus es, & sola possessio tibi injustè negetur, vel impediatur, hanc vexam pecuniâ redimere licebit, quia possessio non est spiritualis, nisi ratione tituli vel juris, cui annexa est: ergo acquisito jam pleno jure & titulo non datur pretium pro aliquo spirituali, sed tantùm pro tollendo impedimento injusto possessionis, quæ consistit in facto temporali, sicut si habeas jus certum decimandi, posses aliquid dare, ne impediaris ab actuali decimarum occupatione, *S. Th. a. 2. ad 5.* & ibi *Arrag. Vega, Suar. n. 31.* contra Garciam & alios.

34. Tertia Regula, non est simonia, etiam circa jus beneficii acquirendum, injustam vexam pretio redimere ab iis, qui obesse possunt, non autem prodesse seu conferre aliquid ad obtinendum beneficium, v. g. aliquis te diffamat, electores aut collatorem vi vel fraude impedit, quò minùs te eligant, potes dare pretium, ut cesset à diffamatione, vi vel fraude, quia hoc est tantùm redimere famam, & tollere vim ac fraudem, quâ sublatâ electoribus & collatoribus adhuc liberum est eligere, quem volunt; jam dicta tenent in materia beneficiorum, in qua jura strictiùs procedunt; nam in aliis rebus spiritualibus, ut si injustè negentur Sacramenta, absolutio à censuris, vel aliquis te injustè velit censurare, licitè hanc vexam pretio redimis, etiam ab eo, qui prodesse, seu hæc spiritualia conferre potest; quia pecunia non datur pro Sacramento seu dispensatione, sed ut alium moveas ad explendum suum officium, ad quod ex charitate vel justitia tenetur, *Gloss. in c. ad aures 24. & in c. dilectus 28. V. restituere.*

QUÆR. XII. Quæ sint pœnæ simoniacorum?

35. Resp. Sunt seqq. 1. Simonia realis in Religionis ingressu, in Ordine & beneficio Ecclesiastico admissa, tam pro dante quàm accipiente, inducit ipso facto excommunicationem Papæ reservatam; simoniacè ordinans insuper interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & saltem ad triennium ipso facto suspenditur à collatione omnium Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, *c. 45. de sim.* & ordinatus suspenditur ab omni Ordine, usque dum à Papa absolvatur, & incurrit privationem omnium of- & beneficiorum, & inhabilitatem ad ea, Sixtus V. in *Bulla 91. novum & salutare. Leur. q. 107.* 2. Omnis electio, confirmatio, præsentatio, institutio, etiam ignorante electo vel provisо, simoniacè facta, est irrita ipso facto, nullúmque jus tribuit, sed beneficium & fructus ante sententiam restitui debent, etiamsi crimen sit occultum, & sic provisus sit inhabilis ad illud beneficium, etiam ex dispensatione Episcopi obtinendum; aliis tamen beneficiis ritè obtentis ipso jure non privatur, nec ad alia obtinenda fit inhabilis

ante

ante sententiam judicis, *Extrav. 2. de sim. c. 23. & 26. eod. Pyrrh. n. 95. Engel. n. 37. Leur. q. 105.* 3. Beneficia simoniacè obtenta vacant ipso jure, & sunt reservata Papæ, *d. extrav. 2.* 4. Pœnæ enumeratæ extenduntur ad simoniam confidentialem, etsi ex una tantùm parte completam, *Less. c. 35. dub. 26. Pyrrh. n. 115. Engel. l. c.* & constat ex Constit. Pii IV. *Romanum*, & Pii V. *intolerabilis.* Item probabiliùs extenduntur ad simoniam juris Ecclesiastici, quæ in permutationibus, resignationibus beneficiorum, &c. committitur, *Suar. c. 55. n. 19. Pyrrh. n. 155. Viva opusc. 3. q. ult. a. 1.* quia cit. Extrav. loquitur de utraque simonia juris Divini & Ecclesiastici, & ita habet stylus curiæ, quamvis oppositum, quod docet *Nav. Less. Sanch. Dian. p. 4. t. 4. R. 155.* non sit improbabile, eò quòd simonia ecclesiastica non sit propriè talis, nec in odiosis veniat nomine simoniæ; excipitur simonia confidentialis, quam jura pœnalia clarè exprimunt. 4. Prædictæ juris pœnæ propter nullam simoniam ipso facto incurruntur, nisi in materia Ordinum, beneficiorum & ingressûs in Religionem, *Nav. c. 23. n. 111. Engel. n. 35. Sporer n. 41.* imò nec in hac materia (si simoniam confidentialem excipias) ipso facto incurruntur, nisi simonia sit realis, & ex utraque parte completa, ita ut unus tradiderit pecuniam saltem ex parte, & alter rem spiritualem, *Nav. Zerol. Gonzal.* & innumeri, quos refert *Garc. de benef. p. 8. c. 1. n. 19. La Croix n. 212.* quia sic habet stylus curiæ, & pœnæ solùm extendendæ sunt ad simoniam perfectam, qualis non est, nisi sit completa; hinc si quis promittat temporale pro spirituali, vel contra, & postea accepto spirituali pœnitentiâ ductus promissum non impleat, non incurrit pœnam simoniæ realis, neque injustitiam committit, cùm conventio de dando spirituali invalida sit, *Suar. l. c. Leur. q. 72.* 5. Ficta promissio rei temporalis erga spiritualem, vel contra, absque animo obligandi vel implendi, sicut non est vera simonia, sic nec pœnas inducit, ut dixi *q. 1.* ideòque ex ejusmodi fictione impetrans beneficium non tenetur illud dimittere; similiter nec simonia mentalis pœnas inducit; hinc si fingas te servitium vel pecuniam dare gratis, cùm tamen des principaliter ad obtinendum beneficium, econtrà alter eâdem intentione absque omni pacto det beneficium, non teneris beneficium dimittere, *S. Th. l. c. Dian. p. 4. t. 4. R. 158.* 6. Si simoniacus occultus non possit dimittere beneficium sine gravi damno justi status vel famæ, potest dimissionem differre, usque dum dispensationem impetrârit, vel periculum damni cesset, *Sanch. Dian. tr. 5. R. 56.* quia Ecclesia & leges humanæ non obligant cum tanto incommodo; fructus tamen per-

percepti restitui debent, quia plerumque occultè restitui possunt sine infamia.

QUÆR. XIII. Quid si simonia non à beneficiato, sed à tertio sit commissa?

36. R. 1. Si electo vel provisо inscio pecunia ab alio data vel promissa sit, ad malitiosè impediendam ejus electionem vel collationem, valet electio & collatio, *c. nobis 27. de sim.* 2. Si à tertio non malitiosè sed in tui favorem aliquid datum est, & tu ignorans vel etiam suspicans, ne aliquid fieret, contradixisti, postea autem depositâ suspicione beneficium bonâ fide suscepisti, licèt ex post certò rescias, simoniam interveniisse, provisio non est simoniaca, nec invalida, *c. sicut tuis 33. de sim. La Croix n. 207. Leur. q. 106.* Si verò eventualiter non contradixeris, & te ignorante simonia realis & completa in tui favorem intervenerit, collatio & provisio ipso facto est nulla, & beneficium (nisi illud per triennium bonâ fide possederis, vel dispensationem obtineas) unà cum fructibus adhuc existentibus ante sententiam restituere debes; fructus tamen tuo ministerio correspondentes velut jura stolæ & præsentias chorales retinere potes, *d. c. sicut. S. Th. l. c. Suar. c. 57. à n. 35. Pyrrh. à n. 95. Reiffenst. n. 278.* & certum esse dicit *Leur. l. c.* 3. Si ab initio quidem contradixisti, sed ex post certioratus de simonia, à tertio in tui gratiam commissa, beneficium acceptes, collatio est nulla, quia cooperaris simoniæ cognitæ saltem quoad executionem, *Castropalao sup. Suar. n. 29.* Idem est, si rescians alium aliquid nomine tuo dedisse, illud ante impetratum beneficium nefariò mediatori refundas, hoc ipso enim censeris consentire, etsi antea contradixeris, ideòque provisio est nulla: si refundas post obtentum beneficium, animo ratificandi factum alterius, admittis simoniam, etsi ante contradixeris, & juxta *D. Th. March.* &c. collatio iterum est nulla, tenerisque beneficium resignare, quia pecunia data est tuo nomine: ergo si eam refundas, contractum simoniacum comples, & in facto revocas primam contradictionem. Econtra *Suar. Pyrrh. l. c. Diana p. 11. t. 5. R. 16.* probabiliter dicunt, collationem non esse ipso facto nullam, & beneficium retineri posse, usque dum à judice tollatur, quia ut supponitur, contradixisti, & bonâ fide acceptâsti beneficium: ergo collatio fuit valida & completa, & semel valida per subsequens factum simoniacum invalidari non potuit. 4. Si post collationem pecuniam refundas, non animo approbandi factum, sed ne dicaris ingratus, ne alter propter te patiatur damnum, non erit simonia, neque ideò beneficio privari poteris, quia hoc malum non est, sicut malum non est, si pater

solvat

ſolvat debita filii malè contracta, DD. cit.

QUÆR. XIV. Quinam à dictis pœnis abſolvere poſſint?

37. R. 1. Per ſe abſolvere poteſt ſolus Papa, *extrav. 1. & 2. de ſim.* ex ſpeciali tamen privilegio ab excommunicatione abſolvere poſſunt Epiſcopi & Religioſi Mendicantes, ac cum iis participantes, utpote quibus conceſſum eſt abſolvere ab omnibus caſibus extra Bullam Cœnæ Papæ reſervatis, modò res non ſit publica, & ad forum contentioſum deducta, *Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de ref. Suar. c. 61. n. 4. Caſtropalao p. 8. n. 2. Pyrrh. n. 72. Peiffenſt. n. 333.* 2. Si beneficiatus invincibiliter ignoravit, beneficium ſimoniacè à ſe fuiſſe obtentum, diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut illud poſtquam liberè reſignavit, retineat, vel potiùs de novo acquirat, ſi beneficium ſit ſimplex; ſi verò ſit curatum, dignitas vel Prælatura non poteſt diſpenſante Epiſcopo illud retinere, aut de novo acquirere, niſi poſtquam collatum alteri denuò vacaverit, DD. cit. imò & hîc poſſe diſpenſare Epiſcopum, quamdiu electio vel collatio per ſententiam non fuit reprobata, docet *Reiffenſt. à n. 336.* 3. Si quis ſciens vel conſentiens beneficium qualecunque ſimoniacè obtinuit, Epiſcopus nec pro foro in- nec pro externo diſpenſare poteſt, ut talis illud beneficium vel retineat, vel aliâ vice acquirat, etiamſi ſimonia ſit occulta, pro quo *Farin.* adducit declarationem Cardinalium *t. 4. deciſ. Rotæ f. 77.* 4. Si ſimonia ſit publica, adeòque neceſſaria diſpenſatio, pro foro externo recurrendum eſt ad Datariam Apoſtolicam, & ſupplica conſignanda eſt ſupremo Datario, ſi occulta, recurrendum ad pœnitentiariam ſeu ſummum pœnitentiarium; attamen teſtatur *Corradus apud Reiffenſt. n. 343.* Papam rariſſimè & non niſi ex cauſis graviſſimis in ſimonia formali diſpenſare.

QUÆR. XV. Quid circa reſtitutionem rei ſimoniacæ?

38. R. Seqq. 1. Nihil ſpirituale ſimoniacè acceptum præter beneficium eſt reſtituendum, quia cætera vel reſtitui, ut non poſſunt, vel non ſunt reſtituenda ante ſententiam, eò quòd canones tantùm mandent reſtitutionem beneficii, *Leſſ. l. 1. c. 35. dub. 29. Suar. c. 59. à n. 28.* 2. Pretium & quodvis temporale acceptum pro re merè ſpirituali, quæ nullum jus aut commodum temporale adjunctum habet, ex jure naturali ante omnem judicis ſententiam reſtituendum eſt, quia res merè ſpiritualis, v. g. Sacramentum, conſecratio, benedictio, &c. non eſt pretio æſtimabilis ſeu vendibilis, & miniſtri Eccleſiæ non ſunt domini, ſed tantùm diſpenſatores ejuſmodi rerum, ideòque venderent rem non ſuam, & intrinſecè invendibilem, ſed pro re non ſua & invendibili non poteſt

justè accipi & retineri pretium: ergo. 3. Si vendatur res non merè spiritualis, v. g. calix consecratus, castrum, cui annexum est jus Patronatus, quod accipitur pro materia vel fundo, retineri potest; si verò calix propter consecrationem, vel castrum propter annexum Jus Patronatûs cariùs venditur, pretium correspondens consecrationi vel Juri Patronatûs ante sententiam restitui debet, quia accipitur pro spirituali, quod est invendibile, *La Croix n. 242.* 4. Quamvis beneficium Ecclesiasticum non sit merè spirituale, sed annexa habeat emolumenta temporalia, pretium tamen pro beneficio acceptum ante sententiam restitui debet saltem ex jure positivo, *c. de hoc 11. de sim. Nav. man. c. 17. n. 23. Laym. c. ult. n. 83.* & in hoc convenire omnes dicit *Moya t. 6. d. 4. q. 7.* 5. Pretium aut munus simoniacum pro beneficio acceptum non danti, sed Ecclesiæ, in qua est beneficium, restitui debet, *c. 11. de sim.* aut pauperibus saltem, si ita habeat consuetudo, *S. Th. q. 100. a. 6. ad 3. Castropalao p. 26. n. 5. Pyrrh. n. 182.* quod tamen alii probabilissimè intelligunt post sententiam judicis; nam ante sententiam standum est juri naturali, quod exigit, restitutionem fieri parti læsæ, seu ipsi danti pretium, nisi ipse sponte remittat, aut ex jure clarè monstretur, ipsum ante sententiam jure suo esse privatum, quod monstrari non potest, *Sotus, Bann. Arrag. apud Castropalao l. c. Moya n. 13. Laym. à n. 79. Sporer. n. 51.* quòd si pactum sit rescissum ante collationem beneficii, certum est, pretium debere restitui illi, qui dedit, quia ob contractum & simoniam non completam pœnas non incurrit: ergo nec pretio suo privandus est.

CASUS

# CASUS LXVII.

## De Juramento.

*URias juratò asserit leve mendacium, juratò promissa ex parte levi non implet, 1. 2. Jurat sine causa, 3. Semi-deliberatè absque animo jurandi, 4. Implendi vel se obligandi, 5. 6. In differentia, 7. Jurat, se tale peccatum admissurum vel admisisse, 8. Jurat variis formulis, 9. Per falsos Deos, per fidem Lutheri, 10. Per sanguinem Christi, per existentiam Dei, 11. Per fidem Catholicam, per Sacerdotium, 12. Per verba dubia, 13. Exigit juramentum ab eo, quem scit pejeraturum saltem materialiter, 14. Consuetudinem jurandi non emendat, 15. Juratè æquivocè, 16. Jurat hanc rem tali pretio dari non posse, 17. Juratò promittit sub conditione turpi, 18. Juratò promittit matrimonium Cajæ & Titiæ, & tamen Caja mortua non ducit Titiam, 19. Hæres non solvit juramenta defuncti, 20. Quia solutio est secundùm quid impossibilis vel valdè difficilis, 21. Fratri jurat, quòd velit fieri monachus, ibid. Tandem à patre, Principe, vel Episcopo petit juramenta relaxari, etsi juraverit non petere relaxationem.*

Post examinata vitia Religioni opposita occurrunt ea, quæ ex virtute Religionis servanda sunt, veluti juramenta, votum, recitatio Horarum Canonicarum, &c. In præsenti agendum est de juramento. Itaque

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit juramentum?

R. 1. Juramentum est invocatio Divini Nominis vel testimonii ad fidem dictis vel promissis faciendam; potest autem hæc invocatio fieri vel per simplicem contestationem seu invocationem, ut: *Deus sit mihi testis, quàm verè Deus vivit:* vel etiam per verba execratoria aut imprecatoria, quibus quis sibi vel aliis malum imprecatur, nisi res ita sit, uti juratur; dicendo v. g. *Deus me vel meos puniat, non movear hinc, &c.* 1.

R. 2. Dividitur juramentum præcipuè in assertorium & promissorium. *Per assertorium* juramus aliquid ita esse vel non esse, prout juratur. *Per promissorium* juramus nos aliquid facturos vel non facturos; in juramento assertorio non datur parvitas materiæ; hinc qui scienter jurat falsum, semper peccat mortaliter, etsi materia sub juramento asserta sit levissima, patet ex Prop. 24. ab Inn. XI. damnata: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.* Ratio est, quia Deus scienter vocatur in testem

falsi, quæ est magna in Deum
2. irreverentia. Juramentum promissorium in executione admittit parvitatem materiæ; hinc si jures, te Petro daturum 8. solidos, si ex post des tantùm septem, non peccas mortaliter, sed tantùm venialiter, *S. Tho. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. D. Ant. Nav. Suar. Sanch. in dec. l. 3. c. 4. n. 23.* contra *Cajet. Valent. Bonac. Herman.* &c. quia tunc non facis Deum testem falsi formalis, ut contendunt Adv. sed tantùm falsi materialis; nam dum actu jurabas, habebas animum te obligandi ad 8. & implendi promissum, ut suppono, quòd autem ex post non impleas, hoc tunc ignorabas, ergò tantùm sumpsisti Deum in testem falsitatis ignorantiæ, adeòque materialis, quod secundùm se præcisè non est irreverentia, ut patet in eo, qui ignoranter falsum jurat. *Dices:* Tu jurâsti dare 8. solidos, ergo si des tantùm septem, scienter facis, ut Deus sumptus fuerit in testem & fidejussorem falsi. ℟. 1. *N. seq.* vel *dist.* facio, ut Deus sit *scienter* sumptus in testem falsi N. ut *ignoranter* sit sumptus transf. nam cùm jurabam, non sciebam me mutatâ mente ex post non daturum octavum solidum. ℟. 2. *N. supp.* Quòd in juramento promissorio sumatur Deus in testem ipsius executionis à parte rei futuræ, hæc enim sæpè est incerta, sed in testem voluntatis præsentis de exequendo promisso, ideòque si non adsit ista voluntas, dum juratur juramentum, erit formaliter falsum, & peccatum mortale. *Inst.* Juramentum promissorium in quantum asserit existere voluntatem præsentem aliquid præstandi in futuro, in tantum est assertorium: ergo in quantum est promissorium, debet dicere aliquid plus, scilicet rem ipsam esse vi promissionis futuram. ℟. *N. C.* Nam in hoc promissorium satis distinguitur ab assertorio, quòd promissorium non nudè asserat voluntatem hoc faciendi, sed etiam vi juramenti obliget ad illud præstandum.

QUÆR. II. An & qualiter juramentum sit licitum?

℟. 1. Juramentum de se esse licitum certum est ex S. Script. Exod. 22. ℣. 8. ubi Deus jubet suspectum de furto jurare; item ex Concilio Constantiense sess. 8. a. 3. Idem ratio dictat, quia per juramentum homo profitetur Deum esse primam veritatem, quæ nec fallere nec falli possit, & ut talem invocat in confirmationem sui dicti vel promissi, ideóque si fiat ex rationabili causa, est actus virtutis Religionis; si autem fiat ex levitate vel absque causa, est peccatum veniale; non enim decet nomen Domini assumere in vanum, & in hoc sensu dicitur Matt. 5. ℣. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Item Jac. 5. *Ante omnia fratres nolite jurare.* 3.

℟. 2. Ad licitum & validum juramentum requiruntur seqq. 1. Advertentia & deliberatio; nam sicut votum & quælibet promissio indeliberatè 4.

beratè facta non obligant, ita nec juramentum; unde infertur, parentes, aliósque excusari à juramento implendo, quando ex primo motu vel iræ impetu jurant punire proles, hoc vel illud facere; quia ejusmodi obligationem nec advertunt, nec intendunt. 2. Rationabilis & justa causa jurandi. 3. Requiritur animus jurandi seu vocandi Deum in testem; nam qui exteriùs tantùm pronunciat verba juratoria, non verè jurat, sicut qui orationem vel votum vocaliter exprimit sine animo orandi vel vovendi, non orat nec vovet, unde ex ejusmodi juramento utpote invalido nulla oritur obligatio, nisi quis ratione scandali, fraudis vel damni proximo illati rem juratam teneatur exequi, peccatur tamen semper, ut certum est ex Prop. 25. ab Inn. XI. damnata, quæ sic habet: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi*, & quidem mortaliter, si quis fictè & sine animo jurandi juret rem falsam, aut illa fictione causet grave damnum vel scandalum; qui fictè jurat rem veram, probabiliùs tantùm peccat venialiter ob aliqualem irreverentiam & mendacium, quod committit; exercitè enim dicit se habere animum jurandi, quem tamen non habet; excipe, nisi tales sint circumstantiæ, ut quis ex justitia vel obedientia teneatur habere animum seriò jurandi, veluti in contractu, judicio, abjuratione hæresis, &c. *Cajet. Sot. Covar.* & plures apud *Sanch. c. 6. n. 9.* Unde patet, Jansenistas peccare mortaliter, si tantùm exteriùs, sine animo jurandi, Propositiones damnatas abjurent. 4. Non tantùm adesse 5.
debet animus jurandi, sed & voluntas implendi rem juratò promissam, aliàs enim jurans peccat mortaliter, & admittit perjurium, vocando Deum in testem voluntatis implendi, quam scit se non habere, valet tamen ejusmodi juramentum, quia sicut ipsa executio non est de essentia juramenti, ita nec voluntas exequendi, *c. in dolo 1. Caus. 22. q. 1.* 5. In juramento promissorio 6.
præter animum jurandi & implendi requiritur voluntas se obligandi, quia per voluntatem se obligandi promissio essentialiter distinguitur à nudo proposito, & hoc ipso quòd quis velit promittere, etiam vult se obligare; si verò verba externa significent veram promissionem, tu verò internè te nolis obligare, promissio erit invalida & veniale mendacium, nisi aliunde v. g. ex contractu teneatis sub mortali habere animum te obligandi, prout in simili dixi de animo jurandi. *Si dicas*, ita promittens conjungit juramentum cum mendacio, ergo peccat mortaliter, & est perjurus. R. N. seq. quia juramentum non cadit super mendacium; nam quamvis juratò promittens exercitè dicat, se habere animum obligandi, sicut dicit, se habere animum jurandi, tamen non jurat se habere ejusmodi animum, sed tantùm jurat, se habere animum exequendi; verùm tali casu non erit

erit juramentum promissorium, sed purè assertorium, quo asserit, existere in se propositum hoc vel illud faciendi absque obligatione, *Azor. Sylvest. Sanch. c. 10. à n. 8.*

QUÆR. III. Quæ sit materia seu objectum juramenti?

7. R. 1. Objectum *juramenti assertorii* est omne factum, sive bonum, sive malum, quod ex certa vel rationabili causa judicatur, esse verum; de incognitis autem vel dubiis jusjurandum dicere manifestæ temeritatis est & impietatis. *Materia juramenti promissorii* est omne illud, quod quis honestè seu licitè promittere potest & exequi. *Dixi 1. Quod honestè*; nam si res aliqua sit vana, inutilis, aut de se nec positivè honesta, nec inhonesta, sed merè indifferens, quæ nec ratione sui, nec ratione motivi spectat ad aliquam virtutem, illa Deo juramentaliter promitti non potest, & promissa non obligat. Ratio est, quia juramentum Deo factum æquivalet voto: ergo sicut votum essentialiter est de re positivè honesta, & quidem de meliori bono, ita & juramentum Deo factum; si tamen res de se quidem sit indifferens, fiat autem ex motivo virtutis honesta, erit materia sufficiens voti & juramenti, v. g. uxor jurat, non comedere carnes, non exire è domo, non indui vestibus melioribus, usque dum maritus redeat; percutere proles, dimittere famulam, non loqui cum vicina, si hæc juret ex naturali tristitia, vana gloria, ira, indignatione, vel simili motivo, nullum est juramentum; si id faciat ex motivo virtutis, modestiæ, humilitatis, vitandi peccati vel periculi, validum & obligatorium erit juramentum, *Gobat, Reiffenst. Th. Mor. t. 6. dist. 2. à n. 20.* juramentum factum homini etiam de re indifferente vel minùs bona obligat, nec commutari potest etiam in evidenter melius, nisi ille consentiat, in cujus favorem juratum est. Ratio est, quia Deus non curat nisi virtuosa & honesta; homo autem quærit sibi utilia, etsi merè sint indifferentia; hinc si jurâsti Petro diviti dare 10. aureos, etsi evidenter meliùs foret illa dare pauperi, id sine consensu Petri facere non potes: & generaliter de juramento homini facto valet Regula desumpta *exc. 8. & 28. de jurej.* quod semper servandum sit, quoties sine peccato servari potest, vid. *Cas. 50. à n. 12.* ubi etiam dixi, qualiter juramento firmentur contractus jure positivo invalidi. *Dixi 2. Licitè*; nam juramentum de re etiam tantùm venialiter mala non tantùm non obligat, sed est ad minùs venialiter malum; si jurâsti rem mortaliter malam, v. g. occidere inimicum, ejus ædes incendere, vel injustam etsi veram detractione juramento confirmas, duplex mortale committis, injustitiæ scilicet & irreverentiæ, in hoc quòd Deum voces in testem & quasi patronum malitiæ mortalis; si verò juras occi- 8.

occidere sine intentione occidendi, perjurus es, sed non injustus, nequidem internè, *Nav. Suar. Sanch. c. 4.* Si juratò asseras, te hoc vel illud mortale peccatum admisisse; si verum sit & fiat ex justa causa, non peccas; si fiat ex vana gloria vel jactantia, peccas quidem mortaliter, quia complaces in mortali; non tamen peccas graviter contra Religionem, quia juramentum non assumis ut medium ad augendam istam complacentiam, sed ad confirmandam veritatem in animis audientium, *Castropalao pun. 5. n. 6. Dixi* 3. *Et exequi possum*; nam si res promissa ab initio quidem sit licita, postea autem fiat illicita, impossibilis vel inutilis, cessabit obligatio juramenti, quæ omnia alii brevissimè exprimunt, dicendo, quòd juramentum licitum & obligatorium debeat fieri in *veritate*, in *judicio & justitia*, *Jerem. c. 4. ℣. 2.* Fit in veritate, si non juretur falsum; in judicio, seu discretione, si nihil juretur temerè, inconsultò & sine justa causa; in justitia, si juretur justum, licitum & honestum.

QUÆR. IV. Quid de modo & forma jurandi?

9. ℟. Forma essentialis jurandi consistit in expressa vel tacita Divini Nominis invocatione, ad astruendam dictis vel promissis fidem: est expressa Divini Nominis invocatio, si dicam: Juro per Deum, Deum testor, Deum testem invoco, per Deum ita est; est tacita invocatio, si jurem per creaturas cum ordine & relatione ad Creatorem, quatenus ejus virtus, bonitas, veritas, sapientia, &c. specialiter in eis elucent; ut si jurem per fidem Catholicam, per Evangelium, per Sacramenta, per crucem Christi, per Sanctos, per salutem animæ, per cœlum & terram, &c. Innumera sunt verba, de quibus Theologi disputant, an verum contineant juramentum, v.g. Deus scit vel videt ita esse, coram Deo loquor, quod dico, est Evangelium, Deus novit meam conscientiam, testor meam conscientiam, auff meinen Eyd / auff mein Gewissen / meâ fide & honore; bey Trauen / Ehren und Glauben / fide Religiosa, sacerdotali, &c. de quibus omnibus & similibus verbis dubiis dico, quòd ante omnia attendendus sit animus proferentis, qui si non intendat jurare, seu per invocationem Divini testimonii sua dicta vel promissa confirmare, sed tantùm magis seriò affirmare, sicut plerumque fit, non erunt juramenta: si non constet de animo jurantis, recurrendum est ad communem loquentium morem, aut etiam ad particularem loquentis consuetudinem; si enim seriò & frequenter jurare soleat, censetur jurâsse, sin minùs juramenta non reputantur.

QUÆR. V. Quænam ex præmissis pro praxi inferri possint?

℟. Seqq 1. Jurare per deos fal- 10.
sos, per sectam falsam, v. g. per

fidem Lutheri, non est verum juramentum, quia non est invocatio veri Numinis; est tamen peccatum gravissimum, si fiat seriò, quia honor Deo proprius tribuitur dæmonibus vel sectæ falsæ, secùs si id fiat irrisoriè, vel ex joco, & circumstantes id intelligant, *Bonac. Castropalao sup.* 11. 2. Omnia perjuria, sive facta fuerint cum expressa, sive cum tacitâ Divini testimonii invocatione, quoad confessionem, sunt ejusdem speciei, nec tenetur pœnitens exprimere, an per Deum, per Sanctos, aut per creaturas ad Deum relatas falsa jurârit, nisi accedat alia peccati species, v. g. blasphemia, ut si quis contemptim vel irrisoriè juret per capillos, per sanguinem vel membra Christi, aut B. M. V. maximè si per membra inhonesta, quæ est damnatissima & diabolica blasphemia, Gallis & Italis usitata; si hoc modo juretur: Non credo Deum, abnego Deum, Deus est injustus, Deus non sit Deus, nisi hoc fecero, *Sanch. Gobat* censent, esse blasphemiam in tartara detrudendam, eò quòd sensus videatur esse, quòd fides mea in Deum, in Dei justitiam vel existentiam dependeat à veritate mei dicti; sed *Tamb. Sporer hic n. 7.* valdè probabiliter dicunt, non esse blasphemiam, eò quòd verba illa non videantur habere sensum relatum, sed potiùs hunc: Sicut est mihi certum, me per Dei gratiam non recessurum à fide vera, aut sicut certum est, Deum non posse esse injustum, aut non esse Deum, ita suo modo mihi certum est, quòd velim hoc facere; in quo nulla est Dei inhonoratio vel blasphemia; accedit, quòd verba dubia in melius sint interpretanda. 3. Qui jurat per 12. fidem Catholicam, per consecrationem Sacerdotalem, ut est res sacra, verum admittit juramentum; secùs si juret per fidem humanam, seu per suam fidelitatem, aut per Sacerdotium, quatenus est aliqua dignitas in reputatione hominum, quam specialiter dedeceat lòqui falsum; si quis in Confessionali dicat, se falsò jurâsse, non statim condemnetur perjurii, si verba clarè non contineant juramentum, interrogandus, an verè & consideratè intenderit Deum vocare in testem falsi? Si neget, aut dicat, se ad hoc non reflexisse, sed tantùm voluisse rem firmiùs affirmare, non perjurium, sed mendacium admisit. 4. Qui profert verba ve- 13. rum juramentum non significantia, v. g. dicendo, quàm verè, quàm verè existo, quàm verè sum honestus, &c. si per illa verba verè intendat jurare, & intelligat, quid sit jurare, in foro interno verum facit juramentum, quia Deus cor inspicit; secùs si nesciat, quid sit jurare, quia tunc non vocatur Deus in testem, neque ex vi verborum, ut supponitur, neque ex intentione proferentis, quia ignorat per juramentum invocari Deum: ergò reverà Deum non invocat, quia

quia nil volitum, quin præcogni
14. tum. 5. Ex justa causa, v. g. ad avertendum grave damnum vel injuriam, & non aliàs licet exigere juramentum ab eo, quem timeo aut prævideo pejeraturum, aut juraturum per falsos Deos. Ratio est, quia utor meo jure, & alter à perjurio vel invocatione falsi dei abstinere potest & debet, & adest gravis causa, juramentum exigendi: ergo si ipse hoc malè præstet, quod rectè petitur, ejus malitiæ imputandum venit. Non tamen licitè aliquem induco, ut juret hoc, quod ipse putat esse verum, ego autem scio esse falsum; nam tale juramentum erit quidem respectu ignorantis objecti falsitatem perjurium materiale, respectu autem mei formale, sicut respectu mei est peccatum formale, si ebrium inducam ad blasphemiam vel homicidium, etsi respectu ebrii sit tantùm materiale, *Suar. Bonac. Sanch. c. 8. n. 10. Reiffenst. n. 37.* Si dicas cum *Tamb. hic c. 1. §. 6.* ex justa causa, v. g. ad liberandum innocentem jurare id, quod bonâ fide creditur esse verum, etsi à parte rei sit falsum, est actus virtutis: ergo ad hoc licitè induco. R. 1. Ad jussum Heri laborare est actus virtutis: ergo Herus sciens esse diem Festum, poterit jubere famulo, Festum ignoranti, ut laboret, quod nemo admittit. R. 2. N. C. nam quamvis jurare materialiter falsum possit esse actus virtutis, respectu ignorantis, non tamen respectu scientis & inducentis. 6. Consuetudo 15.
jurandi indiscriminatim verum & falsum est mortaliter mala, ut per se patet, ideòque consuetudinario neganda absolutio, usque dum pro ea tollenda seriam adhibeat operam. Consuetudo jurandi cum advertentia, ut verum juretur, non constituit hominem in statu peccati mortalis, etiamsi conjungatur cum consuetudine mentiendi, *Suar. Sanch. c. 5. n. 10. Castropalao p. 9. n. 3.* Ratio est, quia omnia hæc juramenta sunt tantùm peccata venialia, & consuetudo ex illis resultans inclinat solùm ad actus similes; advertentia verò ad veritatem removet periculum jurandi falsum.
7. In juramento uti æquivocatione vel restrictione absque gravi causa, semper est peccatum, & quidem uti restrictione purè mentali est mortale, quod tunc fit, si retineatur aliquid in mente, quod nec ex verbis, nec ex circumstantiis intelligi potest, ut si petenti eleemosynam jures, te non habere pecuniam, subintelligendo alienam, quia nec petitio eleemosynæ, nec tua verba aut aliæ circumstantiæ significant te loqui de pecunia aliena; ideòque mentiris & quidem juratò, quia aliud habes in mente, & aliud verba & circumstantiæ significant, si quidem verba non significent se solo id, quod in mente retines, significent autem simul cum circumstantiis, erit restrictio non pura, qua quis ex justa causa etiam in juramento uti

potest, & Christus usus fuit *Joan. 7.* dicens, non ascendam ad diem festum, subintelligendo palàm & cum publico apparatu & manifestatione signorum, prout cognati eum rogabant, nam statim ascendit occultè; & hoc sensu intelligendæ sunt Prop. 26. 27. 28. ab Innoc. XI. damnatæ, quarum prima sic habet: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio fine juret se non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentiur, nec est perjurus.* Nihilominùs reus super crimine nondum semiplenè probato à judice sub juramento interrogatus potest jurare se crimen non admisisse, subintelligendo tali modo, ut teneatur fateri; imò *Sanch. Lugo l. c. Sporer n. 115.* probabiliter docent, reum ejusmodi æquivocatione uti posse, etiamsi crimen sit semiprobatum, modò agatur de crimine capitali, & sit spes evadendi; rationem dant, quòd in tali casu crimen fateri sit res difficillima & moraliter impossibilis, ad quam potestas humana obligare non possit, nec ejusmodi confessio absolutè necessaria est pro justitia vel bono communi, cùm aliter veritas haberi possit, putà per testes, tormenta, &c. Vid. *Cas. 62. n. 10.*

8. Mercatores, qui jurant 17.
sibi merces pluris constare, & tali pretio dari non posse, etsi peccent venialiter, sine justa causa jurando, ordinariè tamen non sunt perjuri, quia sensus est, quòd computato periculo & expensis sibi pluris constent, nec tali pretio dari possint cum honesto & mediocri lucro, si tali sensu vera non sint, perjurium admittunt.

9. Jurata promissio sub conditione turpi, v. g. 18.
juro me tibi daturum centum aureos, si occidas Cajum, rescindi debet ante opus patratum, patrato opere obligat ad solvendum promissum, quia solutio mala non est, & alter jam acquisivit jus; aliud est de pretio simoniacè promisso, quod solvi non potest accepto beneficio, quia solvere esset implere contractum simoniacum, quod in se malum & prohibitum est, & alter ex tali contractu nullum jus acquisivit, eò quòd res spiritualis sit invendibilis, & jura contractum annullent.

10. Si hodiè juratò 19.
promittas matrimonium Titiæ, cras Cajæ, secunda promissio etsi jurata est invalida, quia est de re illicita, ideóque non teneberis ducere Cajam, quamvis Titia moriatur, aut promissionem spontè remittat.

11. 20.
Hæres tenetur solvere vota & juramenta realia defuncti, v. g. defunctus juratò promisit Titio novum pallium, si Titius promissionem acceptavit, hæres tenetur dare pallium, quia Titius post acceptationem acquisivit jus, & hæres quoad jura activa & passiva succedit in locum defuncti; si promissio non fuit acceptata, aut dolo, vi, metu-

ve

ve à defuncto extorta, aut aliter injusta, v. g. defunctus juratò promisit solvere usuras, ad nihil tenetur hæres; non enim obligatur vi juramenti, quia hæc obligatio est personalis, neque vi promissionis, quia ex promissione iniqua nullum jus acquisivit promissarius, *Tamb.* hic c. 3. §. 7. Qualiter obligent juramenta dolo vel metu extorta, dixi *Cas.* 50. à n. 12. 12. Obligatio juramenti (idem est de voto) cessat 1. *Mutatione* materiæ aut circumstantiarum, ut si res juratò promissa fiat illicita, impossibilis, aut adeò difficilis, ut si ille, qui juravit, illam difficultatem suspicatus fuisset, non jurâsset, juramentum enim intelligitur rebus sic stantibus, c. 10. & 17. de jurej. Debet autem difficultas ortum trahere ex materia, non autem ex malitia voventis, Vid. *Cas.* 70. q. 1. 2. *Condonatione* seu remissione illius, in cujus favorem juratum est, quippe omni promissioni etiam juratæ inest conditio, si is, in cujus favorem facta est, impleri voluerit, c. 2. de sponsal. Quòd si juramentum principaliter aut etiam æqualiter factum sit DEO & homini, ut si jures fratri tuo intrare Religionem, jures huic Ecclesiæ dare centum aureos, hoc juramentum non potest remitti à solo promissario, quamvis illud acceptaverit, neque à Superiore Ecclesiastico invito promissario, qui per acceptationem jus acquisivit. 22. Vid. *Cas.* 71. n. 17. 3. *Irritatione*; irritare autem potest omnis Superior habens potestatem dominativam in personam jurantis, ut pater, tutor, dominus respectu filii, pupilli, servi in materiis, in quibus sunt subditi, quod addo, quia si filius juratò promittat aliquid de bonis castrensibus vel quasi castrensibus, aut servus de suo peculio, dominus & pater hæc juramenta (idem est de votis) irritare non possunt, quia hæc bona patri, aut domino, non sunt dominativè subjecta: de cætero generaliter verum est, quòd omnes qui possunt dispensare, irritare vel relaxare vota, (de quibus dicam *Cas.* 70. & *seq.*) possunt etiam Juramenta, nisi sint in favorem tertii; tunc enim nec Papa illa relaxare poterit sine consensu illius, in cuius favorem facta sunt, nisi relaxationem postulet bonum commune vel Ecclesiæ, delictum promissarii aut injuria promittentis, *Laym.* t. 3. c. 11. n. 9. Vid. *Cas.* 50. à n. 17. ubi etiam dixi, qualiter potestas sæcularis valeat Juramentum remittere. Sed quid si quis juravit non petere relaxationem Juramenti? R. Si id juraverit generaliter pro omni casu, Juramentum hoc est invalidum, quia si adsit justa causa petendi relaxationem, melius est petere quàm non petere, hinc illud ultimum erit tantùm confirmatio prioris, *Covar. Azor. Sanch.* l. 4. c. 8. n. 21.

# CASUS LXVIII.

## De Essentia & Materia Voti.

WElffus *varia habet vota, de quorum valore dubitat:* 1. *Quia vovit semi-ebrius, ex ira, tristitia.* 2. *Metu, errore, sine animo se obligandi vel explendi.* 3. *Vovit merè externè B. M. V. vel Sanctis, rem indifferentem vel eleemosynam, ut consequatur divitias, honores, &c.* 4. *Vovit rem malam.* 5. *Vovit matrimonium, aut castitatem ob luxuriæ consuetudinem sibi periculosam.* 6. *Non solvit vota defuncti, cujus ipse est hæres.* 7. *Dubitat, an voverit, an habuerit animum se obligandi.* 8. *Aut satis deliberatè voverit.* 9. *An voverit decem vel quinque, an Religionem solùm experiri, an in ea perseverare.* 10. *Vovit ab alio inductus in ebrietate, quod prævidit.* 11. *Vovit vitare omnia venialia.* 12. *Vovit factum alienum.* 13. *Vovit rem secundùm quid pos-secundùm quid impossibilem.* 14. *Vovit incompatibilia.* 15. *Vovit ex fine malo.* 16. *Sub conditione turpi.* 17. *Contra juramentum de nunquam vovendo.* 18. *De non ingrediendo aliam Religionem quàm hanc.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit votum?

1. R. Est deliberata & libera promissio facta Deo de bono meliori. Dicitur 1. *Deliberata*, quia ad votum requiritur plena advertentia, qualis ad peccatum mortale; est enim actus humanus in conscientia obligans; hinc non valent vota semi-ebrii, dormientis, fatui, &c. Vota facta ex timore, ira, tristitia vel simili passione sunt valida, nisi passio (quod rarò contingit) prævenerit mentis deliberationem; sicut enim homo in ejusmodi motibus plerumque habet sufficientem deliberationem ad peccandum mortaliter, sic & ad vovendum. Dicitur 2. *Libera*; nam votum gravi & injusto metu extortum, probabiliter est nullum, saltem de jure *can. ex c. perlatum, de iis, quæ vi &c.* quod licèt expressè solùm agat de votis solennibus Religiosorum, attamen *Sot. Valent. Nav. Saa, Sanch. l. 4. de vot. c. 3. Sporer* aliique communiter extendunt ad vota simplicia, etsi probabiliter contradicant *S. Anton. Sot. Castrop.* quia *d. c. perlatum* solùm loquitur de Professione Religiosa, ob specialem statûs difficultatem; & per se ad votum sufficit libertas sufficiens ad peccandum mortaliter, sed hæc stat cum metu: ergo. Conf. qui ex metu jurat latroni solvere lytrum, tenetur ex vi juramenti, donec illud re-

2.

relaxetur, ut dixi *Cas. 50. n. 15.* ergo vovens ex metu obligatur vi voti. Similiter votum debet esse liberum ab errore & ignorantia circa substantiam vel principale motivum, aliàs erit nullum ex defectu consensûs; ubi enim substantia rei non est cognita, non potest esse volita; hinc si quis putet votum non obligare in conscientia, aut iter, quod vovet, credat esse decem dierum, cùm sit viginti; aut voveat Petro dare eleemosynam, quem falsò judicat esse pauperem, hæc vota sunt invalida, quia in duobus primis casibus est error in substantia, in secundo circa principale motivum, quod in eleemosyna est sublevare pauperem, qualis non est Petrus, econtrà error circa accidens rei promissæ eam non notabiliter immutans, vel circa motivum tantùm impellens, quod solùm facit, ut res libentiùs, non autem simpliciter fiat, non invalidat votum, ut si voveas peregrinationem 8. horarum, cùm sit 9. vel 10. voves eleemosynam dare pauperi, quem putabas esse pium, & tamen non est. Dixi: circa accidens non notabiliter mutans rem promissam; nam si notabiliter mutet, vovens non obligabitur voto; v. g. voviſti Religionem Carthusianam, putans, eam vesci carnibus, eris liber à voto, quia hæc circumstantia notabiliter mutat rem promissam, *Less. Sanch. l. c. Bonac. Castrop. hic d. 1. pun. 6.* Dicitur 3. *Promissio*; non propositum, quia propositum est nuda voluntas aliquid faciendi vel omittendi, sine animo se obligandi; promissio verò essentialiter includit animum se obligandi. Dicitur 4. *Facta Deo*, quod etiam merè internè fieri potest, quia Deus introspicit cor; si quis vovet B. M. V. vel Sanctis, censetur implicitè voviſſe Deo in honorem B. V. vel Sanctorum. 3. Dicitur 5. *De bono*; nam materia, quam voves, debet esse grata Deo, hoc est, positivè bona seu honesta, votum de re indifferente, quæ neque secundùm se, neque secundùm motivum suum spectat ad aliquam virtutem, est nullum, v. g. voves abstinere à vino, lusu vel carnibus, ut parcas pecuniæ, non est propriè votum; si verò id facias ex motivo temperantiæ vel alterius virtutis, aut ad vitanda peccandi pericula, utique votum erit validum, quia est de re Deo grata: Item voves jejunare vel dare elemosynam, ut à Deo impetres scientiam, divitias, &c. vota hæc obligant, quia honestum est ejusmodi bona à DEO petere & exspectare; vovere DEO materiam indifferentem est solùm veniale; 4. quia non est DEO positivè ingrata, sed tantùm non grata; vovere rem mortaliter malam est mortale, quia est gravis irreverentia, offerre DEO rem quasi gratam, cùm tamen sciat DEUM illam summè improbare; ex eadem ratione plurimi dicunt esse mortale DEO vovere rem solùm

lùm venialiter malam, quia vovens exercitè & in facto videtur dicere DEUM ejuſmodi rem approbare tanquam ſibi gratam, ideóque ſe eam promittere; *La Croix* tamen *hìc n. 424.* putat, voventem rem venialiter malam plerúmque tantùm peccare venialiter, quia non propriè vovet aut intendit rem illam Deo promittere ut gratam, ſed potiùs ſumit Deum in teſtem, ſe hoc peccatum veniale facturum, quæ tantùm eſt venialis irreverentia, ut dixi de jurante rem venialiter malam. Quid ſi mater voveat peregrinationem eâ intentione, ut filia luxurioſa emendetur vel moriatur? 4. Votum eſſe nullum & ſacrilegum, quia eſt de re mala, quia mater per illud intendit disjunctivè DEUM inducere vel ad emendationem, vel ad mortem filiæ; ſicut enim non poteſt taliter à Deo rogare filiæ mortem, ſic nec vovere. Dicitur 6. *De bono meliori*, intellige non ſimpliciter, 5. aliàs votum deberet ſemper eſſe de re perfectiſſima; ſed de meliori, quàm ſit ejus oppoſitum, hinc quia per ſe meliùs eſt ſervare conſilia Evangelica, quàm non ſervare, non valebunt vota his oppoſita, velut votum de non danda eleemoſyna, de non ingrediendo Religionem, de nunquam vovendo, de ineundo matrimonio etiam cum paupere titulo pietatis, &c. quia per ſe melior & DEO gratior eſt cœlibatus cum caſtitate, *Sanch. ſup. Caſtropalao p. 8.* Valet tamen votum conditionatum, ſi matrimonium inire voluero, inibo cum hac paupere, quia ſuppoſitâ voluntate nubendi gratius eſt DEO nubere pauperi, quàm alteri, *Schmaltzgr. l. 3. t. 34. n. 30.* Dixi, per ſe; nam per accidens poteſt eſſe meliùs & DEO gratiùs non dare quàm dare eleemoſynam, ut ſi pecuniâ indigeas pro ſolvendis debitis juſtitiæ, pro alendis parentibus, uxore, liberis, &c. Similiter per accidens poteris vovere matrimonium, quando ſcilicet ſtatus Religioſus ſine injuria ſponſæ à te defloratæ iniri non poteſt. An autem validè voveat caſtitatem, cui ob conſuetudinem luxuriæ matrimonium foret tutius, non eſt omninò certum, negant *Cajet. Nav. Wieſtner. Schmaltzgr. l. c.* quia ejuſmodi votum non videtur eſſe de meliori bono voventis, ſed oppoſitum tenendum eſt cum *Soto*, *Arrug. Caſtropalao n. 14. La Croix n. 481.* qui non audet hanc ſententiam dicere probabilem. Ratio eſt, quia caſtitas eſt bonum abſolutè melius etiam conſuetudinario, ſi velit applicare media quæ habet ſufficientia ad refrænandam libidinem, & vovendo caſtitatem ad iſta media ſe implicitè obligavit; nec obſtat, quòd Apoſtolus de talibus dicat: *Meliùs eſt nubere, quàm uri*; nam intelligit hoc conditionatè, ſi ſcilicet non velint adhibere media efficacia, ſicut poſſunt & tenentur; & certè ſi ratio adv. teneret,

ret, eò faciliùs quis deobligaretur à voto, quò magis fornicaretur; nam ob consuetudinem relabendi votum desineret esse de meliori bono, per consequens desineret obligare; igitur tali suadendum est, ut petat dispensationem, quæ tali casu pro voto non solemni facilè dabitur.

QUÆR. II. Quotuplex sit votum?

6. R. Votum dividitur 1. in simplex & solemne; solemne iterum aliud est professionis in Religione approbata; aliud annexum S. Ordinibus, utrumque dirimit matrimonium contrahendum, professio insimul matrimonium contractum ratum, non consummatum; vota ab his distincta vocantur simplicia, veluti votum castitatis extra Religionem & Ordines, votum Religionis, votum non nubendi, sacros Ordines suscipiendi, &c. quæ vota matrimonium quidem reddunt illicitum, non tamen invalidum. 2. Dividitur in reale, personale & mixtum. *Reale* est, quo quis promittit rem aliquam ab actu propriæ personæ distinctam, ut calicem, sacram vestem, eleemosynam, &c. *Personale* est, quo promittitur actio vel omissio in persona propria, v. g. jejunium, oratio, peregrinatio, abstinentia à lusu, à vino, &c. Mixtum, in quo actio & res promittitur, v. g. jejunium & eleemosyna; votum reale & mixtum, in quantum est reale, transit ad hæredes, non autem in quantum est personale, ideóque hæres in casu posito tenebitur ad eleemosynam, non autem ad jejunium, nisi ad hoc se specialiter obligaverit, *Pyrrh. l. 3. decret. t. 34. n. 12. Engel. ibid. n. 17. Leuren. ibid. q. 890.* 3. Votum aliud est *absolutum*, quod simpliciter obligat, aliud *conditionatum*, quod tantùm obligat sub conditione, aliud *pœnale*, quod sub pœna, ut si voveas eleemosynam dare, quoties mentitus fueris.

QUÆR III. Quid in dubio de valore voti? 7.

R. 1. Præ omnibus attendi debet intentio voventis, si de hac constare non possit, inquirendum est, pro quo stet possessio, an pro voto, an pro libertate, & pro parte possidente judicandum erit, ut probavi *Cas. 2. n. 5.* si nec de possessione constet, attendendum, pro qua parte sit major præsumptio, aut si etiam de hoc dubitetur, tunc in obscuris, quod minimum est, sequimur, *ff. de Reg. Jur.* Hinc si dubites, an voveris, non teneris voto, quia libertas est in possessione; idem est, si dubites, an voveris, an nudè proposueris; econtra si scias te vovisse, & verba votum significantia expressisse, dubites autem, an habueris animum te obligandi, præsumptio erit pro voto & validitate actûs, quia probato facto præsumuntur intervenisse omnia ad factum requisita, usque dum aliud probetur, *Schmaltzg. n. 34.* 2. Si certus sis te vovisse 8.

cum animo obligandi, dubites autem an sufficientem habueris advertentiam & deliberationem, eò quòd fueris turbatus ex somno, potu, passione, phreneſi, &c. præsumptio est pro valore voti; nàm votum est certò emissum, & ratio excusans incerta, adeóque votum est in possessione obligationis, *Schmaltzgr. l. 6.* Si dubitetur de sufficienti deliberatione ob defectum ætatis, communiter ita distinguunt DD. Si votum emissum est ante septennium, præsumitur imperfectus rationis usus, ideóque votum censetur invalidum; econtrà post septennium præsumitur usus rationis perfectus, & votum validum, ita enim plerumque contingit, & ex plerumque contingentibus prudens est præsumptio. Sed quid si dubites, an ante vel post septennium voveris? R. ex *Tamb. Sporer hic n. 24.* votum non obligare, quia dubitatur de essentiali constitutivo voti, dubitatur enim de deliberatione sufficiente, quæ in adeò tenera ætate præsumi non potest, præsertim in his partibus frigidioribus, ubi ingenia seriùs matureſcunt; aliud est in primo casu, quando homines adulti de sufficienti deliberatione ob iram, potum, vel somnum dubitant post votum certò emissum; tunc enim votum & plenus usus rationis est in possessione, & indeliberatio incerta; econtrà si amens dubitet, an sub finem amentiæ plenè restitutus voverit, præsumitur votum factum in amentia, adeóque esse invalidum, eò quòd amentia certò extiterit ante votum, & incertum sit an tempore voti desierit, *Sanch. l. 1. de matr. d. 9. Sannig. de Relig. dist. 4. q. 2.* 3. Si dubites an voveris decem vel quinque Imp. an jejunium in pane & aqua, an ordinarium; si aliunde de tua voluntate constare non possit, præsumens te ad minimum obligâsse; idem est, si dubites, an voveris copulativè jejunare simul & dare eleemosynam, vel disjunctivè, hoc est, vel jejunare, vel eleemosynam dare, aut indeterminatè voviſti vestem, equum, & dubitas an meliorem, potes præsumere minus, nisi fortior sit præsumptio contra te; si die statuto non possis jejunare, & dubites, an voveris alio die supplere, in his & similibus semper præsumere poteris in tuum favorem, *Wieſtn. n. 28. Schmaltzgr. n. 38.* Deniquè si promisisti ingredi Religionem, & dubites an te volueris obligare ad eam experiendum, vel simul ad profitendum in ea, *Sanch. Suar. Laym.* dicunt, & hîc præsumi minus, scilicet quòd te tantùm volueris obligare ad ingressum & experimentum, per consequens si ex justa causa egrediaris, liber eris à voto; si verò voviſti perseverantiam seu profiteri, licèt ex justa causa, v. g. ob morbum semel egressus vel dimissus fueris, cessante causâ teneris iterum instare, si sit spes receptionis. 9. 4. Si dubites, an votum ex-

expleveris, aut adhuc explere possis, teneris tentare & exequi, quantum potes, quia votum est in possessione; item si dubites, an votum sit de re mala, vel bona aut indifferente, teneris consulere hominem doctum, vel petere dispensationem, quia iterum stat possessio pro voto, quia certus es te vovisse: teneris ergo inquirere an validè.

10. QUÆR. IV. Qualiter hîc resolvendi sint plures casus practici?

R. Modis seqq. 1. Qui prævidet se quæri ad ebrietatem eâ intentione, ut in ea voveat v. g. ingredi Religionem, si id prævidens votum approbet, casu quo esset futurum, tenetur voto secuto, quia hæc prævia approbatio est voluntas se obligandi DEO sub conditione voti in ebrietate secuturi: ergo secutâ conditione obligat; si prævidè non approbavit, non tenetur voto in ebrietate secuto, quia tunc nec in ebrietate, nec antè consensit. 2. Materia

11. voti debet esse possibilis, & in potestate voventis; hinc non valet votum de vitandis omnibus omninò venialibus, quia id cum ordinario DEI concursu est moraliter impossibile; est communior contra aliquos, qui non improbabiliter dicunt, ejusmodi votum obligare non quidem ad vitanda omnia omninò venialia etiam semi-deliberata aut subreptitia, hoc enim agnoscunt moraliter impossibile, sed tantùm ad vitanda venialia magis deliberata hîc & nunc occurrentia, quia hoc omninò est possibile, sicut qui vovit dare decem Imperiales, si non potest omnes decem, debet dare quinque quos potest; idem est de vovente jejunare totâ Quadragesimâ, si totâ non possit, debet jejunare parte possibili; item lex naturalis Divina obligat ad evitanda omnia omninò venialia, aliàs enim non forent peccata: ergo & votum ad hoc obligare potest. Sed R. cum *Sanch. c. 5. n. 10.* N. utramque Cons. quia votum dandi decem, & votum jejunandi totâ Quadragesimâ, sunt de tota re moraliter possibili, & per accidens tantùm quoad partem factu impossibili: ergo obligant ad partem possibilem, nisi fortè constet de voluntate voventis, quâ noluit se obligare nisi ad totam Quadragesimam simul sumptam, & non aliter, quod fieri non solet; ad obligationem legis Divinæ & naturalis sufficit potentia physica, non verò ad obligationem voti; votum enim est lex, quam ipse homo sibi imponit, non autem censetur homo sibi imponere velle rem moraliter impossibilem, & votum debet esse de meliori bono; melius autem est sibi ejusmodi obligationem non imponere, quàm imponere; validum tamen erit votum de vitandis omnibus mortalibus, aut etiam venialibus plenè deliberatis, hoc enim est moraliter & cum ordinario DEI concursu possibile; verùm ejusmodi vota sine speciali DEI instinctu non sunt facilè assumenda ob peri-

culum lapsus. 3. Vota de facto alieno, v.g. parentum de castitate, abstinentia, peregrinatione vel statu Religioso liberorum, non obligant liberos, nisi illa scientes eorum nullitatem ratificaverint, neque parentes, nisi in ordine ad coperandum, vel quantum est in ipsis, disponendum liberos ad explendam rem voto promissam. 4. Qui vovet rem secundùm unam partem possibilem, secundùm aliam impossibilem vel ineptam, si materia sit divisibilis, valet & obligat votum secundùm partem aptam & possibilem, *quia utile per inutile non debet vitiari*; sic qui vovit orare decem Rosaria, si nequit omnia, tenetur ad ea quæ potest; qui vovit jejunare omnibus diebus Sabbathinis, si uno vel altero non possit, obligatur aliis, nisi constet aliam fuisse mentem voventis, quæ in omnibus respicienda est. Econtrà si partes inter se vel ex natura rei, vel ex usu hominum copulari soleant, & una pars facta est inepta, illicita vel impossibilis, cessat etiam obligatio partis apta & possibilis; item si cesset principale, cessat & accessorium, nisi iterum alia fuerit mens voventis; hinc qui vovit jejunare, si ex justa causa non possit abstinere à carnibus, etiam probabiliter deobligatur à bina refectione, vel econtrà, quia hæc duo copulativè requiruntur ad jejunium Ecclesiasticum, *Sporer sup.* etsi oppositum sit probabilius, ut dicam Cas. LXXV. n. 4. Item qui vovit confiteri, si non possit confiteri, non tenetur elicere dolorem; similiter si non possit dolere, non tenetur confiteri, quia utrumque essentialiter requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ, quod vovit; econtrà cessante accessorio non cessat principale, v. g. voviſti peregrinationem nudis pedibus, jejunium in pane & aqua, teneris peregrinari, etsi non possis nudis pedibus, teneris jejunare, etsi non possis in pane & aqua; item virgo promisit virginitatem, si fornicata fuerit, plerumque adhuc tenebitur ad castitatem, quia hæc communi æstimatione censetur voto virginitatis inclusa, nisi expressa intentio voventis fuerit tantùm servare claustrum virginale integrum, tunc enim hoc læso votum esset de re non ampliùs possibili, *Suar. Sanch. c. 10. Laym. c. 2. Castropalao pun. 8. n. 10.* 5. Si emisisti duo vota incompossibilia, v. g. voviſti in vigilia S. Laurentii peregrinari, ex post immemor hujus voviſti eadem die servire infirmis, valet primum votum; si tamen secundum sit Deo gratius, potes primum in secundum commutare. 6. Votum ex fine malo afficiente materiam seu executionem voti est nullum; tunc autem finis malus dicitur afficere materiam seu executionem voti, si illa executio voti intendatur tanquam medium ad consequendum finem malum, v. g. voves elee-

eleemosynam dare puellæ pauperi, ut sic eam ad turpia inducas; voves ædificare Ecclesiam, ut ex hoc vanam gloriam apud homines consequaris, &c. econtra si malus finis non afficiat materiam vel executionem voti, sed ipsum votum, seu actum vovendi, ut si coram multis voveas ædificare Ecclesiam, non ut ex voti executione, sed ex actu vovendi consequaris gloriam, votum erit validum, *Cajet. Nav. Azor. Sporer l. c.* Ratio horum est, quòd si finis malus afficiat materiam, votum erit de re seu objecto turpi; si verò afficiat ipsum actum vovendi, votum quidem erit illicitum, sed non de objecto illicito, adeòque validum; hinc patet, multa vota posse esse illicita, quæ tamen sunt invalida. 7. Omnia 16.
vota, quæ fiunt ex intentione consequendi à Deo rem illicitam, sunt sacrilega, blasphema & nulla; ut si meretrix voveat partem quæstus, ut sic consequatur quæstum majorem. Dixi: ex intentione consequendi; nam si eleemosyna vel aliud bonum voveatur non ex intentione vel amore consequendi rem illicitam, sed per modum puræ conditionis, pœnæ vel aversionis, ut si inimicum occidero, turpem quæstum fecero, voveo tantum dare in eleemosynam, validum erit votum, quia impletâ conditione turpi, bonum est dare eleemosynam, unde valida & sancta sunt vota pœnalia, toties jejunandi, confitendi, &c. quoties hoc vel illud peccatum commiseris; similiter valent vota facta in gratiarum actionem pro bono effectu secuto ex opere malo, v. g. pro prole nata ex adultetio, pro vita servata in duello, *Less. Laym. c. 2. n. 7.* 8. Juramentum aut votum 17.
de nunquam vovendo est nullum, quia simpliciter melius est vovere, quàm non vovere; si jurâsti non vovere temerè & inconsulto Confessario, votum est validum, etsi ex post memor hujus juramenti voveas, votum erit illicitum, attamen validum, quia de objecto honesto, ut suppono; si immemor prioris voti vel juramenti voves, secundum votum probabiliùs erit invalidum, quia adhuc habitualiter perseverat prior voluntas se non obligandi per votum aliquod consequens, quàm diu scienter non est revocata. 9. Votum de non 18.
ingredienda alia Religione quàm hac, de non orando nisi flexis genibus, de non danda eleemosyna infra decem aureos, invalidum esse docet *Castropalao p. 9. n. 16.* quia non solùm promittitur ingressus in hanc Religionem, sed simul promittitur non ingressus in aliam; item non solùm oratio flexis genibus, sed simul excluditur alia, quod est ineptum & indecens; at videtur distinguendum: Si adsit honesta causa sic vovendi, v. g. quia hæc Religio, hæc oratio est mihi convenientior, valebit votum: secùs si talis causa non adsit.

# CASUS LXIX.

## De Obligatione Voti.

XAmus *super variis votis anxius quærit* : 1. *An in materia gravi votum possit obligare leviter vel contra.* 2. *Quid in dubio de intentione vel modo obligandi.* 3. *Si vovisti jejunare, vel à carnibus abstinere omni die, an tenearis in Dominica.* 4. *Quid de sexagenario.* 5. *Quid de eo, qui vovit jejunare omni die Veneris & Sabbatho, si in istos dies incidat Natalis Domini; quid de Religiosis, quibus Statuta Regularia in Natali Domini, aut in Quadragesima, quando pro populo est dispensatum, carnes vetant.* 6. *Quid si dubium resolvi non possit, neque certum tempus aut terminus obligationis præfixus sit.* 7. *An vovens Religionem teneatur ad castitatem.* 8. *An voto peregrinationis satisfiat, si peragatur equo, curru, vel ex curiositate.* 9. *An possint aut debeant vota expleri per hæredem aut alium.* 10. *An vovens indies audire Missam satisfaciat, si die Dominica unam audiat immemor voti, vel nolens per eam voto satisfacere.* 11. *Quid si multa parva voverit.* 12. *Quid si Ecclesiæ calicem voverit, sed nesciat qualem, vel cui ex duobus, aut pauperi unam è duabus vestibus, an teneatur dare meliorem, vel una pereunte alteram.* 13. *An cum tempore determinato expiret obligatio voti.* 14. *An præveniri possit ante tempus.* 15. *An differri.* 16. *Quid circa votum abstinendi à lusu,* 17. *A vino.* 18. *An vovens sub conditione teneatur exspectare conditionis eventum, aut liceat ejus eventum impedire.* 19. *Quid de voto pœnali.* 20. *An peccet, qui dolet se vovisse.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Qualiter votum obliget?

Rx. Id judicandum esse ex sequentibus Regulis. PRIMA: *Votum obligat secundùm intentionem voventis*; quamvis enim vovens ad materiam simpliciter levem se non possit obligare graviter, potest tamen ad materiam gravem se tantùm obligare sub veniali, vel etiam sub sola pœna. Ratio est, quia votum est lex privata, quam vovens sibi liberè imponit, lex autem non obligat ultrà intentionem legatoris, hæc enim est anima legis; id tamen intellige de votis simplicibus; nam cùm vota solemnia non à solo vovente, sed insimul à constitutione Ecclesiæ dependeant, non est in potestate voventis, illorum obligationem mutare, ideóque in materia gravi obligant graviter, in levi leviter. REGULA SECUNDA: *Si de* 1.

*in-*

2. *intentione voventis constare non possit, attendenda est materia, si illa sit gravis, votum obligat sub mortali, si levis, sub veniali; illa autem res censetur gravis, quæ talis est respectu legis Divinæ vel Ecclesiasticæ*, utpote unius diei jejunium, una confessio, una Communio, auditio Missæ, &c. *Cajet. 2. 2. q. 88. a. 2. Laym. c. 3. Sporer. à n. 92.* Econtrà materia levis respectu legis etiam est talis respectu voti, v. g. quinque *Pater & Ave*, Litaniæ B. Mariæ Virginis, semel & alterâ vice visitare Venerabile, &c. Si quis vovit rem aliàs præceptam, v. g. se non inebriare, non furari, additur nova obligatio Religionis, ita ut in confessione non sufficiat dicere: Me inebriavi, sed dici debeat: Ego habens votum de non inebriando me inebriavi; similiter si dubitetur de modo obligandi in voto, iterum attendenda est obligatio legis, v. g. voviſti legere aut audire Sacrum, persolvere Horas Canonicas aut alia Officia, teneris ea facere cândem at- & intentione, eâdem integritate quâ faceres, quando sunt præcepta, & ea immutando, transferendo, differendo iisdem modis peccas contra votum, quibus peccares contra præceptum; similiter si voviſti jejunium, teneris illud servare secundùm formam jejunii Ecclesiastici, scilicet in unica refectione & abstinentia à carnibus, permissâ tamen collatiunculâ vespertinâ; si voviſti jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc incidat in Dominicam, potes jejunium prævenire in Sabbatho, sic enim prævenit Ecclesia; si voviſti jejunare omni die, non teneris diebus Dominicis, nisi id expressè intenderis, quia non censeris te voluisse obligare contra receptam Ecclesiæ consuetudinem; econtrà si voviſti omni die abstinere à carnibus, etiam teneris diebus Dominicis, quia & hoc Ecclesia facit in Quadragesima; & sicut contra præceptum peccas toties, quoties in die carnes comedis, sic & contra votum; item sicut probabile est sexagenarium excusari à jejunio Ecclesiastico, sic & à jejunio quod vovit, nisi specialiter intendisset contrarium, *Tamb. Suar. l. 4. de voto c. 7. n. 9. Sanch. c. 11. n. 31.* Item qui vovit jejunare omnibus diebus Veneris & Sabbathi, probabiliter non obligatur, si festum Natalis Domini in istos dies inciderit, *Molin. Azor. hic c. 20. q. 3. Sporer sup.* quia si ejus diei tempore voti meminisset, non est præsumendum, hunc diem comprehendere voluisse, & in dubio minimum sequendum est. Dices: Pontifex *c. fin. de observat. jej.* dicit: Illos tunc carnibus vesci posse, *qui nec voto, nec regulari observantiâ sunt astricti.* R. Pontifex supponit votum & intentionem voventis se ad talem casum extendisse; voluit igitur relinquere obligationem voti & regularum, declarando solam obligationem præcepti Ecclesiastici esse sublatam; si verò

3.

4.

5.

vo-

votum ad talem casum se non extendat, aut regula sit merè directiva, non obligans in conscientia, comedens carnes non peccat neque contra præceptum Ecclesiæ, quia illud pro tali casu sublatum est, neque contra votum, quia ad talem casum se non extendit; neque vi Regulæ, quia non obligat sub culpa, ut suppono. Vid. *Sanch.* qui plurimos refert *l. 4. de vot. c. 11. n. 64. Castropalao d. 1. p. 12. n. 13.* etsi hic dissentiat quoad obligatum vi voti. Unde resolves, Canonicos Præmonstratenses (idem est de aliis Religiosis, quorum Constitutiones sub culpa non obligant) per se non peccare, si contra sua Statuta comedant carnes in Natali Domini in Feriam sextam incidente, aut in Belgio in Sabbathis à Nativitate Domini usque ad Purificationem; vel etiam in Quadragesima, si Episcopus loci cum fidelibus dispensavit; nam quamvis Episcopus cum Regularibus exemptis non possit dispensare, cùm sibi non sint subjecti, possunt tamen Regulares se licitè accommodare privilegio loci non minùs quàm peregrinus vel viator ibi existens, nisi statuto Ordinis in conscientia obligante prohibeantur, aut aliis scandalum præbeant. TERTIA REGULA: *Si nec ex intentione, nec ex* 6. *materia dubium resolvi queat, votum strictè seu in favorem voventis est interpretandum, ut pro libitu possit eligere, quod minus est*; quia libertas est in possessione, & in dubio minimum præsumitur, ut dixi *Cas. præced. q. 3. Azor. Suar. n. 18. Sporer. à n. 90.* QUARTA: *Si voto nullum tempus determinatum sit, obligat quamprimùm commodè impleri potest*; nam omnis obligatio, qua dies non ponitur, præsenti die debetur, *Reg. 14. ff. de R. J. Bonac. Pyrrh. Leur. l. 3. decret. q. 885. & ibid. Schmaltzgr. n. 41.* QUINTA: *Quando votis nullus finis vel terminus præfixus est, ut:* Voveo deinceps castitatem, abstinere à vino, à carnibus, &c. *censentur vota perpetua, Castropal. pun. 12. n. 22. Schmaltzgr. à n. 44.*

QUÆR. II. Qualiter ex præmissis Regulis resolvi possint Casus 7. practici?

R. Modis seqq. 1. Qui vovit Religionem, aut sacros Ordines suscipere, vi talis voti non obligatur ad castitatem, quia eam non vovit, sed statum, cui castitas est annexa: ergo illo statu non assumpto non est castitatis obligatio, *Valent. Caj. l. c. Suar. n. 15.* 2. Qui vovit 8. peregrinari, præscindendo an eques vel pedes, potest eligere quod voluerit, quia verè peregrinatur, licèt id faciat ex curiositate, aut negotiorum causâ, modò adsit voluntas invisendi loca sacra, *Tamb. Castropalao pun. 12. n. 9.* Item qui vovit peregrinari eques, vel vecturâ, si sic non possit, non tenetur pedibus, ad hoc enim se non obligavit, & hic modus est notabiliter difficilior. 3. Votum perso- 9. nale non potest expleri per alium, secùs

secùs reale, v. g. voviſti confiteri, orare, jejunare, peregrinari, &c. non teneris neque potes votum hoc exſolvere per alium, eſt enim votum perſonale, & intentio fuit jejunare, orare in propria perſona; econtrà ſi aliquis vovit dare eleemoſynas, vel aliquem in ſuo defectu ad peregrinandum mittere, hoc votum erit reale, obligabítque hæredem, non quidem vi voti, ſed ex quaſi contractu, hoc ipſo enim quòd hæres adeat hæreditatem, obligat ſe ad omnia debita realia exſolvenda, *Laym. Sanch. Reiffenſt. Schmalzgr. n. 51.* Vid. *Caſ. 67. n. 20.* Sed quid ſi aliquis gratis in ſe ſuſcipiat votum reale alterius de alendo v g. paupere, vel ædificando ſacello, an peccet mortaliter non exequendo votum? Negant *Cajet. Henriq.* quia dicunt tantùm obligari ex fidelitate, quæ inter homines non obligat ſub mortali, ſecundùm dicta *Caſ. 51. n. 2.* niſi id ſpecialiter quis intendat; ſed oppoſitum verius eſt, tum *ex c. licet, de voto*, tum quia ſuſcipiens in ſe votum grave alterius videtur eo ipſo ſe velle obligare ſub mortali.

10. 4. Qui vovit indies audire Miſſam, ſatisfacit die feſto audiendo unicam, etiamſi audiverit immemor voti, quia non eſt veroſimile voventem ſe voluiſſe ad duplex Sacrum obligare, *Suar. c. 7. n. 14. Sanch. c. 11. n. 31.* Imò probabile eſt ſatisfeciſſe, etiamſi pro voto ſatisfacere noluerit, quia poſitâ materiâ ſeu ſolutione voti non eſt in ejus poteſtate, ut votum non ſit ſolutum, *Gobat tr. 5. n. 206.* etſi oppoſitum ſit probabilius, ut patet à pari; ſicut enim debitor dans centum gratis nolens extinguere debitum juſtitiæ, illud non extinguit, ita nec debitum voti, ut oſtendi *Caſ. 6. n. 19.*

5. Qui per unum vel plura vota 11.
vovit multa parva, v. g. omni die orare quinque *Pater & Ave*; vel etiam unâ die orare *Credo*, *De profundis*, viſitare Venerabile Sacramentum, dare exiguam elemoſynam, &c. multa eſt diſputatio inter Theologos, an hæ materiæ, ſi negligantur, coaleſcere poſſint in unum peccatum grave? Ante omnia recurrendum videtur ad intentionem voventis, an ſcilicet compenſare voluerit altero die, quòd priore omiſerat, an ad illa multa parva uno vel pluribus diebus peragenda voluerit ſe obligare ſub mortali, caſu quo omnia ſimul negligeret, vel an ea parva uniantur in eodem voto per modum unius materiæ, ut ſi unico voto pro eodem die voveas 200. *Pater & Ave*, vel viginti pauperibus dare ſolidum, tunc enim totum negligere videtur mortale; aliud eſt, ſi res parvæ non ſint unibiles, eò quòd ſint diſparatæ, diſtinctis diebus annexæ; in dubio juxta Regulam ſuperiùs datam minimum præſumitur, ſcilicet quòd voluerit ſe tantùm obligare venialiter, etiamſi ejuſmodi levia diſparata toto anno omitteret. 6. Si 12.
pro-

promisisti calicem, & nescias qualem, teneberis ad argenteum, quia hic est accommodus, & communi magisque vulgari usu venit nomine calicis, quàm cupreus aut aureus, *Cajet. q. 88. a. 2. Laym. c. 3. n. 3. Sporer n. 90.* Si promisisti calicem aureum, sed ignoras cui ex duabus Ecclesiis, debes pretium dividere, quia pro utraque est æqualis ratio, *Castropalao p. 12. n. 26. Leuren. l. c.* Si unam è duabus vestibus promisisti dare pauperi, & una auferatur, non teneris dare alteram, si ultra duas non habeas, quia non censeris te obligare voluisse ad dandam unicam, quam habes; si plures habeas, & ex his unam indeterminatè promisisti, una vel altera furto sublata, teneris dare aliam, quia singulæ sunt promissæ sub disjunctione: ergo si una periit, teneris ad aliam; si nescias, an promiseris viliorem vel meliorem, satisfacis dando viliorem: idem est, si promiseris frumentum, vinum, oleum, eleemosynam, nullam determinando qualitatem vel quantitatem, satisfacis dando in quantitate vel qualitate minore statui tuo non repugnante, & ad finem, ad quem voviisti, non ineptâ; hinc si defunctus vovit vinum pro Sacrificio, hæres non satisfacit, nisi det vinum bonum & Sacrificio dignum. DD. cit. 7. Aliquando
13. obligatio voti est annexa diei seu tempori, ita ut post lapsum istius temporis transierit omnis obligatio voti, nec tenearis supplere ex post, quod illo tempore omisisti; econtrà tempus aliquando additur, non ut finis seu terminus obligationis, sed ad urgendam voti executionem, ne nimiùm scilicet differatur, & tunc si intra tempus votum impletum non fuerit, implendum est postea; at in praxi perquam difficile est discernere, quandonam obligatio voti finiatur aut non finiatur cum tempore; pro quo accipe hanc Regulam: *Si ratio vel devotio ejusmodi temporis specialiter moveat ad hoc vel illud vovendum pro tali tempore, tunc votum est annexum tali tempori, ita ut illo præterlapso non amplius obliget; aliud est si ratio temporis non moveat specialiter;* in exemplis res clarescet: Voviisti audire Sacrum, vel jejunare die Veneris ob specialem devotionem erga Crucem & Passionem Domini, die Sabbathi ob commemorationem B. Mariæ Virginis, confiteri in festo S. Sebastiani ob patrocinium contra pestem, &c. in his obligatio voti est annexa tempori seu diei, & cum eo finitur, ut si eo die negligas, altero die supplere non tenearis; item voviisti orare Rosarium determinatè coram hac imagine ob ejus miracula, si coram ea non possis, non teneris coram alia; similiter votum peregrinandi Romam ob Jubilæum pro hoc anno publicatum, si non exsolvitur nunc, non obligat anno sequenti; item voviisti per totum annum jejunare singulis

gulis ferijs sextis, si principaliter intenderis honorare hunc annum, quia v. g. est Jubilæus, intermissa vel impedita hoc anno jejunia non teneris supplere anno sequente, quia obligatio finitur cum anno, cui fuit annexa; secùs si principaliter vovisti talem numerum jejuniorum, v. g. 52. vel non vovisti ex speciali motivo vel devotione erga tale tempus, tunc votum non est annexum tempori, sed tempus censetur tantùm addi pro urgenda voti executione, ne nimis diu differatur, v. g. vovisti intra annum, aut in festo S. Norberti ingredi Religionem, proximo mense vel septimanâ confiteri aut dare eleemosynam, si hæc non impleas tempore præfixo, teneris ex pòst. Ratio est, quia tunc primariò non intenditur tale tempus, sed res ipsa ejusque executio; unde patet, in votis personalibus persæpè obligationem esse annexam diei, rarò in realibus. 8. Ex dictis sequitur, vota annexa tempori sicut extinguuntur cum tempore, sic nec præveniri possunt ante tempus, v. g. vovisti jejunare in vigilia S. Petri ob ejus honorem, si prævideas eo die te fore impeditum, non teneris jejunium anticipare; potes tamen, si velis, tali casu illud commutare in jejunium anticipatò vel ex pòst faciendum, quia gratius est DEO jejunium anticipare vel differre, quàm omninò omittere; si vovisti intra tres sequentes dies semel jejunare, si non possis ultimo, teneris primo vel secundo, quia primus & secundus dies pertinent ad tempus voti; econtrà si vovisti sequenti septimana jejunare, quia v. g. est hebdomas Rogationum, non teneris hac septimana jejunium anticipare, etiamsi prævideas te impediendum sequenti; patet à pari in Missa, quam si in Dominica audire non possis, eam prævenire non teneris in Sabbatho, quia tunc nondum adest tempus obligationis; si tamen die Dominicâ es impeditus horâ undecimâ, teneris audire horâ decimâ, *Sanch. c. 14. Tamb. c. 12. §. 3. à n. 2.* 9. Vota emissa nullo tempore executionis præfixo, v. g. vovisti aliquando peregrinari Romam, aliquando ingredi Religionem, &c. obligant statim, ut primùm fieri potest, juxta illud Deut. 23. *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Ideóque sine justa causa differens peccat; justa autem differendi causa est, major implendi commoditas, major corporis & animæ utilitas, &c. ut si eleemosynam differas ad tempus, quo pauperes magis indigebunt, differs Religionem, donec pater consentiat, donec ætate & viribus convalescas, donec necessariis scientiis imbutus fueris, non peccabis, *Sanch. c. 14. n. 8. Pyrrhing. n. 9. Leur. l. c.* quamdiu autem executio voti graviter obligantis sine mortali differri possit, non convenit inter DD. videtur

14. 15.

tur statui posse hæc Regula: *Quoties votum grave differtur usque ad periculum oblivionis, vel impotentiæ implendi, semper est mortale; si verò tale periculum non adsit, & votum non contineat obsequium DEI perpetuum, v. g. votum centies jejunandi, peregrinandi, eleemosynam dandi; qualiscunque dilatio probabiliter non excedit unquam veniale.* Ita quoad rem *Tamb. n. 11. Sporer à n. 116.* Ratio est, quia qui dat totum, quod promisit, & nullum damnum creditori aut promissario ex mora facit, non est condemnandus gravis culpæ; at in prædictis votis post quantamcunque dilationem seclusō periculo oblivionis vel omissionis adhuc vovens dat totum, quod promisit, neque ex hac dilatione vel mora ullum damnum Deo facit: (dispar est ratio de creditore humano, cui ferè semper nocet longa debiti dilatio) ergo ejusmodi dilatio non gravis, sed levis tantùm culpa censeri debet; & cùm vovens nullum sibi tempus determinârit, videtur tantùm se graviter voluisse obligare ad rem ipsam, non autem graviter ad non differendam executionem, quamvis satis sciat se peccare venialiter, si differat sine causa. Dixi in Regula: Si votum non contineat perpetuum DEI obsequium; nam si sit de perpetuo DEI obsequio, utpote votum Religionis, votum suscipiendi S. Ordines, aut perpetuò inserviendi infirmis, tunc notabilis dilatio absque justa causa erit peccatum mortale, ut fatentur omnes; quò enim diutiùs differtur, eò plùs aufertur de DEI obsequio; sed quænam tandem dilatio hîc erit notabilis & mortalis? *Tambur. sup. n. 10.* dicit, quòd attendenda sit ætas voventis; si vovens Religionem sit quindecim vel sexdecim annorum, dilatio ad tres vel quatuor annos putat non esse peccatum grave; si sit triginta, quadraginta aut plurium annorum, censet minorem dilationem, v. g. octo vel sex mensium, esse mortale. Rationem dat, quòd tres vel quatuor anni, si demantur à servitio totius vitæ ab adolescentia in senium, meritò videri possint materia parva, at minimè videntur materia parva, si demantur ab ætate jam provecta; probabilius tamen videtur, quòd dilatio Religionis ad medium annum sine justa causa sit mortale; nam quamvis medius annus respectu 70. vel 60. annorum sit quid leve, est tamen aliquid grave in se, sicut unum jejunium, una confessio respectu centum sunt quid leve; in se tamen quid grave & materia sufficiens ad mortale: ergo similiter servire Deo ad medium annum, *Sanch. n. 12. Castropalao p. 13. n. 7.* 10. Qui vovit abstinere à lusu, nescius an intellexerit omnem lusum, vel solum lusum immoderatum, tantùm obligatur vitare lusum immoderatum, quia in dubio votum explicandum 16.

est

est in favorem voventis ; de cætero ex fine, ob quem quis vovit, colligenda est voti obligatio, v.g. vovisti abstinere à lusu eo fine, ut evites jacturam pecuniæ, teneris tantùm abstinere à lusu, in quo est probabile periculum notabilis jacturæ ; si vovisti ad evitandas rixas, blasphemias, perjuria, teneris abstinere à lusu, in quo hæc prudenter timere potes ; si vovisti ob jacturam temporis, ab omni lusu abstinere debes, potes tamen per alium ludere, licèt aspiciendo tempus perdas, quia hoc non est propriè ludere ; econtrà non potes pro alio ludere, quia propriè ludis & perdis tempus. 11. Qui vovit non
17. bibere vinum, toties peccat quoties vinum bibit, quia votum est negativum, sicut negativum est præceptum non comedendi carnes die Veneris ; & sicut mortaliter peccat contra hoc præceptum, qui die Veneris intendit vel efficaciter desiderat comedere carnes, sic etiam peccat contra votum, qui intendit bibere vinum, quamvis reverà non bibat ; aliud est, si in tali potu vel esu solùm morosè oblectetur. Ratio est, quia desiderans bibere vinum intendit infringere votum, si posset, adeóque in intentione est sacrilegus, hoc autem non tenet de morosa delectatione. In dubio qualiter votum abstinendi à vino obliget, iterum recurrendum est ad finem voventis ; si ideo vovit, ut præcaveat ebrietatem, non peccabit mortaliter, etiamsi multum bibat, modò certus sit non esse periculum ebrietatis ; si eo fine vovit, ne sua dilapidet, non peccabit mortaliter, nisi in vino notabilem summam consumat, nec peccabit, si bibat vinum alienum, *Sanch. Tamb. l. c.* si vovit ex motivo temperantiæ, ut peccet mortaliter, debet tantum bibere, quantum sumere solet homo moderatus in prandio, v.g. mediam amphoram, si minus sumat, peccat solùm venialiter, *Castropalao, Sporer sup.* Qui vovit, totâ die non gustare vinum, *La Croix n. 465.* dicit, tantùm primâ vice peccare, etsi illud sæpiùs bibat, quod verum est, si intenderit se mortificare, per hoc præcisè, quòd abstineat à primo potu ; tunc enim postquam semel bibit, non est ampliùs possibile votum servare, adeóque votum cessat obligare ; aliud est, si ex motivo temperantiæ intendat totâ die simpliciter à vino abstinere, ut dictum est sup. Idem est de eo, qui vovit jejunare in pane & aqua, si intendat tale jejunium, quo dicere possit : Hodie præter panem & aquam nihil à me sumptum est, peccat tantùm primâ vice, etsi sæpiùs vinum bibat, vel alium cibum comedat ; si tamen vovisset, se eo die bibiturum solam aquam, toties peccaret, quoties alium liquorem biberet, rationem dat *Sporer n. 94.* quòd votum de bibendo solam aquam sit negativum, obli-

gans ad non bibendum totâ die alium potum : ergo quoties hunc bibit, toties peccat ; econtra votum jejunandi in pane & aqua est principaliter quid positivum. 12.

18. Qui vovit sub conditione dependente à suo arbitrio, non tenetur exspectare eventum conditionis, quia tunc obligationem voti voluit subesse libero suo arbitrio, v. g. puella vovit inire Religionem, si adhuc semel fornicata fuerit, potest inire matrimonium, antequam fornicetur ; item si dicat, voveo Religionem, si dotem accepero, si pater consentiat, si musicam didicero, &c. non peccat, etiamsi negligat dotem aut consensum petere, vel musicam addiscere, aut sine dolo patrem roget non consentire, *Sanch. c. 23. à n. 28. Leuren. q. 886. Schmalzg. n. 68.* Ratio est, quòd valor voti dependeat ab eventu conditionis, quæ reverà non evenit : denique si malum sit non implere conditionem voti, v. g. vovisti Religionem, si intra annum non fueris fornicatus, si ideò forniceris, ut à voto libereris, peccas graviter contra Religionem, Deum illudendo : voto tamen non obligaris, quia non existit conditio, à qua volebas pendere valorem voti ; imò valdè probabile est, non valere votum, etiamsi fraude vel metu facias, ut non eveniat conditio voti, v. g. fraude inducis patrem, ut non consentiat. Ratio est, quia non voluisti te aliter obligare quàm sub eventu conditionis, quæ non evenit ; nec obstat, quòd promissio homini facta & acceptata, si fraude vel metu impediatur, postea servari debeat ; nam homini tunc propriè fit injuria & damnum, quod ex justitia resarciri debet ; DEO autem non fit damnum in bonis suis, neque propriè injuria, sed irreverentia, quæ non restitutionem, sed pœnitentiam exigit, *Suar. c. 17. n. 20. Castropalao p. 17. à n. 11.* Econtra si conditio voti non pendeat à voluntate voventis, tenetur exspectare, quamdiu conditio est probabiliter futura, v. g. æger vovet Religionem, si plenè convaluerit à morbo, peccat contra votum, si nubat, quamdiu est spes recuperandæ sanitatis, nisi periculum incontinentiæ, vel alia justa causa excuset. 13. Votum pœnale potest obligare vel tantùm ad pœnam, ut : *Voveo jejunare, quoties lusero*, vel simul ad rem & pœnam, ut : *Voveo non ludere, & quoties lusero, jejunare*, in primo casu non peccas, ludendo ; si tamen luseris, obligaris jejunare ; in secundo & peccas ludendo, & non jejunando post lusum. Si vovisti jejunare, quoties te inebriaveris, si inebriatio non sit mortaliter mala, aut si sit quidem mortaliter mala, sed non fuisti memor voti, non obligaris ad pœnam, quia non peccâsti formaliter contra votum, *Sanch. c. 22. n. 18. Laym. c. 5.* Similiter plures dicunt, te non obligari ad 19.

pœ-

pœnam, si quidem memor voti, sed immemor pœnæ, te inebriâsti, quia ideo vovisti pœnam, ut per eam deterrearis ab ebrietate; si verò non fuisti recordatus pœnæ, per eam non potuisti deterreri: ergo. At non video, quomodo quis possit esse memor voti pœnalis, & non cognoscere pœnam; hoc ipso enim quo cognosco votum jejunandi, si me inebriavero, etiam cognosco jejunium seu pœnam. Quæ dicta sunt de voto jejunandi, si me inebriavero, etiam tenent de aliis votis pœnalibus. Sed quid si quis dubitet, an se obligaverit ad pœnam toties quoties, vel tantùm pro prima vice? R. Si pœna, quam promisisti, sit gravissima, v. g. vovisti ædificare Ecclesiam, vel peregrinari Romam, si adulterium commiseris; censeris te tantùm pro prima vice ad pœnam obligâsse, de aliis pœnis moderatis verius est cuilibet transgressioni suam pœnam correspondere, & toties quoties te obligare voluisse, nisi aliunde sit major præsumptio in oppositum, quia hac ratione te efficaciùs à delicto præservas, quod præcipuè intendisti, *Sanch. n. 21. Castropalao p. 18. in fine.*

14. Qui dolet se vovisse, non peccat, si adsit justa causa dolendi, eò quòd v. g. incautè voverit, votúmque ei plus periculi quàm fructus afferat. 20.

CASUS

# CASUS LXX.

## De Cessatione & Irritatione Voti.

*YSai variis obstrictus votis quærit* 1. *An cessent per mutationem materiæ vel finis.* 2. *An excuset difficultas vel periculum.* 3. *Quid si materia fiat inepta ex parte vel ad tempus.* 4. *Quid sit irritatio, an fieri possit vovente invito & circa vota in favorem tertii facta.* 5. *An vota irritare possint Papa & Episcopi.* 6. *An Superiores Ordinum, an vota in sæculo vel Novitiatu edita.* 7. *An id possint Abbatissæ, Vice-Superiores, &c.* 8. *Quid si unus Superior in votum consensit, an ipse vel alius adhuc revocare possit.* 9. *An peccet sine causa irritando.* 10. *An irritare possit votum proprium, vel alteri irritandum committere.* 11. *An pater vel tutor irritare possit omnia vota prolium ante pubertatem etiam cum consensu emissa, vel post pubertatem implenda.* 12. *An hæc vota irritari possint omni tempore, quid si filius ea post pubertatem renovaverit.* 13. *An idem possit curator.* 14. *Quid possit pater vel curator circa vota post pubertatem emissa.* 15. *Quid si votum impuberis post pubertatem in aliud fuerit commutatum.* 16. *Quid si votum sit implendum post tempus subjectionis.* 17. *Quo ordine pater, tutor, &c. vota irritare possint, & an possit magister, nutritius, & quid in dubio an votum sit irritabile.* 18. *An maritus vota uxoris irritare possit, vel contrà.* 19. *Quid si uxor ante vel sub matrimonio voverit castitatem, eleemosynam, confessionem; quid si maritus id ægrè ferat.* 20. *Quid si uxor vel maritus voverit non petere debitum.* 21. *Aut mutuo consensu voverint castitatem, vel unus voverit cum alterius licentia.* 22. *An dominus vel herus vota servorum irritare possit?*

Vota cessant quatuor modis: Extinctione, irritatione, dispensatione, commutatione. De duobus primis agetur in præsenti, de reliquis in seqq.

QUÆR. I. Qualiter vota extinguantur? 1.

R. Extinguuntur propriè dupliciter, per notabilem scilicet materiæ mutationem, & per cessationem finis, seu motivi principalis; mutatur autem notabiliter materia, quando fit moraliter diversa, v. g. ex facili multum difficilis, ex possibili impossibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens aut majoris boni impeditiva; unde deduces seqq. 1. Si mutatio, major difficultas, vel periculum non oriatur ex ipsa re, sed ex voluntate vel malitia voventis, non cessat voti obligatio, v. g. vovisti castitatem, quæ tibi ob

ob pravam inclinationem vel lasciviæ consuetudinem facta est difficillima vel etiam periculosa, non excusaris à voto, quia hæc difficultas aut periculum non est ex parte materiæ seu castitatis, quæ ex se melior est quàm ejus oppositum, sed ex parte habitus vitiosi & pravæ voluntatis, quam quilibet corrigere potest & tenetur. Vid. *Cas. 68. n. 5.*

2. Excusat grave periculum non prævisum, v. g. vovisti peregrinari ad statuam B. Mariæ Virginis, si audias viam esse infestam latronibus, durante periculo excusaris à voto; econtrà si periculum sit prævisum, non excusat, v. g. vovisti in nosocomio servire infirmis, teneris exequi votum, etiamsi sit periculum infectionis; nam cùm soleat ejusmodi periculum ibi reperiri, satis censetur prævisum. 3. Vovisti peregrinari pedes, excusaris si fias claudus, & equum vel currum habere vel uti non possis, aut à parentibus tibi prohibeatur. 4. Si materia voti secundùm quid fiat impossibilis vel inepta, cessat quoad illam partem, ut explicavi *Cas. 68. n. 13.* 5. Si materia voti tantùm pro aliquo tempore fiat inepta, votum pro illo tempore suspenditur, v. g. vovisti non adire istam domum ob certam puellam tibi periculosam, si puella absit, potes domum ingredi, si illa redeat, votum redit, si moriatur, votum omninò cessat, etsi ad eam domum ex pòst veniat puella periculosior, non teneris vi voti istam vitare, *Pyrrh. l. 3. t. 34. n. 35. Wiestner. ibid. n. 48.* 6. Si determinato pauperi vovisti eleemosynam, si hic fiat dives, cessat votum, quia cessat finis principalis; si iterum fiat pauper, redit votum; similiter si huic pauperi vovisti eleemosynam, ideo quia putabas esse probum, si ex pòst rescias talem non esse, cessat votum, quia cessat ejus motivum; secùs si ideò vovisti, quia erat pauper; item vovisti peregrinationem pro sanitate vel liberatione filii è captivitate, qui tempore voti emissi jam erat mortuus vel liberatus, cessat votum, quia cessat ejus finis, *Schmaltzgr. n. 70.*

QUÆR. II. Quid sit irritatio voti? 4.

R. Est actus potentiæ dominativæ, quâ nomine proprio tollitur obligatio hominis sibi quoad personam vel voti materiam subjecti; est communis quoad rem cum *D. Thom. 2. 2. q. 88. & seq.* Dicitur 1. *Actus potentiæ dominativæ*, hoc est, talis, vi cujus alterius voluntas vel res est ita subjecta, ut sine consensu dominantis firmiter obligari non possit; quare omnia vota, juramenta, dispositiones hominis taliter subjecti imbibunt hanc conditionem: *Si Superior, seu ille, cui subsum, consenserit*; ideoque hoc ipso, quòd ille non consentiat, tollitur voti vel juramenti obligatio: undè patet, etiam vota vel juramenta in favorem tertij facta & acceptata irritari posse etiam acceptante invito, etsi

etsi non possint sic dispensari vel commutari, ut dicam *Cas. seq. n. 17. Sylvest. Navar. c. 12. n. 78. Laym. c. 8. n. 21.* Ratio est, quia etiam vota in favorem tertij facta habent conditionem: *Si Superior consenserit:* ergo hoc ipso quòd consensum negat, ea irritat. Aliqui autem dominativè subjecti sunt quoad voluntatem simul & bona, ut Religiosi suis Superioribus, impuberes patri vel tutori, & hi omnes vota directè irritare dicuntur, eò quòd voluntas voventis his ratione sui sit subjecta; quando autem voluntas non ratione sui, sed solùm ratione bonorum est subjecta, ita ut de iis sine alterius consensu disponere non possit, veluti minorennis subjectus est curatori, tunc dispositiones, vel vota talis personæ circa ejusmodi bona dicuntur irritari indirectè, hoc est, non ratione personæ, sed ratione bonorum alteri subjectorum. Dicitur 2. *Nomine proprio*, in quo præcipuè distinguitur irritatio à dispensatione; hæc enim tollit obligationem nomine alieno, scilicet Dei, qui potestatem jurisdictionis dedit Ecclesiæ ad tollenda vel remittenda suo nomine vota & juramenta sibi facta, si causa subsit, quod addo, quia dispensatio ut validè fiat in lege Superioris, causam requirit, non item irritatio, quæ absque omni causa quidem est illicita, non tamen invalida; deinde dispensans & commutans vota debet ea speciatim cognoscere, irritans potest in genere omnia tollere per solum dissensum, etiamsi vovens hoc ignoret, aut nolit ea irritari, quia conditio substantialis corruit, scilicet consensus Superioris, *Arrag. q. 89. a. 9. Suar. lib. 6. de vot. c. 1.*

QUÆR. III. Quinam habeant potestatem vota irritandi? 5.

℟. I. Papa & Episcopi non possunt directè vota irritare, nisi respectu Religiosorum sibi subjectorum, quia in alios non habent potestatem dominativam, nec ejusmodi potestate pro directione Ecclesiæ indigent, sufficit quòd possint vota commutare, dispensare, & indirectè irritare, subtrahendo vel prohibendo materiam voti, *S. Thom. sup. a. 12. in Corp. & ibi Cajet. Nav. n. 79. Suar. l. c.*

℟. II. Superiores Regulares pos- 6.
sunt directè irritare suorum vota, non tantùm ea quæ Religiosam gubernationem impediunt, ut peregrinatio, servitium extra clausuram, &c. sed etiam omnia alia post professionem emissa; antequam tamen irritentur, observanda sunt, ita communis cum *D. Thom. l. c. Suar. c. 7. Sanch. l. 4. c. 33. n. 4. Sporer tr. 3. in Decal. c. 3. n. 16.* Ratio est, quia sicut pupilli per Remp. ita subjiciuntur tutori, ut omnia eorum vota & dispositiones valeat irritare, sic & SS. Pontifex ad meliorem Religiosorum gubernationem eorum voluntatem subjicere potest Superioribus, ut absque eorum consensu nihil firmiter vovere queant; quòd verò ita factum

fit,

sit, probat praxis & usus Religionum, teste *Lessio l. 2. c. 20. dub. 13. Sanch. c. 24. n. 30.* Excipe tria vota essentialia & votum assumendi Religionem strictiorem, cujus executio sicut non potest à Prælato impediri, *c. licet de Regul.* ita nec irritari, DD. cit. Neque irritare possunt vota facta in sæculo vel Novitiatu, quia vovens tunc non erat subditus; possunt tamen Novitiorum vota suspendere, in quantum impediunt vel difficiliora reddunt exercitia Novitiatûs; imò ipse Novitius omnia vota sua in exercitia Novitiatûs tanquam in rem evidenter meliorem commutare potest; expediet tamen tunc certa opera determinare, in quæ commutatio fiat, ne ad omnia opera se ex voto obligans plurimis exponatur scrupulis; Novitius verò Religionem deserens voti prioris obligatione constringitur, quia suspensio vel commutatio censetur tantùm facta pro tempore Novitiatûs, *Sanch. n. 41. Castropalao d. 2. pun. 8. n. 10.* 2. Superiores gaudentes potestate irri- 7.
tandi sunt Generalis, Provincialis, Visitator, Abbas, Guardianus, Prior seu Rector localis, non tamen Vicarii, Ministri, Priores claustrales aliique Vice-Superiores, nisi Rectore vel Abbate absente, quia verè Superiores non sunt, nec suo sed alieno nomine imperant, *Castropalao l. c. Leuren. l. 3. q. 898.* Abbatissæ & Matres Monialium suarum vota etiam irritare possunt, quia irritatio fundatur in obedientia, quæ illis sicut aliis Prælatis promittitur, *Sanch. Suar. Sporer l. c. cont. Castropalao, Leur.* 3. Potestas irritativa extendit se etiam ad vota merè interna & futura, quia omnia includunt conditionem, si Superior consentiat, DD. cit. 4. Si Provincialis 8.
tibi dedit licentiam vovendi, non potest votum irritare Superior localis, potest tamen ex justa causa executionem voti impedire, quàusque Provincialis consulatur, ita enim exigit bonum regiminis, *Sanch. c. 27. n. 4.* 5. Ipse, qui dedit licen- 9.
tiam vovendi, votum irritare potest, etiamsi promiserit non irritare; nam quamvis tunc peccet, si sine causa id faciat, irritat tamen validè, quia non obstante istâ promissione retinèt potentiam dominativam in subditum, *Sanch. n. 9. Leur. q. 896.* multò magis id poterit æqualis vel Superior. Inferior tamen irritare non potest vota edita cum licentia Superioris, quia hujus potestati derogare nequit. 6. Superior, qui sine justa causa irritat votum grave, in quod semel consensit, ex communi apud *Castropalao p. 3. §. 2.* peccat mortaliter, quia tribuendo licentiam fit particeps voti: ergo sine causa revocans censetur illius transgressor: deinde votum licentiâ Superioris firmatum est à Deo acceptatum: ergo fit Deo gravis irreverentia, si absque causa consensus revocetur. Nihilominus *Illsung t. 5. n. 133.* dicit, esse tantùm veniale; si verò Superior non consensit, sed

absque causa irritat votum, non peccare, tenet *Sylvest. Azor.* & probabile esse dicit *Sporer n. 34.* quia utitur jure suo; at probabiliùs peccat saltem venialiter, quia abutitur suâ potestate, subditum à meliori bono absque causa impediendo, *Sotus de just. l. 7. q. 3. a. 1. Laym. c. 7. n. 18. La Croix n. 499.* 7. Superior
10. non potest irritare votum proprium, neque alteri irritandum committere, *Sanch. n. 60.* quia potestas irritandi in hoc fundatur, quòd votum emittatur sub conditione, si Superior consentiat; nemo autem sub conditione proprii consensûs votum emittere potest, destruit enim talis conditio strictam voti obligationem; nec obstat, quòd quis secum dispensare possit, nam dispensatio non fit nomine proprio, sed per eam nomine Dei remittitur obligatio, qui etiam dispensanti remittere potest justa causa intercedente.

11. ℟. III. Omnia vota prolium etiam illegitimarum tam realia quàm personalia, ante pubertatem emissa, potest pater aut tutor, vel his deficentibus, mater irritare. 1. Etiamsi votum emissum sit cum eorum licentia, quia non obstante isto consensu manet in impubere immaturitas discretionis & judicii, ideòque potentia gubernativa & irritativa in patre, *Ang. Sylvest. Laym. l. c.* 2. Etiam vota impuberum implenda post pubertatem, ut si puella undecim vel puer tredecim annorum voveat post duos annos ingredi Religionem, quia potestas irritandi fundatur in infirmitate judicii, quæ reverà adfuit tempore emissi voti, *Sporer n. 20.* nec obstat, quòd fortè filius contradicat, putans vota irritari non posse, nam potestas irritativa non pendet à consensu filii. 3. Vota ab impubere edita non 12.
tantùm durante impubertate, sed etiam ex post quocunque tempore à patre irritari possunt, modò post pubertatem non fuerint confirmata, *Cajet. q. 89. a. 5. Reiffenst. lib. 3. decret. t. 34. n. 13. Illsung n. 123. & 134.* Ratio est, quòd votum impuberis non tantùm propter dominium paternum, sed etiam propter immaturitatem judicii pendeat à patre, includátque conditionem: *Si pater non contradixerit,* quæ conditio tractu temporis non aufertur; dixi, modò post pubertatem non fuerint confirmata; non censentur autem confirmari ex hoc, quòd vovens voluerit ea exequi, aut ignarus ea esse infirma sæpiùs renovaverit, quia hæc renovatio est tantùm approbatio prioris vinculi, sed requiritur, ut sciens eorum debilitatem, ea pubes liberè ratificet, & ita intendat se obligare, quasi nunquam fuisset obligatus, *Navar. c. 12. n. 71. Sanch. c. 30. n. 38.* 4. Non tantùm pater 13.
& tutor impuberis, sed & curator vota minoris ante pubertatem facta post pubertatem irritare potest, modò confirmata non sint, *Sanch. n. 15. Castropalao n. 6.* Ratio est, quòd cu-

curator ſuccedat loco patris: ergo ſicut pater poteſt iſta vota irritare, ut jam probatum eſt, ſic & curator.

14. 5. Vota poſt pubertatem emiſſa ſi realia ſint, poteſt pater aut curator irritare, ſecùs ſi perſonalia; hinc ſi filius quindecim annorum voveat jejunium, Religionem & eleemoſynam, irritari poterit votum eleemoſynæ, (intellige ex bonis patri ſubjectis) non verò jejunij & Religionis. Ratio eſt, quia poſt pubertatem filius quoad ſuam perſonam eſt ſui juris; bona autem ejus, exceptis caſtrenſibus & quaſi caſtrenſibus, ſubjecta ſunt patri uſque ad emancipationem, vel curatori uſque ad annum vigeſimum quintum completum: ergo vota realia puberis, non autem perſonalia à patre aut

15. tutore irritari poſſunt. 6. Si votum ante pubertatem emiſſum poſt pubertatem à Superiore vel ipſo vovente in opera perſonalia commutetur, nec pater, nec tutor votum ſurrogatum irritare poterit, *Sanch. n. 48. Caſtropalao n. 11.* quia votum ante pubertatem emiſſum jam deſiit, & poſt pubertatem ſucceſſit perſonale, atque in vota perſonalia poſt pubertatem edita vel confirmata pater & curator poteſtatem non habent, niſi in quantum præjudicant gubernationi paternæ vel domeſticæ, ut ſi filius voveret longa jejunia, peregrinationes, &c. quibus ſubtraheretur ab obſequiis patri præſtandis, tunc enim ea indirectè irritari vel potiùs ſuſpendi poſſent, *Sporer. n. 22.* 7. Si votum puberis 16.
ſit quidem reale, ſed implendum poſt tempus ſubjectionis, v. g. filius quindecim annorum vovet ædificare ſacellum, quamprimùm à patria vel curatoria poteſtate liberatus fuerit, idem eſt, ſi uxor quid voveat implendum poſt mortem mariti, tale votum à patre, curatore vel marito irritari non poteſt; econtra vota impuberis etſi in ſtatu libero implenda, pater & curator irritare poſſunt, *Sanch. Caſtropalao §. 4. Illſung n. 135.* Ratio horum eſt, quòd impubes non tantùm quoad bona, ſed etiam quoad voluntatem patri & curatori ſit ſubjectus, ideóque ejus actus per ſolum diſſenſum annullari poteſt; econtrà pubes quoad voluntatem non eſt ſubjectus patri, neque uxor marito, & bona poſt ſubjectionem etiam non ſunt ampliùs ſubjecta: ergo non eſt, unde vota puberis vel uxoris poſt ſubjectionem implenda à patre, curatore vel marito irritari valeant; quod etiam tenet de votis realibus perpetuis, v. g. de voto quotidie dandi eleemoſynam, ita ut irritari non poſſit, in quantum ſe extendit ultrà tempus ſubjectionis. 8. Poteſtas vota irritandi 17.
hoc ordine venit, pater, tutor, curator, avus ex parte patris, non matris, mater, avus paternus nihil poteſt vivente matre, *Sporer n. 24. Schmaltzgr. n. 76.* Imò deficiente tutore aliiſque aſcendentibus loco patris ſuccedere herum, magiſtrum, nutritium, eoſque vota

impuberum irritare posse, non improbabiliter docent *Sayr. Less. l. 2. c. 40. dub. 14. Suar. l. 6. c. 6. n. 23. Laym. c. 7. n. 10.* quia ita videtur exigere æquitas naturalis; at oppositum est verius, quia ex nullo jure doceri potest, hanc potestatem heris, magistris, &c. esse concessam, *S. Th. l. c. Bonac. Sanch. c. 35. n. 84. Wiestner n. 54.* 9. In dubio an votum sit irritabile, an sit emissum vel confirmatum tempore subjectionis, an executio sit destinata in- vel extra tempus subjectionis, potest Superior illud irritare, *Suar. c. 6. La Croix n. 500. Leuren. q. 879.* quia pater est in certa possessione potestatis irritativæ, quâ per rationem dubiam privari non debet. Vid. *Vivam op. 2. q. 6. a. 3.*

18. R. IV. Quamvis *Sotus, Ang. Arrag.* aliique cum *Sanch. c. 34. n. 3.* probabiliter doceant, maritum directè irritare posse omnia vota uxoris, stante matrimonio emissa, eò quòd voluntas ejus videatur esse perfectè subjecta marito, ex illo ad Eph. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Deo, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Et *Num. 30.* dicitur, uxorem non teneri promissione voti, *si vir extemplò contradixerit.* Attamen verius est, quòd sola vota debito conjugali, educationi prolium, vel gubernationi domesticæ præjudicantia, velut votum castitatis, longæ peregrinationis, &c. maritus irritare possit, *Nav. c. 12. n. 64. Castrop. p. 6. n. 2. Sporer n. 29. Illsung n. 126.* Ratio est, quòd tota uxoris subjectio fundetur in contractu matrimonii: ergo vota uxoris non subsunt marito, nisi in quantum præjudicant matrimonio & vitæ sociali, quod jus etiam competit uxori, ut vota mariti matrimonio præjudicantia irritare possit; notandum autem, quòd vota sic indirectè irritata, vel potiùs suspensa reviviscant, quando desinunt alteri præjudicare, *Laym. c. 7. & D. D. c. c.* *Unde inferes seqq.* 19.

1. Si uxor ante vel sub matrimonio castitatem vel quotidianam eleemosynam voverit, soluto matrimonio tale votum reviviscit, etiamsi antea à marito fuerit irritatum. 2. Vota uxoris moderatè jejunandi, orandi, communicandi, pauperes ex bonis paraphernis sustentandi, &c. maritus infirmare non potest, quia in his uxor est sui juris, neque hæc matrimonio præjudicant; si tamen maritus ægrè ferret, ac sine læsione pacis vel amoris conjugalis observari non possent, ad tempus cessant; quia eorum materia facta est illicita, vel moraliter impossibilis aut majoris boni impeditiva, *Sylvest. Nav. Suar. l. 6. c. 4. Laym. n. 12.*

3. Votum uxoris nunquam petendi 20. debitum maritus irritare non potest, quia conjux non tenetur petere, sed solùm reddere debitum; econtrà si maritus voverit non petere debitum, & uxor obindè gravetur, eò quòd & ipsa præ verecundia petere non ausit, *Laym. Sporer* dicunt, votum

tum mariti ab uxore irritari posse, sed meliùs contradicunt *Gometz. Less. Nav. c. 12. n. 60.* quia obligatio mariti non petendi debitum reverà non cedit in præjudicium uxoris, eámque non retrahit à petitione debiti, sed potiùs dat ansam liberiùs petendi, cùm sciat ipsum petere non posse, & ipsa levi indicio facilè petere possit; meritò notant DD. ejusmodi vota esse indiscreta, & conjugibus, nisi senes sint, dissuadenda. 4. Si vir & uxor mutuo consensu voveant castitatem, hoc votum ipsi irritare non possunt, quia juri suo ad petendum & reddendum debitum renunciârunt, *c. fin. 33. q. 5. Spo-rer. n. 29 Castropalao p. 7. n. 6.* 5. Si conjux conjugi simpliciter dedit licentiam vovendi castitatem, hoc ipso cessit juri suo, nec consensum revocare aut debitum petere poterit, secùs si votum conjugis purè permisit, reservando sibi jus suum, *Nav. c. 17. n. 31. Laym. n. 15.*

§. V. Vota denique servorum, domini aut heri indirectè tantùm irritare possunt, quatenus obligationi servitutis vel famulatûs obsistunt, ideòque finitâ servitute reconvalescunt, *communis & certa;* unde domini nihil possunt circa vota castitatis, orationis, confessionis, moderati jejunii, &c.

# CASUS LXXI.

## De Voti Dispensatione & Commutatione.

*Zoilus Pastor ab Episcopo interrogatur:* 1. *An dispensatio absque causa sit licita & valida.* 2. *Quæ sint causæ dispensandi.* 3. *Quid in dubio aut in casu, quo absque omni causa bonâ fide dispensatum est.* 4. *An dispensare possit Papa, Episcopi, Prælati Regulares, Abbatissæ, an cum Novitiis & se cum ipsis.* 5. *An Confessarii Regularium.* 6. *An cum absentibus & extra confessionem: & an idem queant Parochi.* 7. *Quæ sint vota reservata Papæ.* 8. *An inter hæc numerentur vota dubia, conditionata, metu extorta, pœnalia, disjunctiva, non Deo sed Sanctis facta.* 9. *An votum reservatum ab Episcopo vel Regularibus quoad circumstantias dispensari possit.* 10. *Vel in voto castitatis edito stante matrimonio.* 11. *Quid si votum reservatum sit commutatum in non reservatum.* 12. *An reservatum possit irritari.* 13. *An facultas Generalis extendat se ad reservata, item an ad ea, quæ post concessionem sunt emissa, vel etiam ad juramenta.* 14. *An votum castitatis dispensatum soluto matrimonio reviviscat, item an Episcopus in casu necessitatis dispensare queat in reservatis.* 15. *An etiam Regulares.* 16. *An & ex qua causa fieri possit voti com-*

*commutatio.* 17. *Quinam vota commutare possint, & quid de votis in favorem tertii.* 18. *An extra confessionem.* 19. *An post commutationem possit rediri ad votum prius.* 20. *An omnia vota commutari possint in votum Religionis.* 21. *An Professio Religiosa extinguat omnia vota, etiam Religionis strictioris.* 22. *Quid de votis pœnalibus.* 23. *Quid de eo, qui vovit non petere dispensationem.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit dispensatio voti?

1. R. Est remissio totalis obligationis ob justam causam facta ab eo, qui in personam voventis habet jurisdictionem spiritualem, est in re omnium. Dicitur 1. *Remissio totalis obligationis*, in quo dispensatio distinguitur à commutatione, in qua obligatio ex toto non tollitur, sed saltem ex parte in aliam materiam transfertur. Dicitur 2. *Ob justam causam*; nam dispensatio in votis sine causa non tantùm illicita est, sed & invalida, *S. Th. q. 88. a. 12. ad 2.* Fit enim à Superiore Ecclesiastico, qui nomine Dei relaxat promissionem DEO factam; Deus autem dedit hanc potestatem non in destructionem, sed ædificationem, exigente id necessitate vel utilitate subditorum; aliud est de irritatione, quæ fit nomine proprio ab habente potestatem dominativam in personam voventis, vel in materiam voti; dominio autem vel jure suo validè quis uti potest, etiam sine causa.

QUÆR. II. Quæ sint causæ legitimæ dispensandi?

R. Sunt præcipuè quatuor: 1. *Imperfecta deliberatio*, aut dubium de illa, sive illud contingat ex defectu ætatis, sive ex mentis turbatione, aut etiam ratione metus, doli vel erroris accidentalis; similiter sufficit quodcunque prudens dubium de valore voti. 2. *Notabilis difficultas* exequendi rem promissam, etiamsi non sit tanta, ut votum irritet, sufficiet tamen ad dispensationem; sola autem major commoditas aut inclinatio ad aliud opus pium, etsi satis sit ad votum commutandum, non tamen ad dispensandum. 3. *Damnum spirituale vel corporale*, sic dispensatur in voto continentiæ vel non petendi debitum, si ob nimiam proclivitatem in Venerem sit periculum lapsus, aut executio voti sit subjecta plurimis molestiis & scrupulis; item si immineat ex voto damnum temporale, v. g. interitus illustris familiæ, vel ex nimiis eleemosynis exhauriretur res domestica, &c. in his & similibus dispensatur Romæ, saltem aliqualem adjungendo commutationem in aliud opus pium. 4. *Majus bonum* ex dispensatione proventurum, v. g. major Dei honor, major Ecclesiæ vel Reip. utilitas; quò majus & arctius est votum, eò major requiritur causa dispensandi, etsi una causa se sola non sufficiat, sufficiet conjuncta cum aliis, *Suar l. 6. de vot. c. 17. Reiffenst. l. 3. tit. 34.* 3.

*à n. 22. & ibid. Leuren. q. 903.* In dubio an adsit causa sufficiens,
3. semper miscenda est commutatio in aliquid operis pii, quod defectum causæ suppleat, *Suar. l. c. Castrop. d. 2. pun. 9. n. 17.* Hinc Confessarii privilegiati rarò debent ex toto dispensare, nisi quando dubium est de voti valore: si dispensatio bonâ fide facta est, & ex post reperiatur, non adfuisse causam legitimam, *Sporer n. c. 3. n. 45. ex Sanch. & Less.* dicit, præsumendum esse de bonitate Dei, quòd dispensationem suo nomine bonâ fide factam acceptet & ratam habeat. At probabiliùs contradicunt *Salas Castrop. n. 4. Leur. l. c.* quia jura & omnes DD. ad valorem dispensationis in voto requirunt causam legitimam: ergo si certò constet, talem non adfuisse, dispensatio est nulla; deinde talis præsumptio est ad minus incerta, & obligatio voti est certa: ergo non excusat. Econtrà si constet adesse causam certò sufficientem, Superior plerumque dispensare obligatur, vel maximè si id exigat bonum commune, quandoque etiam negare poterit, si nempe periculum sit, ne vilescat votorum obligatio vel dispensatio.

QUÆR. III. Quinam habeant potestatem in votis dispensandi?

4. R. 1. Respectu totius Ecclesiæ in omnibus votis dispensare potest Sum. Pontifex. 2. Dispensare possunt Episcopi in omnibus votis suorum subditorum Papæ non reservatis. 3. Idem possunt Prælati Regulares exempti, & omnes Superiores locales respectu suorum Religiosorum, & in eorum absentia Vicarii, si non ordinariâ, saltem potestate sibi ex consuetudine delegata, *Sanch. l. 4. mor. c. 49.* Prælati Regularium non exemprorum id jure communi non possunt, nisi quatenus ex consuetudine vel Episcopi commissione illis concessum est. *Si dicas:* Potestas dispensandi in Prælatis Regularium videtur supervacanea, eò quòd omnia eorum vota vel extinguantur per Professionem, vel post Professionem emissa à Prælatis irritari possint potestate dominativâ. R. N. ass. nam votum ingrediendi Religionem strictiorem à Superioribus nequit irritari, benè tamen dispensari, ut probat *Sanch. c. 41.* idem docet *Suar.* de voto approbato à Prælato superiore. Item Prælati in votis Novitiorum dispensare possunt, quia in favorabilibus gaudent privilegiis sui Ordinis, *Castropalao p. 10. n. 3. Schmaltzg. n. 105.* nequeunt tamen eorum vota irritare, ut dixi *Cas. præc. n. 6.* 4. Abbatissæ suarum vota quidem irritare possunt propter potestatem dominativam, quam in suas habent per votum obedientiæ, non tamen dispensare, quia carent jurisdictione spirituali. 5. Superiores habentes potestatem dispensandi ordinariam etiam secum dispensare possunt saltem mediatè, dando jurisdictionem Confessario,

vel alteri, ut contra *Suar.* latè probat *Sanch. l. 3. de mat. d. 3. totâ.*

5. 6. Confessarii approbati Ordinum Mendicantium & cum iis communicantes habent privilegium pro foro conscientiæ dispensandi in omnibus votis & juramentis sæcularium, in quibus Episcopi dispensare possunt jure ordinario; id enim Mendicantibus concessit *Inn. VIII. Eug. IV.* Benedictinis *Mart. V.* testibus *Tamb. Herinx, Dian. p. 11. t. 8. R. 16. Sannig de vot. c. 43. n. 2. Gobat t. 10. n. 603. Sporer n. 54. Castropalao p. 13. n. 7. Reiffenst. n. 39.* Dixi: in votis, in quibus Episcopi dispensant potestate ordinariâ; nam si Episcopi in casu necessitatis, quando non datur recursus ad Papam, in votis Papæ reservatis dispensant, id non faciunt potestate ordinariâ sed delegatâ, ideòque hoc non poterunt Confessarii Mendicantium, ut habet communis *cum Rodriq. Sanch. Suar. c. 26. n. 16. Barb. 2. p. de pot. Ep. alleg. 37. n. 14.* Nihilominus probabile videtur etiam tali casu Mendicantes pro foro conscientiæ dispensare posse, ut dicam *inf. n. 15.* Quòd autem *Ordo Præmonstratensis* in privilegiis communicet cum Mendicantibus docet *Barb. l. 1. juris Eccl. c. 41. n. 231. Tamb. to. 1. d. 12. q. 1.* Et ita definitum est in Capitulo Generali ejusd. Ordinis Anno 1660. & constat ex amplissimo Indulto Urb. VIII. Lotharingis con-

6. cesso. 7. Episcopi & Regulares privilegiati conveniunt in hoc, quòd utrique possint vota non reservata dispensare & commutare, etiam extra Confessionem & cum absentibus, quia pro neutris ullo jure hoc exercitium restringitur ad forum Sacramentale, aut ad solos præsentes: in hoc differunt, quòd Episcopi hanc suam potestatem utpotè ordinariam alteri delegare possint, non item Regulares cùm sint delegati, ècontra Regulares possunt exercere sua privilegia circa omnes fideles ad ipsos undequaque venientes; agunt enim nomine Sum. Pontificis; Episcopi verò, quia agunt per jurisdictionem propriam non possunt eam ultra suos diœcesanos extendere, *Sanch. c. 43. Sporer n. 78.* 8. Parochi quamvis ex consuetudine possint dispensare in jejunio & operibus servilibus, non tamen in votis aut juramentis, *Tamb. La Croix sup.*

QUÆR. IV. Quid circa dispensationem in votis reservatis?

R. I. Quinque sunt vota soli Pa- 7.
pæ reservata, adeòque ab Episcopo vel Regulari privilegiato non dispensabilia, nisi in privilegio specialiter exprimantur; ut 1. *Votum* integræ & perpetuæ *castitatis*, nam votum castitatis sub obligatione solum veniali emissum aut ad tempus, votum non petendi debitum conjugale, votum virginitatis solùm intendendo integritatem claustri virginalis, votum non nubendi, votum non polluendi, non fornicandi, mulierem non tangendi,

&

& his similia, non sunt reservata, quia non sunt votum integræ castitatis, de qua sola reservatio utpote odiosa intelligi debet. Idem est de voto suscipiendi Sacros Ordines, quia non est directè ad castitatem, sed ad Statum Clericalem, cui votum castitatis annexum est, *Sanch. Suar. l. 9. c. 25. Laym. c. 8. n. 8. Barb. n. 19.* 2. *Votum Religionis* approbatæ. 3. *Votum peregrinandi ad S. Sepulchrum* Hierosolymitanum. 4. *Peregrinandi Romam* ad limina SS. Apostolorum Petri & Pauli. 5. *Peregrinandi Compostellam* ad S. Jacobum, *c. ex multa, c. super his de vot.*

8. R. II. Cùm reservatio sit odiosa utpotè restringens potestatem ordinariam strictè est interpretanda, ideòque non censentur reservata, sed ab Episcopo & privilegiatis dispensabilia sunt. 1. Vota, de quibus dubium est, an sint valida aut reservata, quia reservatio non extenditur nisi ad casus certos, *Sanch. Castropalao p. 12. n. 8.* Idem est de dubio, an promissio fuerit deliberata; ex quo capite votum castitatis vel Religionis ab impubere emissum non esse reservatum docet *Viva q. 12. a. 2.* quia præsumitur adfuisse imperfecta deliberatio; ideò enim impuberibus prohibetur matrimonium, *c. attestationi de sponsi. imp.* 2. *Vota conditionata*, v. g. voveo castitatem, Religionem, si sanitati restituar, si pater periculum evaserit, idque non tantùm ante, sed etiam post impletam conditionem, quia non sunt perfectè libera; fiunt enim metu instantis mali, & quæ ab initio non sunt reservata, etiam non fiunt ex post, & in dubio non censentur reservata, *Gomez, Sanch. l. 4. mor. c. 20. n. 98. Bellegamb. p. 3. sect. 13. q. 2.* idque tenet, etiamsi post impletam conditionem fuissent confirmata, quia confirmatio cadit super idem votum, prout à principio editum, nisi nunc esset editum independenter à primo voto, *Dian. p. 6. t. 8. R. 16. Wiestner n. 73.* 3. *Vota injusto metu* etiam levi extorta, quia non sunt perfectè libera, *Illsung t. 5. n. 156. Reiffenst. n. 30.* idque etiam tenet de metu intrinseco, ut si quis voveat Religionem metu periculi, quia nec ista vota sunt perfectè libera, nec directè intenditur materia voti, sed evasio periculi, & verè sunt conditionata, *Sanch. Illsung. l. c.* 4. *Vota pœnalia*, v. g. voveo castitatem, si iterum blasphemavero, Religionem, si me inebriavero, ita ut dispensabilia sint etiam secutâ blasphemiâ vel ebrietate, quia ista vota non sunt perfecta, cùm non fiant amore virtutis, castitatis vel Religionis; sed voluntas eas potiùs refugit, quia earum timore vult se deterrere à blasphemia vel ebrietate, *La Croix n. 544.* 5. *Votum disjunctivum* continens unam partem non reservatam, v. g. voveo Religionem, vel ferre cilicium: *Quia in alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri, Reg. 70 in 6.* quod verum est, etiamsi cilicium

fieret impossibile, & jam statuisset Religionem ingredi, *Belleg. l. c. Sporer n. 60. La Croix n. 548.* 6. Si votum non sit directum ad Deum, sed tantùm ad B. V. vel Sanctos, ita ut vovens non cogitaverit de promissione Deo facienda, nec verba voventis explicitè significent aliquam relationem ad Deum, ut fit, dum puella B. V. devota dicit: Tibi Dominæ meæ promitto perpetuam virginitatem; tale votum probabiliter non est reservatum, *Gobat, Sporer n. 58. Reiffenst. n. 29.* 9. 7. Votum quoad substantiam reservatum potest ab Episcopo vel Regulari privilegiato dispensari quoad accidentia, v. g. vovisti peregrinari Romam nudis pedibus, dispensari potest, ut eas calceatus vel eques; vovisti statim ingredi Religionem strictiorem, dispensari potest ab Episcopo vel Regulari, ut eas post aliquot annos, vel ut ingrediaris minus strictam, *Less. Nav. Illsung. n. 145. Castropalao p. 11. n. 4.* 10. 8. Si post consummatum matrimonium una conjux sine alterius consensu voveat omnimodam castitatem, hoc votum non est perfectum, quia adhuc tenetur reddere debitum, ideòque nec est reservatum: si post contractum, sed necdum consummatum matrimonium ejusmodi votum edatur, cum voluntate ingrediendi Religionem, erit votum perfectum & reservatum, idem est, si mutuo & irrevocabili consensu castitatem voveant, *Sanch. Belleg. l. c.* Si verò maneant cohabitantes cum periculo incontinentiæ, Episcopus dispensare poterit, ut statim dicetur. 9. Votum reservatum, postquam est commutatum in aliud non reservatum, v. g. castitas in cilicium perpetuum, cilicium non manet reservatum, nec in odiosis tenet Regula, quòd surrogatum sapiat naturam illius, cui surrogatur, *Suar. c. 20. n. 15.* ne tamen temerè in voto surrogato dispensetur, vel nimiùm remittatur, interrogandum erit, quale fuerit primum votum. 10. Etsi vota reservata non possint commutari vel dispensari nisi à Papa, possunt tamen irritari ab habente potestatem dominativam, quia includunt conditionem, si ille, cui dominativè subjectus sum, consentiat, *Sanch. Diana p. 1. t. 11. R. 84.* 11. Generalis facultas dispensandi omnia vota non comprehendit reservata, quia quæ specialiter reservantur, debent in concessione privilegii specialiter exprimi: si concedatur facultas ad omnia vota, excepto castitatis & Religionis, possunt dispensari vota trium peregrinationum, quia exceptio firmat regulam in non exceptis, *Suar. c. 40. n. 19. Belleg. sup.* Facultas concessa extendit se ad omnia vota ante & post concessionem emissa, quia favores latam patiuntur interpretationem, *Suar. c. 13. Castropalao p. 14. n. 6.* 12. Reservatio etiam extenditur ad juramenta in eadem materia, 11. 12. 13.

ria, intellige, si fiant Deo & non homini, tunc enim includunt votum seu promissionem Deo factam, *Illsf. n. 7. Belleg. s. 12. q. 1.*

14. R. III. In votis reservatis per se solus Papa dispensare potest: si tamen non dispenset simpliciter, sed tantùm ad certum finem, v. g. in castitate, in ordine ad matrimonium, soluto matrimonio reviviscit votum, nisi aliud in dispensatione expressum fuerit. Dixi, *per se*, nam per accidens, quando urget gravis necessitas, & Papa adiri non potest per epekeiam, seu ex præsumpta Papæ licentia, in reservatis dispensat Episcopus etiam præsente Nuntio Apostolico, nisi hic specialem habeat facultatem circa reservata, tunc enim non esset necessitas, & Pontifex in suo legato adiri posset, *Sanch. Rodriq. Sylvest. Nav. c. 26. n. 9. Castropalao p. 12. n. 4. Sporer n. 71.* Ratio est, quia præsumi non potest, quòd Papa cum periculo animarum sibi dispensationem in casu necessitatis reservare velit, ut si sit periculum incontinentiæ, scandali, aut matrimonium sine gravi sponsæ vel sponsi eorúmve familiæ dedecore differri non possit, si deflorata sit diffamanda, & proles habenda illegitima, nisi pater moriturus matrem mediante dispensatione ducat, &c. Duo tamen hic veniunt notanda: 1. Quòd Episcopus in reservata non plus possit, quàm præcisè exigat necessitas; hinc si dispenset ad matrimonium, dispensatus adhuc vi voti obligatur, se non polluere, non fornicari, abstinere à secundo matrimonio, *Suar. c. 26. n. 13. Barb. sup. n. 13.* 2. In tali necessitate 15. dispensare non possunt Mendicantes, ut dixi *n. 5.* quia vota verè manent reservata, & præsumi non potest, quòd Papa quoad Regulares consentiat; nam ad succurrendum periculo animarum, sufficit, quòd Episcopi tunc dispensare valeant DD. c. c. & communissima apud *La Croix n. 563.* Nihilominùs *Reiffenst. n. 40.* citans *Bassæum, Crusers*, quos sequitur *Leur. q. 905.* non improbabiliter hanc facultatem extendit ad Regulares. Rationem dat, quia ex privilegiis certum est, Regulares posse dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario dispensat Episcopus, sed in casu necessitatis dispensat Episcopus jure ordinario. Prob. min. quia Episcopus tunc vel dispensat vi officii, vel quia vota tunc non sunt reservata, aut vi universalis consuetudinis, sed quocunque modo dispenset, dispensat jure ordinario. De primo & secundo modo patet, de consuetudine etiam docet communis, quòd det jurisdictionem ordinariam. Conf. illa potestas, quâ Episcopi urgente necessitate dispensant, non est delegata: ergo ordinaria. Prob. ant. potestas delegata est, quæ non ex lege, officio aut consuetudine, sed ex speciali commissione alterius

competit, atque in toto jure ostendi non potest, quòd talis commissio Episcopis facta sit: ergo.

QUÆR. V. Quid circa commutationem votorum?

16. R. Tenenda esse seqq. 1. Commutatio voti est translatio obligationis ab una materia in aliam: in opus manifestè melius, hoc est Deo gratius, ab ipso vovente fieri potest, in æquale vel minus bonum solus Superior vel habens privilegium ex causa commutare potest, minor tamen causa requiritur ad commutationem, quàm ad dispensationem, *Pyrrh. l. 3. t. 34. Barb. in c. 4. de vot. n. 3.* Ratio est, quòd in voto præcipuè attendatur ad id, quod est Deo gratum, si ergo materia, in quam fit commutatio, sit evidenter melior seu Deo gratior, Deus prudenter præsumitur consentire in commutationem, *quia promissum non infringit, qui illud in melius commutat, c. 2. de jurej.* Econtrà non satis constat, DEUM consentire, ut propriâ authoritate materia voti commutetur in æqualem vel minùs bonam, imò hoc ipso quòd materia subsitet voto, est alterâ aliàs æquali melior & Deo gratior; in commutatione autem non est spectanda præcisè excellentior virtus, in quam commutetur, sed quod hîc & nunc est utilius ad finem voventis; sic qui vovit flagellationem in remedium castitatis, meliùs erit eam commutare in jejunium quàm orationem, *Tamb. La Croix n. 521.* 2. Ut vota commutentur in evidenter melius, nulla requiritur causa, ut mutentur in æquale, sufficit sola major devotio voventis, vel aliqualis difficultas in exequendo, etsi non sufficiat ad dispensandum; commutatio in æquale vel minùs bonum si fiat absque omni causa, etiam à Superiore, est invalida, *Castropalao p. 17. n. 4.* quia Deus nemini dedit potestatem voti obligationem remittendi sine causa & irrationabiliter. 3. Qui potestatem habent commutandi & non dispensandi, non possunt votum commutare nisi in æquale; nam si in minus mutetur, hoc ipso quoad partem dispensatur. 4. Omnes 17. qui possunt dispensare, etiam possunt vota commutare, non econtrà; nam in novissimis Jubilæis datur omnibus Confessariis approbatis potestas quælibet vota & juramenta, præter castitatis & Religionis, commutandi, non verò dispensandi. 5. Quicunque habent potestatem dispensandi vel commutandi, eandem etiam habent ad juramenta & vota jurata. 6. Juramenta & vota in favorem tertii facta ante acceptationem dispensati & commutari possunt, secùs si jam fuerint acceptata, quia tunc alter jus acquisivit, quo invitus privari non debet, nisi bonum commune aliud exigat, aut promissio injusto metu vel dolo sit extorta; addunt *Rodriq. Fagundez. Burghab. cent. 2. Cas. 25.* juramenta & vota etiam ab homine acceptata dispensari posse, si prin-

si principaliter facta sint DEO, ut si quis amore DEI promittat alere hunc pauperem, ornare hanc Ecclesiam, vel fratri suo promittat intrare Religionem, quia tunc principalis creditor est Deus; sed à communi sententia non recedo, quia Deus non vult remittere promissionem sibi factam cum injuria tertii. 7. Vota reservata sicut dispensari non possunt, ita nec commutari, nisi quoad circumstantias, ut dixi
18. n. 9. 8. Sicut dispensatio, ita & votorum commutatio probabiliter fieri potest extra confessionem; nec obstat, quòd in Bulla Jubilæi addi soleat: *Confessionibus auditis valeat absolvere à peccatis & commutare vota*; nam tò auditis confessionibus refertur ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè sequitur, non verò ad commutationem votorum, *Viva,*
19. *La Croix n. 507.* 9. Qui ab habente potestatem impetravit commutationem voti, si malit, potest redire ad prius votum, quia commutatio in ejus favorem facta est, non tamen tenetur redire, etiamsi materia nova facta esset inutilis vel impossibilis etiam ex culpa voventis, v. g. loco disciplinæ impositum est jejunium, si non potes jejunare, non teneris ad disciplinam, quia jam prior obligatio sublata est, *Laym.*
20. *Sporer n. 135.* 10. Omnia vota personalia propriâ authoritate mutari possunt in votum Religionis tanquam evidenter melius & DEO gratius; si tamen ex pòst Religionem ingredi non possis, reviviscunt priora vota, quia hæc commutatio propriâ authoritate facta non tollit omninò obligationem prioris vinculi, *Tamb. hìc §. 7. n. 6.* 11. Per professionem Religiosam ipso jure 21.
commutantur & extinguuntur omnia juramenta & vota non solemnia, tam realia quàm personalia, etiam reservata, etsi vovens de hac commutatione nihil cogitaverit, *Barb. in c. 4. de vot. n. 2. Pyrrhing. n. 28.* Item per Professionem in Religionem laxiorem extinguitur votum ingrediendi strictiorem, quia est votum simplex, *Sanch. l. 5. mor. c. 5. n. 16.* peccat tamen, qui contra votum Religionis strictioris ingreditur laxiorem, nisi strictior ipsi sit inconveniens; Excipe sola vota homini vel Ecclesiæ facta & acceptata, quæ per Professionem non extinguuntur, quia Deus non acceptat Professionem cum injuria seu derogatione juris tertio quæsiti, *Sanch. n. 40. Pyrrh. loco citato.*
12. Vota pœnalia dispensari & 22.
commutari possunt, non tantùm quoad se, sed etiam quoad pœnam jam debitam, v. g. vovisti dare eleemosynam, quoties te inebriaveris, & votum ipsum & eleemosynæ jam debitæ ex causa dispensari & commutari possunt: idem est, si quis indies vovit orare Rosarium, quod à longo tempore intermisit; Regularis privilegiatus impositâ salutari pœnitentiâ pro transgressione in ipso voto orandi

&

& in Rosariis neglectis dispensare poterit, *Nav. Sanch. Laym. n. 26.*

23. 13. Qui vovit non petere dispensationem vel irritationem voti, adhuc potest facere commutationem; item qui vovit non petere irritationem, potest adhuc petere dispensationem, vel contrà, quia hæc sunt valde distincta; attendenda tamen est intentio voventis, qui fortè non distinxit inter dispensationem, irritationem & commutationem, sed simpliciter vovit, manere in suo voto; si absolutè vovit, non petere relaxationem pro quocunque casu etiam necessitatis, votum est nullum, quia tunc melius est petere, quàm non petere; secùs si voverit, non facilè petere, aut non petere nisi cum consilio Confessarii; tunc si petat absque gravi causa vel consilio Confessarii, relaxatio & commutatio valebit quidem, sed peccabit contra votum.

# CASUS LXXII.

## De Horis Canonicis.

AMadæus *Subdiaconus quærit* 1. *Quid sint Horæ Canonicæ? & quas Horas teneatur recitare die Ordinationis; quid si ordinatus sit ex metu aut impubes, vel dubitet de valore Ordinationis.* 2. *An professi obligentur extra Chorum.* 3. *Quot personæ requirantur ad Chorum.* 4. *Qualiter obligentur Beneficiati.* 5. *An habentes Capellaniam Laicam, Coadjutores, Vicarii, Pensionarii, Canonessæ Sæculares.* 6. *Non habentes Beneficii possessionem.* 7. *Non percipientes fructus uno vel altero anno.* 8. *Habentes Beneficium tenue.* 9. *Aut ex culpâ fructus non percipientes.* 10. *An propter omissionem fructus restituendi.* 11. *Quid si omissio sit inculpabilis, vel secuta ex morbo per intemperantiam causato.* 12. *Quid si quis per primos sex menses omittat horas vel per plures annos.* 13. *Quid si omittat unum Psalmum.* 14. *Quid si Canonicus oret Horas non choraliter, sed privatim, vel in Choro dormiat.* 15. *Cui restitutio fieri debeat, & an satisfiat per Eleëmosynas, quas dedit immemor omissionis.* 16. *An excusetur, qui ignorat linguam Latinam vel Rubricas.* 17. *An excuset metus, subita turbatio, tristitia.* 18. *An morbus, febris tertiana: & quid in dubio: an morbus sit gravis.* 19. *An excuset actus charitatis, vel officii.* 20. *An impeditus teneatur prævenire.* 21. *An qui non potest totum, teneatur ad partem.* 22. *An carens Breviario proprio teneatur orare ex Romano vel alterius Ordinis, & qui non potest solus, an teneatur conducere socium.* 23. *An excusentur censurati, degradati, captivi, ad triremes damnati, &c.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid sint Horæ Canonicæ? I.

℟. Sunt publicæ ac statæ preces ex Sacrorum Canonum Decretis ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ ad Deum persolvendæ: Est autem usus Horarum antiquissimus à temporibus Apostolorum ad nos derivatus, dividiturque in septem partes seu Horas: Matutinum, Primam, Tertiam &c. juxta illud *Ps.* 118. *v.* 146. *septies in die laudem dixi tibi.*

QUÆR. II. Quinam ad Horas obligentur?

℟. I. Per se nemo obligatur nisi ratione Ordinis sacri, Professionis Religiosæ aut Beneficii Ecclesiastici; igitur obligantur omnes in Majoribus Ordinibus, hoc est, saltem in Subdiaconatu constituti, & quidem ab eâ Horâ quâ Subdiaconi ordinantur orare Horas correspondentes, non quidem accipiendo illud

tempus Mathematicè seu physicè, sed moraliter juxtà cujuslibet Diœcesis consuetudinem, ideoque si in Diœcesi Colon. ordineris Horâ 9nâ, ad summum obligaberis ad Sextam, & Nonam, si circà 11mam, vel meridiem, non nisi ad Vesperas & Completorium istius diei. *Dian. March. Suar. l. 4. de orat. c. 27. nu. 8. Gob. tr. 5. Cas. 23. n. 561.* idem cum proportione dicendum de inceptione obligationis Horarum ratione Beneficii vel Professionis Religiosæ. Qui antecedenter orat, non satisfacit, quia non potest extingui obligatio, quæ nondum est. *Baldell. l. 3. d. 21. nu. 7.* Ordinatus per gravem, & iniquum metum sicut non tenetur ad castitatem, sic nec ad Horas Canonicas, nisi ex post Ordinem susceptum liberè ratificet. *Sot. Sanch. Baldel. nu. 18.* Idem est de Ordinato ante usum rationis; sed quid de impubere? ℟. Si sciens, & volens Ordines suscipiat benè intelligens onus Castitatis & Horarum S. Ordin. annexum obligatur, quia non est, undè excusetur. *Cajet. Sot.* & plures apud *Sanch. de Matr. d. 30. n. 6.* In dubio, an quis sit validè ordinatus, putat *Tamb.* eum non esse obligandum ad Horas, quia libertas videtur esse in possessione, quæ per dubiam Ordinationem non tollitur; sed attendendum est, an in reliquis se gerat pro ordinato; si sic, etiam hîc se talem gerere debet, & in dubio standum est pro valore actûs.

℟. II. Ratione Profes. Religiosæ obligantur tantùm ii, in quorum Religione est speciale præceptum vel consuetudo obligans omnes Professos etiam in Majoribus non constitutos tam in - quàm extrà Chorum ad Horas Canonicas, quale præceptum habent Fratres Minores, & Moniales Annuntiatæ; ubi tale præceptum vel consuetudo non est, etiam non est obligatio ad Horas. *Medin. Palud. Caram. Theol. reg. d. 100. Suar. March. Tribun. p. 2. tr. 6. tit. 3. q. 2. Dub. 1.* imò *Less. consil. mor. cas. 14.* multis probat rationibus Choristas, aut Moniales nullâ consuetudine obligari ad Breviarium, idque de Clarissis testatur *Alphons. à Castro l. 1. de Lege Pœn. c. 8.* de Professis Augustinianis *Arragon. 2. 2. q. 83. a. 12.* de suis Dominicanis *Sotus l. 10. de jus. q. 5. a. 3. Ratio* est, quòd ejusmodi obligatio non oriatur ex ipsâ Professione, seu perpetuâ suî in Religionem incorporatione; aliàs enim obligarentur etiam Fratres Laici, quod nemo dicit; ergo talis obligatio aliundè astrui non potest, quàm ex speciali Ordinis Statuto, vel consuetudine sub mortali receptâ, quæ non præsumi, sed probari debet. Undè Infero, Fratres Professos in Majoribus Ordinibus non constitutos, uti & Moniales in S. Ord. nostro Præmonstratensi saltem quoad hanc Provinciam Rhenanam extrà Chorum non obligari ad recitandas Horas, idque mihi certum videtur, non enim

enim datur in Ordine noſtro quoad hoc ſpeciale Statutum, ùt clarum eſt, neque in hac Provinciâ eſt conſuetudo ſub mortali recepta, ſed quoad pleraque Monaſteria conſuetudo omnino contraria, ut experientiâ didici, & qui contrarium dicunt, fundant ſe in conſuetudine generali omnium Ordinum, quam nunquam ſufficienter probare poterunt exiſtere, vel ſub mortali eſſe receptam, & ejuſmodi conſuetudinem negant AA. ſuprà cit. Deindè non debet adſtrui mortale, niſi præceptum, vel conſuetudo obligans ſufficienter probetur, in dubio enim eſt poſſeſſio pro libertate; ſed ejuſmodi præceptum, aut conſuetudo obligans in Ordine Præmonſtr. ſufficienter non probatur, ergo. Dato etiam, quòd probari poſſet, conſuetudo generalis tamen non obligat in locis, in quibus non eſt recepta, ùt habet comm. & certa omnium Theolog. paterque in Abſtinentia feſto S. Marci, & mille aliis exemplis, quia non obligat niſi in locis, in quibus animo ſe obligandi eſt recepta; atqui experientia docet hanc conſuetudinem in multis locis, & Provinciis taliter non eſſe receptam, ergo. *Nec obſtat*, quòd Monia-
2. les & Clerici ſint profeſſi, ſeu deputati ùt dicunt ad Chorum, nam tantùm ſunt profeſſi Chorum in communi, ideóque peccant mortaliter, ſi ſuâ culpâ vel negligentiâ impediant, quominus Chorus in communi ſervetur, ſecus ſi pro ſuâ tantùm parte Horas omittant; patet à pari: In Ordine noſtro Præmonſtr. non tantùm eſt conſuetudo, ſed & ſpeciale præceptum in Quadrages. choraliter orandi ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, Litanias, & ſuo tempore anniverſaria pro Benefactoribus, Parentibus, & Fratribus Ordinis &c. & tamen nemo dicet, aut probare poterit hos Pſalmos, & Anniverſaria ſub mortali obligare quemlibet in particulari, & extra Chorum &c. Dubitari hîc poteſt, quot perſonæ requirantur ad ſervandum Chorum in communi? R. Ad minus requiri 4. 3.
vel 5. ità ut ubi quatuor haberi non poſſunt, Communitas non obligetur ad Chorum, ità comm. cum *Gob.* & *Tamb. in Decal. l. 2. c. 5. §. 1. n. 22.* *Ratio* eſt, quòd Chorus conſiſtat in decenti alternatione cantantium, vel orantium, ſed non poteſt eſſe decens alternatio, ubi ſunt pauciores quàm 4. ergo. At quid ſi ſervetur tantùm à duobus vel tribus? R. Superiorem in hoc facilè poſſe peccare mortaliter tum ratione ſcandali, tùm ratione negligentiæ, ſi id ſinè urgente causâ permittat; poſſet tamen, ut verbis *Tamb. l. c. n. 11.* utar, ex natura ſua alicui videri probabile ſatisfieri, quia in rigore ſervatur eſſentia Chori, ſcilicet cantus alternus, & in hac ſententia eſt obligatio ſervandi Chorum, ubi tantùm ſunt duo vel tres, idque de Canonicis Sæcularibus docet comunis Sententia, quia arctiùs obligantur ad Chorum, quàm

Religiosi, scilicet ex justitia, & implicito saltem pacto cum Fundatoribus.

4. ℟. III. Omnes qui habent Beneficium sivè curatum ùt Episcopi, Abbates, Decani, Parochi &c. sivè non curatum, ùt Canonici, Vicarii, Capellani, Personatistæ &c. ad Horas obligantur. Est communis & certa ex Concil. Basileensi *Sess. 21. §. quoscunque*, & Lateran. *Sess. 9.* ità quidem, ut omittentes Horas teneantur restituere fructus omissioni correspondentes, ùt dicetur q. seq.

QUÆR. III. Qualiter Beneficiati ab Horis excusentur titulo incompetentiæ, vel ob non perceptos fructus?

5. ℟. I. Ab Horis excusantur qui habent tantùm Capellaniam Laicam, hoc est, à Laicis conferri solitam, & authoritate Episcopi non erectam, talis enim non est verum beneficium; Idem est de præstimoniis, quæ Clericis solent dari in ordine ad studia absque hoc, quòd in verum titulum ab Episcopis evecta sint. *Azor. Wiestner. l. 3. t. 41. num. 52. Bald. d. 27. 2.* Coadjutoria etiam cum jure succedendi per se non obligat ad Horas. *Mald. Suar. c. 22. n. 19.* Ratio est, quia Coadjutor non habet ipsum Beneficium, sed tantùm jus ad illud; neque duo propter unum Beneficium obligandi sunt, sed solus proprietarius beneficii: Coadjutor tamen Episcopi habens administrationem obligatur. *Leuren. for. Benef. p. 1. q. 137. 3.* Vicarii temporales, qui tantùm aliorum vices supplent, quia non sunt beneficiati, sed tantùm gerunt vices beneficium habentis. *Nav. Suar. l. 4. c. 22. n. 19. Garc. p. 3. de benef. c. 1. n. 109.* Qualiter ad Horas teneantur Canonessæ Regulares tradit *Leur. fori benef. p. 2. q. 922.* & dicam *Cas. 76. n. 15.* 4. Meri Pensionarii, seu ii, qui ex beneficio resignato, vel aliter habent pensionem Clericalem; hi ex constitut. Pii V. tenentur tantùm ad recitandum quotidie officium B. M. V. nisi aliundè titulo v. g. Profess. vel Majorum Ordinum ad officium Canonicum obligentur; tunc enim non est mens Pontificis eos simul ad officium B. M. V. obligare, ne alioquin sint magis obligati quàm alii Clerici. *Tamb. sup. c. 5. §. 1. n. 22.* & generaliter excipiuntur omnes, qui non habent beneficium propriè dictum, nisi alio titulo ad Horas obligentur. 5. Excipitur, qui 6.
nondùm habet quietam beneficii possessionem, ita ut nullos fructus percipiat, & dubitetur, an unquam sit obtenturus causam, econtra si aliquibus fructibus vel præsentiis fruatur, sitque probabilis spes evincendi causam, & fructus interim sequestratos, aut ipsi lis moveatur, post adeptam pacificè possessionem sequestratis ad interim fructibus ad Horas tenebitur; *Cajet. Baldell. d. 23. à n. 5. Garc. nu. 86. & 104. Wiestner n. 61.* Quod si neuter litigantium sit in possessione, & neuter fructus percipiat, neu-

neuter orare tenebitur, quia unus non magis obligatur quàm alter, neque obligantur ambo simul, aliàs enim pro uno beneficio esset obligatio ad duplex officium; ergo neuter obligabitur, & qui ex post litem cum fructibus sequestratis evincit, non tenetur eos pro rata omissionis dare pauperibus, quia hæc pœna tantùm debetur pro Horis culpabiliter omissis, hic autem omisit eas inculpabiliter. *Cajet. Suar. c. 19. n. 7. Garc. n. 86. & 104. Wiesner n. 61.*

7. 6. Non obligatur novus Canonicus, qui ex consuetudine sui Capituli primo vel secundo anno nullos percipit fructus, neque distributiones quotidianas, eò quòd hæ impendantur ad fabricam Ecclesiæ. *Laym. Garc. n. 70. Bonart. l. 2. c. 7.* contrà *Less.* & alios. *Ratio est*, quia isto tempore quoad fructus sunt, quasi non haberent beneficium, idque sine suâ culpâ. Ubi tamen consuetudo habet, ut hæredibus defuncti aut senioribus Canonicis vel etiam ad defuncti sepulturam, vel solvenda ejus debita reserventur fructus unius, vel alterius anni, his annis tenebitur ad horas novus Canonicus saltem ex recepta praxi. *Castrop. Azor, Less. Garc. n. 66. Schmalzg. n. 66.* quamvis de hac praxi dubitet *Gob. tr. 2. Cas. 23. n. 576. Ratio est*, quòd si fructus impendantur in ejus utilitatem, ideóque ab ipso censentur percepti, & fructus, quos ipse primo anno non percipit, post mortem ejus percipient ejus hæredes vel creditores, manetque ei libertas de his in vita disponendi. Similiter ad Horas obligabitur qui uno anno ob sterilitatem, grandinem, hostium incursum, vel inundationem fructus non percipit; unius enim anni sterilitas censetur per aliorum annorum fertilitatem compensari; hos tamen non improbabiliter excusat *Castrop. Laym. hic c. 5. n. 4. Gob. sup. n. 577.* 7. Ab horis probabilissimè eximuntur, qui habent beneficium adeò tenue, ut nequidem indè percipiant tertiam vel quartam partem honestæ, & decentis sustentationis. *Sotus l. c. Arrag. n. 13.* atque id in praxi valde esse securum docent *Vasq. Suar. c. 21. n. 9.* putat autem *Gob. n. 578.* viginti ducatos in Germania præstare bonam quartam partem honestæ sustentationis; si tamen scienter adeò tenue beneficium susceperit, hoc ipso censetur liberè onus orandi horas accepisse, per consequens illo obligabitur; & si ipse non accepisset, forsan sub tali onere acceptasset alius. *Nav. Suar. Laym. Barb. Covar. l. 3. var. c. 13. n. 8. Bald. n. 4. Schmalzg. num. 58.* contra *Sotum, Less. Vega, Diana, Tamb. n. 30.* qui valdè probabiliter præsumunt benignam matrem Ecclesiam pro tam exiguo proventu non velle imponere adeò grave; si tamen plura habeat beneficia tenuia, quæ simul sumpta præstent notabilem partem sustentationis, ex

8.

communissima obligabitur; econtrà si plura etiam pinguia habeat beneficia propterea non constringitur ad plura officia, sicut festo in Dominicam incidente ex benigna matris Ecclesiæ intentione non obligamur ad plures Missas. In dubio, an tenuitas beneficii sit tanta, ut excuset à restitut. horarum, standum est pro obligatione, quæ possidet; certum enim est, quòd habeatur beneficium, tenuitas autem, seu ratio excusans est incerta. 8. Qui suâ culpâ nullos,
9. aut exiguos fructus percipit ex beneficio, eò quòd v. g. sit excommunicatus, suspensus, non residens, vel non habeat ætatem requisitam, utique obligabitur ad horas; non enim decet, ut ipsius culpâ fundatores vel Ecclesia careat officio divino. *Nav. Garc. n. 45. Wiest. n. 61.* idem dicendum de beneficiato, cujus fructus mandato Superioris per aliquot annos impenduntur ad solvenda debita propria, vel antecessoris, ùt dixi sup.

QUÆR. IV. Quid circà restitutionem fructuum propter omissionem horarum?

R. Seqq. 1. Quamvis sit probabile,
10. beneficiatos non obligari ad Horas ex justitia, tamen certum est, recitationem Horarum esse conditionem sine quâ fructus non faciunt suos, ideóque non recitantes ante omnem sententiam obligari fructus perceptos restituere, ità enim in terminis habet Concil. Lateran. & Pius V. paterque ex propos. 20. damnatâ ab Alex. VII. quæ sic habet: *restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna* Debet autem restitutio fructuum correspondere Horis omissis, ità ut si quis annuo ex beneficio habeat 365. aureos & uno die totum officium omittat obligetur ex constitut. Pii V. in eleëmosynam vel fabricam Ecclesiæ impendere unum aureum, si omisit solum matut. dimidium aureum, si cæteras Horas alterum dimidium, qui harum singulas sextam partem fructuum istius diei amittit. 2. Hæc obligatio
11. non extenditur ad eos, qui inculpabiliter Horas omittunt, v. g. ex naturali oblivione, impotentiâ aut infirmitate etiam per intemperantiam causatâ, ùt vult *Gob.* nisi quis studiosè illum in finem fuisset intemperans, tunc enim dolus ei patrocinari non deberet. Neque tenentur ad restitutionem fructuum, qui intuitu aliorum onerum beneficiato obveniunt v. g. ratione curæ animarum, vel Missarum, ideóque *Laym. c. 5. n. 2.* dicit Pastores, & similes, qui exiguam habent competentiam ob omissas horas ad nullam, vel modicam restitutionem esse condemnandos, eò quòd ratione aliorum onerum ipsis debeatur sustentatio; si tamen pingues habeant reditus, tenebuntur ob neglectas Horas restituere tantùm fructus officio Horarum,

tum correspondentes, deductis iis, quæ pro aliis oneribus debentur; idque in praxi omnino tutum esse
82. dicit *March. Spor. n. 38.* 3. Qui post acceptam beneficii possessionem per sex menses omittunt Horas, peccant quidem mortaliter, non tamen obligantur quidquam restituere, quia Pius V. hos disertè eximit. Item multi apud *Laym. l. 6.* eximunt à restitutione eos, qui tantùm semel, vel bis in anno horas culpabiliter omittunt; imò ex Medina & Sanch. putat *Gob. tr. 5. n. 588.* Canonicum, qui per duos, vel plures annos Horas omisit, tantùm obligandum esse ad restitutionem quartæ partis fructuum, ità ut si annuò habeat mille, restituere sufficiat pro duobus annis 500. *Spor. n. 37.* dicit; utinam tantùm quandoque à pœnitentibus extorquere potuissem, & assentitur quoad tertiam partem ab iis restituendam, sed cum id clarè repugnet Bullæ Pii V. videtur tantùm admittendum in casu, quo sine gravi incommodo plus restitui non potest, tunc enim, & non aliàs præsumi poterit de benigno Ecclesiæ consensu.
83. 4. Qui ex una Hora v. g. matutinis non omisit notabilem partem correspondentem uni parvæ horæ integræ, aut qui in singulis horis omisit aliquid leve, v. g. unum Psalmum, probabiliter nihil tenetur restituere; quia lex restitutionis est pænalis, & odiosa, adeoque restringenda ad omissionem notabilem, quæ inter græ Horæ parvæ correspondeat. *Gob. n. 589.* 5. Quæstio est inter Theologos: an Canonicus longo tempore v. g. per tres menses non 14.
frequentans chorum, sed orans privatim Horas peccet mortaliter; item an frequentans, sed non cantans præsentias faciat suas; ad 1. videtur verius, quòd peccet mortaliter, tum quia *Trid. Sess. 22. c. 4. & Sess. 24. c. 12. de reform.* præcipit, ut Beneficiati officia hebdomadaria, aliasque functiones suo beneficio annexas per se ipsos præstent, tum quia Ecclesia per textus expressos apud *Castrop. hic d. 3. p. 2. n. 3.* id jubet sub pœnis ferendæ excommunicationis, & depositionis, & pro hac sententia quinque declarationes Cardin. affert *Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 323.* accedit quòd sub mortali teneantur residere; sed ad quid residentia, si in persona non teneantur frequentare chorum? opppositum tamen non videtur omnino improbabile, quia illa Ecclesiæ præcepta non videntur in tanto rigore recepta, & de declarationibus Cardin. non constat authenticè. *Tamb. l. 2. c. 5. §. 4. n. 7. Gob. tr. 5. n. 700. ad 2.* Canonicus non cantans in choro præsentias percipere non potest, & perceptas tenetur restituere, quia hæ debentur tantùm iis qui chorum adjuvant, quod non fit tacendo, & merè attendendo; econtrà qui suum versum cantat, sed non attendit ad versum alterius chori, eò quòd fabuletur, aut

aut legat historias &c. facit quidem præsentias suas, quia quantum est de se chorum adjuvat, sed tenetur Horas repetere. *Barb. Suar. c. 12. n. 10.* ubi tamen consuetudo viget, ut Canonici substitutos Cantores habeant, uti in multis Ecclesiis Germaniæ, maximè Cathedralibus, sufficit eorum præsentia ad lucrandas distributiones quotidianas, quamvis non cantent, modò Horas privatim orent. *Laym. c. 7. n. 6. Leur. p. 1. q. 418. Schmalzg. l. 3. t. 4. n. 81.* de dormitante contrà suam voluntatem in choro, pariter affirmat *Tamb. sup.* eum lucrari præsentias, quia videtur legitimè impeditus sicut infirmus.

15. 6. Restitutio fieri debet Ecclesiæ, in qua quis habet beneficium, vel Ecclesiæ pauperi, aut aliis quibuscunque pauperibus, sive cognatis, sive extraneis; si ipse omittens sit verè pauper, sibi ipsi applicare potest: imò *Gobat n. 591. Spor. n. 401.* dicunt satisfieri, si fructus restituendi applicentur ad legendas Missas pro defunctis: denique communis sententia apud *Croix n. 1215.* docet, in partem satisfactionis computari posse eleëmosynas, quas dedit post neglectum Breviar. esto non cogitet, neque intendat per eas satisfacere. *Ratio est*, quia per ejusmodi eleëmos. saltem virtualiter aut interpretativè vult extinguere suam obligationem, & reverà ponit opus, quod in pœnam omissionis est impositum; *dixi*: satisfieri per eleëmosynam datam post omissionem, nam per eleëmosynas antecedenter datas non satisfieri certum est ex propos. 33. ab Alex. VII. damnatâ: *Restitutio fructuum propter omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleëmosynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerat.* Neque in praxi tutæ sunt sententiæ quæ docent, pro ejusmodi restitutione satisfieri per geminatam lectionem Horarum ex post factam, aut alia pia opera fundatoribus applicata v. g. auditionem Missæ, jejunia, applicationem indulgentiarum & similia, sunt enim hæc à textu Bullæ nimis exorbitantia.

QUÆR. V. Quid circà alias causas ab Horis excusantes.

R. Sola impotentia physica, aut moralis vel dispensatio excusat ab Horis juxtà explic. sequentes. 1. Ob impotentiam physicam excusantur cæci, aut non habentes Breviarium, tales enim non tenentur ad Horas nisi quas sciunt memoriter vel cum socio facilè recitare possunt, ad has enim non sunt impotentes; non tamen tenetur cæcus adhibere socium qui Horas verbatim suggerat, quia hæc diligentia est nimis extraordinaria. *Bonac. Suar. c. 27. n. 16.* qui assumpsit beneficium ignorans linguam latinam, aut Rubricas, non tenetur quidem ad Horas, quamdiu est in illa impotentia, peccavit tamen graviter cum tali impotentia suscipiendo S. Ordines, vel beneficium, 16.

cium, teneturque se intrà breve tempus qualificare, vel beneficium dimittere, si verò sine sua culpa sit ordinatus titulo talis beneficii, nec aliundè habeat undè vivat, non teneri ad dimittendum beneficium docet *Tamb. n. 18.* imò ex rationabili causa v. g. nè cogatur carere beneficio oblato, illud licitè acceptare poterit, etsi pro nunc sit inhabilis ad Horas, modò intrà breve tempus sit paratus se habilitare. 2. Ob impotentiam moralem excusat metus gravis mali sibi
17. vel alteri ob recitationem inferendi, ùt contingere potest versantibus inter hæreticos. *Sanch. l. 7. de matr. d. 29. n. 7.* cum *communi* excusat eum, qui ex metu gravi factus est Religiosus, vel Subdiaconus; nam sicut talis non obligatur servare votum castitatis, sic nec legere Horas, intellige nisi votum suum, vel statum ex post ratificaverit. 3. Excusat subita turbatio, gravissima afflictio, vel tristitia, quæ reddat hominem moraliter impotentem ad orandum, ut si reus post unum alterumvè diem ob enorme crimen sit morte plectendus, vel aliquis repentinum nuntium accipiat de maxima jactura bonorum &c. quod si non obstante turbatione vel mœstitiâ quis alia negotia magni momenti tractare queat, etiam orare po-
18. terit. 4. Excusat infirmitas gravis, neque requiritur gravissima, nec sufficit levis, qualis juxtà *Bonart l. 2. c. 38. n. 5.* & plerosque est febris tertiana, vel quartana, quæ non solùm diebus intercalaribus, seu liberis, sed etiam diebus paroxismi plerumque satis temporis relinquunt recitandis Horis; bene docet *Sanch. hîc* mediam viam tenendam esse maximè scrupulosis, ita ut, qui æger est, si ex recitatione Horarum verosimiliter credat, vel timeat aliquam stomachi cruditatem, capitis gravedinem, virium lassitudinem, febris incrementum, excusetur ab Horis; *Ratio est*, quia ejusmodi incommoda, quæ in corpore sano sunt levia, in infirmo sunt gravia; *nec obstat*, quòd ægroti vel febri laborantes bonam diei partem fortè insumant confabulationibus, vel lectioni historiarum; nam hæc ægrotum oblectant, & alleviant; at lectio Horarum est res seria, & ex natura sua caput gravat, & molestiam infert; hoc certum est, ægrotum tutò stare posse judicio Medici, Superioris, vel alterius prudentis, & experti viri, & tunc Superior hoc ipso, quòd dicat ægrum excusari, cum ipso dispensat, si ratio excusans fortè non sit sufficiens. Si Medici, vel Superioris judicium haberi non possit, & sit dubium, an morbus sit gravis, tuque verè malè habeas, & pejora formides, potes judicare morbum esse gravem; item pensatis omnibus dubitas, an recitatio Horarum [idem est de auditione Missæ] tibi sit allatura grave damnum; probabiliùs non obligaris. *Bonac. Castrop. Tamb. Spor. n. 159.* contra *Suar.* qui necessariò putat petendam esse dispensationem, eò quòd lex videatur esse certa, & ratio

excusans tantùm dubia. *Sed cont. est*, quòd ratio excusans non sit incommodum, ùt malè supponit *Suar.* sed periculum incommodi, quod hîc non est dubium, sed certò existens: adeoque est possessio juris naturalis ad se non exponendum periculo gravis mali, quæ prior, & potior est, quàm obligatio recitandi Horas orta ex jure Ecclesiastico. 5. Excusat
19. charitas vel occupatio tanta, quæ, ùt habet *Sanch. l. 7. moral. c. 2. dub.* 52. non potuit præveniri neque prætermitti sine scandalo, gravi pœnâ aut damno, neque compatitur Horas recitare, ut si subitò compescenda esset seditio, aut quis totâ die occupatus esset audiendis Confessionibus extremè periclitantium, vel hominum ultimo die Paschatis vel Jubilæi ad se in tanta copia venientium, ut omnes alioquin audiri non possent, sed cogerentur aliqui à Jubilæo vel Paschali communione abstinere; putarem tamen hoc ultimo casu Confessarium debere pœnitentibus suis tempus prorogare, ut ex post & Jubilæum lucrari, & Communionem Paschalem servare possent; undè patet officium charitatis rarissimè excusare à recitatione Horarum. Quod si quis Horas remisisset ad finem diei, & subito unâ alterâve Horâ ante mediũ noctis evocaretur ad moribundũ absolvendũ, communicandũ, vel ungendum &c. relictis Horis oporteret juvare infirmum, quia præceptum naturale charitatis vel etiam justitiæ in Parocho præponderat præcepto positivo Horarum, si scilicet utrumq; servari non possit, est *comm.* cum *Tamb.* §. 8. *n.* 17. sed quid si Parochus v. g. in die Sabbathi ab infirmo incænatus redeat medio duodecimæ, & non habeat nisi mediam Horam, quâ cænare, vel Horas orare possit? R. Si sinè notabili commodo neque à cæna abstinere, neque eam post 12. differre possit, eò quòd altero die obligetur ad sacrum ob diem dominicum, festum, vel præsentiam funeris, poterit omissis Horis cænare, quia præponderat obligatio dicendæ Missæ, nec tenetur cum gravi incommodo à cæna abstinere. 6. Qui est impe- 20.
ditus febri, vel alio negotio, quominus statis Horis officium persolvere possit, tenetur illud intra eundem diem vel prævenire, vel ex post supplere, quando cessat impedimentum. *Ratio est*, quia præceptum urget totâ die, & certæ Horæ per diem præfixæ non sunt ad finiendam, sed urgendam obligationem; hinc si non potes mane persolvere matut. teneris post meridiem, vel vespere, quemadmodum si die Solis non possis audire Missam Horâ nonâ, teneris audire maturiùs, vel seriùs. Valdè tamen est probabile, quòd hodie non tenearis orare matut. pro crastino, etiamsi prævideas te pro tunc fore impeditum; quia hodie nullo modo urget præceptum de crastino officio, & est merum privilegium, quòd liceat hodie satisfacere pro crastino, nemo
autem tenetur uti privilegio. *Gob. n.* 21.
711. 7. Plures antehac docuerunt non esse

esse obligationem, recitandi reliquum, id est minores Horas, si quis non possit majores scilicet Matutinum cum Laudibus recitare, sed oppositum nunc est certum ex propos. 54. damnatâ ab Innoc. XI. quæ sic habet: *qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* nihilominus *Filliut. Castrop. Garc. Sanch. Tamb. n. 10.* docent, non esse obligationem recitandi illam Horam, cujus partem notabilem necesse habes omittere v. g. cæcus, aut carens Breviario, potest memoriter dicere Psalmos, non tamen Lectiones, Capitula, orationes &c. vel econtrà talis ex eorum mente nec ad Psalmos tenebitur, quia Psalmi sinè lectionibus, & orationibus non sunt substantialiter Matutinum à Pio V. præceptum; hanc sententiam *Spor. n.* 177. dicit esse probabilem & tutam, sed probabilius est, quòd potens orare Psalmos, vel notabilem Horæ majoris partem, ad hoc teneatur, quamvis non possit orare reliqua: *Ratio est,* quòd recitans ejusmodi notabilem partem satisfaciat præcepto quoad substantiam, prout dicetur casu sequenti: ergo ad hoc tenetur. Deindè qui non potest solvere totum debitum, tenetur solvere partem quam potest, saltem notabilem; ergo à pari: excipe tamen ægrotum, qui rationabiliter dubitat, an possit dicere partem aliquam notabilem, hic enim ex benignâ Ecclesiæ interpretatione potest præsumere se excusatum, cùm enim talis vix unquam sciat, quid, & quantùm orare possit, innumeris exponeretur scrupulis & anxietatibus, esset que periculum nocendi valetudini, ità cum communi *Suar. Tann. Laym. c. 6.* 8. Qui caret Breviario proprio v. g. Ordinis, nõ tenetur orare ex alieno, nisi fortè Romano, aut Breviaria non multùm discrepent; quia ex aliis probabiliùs non satisfacit, ut dicetur Cas. seq. econtrà qui non potest orare solus v. g. tenetur adhibere socium, si commodè habere possit, imò Beneficiatus habens bonos reditus tenetur sociũ prætio conducere, si gratis habere nequeat, qui enim tenetur ad finẽ, tenetur ad media non nimis difficilia, si autẽ adeò tenue esset beneficiũ, ut sine gravi incomodo sociũ conducere non posset, aut quia surdaster est, & sociũ intelligere nõ possit nisi valdè vociferantẽ, rectè censet *Tamb. Nav. Bonac. Baldel. d. 38. n. 9.* eum fore excusatum. 9. Ab Horis non excusantur excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares, nè comodum reportent ex delicto, *Wiestner n.* 39. econtrà pleriq; excusant ad triremes damnatos, infidelibus servientes, & eos, qui ex dispensatione Papæ duxerunt uxores, his *Spor. n.* 10. annumerat degradatũ; *Ratio est,* quòd hi vel sint in statu ab hac obligatione valdè alieno, vel in statu adeò misero, ut meritò Ecclesia præsumatur hanc afflictionem afflictis addere non velle; sed quia hæc præsumptio, & excusatio est incerta, standum est pro lege certâ. 22. 23.

# CASUS LXXIII.

## Quomodo Horæ sint recitandæ.

BBenedictus *Horas legit 1. Vel sine vel cum intentione tantùm virtuali, aut habituali. 2. 3. Cum attentione superficiali vel solùm externâ. 4. Totus distractus, & tamen nihil repetit. 5. Recitat cum socio, & adeum non attendit. 6. Petit remedia contra distractiones. 7. & 8. In hora parva omittere duos Psalmos vel in sabbatho S. Vesperas, vel in festo S: Marci & Rogationibus Litanias reputat veniale. 9. In dubio an Horas recitaverit, se liberum judicat. 10. Quæ omittit thurificando, organum pulsando, officium quærendo, Confessiones audiendo, non repetit. 11. Syllabas mutilat, præcipitat. 12. Vel ita legit ut se ipsum audire non possit. 13. Recitat ex Breviario alieno, vel alterius Ordinis, etsi juret, se ad hoc non teneri. 14. Officium pro libitu mutat. 15. Prætextu itineris, studii, aut quia tale festum in loco, vel Diœcesi ubi nunc existit celebratur, vel socius de eo recitat. 16. Horas invertit. 17. Interrumpit. 18. Vel non legit tempore debito.* Pro resolut.

QUÆR. Quomodo Horæ recitari debeant?

R. 1. Recitari debent devotè, integrè, ordinatè; ità quoad rem omnes. Quæ spectant ad primam conditionem, dabunt numeri sequentes. 1. Per devotionem intelligitur at- & intentio debita; intentio in genere est voluntas efficax agendi, vel omittendi; dividitur in formalem, virtualem, habitualem; item in ex- & implicitam: formalis est voluntas actu existens, & perceptibiliter tendens in objectum, ùt cum dicis: volo orare Horas: Virtualis est voluntas præterita in aliquo suo effectu, vel in actu tenui & imperceptibili perseverans, v. g. volans orare Horas attripis Breviarium, quæris officium &c. quamvis primæ intentionis non ampliùs recorderis, tamen illa existit adhuc in aliquo effectu, scilicet arreptione Breviarii, lectione &c. habitualis intentio est voluntas præterita non revocata, quæ nec in se, nec in aliquo suo effectu perseverat, ideóque potest esse in dormiente, ebrio &c. Intentio explicita est, quâ volo aliquid clarè cognitum, ùt cum dico: volo orare Horas; implicita est, quâ volo aliquid confusè cognitum, & contentum in alio; ùt volo satisfacere meæ obligationi, volo facere, quod soleo, quod video ab aliis fieri &c. Ad recitationem Horarum sufficit intentio formalis, virtualis aut etiam implicita, non verò merè habi-

habitualis aut purè interpretativa, quæ non est, sed esset; *Ratio* est, quia recitatio horarum est actus humanus & voluntarius capax meriti &c. ergo adesse debet voluntas in se, vel aliquo effectu existens, sed intentio merè habitualis, & interpretativa nec in se, nec aliquo suo effectu existunt, ùt patet ex earum definitione, ergo. *Dico*, merè habitualis, aut interpretativa; nam aliqui Authores confundunt has intentiones cum virtuali, quæ juxtà omnes Theologos sufficit; nec opus est ad quamlibet horam renovare intentionem, etsi id valdè sit meritorium; nam quòd pergam ad horas reliquas, hoc fit in virtute prioris intentionis: & quamvis requiratur intentio orandi, vel laudandi Deum, nec sufficiat, quòd legatur Breviarium per modum historiæ aut animo discendi vel se oblectandi, non tamen requiritur intentio orandi devotè, integrè, ordinatè &c. quia hæc implicitè includitur in intentione orandi, aut satisfaciendi suo officio &c.

2. *2dò.* Attentio in genere est advertentia ad aliquid; dividitur in ex- & internam; externa est, quâ tempore recitationis quis abstinet ab omni opere externo cum attentione internâ incompossibili; interna est advertentia, & major quædam animi applicatio ad hoc quod recitat; Dicitur *major applicatio*, quia semper adest aliqua advertentia, & animi applicatio hoc ipso, quòd actus sit voluntarius; hæc attentio interna vel est ad sola verba, ut hæc distinctè & reverenter exprimantur, & vocatur superficialis, vel est ad sensum verborum, & vocatur litteralis, vel denique est ad Deum, vel sacrum aliquod mysterium v. g. Passionem Dominicam, & dicitur spiritualis; certum est satisfacere eum, qui habet unam attentionem ex his tribus internis sivè superficialem, verbalem, aut spiritualem &c. sicut econtrà certum est non satisfacere qui nequidem habet externam, hoc est, qui sub officio se occupat opere externo cum attentione internâ incompossibili, qualis censetur esse scriptio, pictio, & omnis actio animum valdè occupans & distrahens; Econtrà tardè se vestire, exuere, lavare, modestè ambulare &c. cum attentione internâ sunt compatibilia, adeoque sicut licitè exercentur dum recito alias preces, sic easdem licitè exerceo, dum horas, vel alias preces obligantes persolvo. *Sotus Vasq. Sanch. l. 9. de matr. d. 3. n. 6. Baldel. d. 27. n. 21.*

3. *3tiò.* Magna est inter Theologos disputatio, an sufficiat ad lectionem Horarum [ idem est de auditione Missæ ] sola attentio externa, quâ quis evitat omne opus cum attentione internâ incompossibile: seu an voluntariè distractus per notabilem partem officii peccet mortaliter. Communior & verior sententia negat sufficere solam attentionem externam, dicitque peccari mortaliter per

notabilem distractionem voluntariam, non quidem ex eo, quasi essentia veræ orationis non possit subsistere sinè attentione internâ: nam ad hanc sufficit sola intentio orandi vel laudandi Deum virtualiter perseverans, ut ex professo probat *Lug. de Euch. d. 22. sect. 2. nu. 25. Gob. t. 5. d. 2. num. 821.* & ex ipso *Croix l. 4. à n. 1342. Ratio* igitur præcipua est, quòd attentionem internam videatur præcipere Ecclesia *cap. dolentes de celebr. Miss.* ubi sic habet: *districtè præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum officium, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent, & devotè*; Sed non celebratur officium studiosè, & devotè, si nulla adsit attentio interna, & recitans mente voluntariè evagetur, ergo: *Nec obstat*, quòd hæc attentio sit actus internus, nam ex communi Theolog. potest Ecclesia indirectè præcipere actus internos facientes ad honestatem actûs externi directè præcepti, atqui attentio interna multum facit ad honestatem orationis, ùt clarum est; nam sine hac verum est illud Matt. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*? hanc sententiam *Suar.* dicit esse certam, *Spor. sup. n. 79.* dicit oppositam non esse practicè probabilem, sed rationes ita non convincunt, quin verè sit probabile eum non peccare mortaliter, qui divinum officium recitat cum perpetuis distractionibus, nam cit. *c. dolentes* uti & *Trid.* in quo hæc sententia præcipuè fundatur, tantùm præcipiunt actum externum religionis, ùt fatetur *Suar.* & demonstrat *Lug. n. 37.* Et si cit. cap. per rò devotè intelligeret & præciperet attentionem internam, præciperet omnem possibilem devotionem, dicit enim: *quantùm eis Deus dederit*, quod sanè nemo dicet: Deindè ex communi TT. non est astruenda obligatio mortalis, nisi adsit authoritas vel ratio convincens; atqui neutrum est, ergo: Item lex non sufficienter promulgata non obligat, sed hæc lex non est sufficienter promulgata, cùm ex fundatis rationibus eam negent AA. graviſſimi, ergo.

*Dices* cum *Suar.* Attentio interna est de essentiâ orationis 1. Quia oratio est mentis in Deum elevatio. 2. Oratio sine attentione internâ non est verus actus seu cultus Religionis, sed simulacrum cultûs; quis enim dicet Deum verè coli ab eo, qui voluntariè distrahitur & nequidem vult de Deo cogitare. 3. Est hypocrisis. 4. Est actus Deo displicens seu peccatum. 5. Nihil impetrat. 6. Si voluntariè distractus ponat substantiam orationis, ergo satisfacit quoad substantiam, ergo non peccat mortaliter. R. *Ad 1. & 2.* ad substantiam orationis, & actum Religionis sufficit sola intentio orandi perseverans in vocali oratione, etsi mens ad alia evagetur, sicut verè dicitur colere & invocare diabolum, qui ex intentione invocandi pronuntiat verba exter-

terna, quamvis dum ea profert totus sit distractus; Item forma extremæ Unctionis essentialiter est deprecatoria, & tamen valet Sacramentum etiamsi distractè pronuntietur. Denique involuntariè distractus non satisfaceret, & teneretur horas repetere, quia non posuisset substantiam præcepti, quæ est oratio, hoc autem nemo admittit, ergo. *Ad 3. N. Aß.* hypocrisis est quando quis intendit per orationem vocalem significare se habere attentionem internam, quam tamen non habet, hoc autem voluntariè distractus non intendit necessariò, ergo. *Ad 4. & 5.* talis actio est peccatum & nihil impetrat quatenùs fit cum voluntaria distractione *C.* quatenus fit ex intentione saltem virtuali laudandi Deum *N.* Idem debent omnes dicere de oratione factâ ex vana gloria, & tamen nec *Suar.* dicet hanc non subsistere cum substantia orationis. *Ad 6. N. ult. C.* peccat mortaliter, quia transgreditur grave præceptum Ecclesiæ. Ex dictis pro præxi resol-
4. vuntur sequentia: *1.* Voluntariè sive involuntariè distractus nihil tenetur repetere, etiam in illa sententia, quæ ex præcepto Ecclesiæ sub mortali requirit attentionem internam; nam quamvis illam negligendo peccârit mortaliter, quia tamen illa probabiliùs non est de substantia orationis, sed tantùm circumstantia ab Ecclesia graviter præcepta, satisfacit quoad substantiam, ideoque nihil tenetur repetere, quod *Gobat hic numer. 843.* extendit etiam ad eum, qui perpensâ suâ culpabili evagatione dicit: *Nolo ut valeat hæc persolutio Horarum, volo eas de novo auspicari meque obligo sub mortali citrà votum ad repetitionem*, &c. *Ratio* est, quia jam substantia præcepti est posita, & per voluntatem repetendi impedire non potest, quominus præcepto sit satisfactum quoad substantiam; à potiori ob voluntarias distractiones nihil erit à beneficiato restituendum de fructibus, quia hæc pœna tantùm statuitur iis qui Officium omittunt; qui autem distractè orat, propriè non omittit, præsertim in materia pœnali, quæ tantùm ad claram verborum significationem restringenda est. ità *comm.* contra *Suar. Baldel. num. 16. 2.* Ad hoc, ut coram Deo sis excusatus, sufficit, quòd mediocrem diligentiam adhibueris, pro pellendis distractionibus, imò absque omni culpâ admitti potest brevis evagatio mentis ad refocillandum cerebrum vel cor præsertim ab iis, qui infirmioris sunt capitis, stomachi, vel cordis. *3.* 5.
*Spor. numer. 106.* dicit, certum videri, eum, qui cum socio vel choraliter horas recitat, si non attendat ad alterius recitationem non satisfacere, ideoque peccare

care mortaliter cum obligatione repetendi; Rationem dat, quia partem à socio prolatam nullatenus facit suam, cùm nullo modo ad eam concurrat, neque proferendo, ùt suppono, neque attendendo; sed non video hîc certam obligationem repetendi, cur enim alterius orationem non faciet suam, per hoc, quòd eam audiat cum intentione per eam, & suam Deum laudandi, quamvis fortè non attendat, & sit distractus; deindè pejoris conditionis erit recitans cum socio, & in Choro, quàm extra, cùm tamen hic mos in Ecclesia sit usitatissimus, & laudatissimus.

6. 4. Tria sunt quæ ad evitandas distractiones maximè conducunt, 1. Præparatio animi, quæ utilissimè fieri potest per matutina proposita, per pias ad Deum preces, meditationem, & seriam aliarum cogitationum excussionem, 2. Continua divinæ præsentiæ memoria, & jaculatorii affectus ad Deum & Sanctos. 3. Post horas breve examen, & si opus est, dolor & propositum eas attentiùs deinceps legendi.

QUÆR. II. Quid circà alteram conditionem, ut scilicet Horæ legantur integrè?

7. R. Servanda sunt sequentia: 1. Qui omittit totum officium, vel notabilem ejus partem, peccat mortaliter, sive præcipiatur ab Ecclesia unico præcepto per modum unius pensi diurni, quod probabilius est, sive præcipiantur singulæ horæ præcepto distincto; notabilis autem pars & sufficiens ad mortale est integra hora parva, ideoque qui talem v. g. Tertiam integrè omittit, aut qui in majoribus horis v. g. Matutino tantùm omittit, quantùm continet hora minor, peccat mortaliter; qui verò minus omittit, quàm ferè integram horam parvam, utpotè duos tantùm Psalmos ex Tertia, non est condemnandus peccati mortalis, *Bonac. Leß. March. Gobat Croix num. n. 1202.* Si tamen parvum quid v. g. solus versus: Deus in adjutorium recitaretur, peccaretur mortaliter, quia censetur moraliter totam omittere, est tamen valdè probabile, quod ex *Tamb.* & *Gob.* dicit *Spor. n. 93.* non esse mortale omittere Vesperas in Sabbatho Sancto, tùm quia illa materia est valde parva, tùm quia Ecclesiâ non videtur velle ad eas graviter obligare, cùm dies sit tam lætus, & præcesserit adeò longum officium. Insuper *Croix n. 1205.* dicit probabiliter non esse mortale omittere medias Laudes, eò quòd probabiliùs cum Matutino constituant unam Horam, cujus medietas Laudum est pars exigua. 2. Qui in singulis horis parvum quid v. g. Psalmum omittit, ita ut omnia simul sumpta adæquent, vel superent unam parvam horam, probabiliùs peccat mortaliter, quia omnes illæ exiguæ partes, cùm spectent ad unum unius diei officium, coalescunt in unam notabilem partem. 3. Omittens die S. Marci & diebus Ro- 8.

ga-

gationum Litanias, & in die Animarum Officium defunctorum, ex communi sententiâ peccat mortaliter, quia sunt pars officii pro istâ die. *Tamb.* tamen & *Gobat nu. 625.* non audent oppositum dicere improbabile, eò quòd non satìs constet Rubricas in hac parte esse præceptivas, & sine convincente ratione non sit asserendum mortale; an verò non utentes Breviario Romano etiam dictis diebus ad Litanias & Officium Defunct. non tantùm in Choro, ùt extra dubium est, sed etiam privatim obligentur, ex cujuslibet loci vel Ordinis consuetudine desumendum est. *Less. Laym. Bald. d. 33. num. 28.* Certè in hac Provincia Rhenana Ord. Præmonstr. vidi sæpius sine scrupulo Litanias, & Officium Defunct. dictis diebus privatim omitti. 4. Qui dubitat, vel non 9.
meminit se dixisse aliquam Horam, si habeat aliquam rationem vel conjecturam pro se v. g. quòd non soleat transilire, vel aliquid omittere, vel invenit se esse in fine horæ, nescíens, an præcedentia dixerit, potest pro se resolvere, nec tenetur aliquid repetere, imò malè facit repetendo juxtà *Sanch.* quia sine sufficiente causâ se exponit scrupulis, quod maximè tenet in homine scrupuloso, ùt habet *comm.* cum *Suar. Ratio* est, quòd ex communiter contingentibus sit prudens præsumptio, & possessio est pro ipso, certus enim est, quòd nihil soleat omittere, incertus autem, an hic & nunc aliquid omiserit. Si certus es te cepisse horam, quamvis habeas rationem probabilem te aliquid omisisse juxtà *Tamb.* & *Gobat*, adhuc nihil teneris repetere, nisi tibi certò moraliter constaret partem aliquam fuisse omissam, quia ratio illa, quòd in horis semel cæptis nihil soleas omittere, prævalet omni rationi probabili in contrarium. 5. Qui thurificando, luminaria 10.
portando, prunas, thus parando, folles tollendo, campanas pulsando, lectiones quærendo, vel revidendo, aut aliter ministerio ad Chorum pertinente occupatus aliqua omittit vel non percipit, non tenetur repetere, quia Chorus pro eo supplet, *Dian. Escob. Tolet. Laym. c. 5. num. 7.* Idem est de eo, qui excreat, tussit, aut aliquid necessarium alteri dicit, quamvis interim integer Psalmus recitetur, quia etiam pro tali ex necessitate occupato Chorus supplet, & ipse est pars Chori. Econtrà, qui Confessiones audit tenetur omissa repetere, quia non est pars Chori, nec occupatur Chori ministerio. Item ea, quæ solo organo vel alio instrumento Musico sive voce humanâ persolvuntur supplenda sunt vel à Cantore cæteris attendentibus, vel à singulis. *Ratio* est, quòd pulsus organi non sit oratio, quamvis *Sanch.* non improbabiliter dicat, pulsum organi ab

Ecclesiâ in vicem orationis acceptari, ideoque nec organædum obligari ad repetendum, quæ pulsavit.

11. 6. Ad integritatem divini officii etiam spectat, ut distinctè & intelligibiliter verba exprimantur, seu ùt habet *Coneil. Basil.* §. *qualiter horæ, non in gutture, vel inter dentes seu deglutiendo aut syncopando verba*, hoc est aliquas syllabas mutilando, truncando, præcipitando, aut socio nondùm finiente incipiendo, tunc enim orationem socii sicut non percipit, sic non facit suam; & si hæc omnia fiant cum notabili diminutione officii peccatur mortaliter; & est obligatio repetendi; quia tamen hæc diminutio rarò est notabilis, saltem in una eâdemque horâ, quod ad culpam lethalem ex *Dian.* requirit *Spor. num. 102.* rarò erit mortale, imò nec veniale, si fiat ex balbutie vel alio defectu naturali, & incorrigibili; nam si defectus naturalis sit corrigibilis per lentam pronuntiationem v. g. in eo, qui ex celerrima deblaterationc devenit in consuetudinem syllabas, & verba per notabilem partem officii deglutiendi, truncandi, &c. indubiè tenetur hanc desuetudinem per lentam recitationem corrigere, &c. qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media saltem ordinaria,

12. & necessaria. 7. *Valent. Sanch. Croix num. 1294.* dicunt non satisfieri nisi verba ita exprimantur ut legens secluso impedimento se ipsum audire possit; quia oratio vocalis debet exprimi vocibus quæ sunt objectum auditûs ideoque debent posse audiri ad minus ab ipso orante; sed probabiliùs contradicunt *Navar. Azor. Suar. c. 7. num. 5. Baldel. d. 24. nu. 15* quia oratio vocalis satis distinguitur à mentali, si verba formentur per motum oris & linguæ; & oratio fit Deo non homini, ideoque non opus est verba audiri. *V. Cas. 94. nu. 38.*

QUÆR. III. Quid requiritur, ut horæ recitentur ordinatè?

℟. seqq. 1. Breviarium proprium, 13.
hoc est, ut Religiosus utatur Breviario sui Ordinis, beneficiatus Breviario in loco sui beneficii recepto sive Diœcesano sive Romano ab Urbano VIII. recognito, utens etiam unicâ vice alieno v.g. Religiosus Romano, aut alterius Ordinis, peccat mortaliter. *S. Anton. Nav. Angel. Sot. l. 10. qu. 5. a. 4. Suar de hor. Canon. c. 23. num. 3. Spor. num. 113. Sanch. l. 7. moral. c. 3. d. 24.* quia Pius V. dicit, eum non satisfacere, *qui suæ Ecclesiæ orandi formam non custodit*, idque declarasse S. Congreg. refert *Garc. de benef. p. 3. c. 1. num. 156.* ex quo *Gob. num. 603. & 624.* cum aliis meritò infert, eum, qui non habet Breviarium proprium, non obligari orare ex alieno, ad quid enim oraret, si per orationem non satisfacit præcepto? sed quid si Breviaria non multùm discrepent? ℟. Tunc non tantùm potest, sed & tenetur orare ex alieno, qui non habet proprium.

*Ratio*

*Ratio* est 1. Quia non mutat notabiliter formam proprii Breviarii, ergo quoad substantiam satisfecit, ergo sic orare obligatur. 2. Qui legit Psalmos feriales in charta descriptos ex Bibliis, aut etiam memoriter absque omni Breviario satisfacit, ergo etiam si eosdem legat ex alieno Breviario v. g. Benedictinus ex Præmonstratensi vel econtrà; & quamvis fortè in hymnis vel versiculis discrepent, erit tantùm mutatio levis: imò valdè probabile est, non peccare, qui relicto Breviario proprio utitur Romano, quia accommodat se communi omnium matri. *Cajet. Rodriq. Dian. Nav. Sanch. c. 2. dub. 23. Laym. c. 5. nu. 2.* quod tamen *Croix* dicit pleroſque negare de Religioso, eò quòd vi suæ professionis teneatur ad ritum sui Ordinis; sed non video obligationem saltem gravem, præsertim si Breviaria non multùm discrepent; tunc enim non erit notabilis mutatio ritûs; deindè quòd Religiosi habeant speciale Breviarium est ex privilegio, sed nemo tenetur uti privilegio &c. ideoque *Sà. Less. Bonac. Portel. v. horæ. Dian. p. 2. t. 12. R. 10. Sanch. l. 7. cons. c. 2. dub. 33.* dicunt Religiosos privatim sine omni noxâ uti posse Romano. Declaratio Cardinal. quam in contrarium affert *Garc. num. 155.* loquitur de omnibus Clericis vel maximè sæcularibus, nec de eâ authenticè constat, vel saltem non videtur in tanto rigore recepta: *Suar. num. 5. Spor. l. c.* dicunt, quòd Religiosus vel Clericus extra Monasterium vel Diæcesin in studiis v. g. existens se securè accommodet loco, præsertim si ibi sit cum animo per majorem anni partem subsistendi; tunc enim contrahit quasi domicilium, & gaudet privilegiis loci, sed meliùs contradicit *Cajet. V. horæ c. 2. Angel. Laym. num. 3.* Colligitur ex *Clement. 2. de celeb.* & ibid. *Gloss.* ubi id tanquam speciale privilegium conceditur commensalibus Cardinal. & Episcop. ut se Episcopis accommodare possint, ergo id non permittitur aliis.

14. 2. Mutare unum officium in aliud v. g. loco feriæ orare de Sancto sine justâ causâ etiam semel à *Castrop. March.* & aliis reputatur mortale, eò quòd Pius V. dicat, neminem satisfacere, si non servet formulam à Breviario præscriptam, sed quia non constat hanc formulam quoad mutationem officii esse de substantia, hinc alii cum *Cajet. Bonac. Tamb. Sanch. dub. 25. Laym. num. 4. Gob. num. 864. Baldel. d. 30. num. 3.* communiùs & veriùs dicunt, tunc tantùm peccari mortaliter, quando quis passim ad libitum ex merâ desidiâ, adeoque ex implicito quasi contemptu unum officium mutat in aliud; imò probabile est, peccari tantùm venialiter, etiamsi ex merâ desidiâ mutetur unum officium in aliud v. g. majus in minus, quia non mutatur substantia, orantur enim septem horæ, & licèt hoc videatur

fieri in fraudem Legis, attamen illa fraus est secundùm accidens, nec tollit substantiam officii. *Maj. Sylv. S. Anton. Less. l. 2. c. 37. numer. 77.* Excipe nisi fiat mutatio in officium Paschale vel Pentecostale, illis enim diebus ex quasi dispensatione præscribitur officium minus solito; & die Palmarum non satisfieri per officium Paschale constat nunc ex prop. 34. ab Alexandro VII. damnatâ : *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.* Ex dictis sequitur, non esse obligationem quidquam repetendi, si inculpabiliter unum officium v. g. Dominicale vel feriale mutâsti in Festivale, imò valdè probabiliter, etiamsi id culpabiliter feceris, quia probabiliùs satisfactum
15. est quoad substantiam. *Dixi*, sine justâ causâ, nam qui mutat officium ex rationabili causâ, nequidem venialiter peccat, ejusmodi causa est *1.* Notabilis difficultas, ut si ob iter, Conciones, studia, aliaque negotia necessaria difficulter possis recitare majus, potes prævenire minus. *2.* Conformitas loci, ut si venias ad locum, ubi oratur de festo, quod tu servâsti, potes illud adhuc semel servare. Item omnes Religiosi etiam exempti possunt servare festa suæ Diœcesis, translatis interim festis Breviarii sui in eundem diem incidentibus, imò principaliora festa feriata totius Diœcæsis tenentur servare ex Bullâ Gregor. XIII. de 30. Novemb. 1573. Festa verò alia ad libitum servanda, si occurrant in Dominicis, Octavis, vel Natalitiis Sanctorum Kalendarii proprii, Religionis vel Diœcesis, non debent transferri, sed omitti isto anno, etiamsi sint duplicia; patet ex Decr. Congreg. S. Rit. de 24. Januarii 1682. Deindè Sacellani Monialium sive sæculares, sive Regulares possunt recitare de illarum festis, imò omnis Clericus existens etiam pluribus annis extra suam Diœcesin vel Monast. potest privatim dicere de Sanctis, de Dedicatione, Reliquiis, & de omnibus, de quibus diceret existens in sua Diœc. vel Monast. *Suar. l. c.* Si cras futurus sis in Diœc. Colon. ubi est festum v. g. S. Severini, juxta *Tamb.* potes hodie adhuc extra Diœc. existens recitare de eo Vesperas, & Matutinum pro crastino, quia sunt pars officii crastini. At quid si hodie recitasti Matut. de crastinâ feriâ, an cras in Diœces. Colon. positus poteris horas continuare de S. Severino ? &c. cum *Spor. numer. 129.* te probabiliter posse utrumque, nam prosequendo horas de festo, conformas te loco, in quo existis, orando de feriâ conformas te Breviario; demùm si per errorem hodie, quando erat dicendum v. g. de B. V. ad Nives, dixisti de Transfiguratione

tatione cras occurrente; nè bis erres, debes cras iterum dicere de transfiguratione, & alio die non impedito de B. V. ad Nives. *Lugo resp. mor. lib. 5. dub. 8. n. 13.*

3. Societas in orando; sic licitè te accommodas personæ gravi, Episcopo, Prælato, Superiori aliud officium recitanti; idem est, si ex charitate debeas juvare infirmum in recitando, est *comm.* cum *Nav. Diaz. Sanch. c. 2. dub. 25. n. 8.* Addunt alii specialem devotionem erga aliquem sanctum, v. g. Patronum nominis. Sed *Gav. in Rubr. Brev. sect. 1. c. 5. tit. 2.* adducit Declar. Cardin. in contrarium, & meritò; optima enim devotio est, se conformare Ecclesiæ.

16. 3. Horæ non debent inverti, ut minores Horæ non legantur ante Matutin. vel posterior ante priorem; ità invertere est tantùm veniale, & si fiat cum causa, nullum; ut si velis te accommodare choro, amico, infirmo aliud officium recitanti; item si lectiones, vel Breviarium non habeas ad manum, ideóque velis orare ex Diurnali Horas diurnas minores, quas aliàs ultrà tempus deberes differre, vel cum molestia dicere; idem est, si necdum dictis Vesperis & Completorio recites Matut. craftinum, eò quòd timeas tibi lucem diei defuturam pro Matut. Præmittere Missam Matutino per se loquendo nequidem veniale est, dummodò Matut. non differatur ultrà tempus à Lege permissum.

17. 4. Horæ semel cæptæ non debent interrumpi. Interruptio etiam diuturna sine causa rationabili facta probabiliùs est tantùm peccatum veniale, ità *comm.* cum *Nav. Medin. Vasq.* nam quamvis sit aliqua irreverentia inceptum cum Deo sermonem sine causa abrumpere, sicut est irreverentia ex levitate discursum abrumpere cum Principe terrestri cæptum; quia tamen quilibet Psalmus, imò quilibet ferè versus habet completam significationem, videtur quoad substantiam satisfieri, dummodò omnia absolvantur intrà unum diem naturalem; idque tenet, etiamsi unus Nocturnus recitetur hodie circà Vesperum, alter cras ante duodecimam vespertinam, quia materia præcepti impletur tota intrà tempus præscriptum. *Dixi*, sine causa rationabili, quia si hæc adsit, interruptio nullum erit peccatum, ut si Horâ inchoatâ debeas audire Confessionem, loqui cum amico, aut aliquid notare in charta, & licèt si sic interrumpens firmiter statuas resumere de novo, ad hoc non teneberis, quia nudi propositi mutatio non est peccatum, neque ipsa interruptio, quia ùt supponitur est facta ex causa justa; imò absque omni causa Laudes per integram

noctem licitè dividuntur à Matutinis ; item sine omni causa unus nocturnus saltem ad mediam Horam licitè dividitur ab alio , quia de obligatione contrariâ non constat , & ità habet consuetudo , & praxis timoratorum , nec est obligatio sub veniali semper de novo præmittere Pater & Ave , ùt aliqui volunt , quia de tali obligatione doceri non potest. 5. Horæ debent
18. recitari & absolvi tempore debito ; tempus hoc est ab una media nocte ad aliam ; ex privilegio tamen Matutinæ , & Laudes crastinæ possunt hodie recitari juxtà omnes toto anno horâ quartâ : in hyeme juxtà plerosque horâ tertiâ. *Croix n. 1314.* judicat tunc posse inchoari Matut. quando sol proximior est occasui quàm meridiei ; hinc in Januar. quando sol occidit horâ quartâ, poterunt incipi quadrante post secundam ; in Martio uno quadr. ante tertiam : ibidem exhibet tabulam Cameræ Apostolicæ impressam Romæ , quam vide & tutò sequere ; cæterùm Prima , & Tertia absolvenda est ante meridiem , Sexta & Nona differri possunt circiter ad primam promeridianam , Vesperæ & Completor. usque ad vesperum : in Quadrages. Vesperæ dicuntur ante prandium , non tamen est obligatio, nam Rubricæ , si hîc continent præceptum , id tangit chorum. Dicere Horas tempore indebito est solùm veniale , cum causa rationabili v. g. ob studium vel iter , nullum ; plura huc pertinentia , sed rariùs contingentia vid. apud *Gavant. Gob. Tamb. Croix, Baldel. locis cit.*

## CASUS LXXIV.

### De Jejunio Ecclesiastico.

CAndria *super jejunia scrupulosa quærit* 1. *An obliget sub mortali.* 2. *An abstinentia à carnibus admittat parvitatem materiæ , quæ animalia sint caro , quid de lardo , & pinguedine.* 3. *An post secundam refectionem sit peccatum se sæpiùs reficere , & quid de qualitate , aut quantitate collationis.* 4. *An liceat mutare tempus refectionis.* 5. *An sit abstinentia in festo S. Marci.* 6. *Quid de Vigilia S. Matthiæ incidente in Quinquag. aut Vigilia S. Joannis Bapt. incidente in Festum Corporis Christi.* 7. *Quid de lacticiniis.* 8. *Quid si per diem sæpius modicum sumatur , aut in prandio ità repleatur venter ut sufficiat , pro vespere.* 9. *An pueris ebriis , fatuis carnes dari possint.* 10. *An prandium interrumpi vel diu protrahi possit.* 11. *An existens in partibus hæreticis carnibus vesci possit.* 12. *Quid de peregrinis.* 13. *Quid sint tua*

pa-

*patria nondum explêsti Quadrageſimam, venias autem ad locum, ubi eſt jam completa.* 14. *An Religioſi teneantur ad jejunia, & feſta Diœceſana.* 15. *An potus frangat jejunium, & quid veniat nomine potûs.* 16. *An Herus, vel parentes teneantur ſuos cogere ad jejunium, & an caupo hoſpitibus diebus Veneris carnes apponere poſſit.* Pro reſolut.

QUÆR. I. Quid, & quotuplex ſit jejunium?

1. R. 1. Jejunium eſt voluntaria abſtinentia à cibo & potu juxtà præſcriptum Eccleſiæ: dicitur *voluntaria*, quia jejunium eſt actus virtutis temperantiæ, ideóque debet eſſe liberum, & voluntarium, qui invitus à cibo abſtinet potiùs eſurire, quàm jejunare cenſetur, attamen præcepto ſatisfit, quia ponit materiam præceptam, etſi id faciat dormiendo.

R. 2. Jejunium eſt duplex, aliud naturale, quo ſcilicet abſtinetur ab omni re ſumptâ per modum cibi, potûs vel Medicinæ; ejuſmodi jejunium requiritur ad ſacrificium Miſſæ, & commun. ùt dicam *Caſ.* 97. *n.* 7. aliud Eccleſiaſticum, de quo in præſenti, & eſt illud, quod ſervatur in Quadrageſ. quatuor temporibus, & quibuſdam Vigiliis per annum ab Eccleſia obſervari præcipitur *c. non liceat. c. non oportet diſt. 3. de jejunio. de conſecr.* & hoc præceptum ex ſe obligare graviter certum eſt ex propoſ. 23. ab Alex. VII. damn. *frangens jejunium Eccleſiæ ad quod tenetur non peccat mortaliter, niſi ex contemptu vel inobedientiâ hoc fiat, putà quia non vult ſe ſubjicere præcepto.*

QUÆR. II. Quid requiratur ad jejunium Eccleſiaſticum?

R. Requiri tria: 1. Abſtinentia à carnibus, ità ut toties peccetur mortaliter, quoties carnes comeduntur, quia præceptum quoad hanc partem eſt negativum, admittit tamen parvitatem materiæ, ut ſi parum carnis præguſtetur, vel ſi etiam comedatur una, vel altera uncia, ùt vult *Reiffenſt. Th. mor. t.* 10. *diſt. 2. n.* 19. aut ùt *Spor. hic n.* 11. media avicula ad modum nucis ordinariæ etiam comeſta ex guloſitate, quia talis materia non multùm allicit ad ſuî comeſtionem, & pia mater Eccleſia non cenſetur cum tanto rigore obligare; animal communiter cenſetur carneum, ſi diu vivere poſſit extrà aquam. Excipe teſtudines, & limaces, qui etſi diu vivere poſſint extrà aquam, non tamen cenſentur caro. In dubio, an ſit caro, vel piſcis, ſi dubium vinci non poſſit, erit poſſeſſio pro libertate comedendi. *Tamb. Gob. in quin. t. 5. c. 23. n.* 122. lardum, pinguedo animalium, quamvis à multis pro carne non reputentur, attamen in Germania non ſunt permiſſa ob contrariam conſuetudinem; pauperibus ex cauſa facilè permitti poſſent. *Laym. hic c. 1. n.* 5. 2. Præcipitur unica tantùm refectio, nam qui ſe ſecundâ vice plenè reficit, peccat mortaliter, ſi au-

2.

3.

autem ulteriùs se reficiat tertiò vel quartò, probabiliùs non peccat nisi venialiter contrà temperantiam, substantia enim jejunii, quæ consistit in negatione secundæ refectionis, jam ampliùs servari non potest. *Dian. Cajet. Laym. n. 13. Reiffenst. n. 20.* dixi, qui secundâ vice plenè se reficit, nam collatio vespertina in fructibus, & apud Germ. etiam ex butyro, & caseo ex recepta consuetudine permittitur; quantitas autem in collatione permissa probabiliùs statuitur quarta, vel quinta pars prandii, ab aliis probabiliter octo unciæ, seu media libra, *Regin. Laym. n. 9. Spor. n. 26.* pro qualitate attendenda est consuetudo, & praxis timoratorum, ex hac enim solâ collatio vespertina introducta est. *Schmalzgr. l. 3. decret. t. 46. n. 29.* ubi dicit in Germania permitti fructus arborum, electuaria, caseum, pisciculum, ovum, vel etiam
4. jusculum teste *Spor.* 3. Certum tempus refectionis, quod communiter est Hora 11. vel 12. pro more regionum; immutare tempus sine causâ justâ, v. g. prandere manè est tantùm veniale, cum causâ nullum, imò prandium differre in vesperum majoris mortificationis causâ laudabile est. DD. cit.

QUÆR. III. Quid circà varia dubia in hac materia?

5. R. Tenenda sunt sequentia: 1. Tribus diebus Rogationum uti & festo S. Marci saltem ex recepta consuetudine sub mortali abstinendum est à carnibus. *Steph. t. 1. d. 5. n. 99. c. rogationes de consec. dist. 3.* licita tamen est duplex refectio, estque observandum pro Diœcesi Coloniensi, si festum S. Marci in aliquem diem octavæ Paschatis, quo aliàs carnibus vescimur, aut in Dominicam incidat, abstinentiam non esse consuetam, ùt habet Agenda edita Anno 1720. pag. 301. festum verò unà cum Litaniis & Processione transfertur post octavam. De cætero servanda est cujuslibet Diæc. con-
6. suetudo, vel ordinatio. 2. Si festum S. Matthiæ incidat in feriam 3. vel 4tam Quinquages. jejunium, [non tamen Vigilia] quia non est ratio hanc transferendi, in Diæc. Colon. prævenitur in Sabb. Vigilia S. Joannis Bapt. si incidat in festum Corporis Christi non est jejunium, nec abstinentia à carnibus ex constitut. Urbani VIII. *de 13. Octob. 1638.* & Agenda Colon. *pag. 302.* 3. Jure
7. communi in Quadrages. etiam prohibentur lacticinia, id est, ova, lac, caseus, sed attendenda est consuetudo, quæ in German. ferè ubique ea permittit, ubi verò viget consuetudo abstinendi, ea sub peccato observanda est, ùt patet ex propos. 32. damn. ab Alex. VII. *non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesimâ obliget.*
8. 4. Qui mane, vel per diem præter refectionem tantùm sumpsit, quantùm pro collatione permittitur, debet

bet abstinere à collatione etiamsi fecerit inadvertenter vel ex justa causa v.g. ob studium vel aliquam debilitatem ; *Ratio est* , quia aliàs sumeret duplicem cænam, quæ permissa non est ; sumere per diem multa parva, quia novam refectionem constituunt, est mortale ; nam Alex. VII. damnavit hanc 29. propos. *in die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, & si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* nihilominus inter potum, nè noceat, Germanis ex consuetudine parum quid v.g. media uncia conceditur. Qui in prandio, vel etiam pridie ità replet ventrem, ut sine difficultate jejunare possit ; peccat quidem contra temperantiam, implet tamen substantiam jejunii. *Cajet. Medin.*
9. *Regin. l. 4. c. 14. n. 163.* 5. Qui nunquam habuerunt usum rationis velut parvuli & perpetuò amentes, his secluso scandalo licitè carnes præberi possunt, & quamvis oppositа consuetudo sit laudabilis, tamen hi nec lege, nec consuetudine obligari possunt ; aliud est de iis, qui ad tempus carent usu rationis, velut habentes lucida intervalla vel ebrii ; quia cùm sint simpliciter capaces rationis, manent subjecti Legi, & Legislatori, quamvis per accidens formaliter peccare non possint. *Steph. n. 98. Reiffenst. n. 43. v. Cas. 6. n. 5.*
10. 6. Dividere prandium ex justa causa non est peccatum, uti faciunt lectores mensæ apud religiosos, non enim intendunt nisi unum prandium. Si nondum plenè refectus ob incidens negotium è mensa surgas cum intentione complendi prandium peracto negotio, potes redire intrà unuam aut alteram Horam & prandium complere ; si plus non sumpsisti, quàm pro collatione permittitur, poteris te vespere plenè reficere, quia hoc est ex justa causa cænam permutare cum prandio, quod licet. *Sanch. Laym. Steph. n. 113.* si è mensa surrexisti cum proposito ampliùs non comedendi, probabile est, quòd intrà quadrantem, vel medium iterum assidere, & comedere possis, quia censetur unum moraliter prandium. *Nav. Tamb. 7.* Prandium protrahere ad duas Horas communiter non improbatur, protrahere usque ad vesperum per 4. vel 5. Horas, per se non videtur esse licitum, quia tanta protractio, vel continuatio reipsa & moraliter est secunda refectio. Ejusmodi tamen consuetudo tolerari posset, si post duas Horas sola bellaria, & leviores cibi apponerentur, & abstineretur à cæna, quæ sic videtur anticipari. *Croix lib. 3. p. 2. n. 1283.* 8. Existens in partibus hæ- 11.
reticis non excusatur à jejunio ; *nec obstat* , quòd ibidem lex à plerisque non observetur, ideóque videatur non recepta, vel per consuetudinem quæ intrà 10. aut 40. annos contra legem præscribere potest, abrogata ; nam lex justa recipi debet, & consuetudo non excusat, nisi sit rationabi-

nabilis, & accedat tacitus Superioris consensus, quia hic non est, eò quòd Ecclesia reclamet. *Croix n.* 1168. 9. Peregrini, & viatores regulariter non obligantur specialibus locorum præceptis, per quæ transeunt, quia non sunt subditi talis loci, possunt se tamen iis accommodare; ideóque non peccat Germanus, si transiens per Belgium diebus Sabbathinis inter Nativitatem Christi & Purificationem B. M. V. comedat carnes, sicut & transiens per Hispaniam diebus Sabbathinis comedat intestina. Econtrà si ibidem esset festum, vel jejunium locale quod communi lege Ecclesiæ præceptum non est, non tenetur Germanus ibi jejunare, aut audire Missam. 10. Si in tua patria secundùm veterem stylum Quadragesimæ decem diebus seriùs inchoetur, & venias ad alias partes ubi jam est finita, potes te accommodare loco ubi es, adeóque non jejunare; item si absolvisti in tua patria, & venias alibi ubi nondum est finita, non teneris jejunare, quia Ecclesia non præcipit nisi jejunium 40. dierum, quod jam in tua patrias absolveras; aliud est de communione Paschali, quam si non servasti in tua patria, debes servare alibi, quia est obligatio personalis afficiens personam. *Sanch. Delben. de immun. Eccles. c. 12. d. 2. s. 4.* 11. Quamvis Religiosi etiam exempti jure novo teneantur observare festa Diœcesis, & cessare à divinis tempore interdicti communis, tamen non tenentur ad jejunia ab Ordinario loci, aut etiam consuetudine, vel voto oppidanorum, apud quos habitant, introducta, quia non sunt pars communitatis profanæ, & ab Ordinario loci sunt exempti, nec jus Pontificium quoad jejunium aliter statuit, sicut statuit quoad festa in populo & interdicta &c. est *comm.* cum *Diana p. 1. t. 9. R. 36. & p. 10. t. 11. R. 36.* 12. Potus propriè talis non frangit jejunium, quia Ecclesia non prohibet potum *S. Th. 2. 2. q. 147. a. 6.* Ad verum autem potum non sufficit, quòd sit res liquida aut potabilis, sed requiritur, ut tantùm alteret, vel refrigeret sanguinem, aut solùm juvet ad meliorem digestionem, velut vinum, mustum, sicera, mulsum, Thè, Caffe, Chocolàte tenuis, in qua non miscentur ultrà, quàm duæ unciæ, limonia, & hypocras; quia communiter non miscetur multùm materiæ comestibilis; similiter ad sitim restinguendam licebit comedere uvam recentem, pomum limonium &c. quia vel non sumuntur ut cibus, vel saltem consuetudo id permittit; quæ verò ex natura sua nutriunt partes solidas, velut lac, jusculum, electuaria, conserva &c. propriè non censentur potus, quamvis bibantur, ideóque in quantitate notabili solvunt jejunium. 13. Heri, parentes, Superiores non tantùm tenentur suos ad jejunium hortari, sed etiam moderatè cogere subtrahendo

12. 13. 14. 15. 16.

hendo cænam &c. quia ex officio tenentur illos corrigere, & adigere ad obsevantiam præceptorum. *Sanch. sup.* 14. Qualiter caupo diebus vetitis suis hospitibus carnes apponere possit, dixi *Casu* 20. *n.* 14.

## CASUS LXXV.

### De Causis excusantibus à jejunio.

DAmon Theologus *interrogatur 1. An in jejunio dispensare possint Episcopus, Abbates, Pastores, Confessarii, Medici. 2. Ex quibus causis. 3. An ii, quibus esus carnium diebus Solis, Martis, vel Jovis permissus est, possint die Solis toties edere carnes, quoties volunt; aut ii, quibus licitum est istis diebus bis refici, an possint bis refici in carnibus. 4. An dispensatus ad secundam refectionem possit sumere tertiam, aut dispensatus ad carnes possit secundò refici. 5. An dispensatus ad carnes possit edere carnes noxias. 6. An cessante infirmitate cesset dispensatio, & quid in dubio. 7. An excuset difficultas jejunandi. 8. Debilitas stomachi, capitis; quid de prægnantibus, lactentibus, pauperibus. 9. Quid de iis, qui nondum compleverunt annum 21mum, quid in dubio. 10. Quid de sexagenariis, aut ex voto ad jejunium obligatis. 11. Qualis labor excuset 12. An excuset diebus festivis, vel eos, qui ex gravi labore non fatigantur. 13. Quid de scribis, sartoribus, barbitonsoribus, itinerantibus, venantibus, ludentibus &c. 14. Quid de fatigatis ex opere inutili, vel illicito. 15. Quid de studentibus, concionantibus. 16. Quid si quis dormire non possit nisi plene refectus, an expediat semel carnibus, vel bis piscibus refici. 17. An excuset præceptum Heri, aut mariti hæretici. 18. An sola urbanitas, si dispensatus invitet non dispensatum. 19. An possit absolvi pœnitens, qui ex insufficiente causâ se excusat à jejunio.* Pro resolut.

QUÆR. Quid circà causas à jejunio excusantes?

Rs. 1. Sola Superioris *dispensatio & impotentia* excusat, Circà dispensationem tenenda sunt sequent. 1. In jejunio dispensat Episcopus & Prælati regulares, Provinciales, Superiores locales respectu suorum religiosorum, quia in hos jurisdictionem quasi Episcopalem obtinent. *c. Abbates de privil. in 6.* item in plerisque Diæces. ex consuetudine cum privata persona dispensare possunt Parochi etiam præsente Episcopo, si ità habeat usus. *Sylv. Sanch. de matr. l. 8. d. 9. n. 27. Reiffens. n. 77.* Confessarii verò & Medici dispensare nequeunt, quia carent jurisdictione in foro externo; si tamen Confes- 1.

sarius, Medicus, vel alius prudens & gnarus dicat adesse causam excusantem, illis credi; vel in dubio dis-
2. pensatio peti potest. 2. Ut dispensetur, requiritur causa rationabilis, & quidem, ut dispensetur pro tota Diæc. requiritur causa publica v. g. communis piscium penuria, periculum ne homines ex pisculentis putidis, aut infectis morbum contrahant &c. causa sufficiens ad dispensandum in jejunio Ecclesiastico etiam est sufficiens ad dispensandum jejunium ex voto, nisi constet de alia voventis intentione, quia votum est lex privata, quam vovens sibi sponte imponit; ergo interpretanda est juxta alias Leges in eadem
3. materia. 3. Si Episcopus in Quadrages. permittat carnes pro die Solis, Martis, & Jovis, dubium manet an in die Solis liceat toties, quoties quis volet, edere carnes; item an illi, quibus ob laborem, vel ætatem licitum est plures refectiones sumere, etiam possint pluries istis diebus vesci carnibus, super quibus interrogandus dispensans, quia non est ubique eadem omnium voluntas. *Croix n. n. 1312.* 4. Cui permissa est secunda
4. refectio, per hoc non censetur permissa tertia, vel quarta; quia duplex ad finem dispensationis v. g. ad tollendam debilitatem sufficere potest. 5. Dispensatus ad esum carnium hoc ipso non est dispensatus ad duplicem refectionem, sicut dispensatus ad duplicem refectionem non censetur dispensatus ad esum carnium, nisi ex declaratione dispensantis aliud constet. *Nav. Less. Cajet.* cont. *Tamb. Reiffens. Spor. Schmalzgr.* ductos hac ratione, quòd abstinentia à carnibus sit de substantia jejunii, ergo sublatâ abstinentiâ à carnibus tota lex jejunii solvitur; sicut, si quis non possit dolere, non tenetur confiteri, quia dolor est de Confessionis substantiâ. *Sed contrà est*; nam quamvis Ecclesia abstinentiam à carnibus & secundâ refectione eodem præcepto præcipiat, sunt tamen materiæ divisibiles, & Ecclesia eas sæpe dividit; ergo sublatâ obligatione ad unum non tollitur ad alterum; sicut, qui eodem voto vovit dare pauperi duos aureos, si non possit dare duos, tenetur dare unum, quem potest. Aliud est de dolore à quo Sacramentum separari nequit. 6. Qui 5.
pro valetudine dispensatus est ad certum genus carnium v. g. ad vitulinam vel gallinas, non potest edere carnes noxias v. g. porcinam, quia expressio certarum carnium satis significat mentem dispensantis sic restrictam, neque est ratio dispensandi ad has: econtrà simpliciter ob invaletudinem dispensatus ad carnes potest etiam porcinam vel fortè non salubres edere, saltem si magnus ad eas sit appetitus & modicè sumantur, quia volun-

luntas dispensantis non est restricta, & est ratio etiam in his dispensandi ad tollendos scrupulos, cùm sit difficile carnes noxias à non noxiis discernere, & sic optimè conciliantur DD. pro, & contrà sentientes apud
6. *Joan. Sanch. d. 51. à num. 20. 7.* Cui in Quadrag. ob infirmitatem permissæ sunt carnes, cessante infirmitate cessat permissio, quia cessat causa permissionis. *Steph. num. 128.* in dubio, an infirmitas plenè cesserit, manet dispensatio in possessione, & præsumitur de benignâ voluntate dispensantis.

Nr. II. Impotentia à jejunio excu-
7. sat secundùm explicationes seqq. *1.* Impotentia alia est physica, quando quis simpliciter non potest jejunare; alia moralis, quando non potest sine magno incommodo v. g. sine periculo gravis infirmitatis, aut notabili diminutione virium; sola autem mortificatio, aut difficultas jejunandi non excusat à lege, imò à lege intenditur: si infirmitas vel debilitas sit certò gravis etiamsi ex culpâ contracta absque dispensatione excusat, quia lex humana tunc non obligat;
8. in dubio petenda est dispensatio. *2.* Inter impotentes numerantur, qui debili sunt stomacho, qui ob jejunium graves patiuntur dolores capitis, vertiginem &c. *Bonac. Laym. c. 3. nu. 3.* mulieres lactentes, & prægnantes, quia indigent majori nutrimento pro se, & fœtu, vel prole suâ; imò & carnes iis dari possent, si alioquin periculum proli immineret. *Filliut. Dian.* Pauperes ostiatim mendicantes & quicunque non habent, quo semel honestè reficiantur, quia bis malè comedisse, sufficienter est jejunasse, si tamen vel siccum panem ad saturitatem habent carnibus vesci non poterunt; aliud est de magnatibus aliisque hominibus delicatis, qui sicco pani non assueverunt. *Laym. l. c.* meritò dicit posse tolerari in Germania consuetudinem, quâ finitis Bacchanalibus reliquiæ carnium dantur pauperibus absumendæ. *3.* Excusantur adoles- 9.
centes antè annum 21. completum: omnes cum *D. Th. q. 147.* quia ob corpus accrescens indigent abundantiori alimento; *nec obstat*, quòd fortè unus vel alter sit satis robustus, quia hoc per accidens est, & ratio tenet de plerisque; qui complet annum 21. in Quadrag. tenetur à die ætatis completæ; in dubio, an compleverit, factâ sufficienti inquisitione manet in possessione libertatis, & ætas est quid facti, quod non præsumitur, uterque *Sanch. Dian. de jej. R. 49.* Carnes tamen pueris post septimum ætatis annum nec præbere, nec ipsis vesci licet, quia præsumitur usus rationis, nec est ratio eos excusandi à præcepto negativo abstinendi à carnibus, cùm corpus accrescens aliis cibis sufficèter ali possit. Item adolescentes, etsi antè an-

num 21. non obligentur ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ, possunt tamen obligari ex voto vel pœnitentiâ aut etiam ex profess. Relig. velut FF. Minores. *Spor. num. 49. Reiffens. nu. 44.* quia per votum & professionem
10. cesserunt suo juri. 4. Excusantur senes sexagenarii utriusque sexûs quoad plures refectiones, non quoad carnes, etiamsi annus sexagesimus tantùm sit inchoatus, nam in favorabilibus dies vel annus cæptus habetur pro completo *L. quæ ætate ff. de testam. Nav.* uterque *Sanch.* & plurimi apud ipsos. *Dian. R. 20.* dicit, id esse certum. *Spor. num. 50.* dicit teste *March.* id à Pio V. esse vivæ vocis oraculo declaratum, & *Ratio* est, quia sexagenarii plerumque viribus multùm deficiunt, & senectus ipsa est morbus; etsi unus vel alter sit robustus, id per accidens est, sicut per accidens est, quòd unus, vel alter adolescens antè annum 21. habeat sufficientes vires, aut aliqui ex agricultura non fatigentur, tamen omnes sic laborantes excusantur; deindè ità habet consuetudo, sed certum est consuetudinem contra legem Ecclesiasticam prævalere posse: ergo. idque *Sanch.* & alii extendunt etiam ad sexagenarios obligatos ex voto, vel professione, quia vovens, vel statuta Religionis intendunt jejunium ad formam Ecclesiæ, nisi aliud exprimant. *Dices*: Lex jejunandi est in possessione, & ratio excusans incerta. ita *S. Antonin. Lezan. Bonac. Laym.* ℣. *N. Ass.* Excusatio est satis certa saltem in praxi, & accedente consuetudine. Si Superior dispensans in voto Castitatis surrogaverit jejunium pro omni die Veneris, ab hoc jejunio non excusatur sexagenarius, quia jejunium surrogatur in locum Castitatis, ad quam obligaretur etiam post annum 60. *Croix nu. 1320.* 5. Ut labor excuset, debet esse 11.
multùm fatigativus, seu talis, ut sine gravi incommodo non possit conjungi cum jejunio, quod nunc videtur certum ex propos. 30. damn. ab Alex. VII. *Omnes officiales qui in republ. corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* 6. Opera de se 12.
multùm laboriosa & à jejunio excusantia sunt ea, quæ fiunt cum magna corporis agitatione, veluti ligna scindere, onera portare, arare terram, fodere, triturare &c. ejusmodi labores excusant omnes sic laborantes, etiam eos, qui ob extraordinarias vires fortè non lassentur, quia leges non attendunt quid hic & nunc in raro casu fiat, sed quod ordinariè, & plerumque contingit, idque tenet etiamsi uno vel altero die ob festum vel aliud impedimentum non laboretur, quia plerumque illis diebus indigent etiam majori refocillatione. *Sanch. Publ. Dian. R. 9. Tamb. num. 24.* Econtrà scribere, bar-

13 barbas tondere, nere, choraliter orare, cantare, pingere, equitare, curru vehi per se loquendo non multùm debilitant, & consequenter non excusant. Patet ex propos. 31. ab Alex. VII. damn. *excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Casu quo tamen ob specialem subjecti dispositionem cum notabili defatigatione conjungantur, à jejunio excusabunt; Idem dicendum de itinere, venatione, piscatione etiam pro sola animi recreatione susceptis, dummodò notabiliter fatigent, aut debilitent, & ejusmodi recreationes non nimis sæpè, & in fraudem Legis assumantur, ideò scilicet, nè quis teneatur jejunare; *Ratio* est præsumptus benignæ matris Ecclesiæ consensus, & videtur nimis durum semper ab ejusmodi recreatione abstinere, & posità fatigatione gravi jejunium est moraliter impossibile, consequenter non obligat. Qualiter autem obligatus lege possit, aut non possit ponere impedimentum legi,
14. dixi *Cas. 6. num. 15. 7.* Si quis multùm fatigatus sit ex opere inutili vel illicito, non tenetur jejunare, quia suppositâ gravi fatigatione est moraliter impotens; si tamen id prævidit, peccavit graviter se absque causâ reddendo inhabilem ad jejunium.
15. *8.* Non tantùm labor corporis, sed vel maximè labor ingenii, si improbus sit, excusat, ut si quis quotidie vel integris diebus se occupet studiis, concionibus &c. *Cajet. q. 147. a. 3. Bonac. Laym. numer. 4.* nam quamvis studium non fatiget corpus, consumit tamen Spiritus animales, qui ad vitam & sanitatem magis sunt necessarii, & si tales quid manè sumant, sumunt per modum Medicinæ: ex hoc capite plerique excusant magistros, qui quotidie quatuor horis docent Grammat. saltem erit causa sufficientissima cum iis dispensandi. *9.* Qui dormire non possunt, quin vesperè plenè reficiantur, probabiliùs tenentur in prandio solâ collatione esse contenti, & vesperi prandere; *Ratio* est, quia commutando prandium in cænam possunt servare substantiam jejunii, ergo ad hoc tenentur: si verò absque gravi incommodo prandium ad vesperum differre non possint, licebit bis se reficere: si quis non posset abstinere à secunda refectione nisi reficiat se in carnibus, potest, imò juxtà *Croix num. 1313.* tenetur se semel reficere carnibus, quia cum harum esu consistit jejunium magis, quàm cum bona refectione in piscibus. *10.* Non excusat præceptum 16. 17.
Heri v. g. hæretici jubentis famulos comedere carnes, imò famuli, si alibi commodum servitium nanciscì possint, tenentur prius servitium dimittere, & petere dispensationem,

ut

ut tali casu dicere, se esse dispensatos, nè alios scandalizent; si hæreticus jubeat carnes edere in odium fidei, erit intrinsecè malum obedire, &c. *11.* Uxor non deobligatur à jejunio ex hoc præcisè quòd maritus ei jejunare prohibeat, quia non habet jus probibendi, & potiùs Ecclesiæ, quàm marito obedire debet: si tamen timeret graves discordias, posset non jejunare, quia pax conjugalis præponderat jejunio, nisi maritus hæreticus id juberet in contemptum jejunii, vel Ecclesiæ, tunc enim uxor tenetur potiùs vitam ponere, quàm obedire. *Steph. num. 131. 12.* Sola urbanitas non est causa sufficiens, ut in gratiam amici, vel hospitis jejunium solvas; quia hoc iniquè petit amicus, si tu sis dispensatus, non potes invitare alium, ut tecum cænet, etiamsi scias illum cænaturum alibi, quia invitas ad aliquid, quod ipse sinè peccato facere non potest. ità contrà *Nav.* tenent *Dian. Less. 13.* Si pœnitens ob insufficientem causam se excuset à jejunio, absolvi non debet, quin promittat jejunare, aliàs enim non est paratus servare omnia præcepta! graviter obligantia; *nec obstat*, quòd fortè sit in bonâ fide, nam monitio erit plerumque fructuosa, nec præceptum est nimis difficile, aut si pariat nimiam difficultatem, erit moraliter impossibile, adeoque non obligans.



EX

EX

# TRACTATU DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

## CASUS LXXVI.

*In Tit. 5. lib. 3. Decret. de Præb. & Dig.*

### De naturâ, proprietate, & divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

AMon *Juris Candidatus interrogatur* 1. *Quid sit Beneficium? An debeat erigi authoritate Episcopi?* 3. *An possit possideri vel conferri à Laico.* 4. *Quid sit Beneficium majus & minus.* 5. *Regulare, sæculare, & quid in dubio.* 6. *An Regulares & in specie Præmonstratenses capaces sint Beneficiorum Sæcularium.* 7. *An revocabiles sine consensu Episcopi.* 8. *Quid sit Beneficium collativum, electivum, manuale, titulare; quid si in manuale quis instituatur perpetuò.* 9. *Quid sociabilia, uniformia.* 10. *Quid Capellania.* 11. *Commenda.* 12. *Coadjutoria.* 13. *Vicaria.* 14. *Præstimonium, pensio.* 15. *Præbenda Canonessarum regularium, an simul plures haberi possint, an sint materia simoniæ, obligentque ad Horas, an possideri possint à maritata vel corrupta.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid sit Beneficium Ecclesiasticum? 1.

RE. *Beneficium est jus perpetuum percipiendi reditus Ecclesiasticos ratione spiritualis officii, Ecclesiasticâ authoritate institutum, & personæ Ecclesiasticæ ab Ecclesiastica collatum:* ita quoad rem omnes. *Dicitur imò, jus percipiendi reditus,* per quod distinguitur à simplici Canonia, quæ solùm est jus habendi sedem in Choro & vocem in Capitulo, imò ex usu quarundam Ecclesiarum simplex

Canonicus nequidem habet vocem in Capitulo nisi residentiam expleverit, & juxta præscriptum Trid. *Sess. 22. c. 4. de refor.* in majoribus Ordinibus constitutus sit, Canonia tamen causat suo tempore jus ad fructus. *Dicitur 2do: jus perpetuum*, quia de naturâ beneficii est, ut non conferatur ad certum tempus, sed perpetuò & regulariter ad vitam beneficiati, in eoque beneficiatus intituletur, seu ùt practici vocant investiatur, per textum *in c. Sanctorum 2. dist. 70. dicitur 3. ratione officii spiritualis*; nam beneficium datur propter officium spirituale, *c. fin. de rescrip. in 6.* unde qui propter officia sæcularia ab Ecclesia annuos reditus percipiunt, velut Advocati, Syndici, Medici, Musici, &c. propriè non habent beneficium &c. *Dicitur 4to Ecclesiasticâ authoritate institutum*; nam si aliquis sine approbatione Episcopi certas Missas & anniversarium perpetuum fundet, hæc non erunt propriè beneficium, sed pia donatio vel legatum, nec appellatione beneficii veniunt quoties in jure vel litteris Papalibus de beneficiis mentio fit. *Pirh. lib. 3. dec. tit. 5. & ibib. Reiff. n. 14.* unde ejusmodi dotatio vel donatio non sufficiet ad titulum Ordinationis, nec ille qui fruitur ejusmodi fundatione, vi illius tenebitur ad Horas Canonicas, quia nondum est beneficiatus, potest tamen aliunde obligari ad Horas v. g. ob susceptos majores Ordines vel Professionem religiosam; ad hoc ut aliqua fundatio Altaris vel Capellæ reputetur verum beneficium, sufficit institutio tacita Episcopi, quæ hoc ipso contingit, quòd Episcopus altare vel sacellum ab alio fundatum scienter conseeret, aut alicui consentiente patrono ejusmodi Missas vel capellam conferat in titulum Ordinationis; econtrà si tantùm det nudam facultatem Missas legendi in tali Altari vel sacello, nullatenus ea per hoc in beneficium Ecclesiasticum erecta censentur, cùm id etiam competat privatis oratoriis in quibus sine licentia Episcopi celebrare non licet. *c. si quis etiam de consec. dist. 1. Pirh. Robert. Konig tit. 5. n. 20.* 2.

*Dicitur 5. personæ Ecclesiasticæ collatum*; quia persona Laica est incapax etiam ad horam possidere beneficium utpote rem in se vel saltem ratione annexi sacri mysterii spiritualem, *C. cùm adeò 17.* & ibi *gloss. de rescript.* ex quo fit, ut collatio Laico facta etiam superveniente postmodum Clericatu non revalidetur. *Garc. de benef. p. 1. c. 2. n. 28.* 3.

*Dicitur 6. à personâ Ecclesiastica*, puta Papa, Episcopo vel alio Prælato collatum; Laici enim tametsi ex speciali juris privilegio capaces sint juris patronatûs, vi cujus præsentare possint aliquem ab Episcopo instituendum, ipsius tamen juris conferendi vel instituendi omnino incapaces sunt per *c. si quis 12. & seq. c. 3. de instit.* Proinde si aliqua Capellania seu onus legendi certas Missas aut anniversarium ita fun-

fundatum sit, ut hæres vel alius Laicus sine institutione Ordinarii talem Capellaniam conferre possit, hoc ipso beneficium Ecclesiasticum non erit, nec in impetratione alterius beneficii [uti cæteroquin *per c. 23. de præbend. & dig. in 6.* requiritur] hujus mentio facienda est.

QUÆR. II. Quotuplex sit beneficium? 4.

℟. Beneficium variè dividitur; nam *1.* Aliud dicitur majus, aliud minus; beneficium majus est quod habet annexam dignitatem, personatum, vel officium, minus non habet simile quid annexum; dignitas est præcedentia cum jurisdictione, qualem habent Episcopi, inferiores Prælati, & Superiores locales Ordinum, qui plenam rerum Ecclesiasticarum Administrationem habent. *Personatus* est præcedentia sine jurisdictione, qualem habet Senior in Capitulo Cathedrali, vel alius, qui in Choro vel processione locũ honoratiorem obtinet; *Officium* est administratio sinè præcedentia & jurisdictione, qualem habent Sacristæ, Cantores, Thesaurarii, & similes. *2dò* Dividitur beneficium in sæculare & regulare; *Sæculare* est, quod ex fundatione, dotatione aut præscriptione, solis sæcularibus Clericis, *Regulare*, quod solis Regularibus ex simili causa conferri debet. *c. 5. c. 32. h t. in 6.* ut autem beneficium sæculare per præscriptionem transeat in regulare, vel contrà, requiritur ut quis tale beneficium per quadraginta annos bonâ fide possederit. *Garc. p. 7. de benef. c. 10. num. 35. Gonzales reg. 8. Cancel. glos. 7. num. 36. Barb. jur. Eccl. l. 3. c. 4. num. 45. Leur. foro benef. p. 1. c. 2. n. 38.* in dubio, an beneficium sit regulare, vel sæculare, non statim præsumitur sæculare, ùt vult *Sanch.* & alii, sed regulariter status ultimus inspiciendus est, utrùm nempe vacaverit per obitum personæ regularis vel sæcularis. *c. querelam 24. de elect. Garcias l. c. Pirhing. num. 120. Reiffenst. numer. 24. Konig sup. num. 5. Krimer l. 3. quæst. 5. num. 163.* ubi dicunt, quòd beneficium si fundatum sit in Monasterio, & de modo fundationis non constet, præsumi debet regulare, & eâ intentione fundatum, ut per regulares eidem provideatur, imò *Less. de just. l. 2. c. 34. num. 6. Tamb. Bordon. Murga de benef. quæst. 2. num. 4. Konig nu. 17. Schmier p. 2. c. 3. numer. 34. Engel. privil. 45.* cum aliis docent contra *Gonzales & Pirhing. sup. numer. 118.* Regulares de jure absque dispensatione Pontificiâ capaces esse beneficiorum sæcularium curatorum per clarum textum & Glos. in c. *Parochia & c. doctos 21. & seqq. causa 16. c. 1. Clem. 1. de elect.* idque speciatim de Canonicis Præmonstratensibus docet *Zypæus lib. 3. consult. 1.* & clarè habent Ord. privilegia, ac declaravit Maximilianus Henricus 5. 6.

Archi-Episcopus Colonienſis 14. Martii 1670. in reſcripto ad Abbatem Steinfeld. & Knechſtedens. & de Canonicis Regularibus generatim concedit *Gonz. gloſs. 7. nn. 55. Wieſtner. Penot. Pignat. conſ. 44. nu. 1. & 2.* ubi refert Declarationem Cardin. de An. 1602. Canones, qui in contrarium ſolent allegari, ad ſummum loquuntur de iis Monachis, qui ſolitariam & eremiticam vitam ducunt, aut qui non ex commiſſione ſuorum Prælatorum, ſed propriâ authoritate beneficia ſuſcipiunt; an autem & quomodo Religioſi è beneficiis ſine conſenſu Epiſcopi revocari poſſint, præclarè diſcutit Petrus de Murga *qu. 2. a. 1. num. 259.* Si beneficium ſit regulare & Monaſterio pleno jure incorporatum ſeu unitum ad menſam, ita ut Monaſterio reditus temporales ſint incorporati, & ipſe Abbas ſit principalis Paſtor, deſerviens autem ejus Vicarius manualis, tunc ad nutum revocari poterit. *Pirhing. l. 3. t. 5. nu. 218. Barboſ. in Trid. ſeſs. 25. de reg. c. 11. Flores de Mena variar. qq. qu. 10. numer. 10.* dicens ſic fuiſſe deciſum in Curia Rom. & à Congreg. Card. & noviſſimè pro Præmonſtratenſibus contra Ill. Archiep. Colon. Joſephum Clementem & Epiſcopos Germaniæ Romæ deciſum fuit 2. Xbr. An. 1712. & 3. Febr. 1713. *Quòd liceat revocare abſque Epiſcopi conſenſu, ipſo tamen certiorato.* Si verò beneficium ſit ſæculare vel non plenè incorporatum, Religioſus per Superiores abſque conſenſu Epiſcopi revocari non poteſt; quia Religioſus pleno jure tranſiit in poteſtatem Epiſcopi, *DD. cit.* excipe niſi ſpeciale ad hoc habeant privilegiũ, quale Ordinem Præmonſt. habere ſuos ad nutum revocandi ex quolibet beneficio unito & non unito teſtatur Carvelz; credo tamen praxin hujus privilegii ab Epiſcopis difficulter tolerandam. 3. Dividitur beneficium in *collativum*, quod ſcilicet per collationem Epiſcopi vel alterius obtinetur, & *Electivum*, ad quod quis per viam electionis aſſumitur, veluti Epiſcopatus, Abbatiæ; *& patronatum*, quod ad præſentationem patroni conceditur. 4. Dividitur *in manuale, & titulare*; manuale vocatur, quod ad nutum dantis revocari poteſt, qualia ferè ſunt omnia beneficia regularia, in his enim conſtituitur Vicarius manualis ſeu revocabilis, & principalis beneficii Rector eſt ipſe Abbas; in dubio beneficia ſæcularia cenſentur perpetua, regularia verò manualia ſeu ad nutum revocabilia. *Tuchus de Luca* & plurimi quos citat & ſequitur *Reiffenſt. num. 46. Titulare* eſt quod confertur in titulum perpetuum, & per ſe loquendo ſemel collatum tolli non poteſt: ſi Epiſcopus in beneficium manuale aliquem perpetuò inſtituat, vel ſub tali titulo ordinet, adhuc revocari poterit, quia actus Epiſcopi non debet præjudicare habenti poteſta-

7.

8.

tem

tem revocandi, nisi hic consentiat.
9. *Leuren. &c.* 5. Alia sunt beneficia *sociabilia*, alia *insociabilia*, seu incompatibilia; sociabilia vocantur, quorum officium ab uno eodemque præstari potest, veluti Canonicatus & Decanatus, duo altaria diversa sacra habentia; hujusmodi sine dispensatione Papæ duo vel plura simul haberi possunt, si ita necesse est ad honestam sustentationem. *Trid. Sess. 24. c. 17. de refor. insociabilia* sunt, quorum officium ab uno præstari non potest, velut omnia beneficia, quæ annexam habent curam animarum, dignitatem, personarum, officium &c. Item beneficia uniformia v. g. duo Canonicatus sub eodem tecto, aut si sint sub diversis tectis seu Ecclesiis, sed singula residentiam requirant, qui duo vel plura hujusmodi beneficia sine dispensatione Papæ retinere contendit, non tantùm primo privatur ipso jure, sed etiam secundum saltem post sententiam judicis amittit, & insuper ad S. Ordines & quodvis beneficium inhabilis existit. *Trid. Sess. 7. c. 4. de refor.* ad hunc tamen effectum requiritur 1. Ut beneficium sit integrè obtentum, ita ut non tantùm habeatur possessio, sed & fructus percipi valeant, aliàs enim talis possessio inutilis foret, *c. si tibi 26. d. t. in 6.* 2. Requiritur ut utrumque beneficium vel dignitas sit perpetua, ex hoc enim capite Decanus potest sine dispensatione fieri Vicarius, nam quamis Decanatus & Vicariatus sit Dignitas, quia tamen Vicariatus ad nutum revocari potest, est cum alia Dignitate vel beneficio sociabilis. 6. 10. Ad beneficia reducuntur Capellania, Commenda, præstimonium, Vicaria, Coadjutoria, Pensio, Præbendæ Canonissarum &c. *Capellania* est onus legendi ex fundatione certas Missas cum jure recipiendi stipendium pro labore in sustentationem Capellani; si ejusmodi fundatio erecta est authoritate Episcopi in titulum, dicitur Ecclesiastica, & habet rationem veri beneficii, si verò fundatores reservârunt sibi vel suis hæredibus jus eligendi pro libitu Sacerdotem ad has Missas sine institutione Episcopi, dicitur Capellania laica seu electiva, & non venit nomine beneficii. *Reiffenst. l. 3. t. 5. n. 72.* *Commenda* est beneficii vacantis ejusque administrationis facta commendatio, si fiat ad tempus tantùm, beneficium dici non potest, hoc enim ex natura sua est perpetuum; si ad vitam fiat commendatio, est verum beneficium & titulus Canonicus. *Gloss. & DD. in c. nemo 15. de elect. in 6. Gonzales Gloss. 5. §. 8. Barb. c. 9. n. 22. Reiffenst. n. 79.* Commenda perpetua ideo inventa est, ut persona aliàs inhabilis [ veluti existens in minori ætate vel habens aliud beneficium incompatibile aut sæcularis ratione Abbatiæ vel Prioratûs regularis ] saltem sub Commenda idem beneficium obti-

neat ejusque fructus lucretur, hinc Barbosa Commendam perpetuam vocat palliatam aut tacitam dispensationem ad obtinenda beneficia, alioquin respectu talium personarum prohibita, ideóque à solo Papa concedi potest, eò quòd ille solus super hujusmodi inhabilitate dispensare possit. *Trid. Sess. 7. c. 4. de refor.* Commendam temporalem etiam Episcopus concedere potest, dummodo Parochia non ultra 6. menses commendetur. *c. nemo 15. de elect. in 6. Coadjutoria* est facultas seu con-
12. cessum officium adjuvandi beneficiatum ex morbo, senio, vel aliter impotentem in regimine beneficii sui; alia est temporalis, quæ ad tempus v. g. quamdiu coadjutus vivit, vel quamdiu impedimentum durat, conceditur; hæc non habet rationem veri beneficii & ab Episcopo vel alio Prælato inferiore potestatem habente conferri potest cum proportionata assignatione fructuum &c. *alia est perpetua* & cum spe successionis, quando coadjuto mortuo coadjutor in ejus beneficium vel dignitatem succedit, quæ successionis species, tanquam involvens votum captandæ alienæ mortis in jure est detestabilis juxta *c. 1. & 2. de concessione præb.* ideóque à solo Papa cõcedi potest; juxta aliquos est, juxta alios non est verũ beneficiũ, quia beneficiũ manet penès coadjutum, nec penès duos esse potest; quidquid de hoc sit, certum est, Coadjutoriã sive temporalem sive perpetuam sine simonia vendi non posse; quia continet officium spirituale; & perpetua insimul jus ad beneficium. vid. dicta Cas. 60. n. 17. *Vicaria* dicitur à vi- 13.
ces gerendo; si constituatur ad tempus, non est verum beneficium, nec causat obligationem orandi Horas, potestque possideri à non tonsurato, ab impubere &c. si authoritate Episcopi constituatur in perpetuum, habet rationem veri beneficii, & quidem si annexam habeat curam animarum, requirit Sacerdotium & eandem ætatem quam beneficia curata. *Vallensis. Barb. c. 5. n. 9. Engel l. 3. t. 5. n. 3. Pirhing ibid. n. 15. Leur. p. 1. c. 86.* in dubio, an beneficium aliquod sit curatum vel simplex, præsumitur simplex; quia in dubiis quod minimum est sequimur, nisi aliunde probetur oppositum. *Præsti-* 14.
*monium* est certum stipendium, quod clericis studentibus assignatur ex reditibus Ecclesiasticis, si ejusmodi stipendium detur in titulum & propter officium spirituale, v. g. ob recitandas Horas, veram habet rationem beneficii, secus si tantùm ad tempus & non ob officium spirituale detur, ac ita conciliantur AA. quorum aliqui affirmant, alii negant esse verum beneficium. *Engel, Schmalzgruber, h. t. n. 9. Reiffenst. à n. 82. Pensio* est jus percipiendi certam portionem ex alieno beneficio, quale jus sibi persæpe reservant, qui in alterius favorem resignant; verius est ejus-

modi

modi pensionem non esse verum beneficium, quia ex ea præcisè non oritur obligatio recitandi Horas Canonicas, nec pensio est ipsum beneficium, sed ex eo constituitur, nec est perpetua, cùm extinguatur morte pensionarii, beneficium verò morte beneficiali non extinguitur.

151. *Prebendæ Canonessarum secularium* non sunt propriè beneficia; beneficium enim non potest possideri nisi à clerico, si tamen Collegia ejusmodi sint erecta authoritate Ecclesiasticâ, & præbendis annexum sit officium spirituale, uti plerumque fit, sunt materia simoniæ, ùt definivit S. Congregatio apud *Croix l. 3. p. 1. n. 105.* idem *lib. 4. n. 230.* dicit, plures ejusmodi præbendas sine dispensatione pontificiâ possideri posse, non tamē duo Collegia uni Abbatissæ subesse, prohibente id Concilio Colonienſe; an autem ejusmodi Canonessæ indies obligentur ad chorum & extra chorum sub mortali ad Horas, attendendum est ad mentem fundatorum, quæ videtur esse pro obligatione; videmus enim eas id studiosè observare & à parentibus illud seriò inculcari; oppositum tamen etiam videtur probabile, quia proles honestè educatæ solent etiam ea studiosè observare, quæ à parentibus inculcantur tanquam valde decentia, & cùm ex naturali gratitudine ad aliquas preces pro fundatoribus fundendas obligentur & preces in Ecclesia receptissimæ sint Horæ Canonicæ, non est mirum has à piis parentibus multùm filiabus recommendari, indè tamen non sequitur quotidiana & mortalis ad ea obligatio extra chorum. Finis intrinsecus & principalis ejusmodi præbendarum est, ut puellæ nobiles honestiùs educentur, usque dum nubant; hinc occultè maritata videtur incapax ad has præbendas earumque fructus, occultè corrupta autem cùm adhuc sit cælebs exspectetque honestum matrimonium, est capax, nec tenetur fructus perceptos restituere, quamvis statutum Collegii habeat quòd debeant castè vivere, cùm enim hoc sit pœnale non obligat ante sententiam declaratoriam, neque cessat respectu corruptæ finis intrinsecus præbendæ, sicut cessat respectu maritatæ. *Croix l. c.*

CASUS

# CASUS LXXVII.

## *Ad Tit. 38. lib. 38. Decret.*

## De Jure Patronatûs.

BAlda *multa habet conferre beneficia, quærit* 1. *Quot modis acquirantur?* 2. *An beneficium alteri quàm præsentato conferri possit.* 3. *Qualiter jus Patronatûs Patrono sit utile, honorificum.* 4. *An se ipsum præsentare possit, an alium ad beneficium nondum vacans.* 5. *Quid patronatus Ecclesiasticus, laicus, mixtus.* 6. *An accumulare vel præsentato semel indigno variare possit.* 7. *Quid si præsentatio non fiat inter quatuor vel sex menses præfixos.* 8. *An Papa soleat derogare juri Patronatûs.* 9. *Quid de Bulla Pii V. qualiter in Julia & Clivia devolutio fiat ad Principem.* 10. *An Episcopus possit tempus præsentandi prorogare, an computari debeat de momento ad momentum, an à die habitæ notitiæ vel vacationis beneficii, an currat principibus vel impedito.* 11. *Quid sit Patronatus hæreditarius, gentilitius,* 12. *Realis, personalis, an competat mari & fœminæ, infanti, impuberi.* 13. *Qualiter acuiratur fundatione,* 14. *Constructione,* 15. *Dotatione.* 16. *An ad hoc requiratur consensus Episcopi.* 17. *Qualiter in alios transferatur hæreditate, donatione, permutatione, venditione.* 18. *An transferatur cum fendo, dote, locato, pignore.* 19. *Qualiter Patronatus amittatur dote vel Ecclesiâ pereunte vel principaliori unitâ.* 20. *Qualiter amittatur præscriptione,* 21. *Delicto.* 22. *An existens in possessione juris præsentandi validè præsentet ante & post motam litem.*

Beneficia præcipuè acquiruntur triplici modo: institutione, collatione, & electione; institutio est concessio beneficii ad præsentationem Patroni; collatio est libera concessio beneficii independenter ab aliquo præsentante; electio est designatio personæ idoneæ ad beneficium per suffragia, præsentatio est exhibitio personæ beneficiandæ facta illi, ad quem pertinet instituere; præsentatio & electio dat solum jus ad rem, institutio verò præsentati & confirmatio electi dat jus in re, quemadmodum & libera collatio; sed de his in seqq. pro nunc explicabimus naturam & proprietates juris Patronatûs tanquam causam præsentationis ad beneficium. Igitur: 1.

QUÆR. I. Quid sit Jus Patronatûs? 2.

RE. Est jus præsentandi Clericum ad

ad beneficium vacans germanicè, ein Pfarlehn oder geistliches Lehn-Recht / qui tale jus habet, Patronus vocatur; *dicitur* 1. *jus præsentandi*, nam Episcopus alteri beneficium conferens quàm præsentato, non tantùm præsentato, sed & Patrono injuriam facit; & ejusmodi collatio annullari ac beneficiatus amoveri debet, nisi Patronus consentiat, aut intra tempus ad præsentandum à jure concessum non reclamet, tunc enim collatio manebit firma. *Barb. Felix. Vallens. Gonz. ad reg. 8. Gloss. 56. n. 78. Schambog. l. 3. t. 38. n. 63. Engel ibid. n. 2.* hoc autem jus
3. Patrono est honorificum, utile & onerosum; *honorificum*, quia in Ecclesia & Processionibus debetur ei locus dignior: *utile*, quia in casu paupertatis tenetur eum Ecclesia præ aliis pauperibus alere ex iis, quæ detractis expensis necessariis supersunt; est *onerosum*, quatenus ei incumbit Ecclesiæ prospicere, ne ejus bona dilapidentur, vel contra intentionem fundatoris applicentur.
4. *Dicitur* 2. *jus præsentandi Clericum*, hoc est, primâ tonsurâ insignitum, sine hoc enim nemo est capax beneficii Ecclesiastici: Patronus verò se ipsum licèt sit Clericus præsentare non potest ob præsumptionem ambitionis, *c. 26. de jure pat.* supplicare tamen poterit Episcopum ut sibi beneficium conferat, supplicando enim non reputatur quis ambitiosus. Econtrà filios alios-que consanguineos præsentare non prohibetur, ne hi sint pejoris conditionis quàm extranei, qui ad fundandum vel dotandum beneficium non concurrerunt. *Dicitur* 3tiò, *ad beneficium vacans*, quia præsentatio ad beneficium nondum vacans reprobatur *c. 2. & 13. de concess. præb.* & promissio etiam jurata de facienda præsentatione postquam beneficium vacaverit est illicita & irrita propter occasionem captandæ mortis alienæ; si tamen Patronus putavit bonâ fide, beneficium vacare, præsentatio valet, & beneficio ex post vacante convalescit. *Corradus lib. 4. c. 6. n. 37.*

QUÆR. II. Quid circa divisionem juris Patronatûs?

§. Dividitur variè: 1. in Ecclesiasticum, sæculare seu laicum, & mixtum. *Ecclesiasticum* est, quod competit Collegio, communitati, personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, Dignitatis vel Beneficii Ecclesiastici, etiamsi originem habeat ex patrimonio Laici; pariter Ecclesiasticum est, quod ex bonis Ecclesiasticis fundatur vel dotatur. *Laicum* est, quod à Laico vel Clerico non ratione Ecclesiæ, sed ratione fundationis vel dotationis ex bonis patrimonialibus tenetur. *Mixtum*, quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione fundationis laicalis competit. *Barb. Garcias. Vallens. Schamb. Zoës. l. 3. tit. 38.* in Patronatu mix-

mixto si Clericus & Laicus conveniant, ut alternis vicibus præsentent, in eo casu & pro eâ vice quâ Laicus præsentat, totum jus Patronatûs Laicum censebitur, pro eâ verò vice quâ Clericus, totum Ecclesiasticum; videtur enim tunc mixtorum natura per hanc alternativam pro illis vicibus reducta ad sua simplicia *Reiffenst. numer. 53.* si verò alternativâ non utantur, sed simul & semel præsentent, gaudebit favoribus Patronatus Laici, ita ut non conferatur necessariò per concursum, neque in eo reservationi Pontificiæ locus sit. *Garcia de benef. p. 5. c. 1. numer. 582. Barb. l. 3. c. 12. numer. 18. Schmalzgruber l. 3. t. 38. numer. 11. & 29. Krimer l. c.* gaudebit pariter favore Patronatus Ecclesiastici, ita ut & Laicus & Clericus sex menses ad præsentandum habeant. *Robert. Konig tit. 38. numer. 6.* variæ autem sunt differentiæ inter jus Patronatûs Laicum & Ecclesiasticum; nam

6. 1. Patronus Laicus ad beneficium vacans plures vel simul vel successivè, re adhuc integrâ & nondum factâ institutione præsentare potest, non quidem privativè ut primum privet jure suo, sed accumulativè, ita ut Episcopus, quem voluerit, eligere possit; si tamen unus fuerit indignus, alter necessariò eligendus erit; si neuter sit dignus, Laicus non amittit suum jus, sed novum præsentare poterit; econtrà Patronus Ecclesiasticus non nisi semel unum vel plures præsentare potest; & si scienter indignum præsentet, privatur istâ vice jure præsentationis, & relinquitur Episcopo libera beneficii collatio. *c. nulla 2. de conc. præb. clem. un. de supp. negl. præl. Vall. §. 5. numer. 2. Reiffenst. à numer. 83.* 2. Beneficia Parochialia, quæ sunt sub Patronatu Ecclesiastico, per concursum concedi debent. *Trid. Sess. 24. c. 18. de reg.* non verò quæ subsunt Patronatui Laico, *Schmalzg. numer. 17.*

3. Patronus Laicus ad præsentandum habet tantùm quatuor, Ecclesiasticus sex menses à die habitæ notitiæ *c. 22. & 27. de jurep. Ratio* congruentiæ *est*, quòd Laicus possit in præsentando variare, non verò Ecclesiasticus, cui propterea meritò plus temporis conceditur si intra tempus præfixum vel ex negligentia, vel quia non conveniunt Patroni, Præsentatio non fiat, collatio beneficii pro ea vice devolvitur ad eum, ad quem pertinet institutio. *c. 27. h. t. Barb. de pot. Ep. alleg. 72. numer. 141.* si verò præsentatio in tempore facta effectum sortita non est ex facto Episcopi, aut ex negligentia, renunciatione, morte vel occultâ inhabilitate præsentati, conceditur Patrono novum quadrimestre vel semestre à tempore renuncia- 7.

tio-

tionis, mortis, vel alterius defectûs cogniti, *c. 26. de elect. in 6.* nisi in prædictis fraus intercesserit. *Barb. Schmalzgruber l. c. Konig numer. 27. Ratio est*, quòd alterius mors vel negligentia non debeat redundare in præjudicium
8. Patroni. 4. Papa non solet derogare juri Patronatûs Laici ejus beneficia reservando, imò Legatus Pontificius ea nequidem potest reservare. *c. 28. h. t.* secus est de Ecclesiastico. *Azor. Pirh.*
9. *numer. 135.* Econtrà conveniunt Patronatus Laicus & Ecclesiasticus in sequentibus: 1. Vi Bullæ Pii V. ubi eâ recepta est, tam Laicus quàm Ecclesiasticus ad beneficia curata præsentare debent intra 20. dies, & præsentatus institui intra duos menses à die peracti examinis. *Leur. q. 135.* præsentatio si non fiat intra tempus, pro illa vice devolvitur ad Superiorem *c. quoniam. 3. h. t.* in Juliâ, Clivîâ, & Montibus pro bimestri priùs devolvitur ad Principem seu Du-
10. cem. 2. Episcopus vel alius, ad quem pertinet institutio, tam Patrono Laico, quàm Ecclesiastico potest termino nondum elapso prolongare tempus ad aliud quadrimestre vel semestre. *Riccius, Flam. l. 7. de resig. quæst. 29. Barb. numer. 143. Wiestn. hic numer. 97.* imò ipsos fundatores tempus illud in littera fundationis, non tamen ex post prorogare posse docent *Vivian. Wiest. numer. 98. Pirh. numer. 43.* 3. Hoc tempus computandum est de momento ad momentum, non à die quo vacavit beneficium, sed à die habitæ notitiæ, & qui contendit præsentationem non esse factam in tempore, debet probare Patronum habuisse notitiam vacationis, quia non præsumitur scienter voluisse negligere jus suum. *Garcias de Luca de jurep. disp. 64. numer. 5. Reiffenst. numer. 55.* 4. Tempus præsentandi non currit summis Principibus, aut etiam privato legitimè impedito, *Garcias c. 2. numer. 38.* neque ignoranti Ecclesiæ vacationem, *Barb. Vallens. Schmalzgruber numer. 220. Dividitur* 2. jus Patronatus in hæ- 11.
reditarium & gentilitium; *hæreditarium* est, quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, & tale in dubio semper præsumitur, ùt notat *Panor. in c. cum saculum 13. de jure pat. gentilitium* est, quod certæ tantùm familiæ competit. *Lotter. l. 2. de benef. quæst. 11. numer. 13. Barb. numer. 20. Dividitur 3.* in personale & reale, illud personæ fundatoris vel hæredis adhæret, hoc castrum vel prædium sequitur, ita ut Dominus castri etiam sit Dominus juris Patronatûs, potest autem jus

Patronatûs competere & masculo & fœminæ, impuberi & illegitimo, teste *Laym. lib. 4. tr. 2. c. 13.* si pupillus infans sit, ejus nomine tutor præsentabit, *Gare. c. 9. n. 193.* si verò infantiam egressus septennio major sit, in præsentando tutori præfertur; tum quia est Dominus hujus juris, tumquia patria, minùs tutoria potestas post usum rationis in spiritualibus locum habet, per ea quæ notantur in *c. fin. de jud. in 6.* de honestate tamen erit, ut pupillus authore tutore præsentet.

QUÆR. III. Quot modis jus Patronatûs primò constituatur?

13. R. Modi, quibus primò constituitur jus Patronatûs, sunt tres: fundatio, constructio, dotatio, qui singuli disjunctivè sufficiunt, ita ut si unus fundavit, alter construxit, tertius dotavit, quilibet gaudeat jure Patronatûs, ut omnes simul vel alternis vicibus præsentare queant. *Fundare dicitur*, qui concedit fundum in quo construi debet. *c. nobis 25. de jurep.* ideóque ille Rector, Parochus, vel Abbas, qui in sua Ecclesia permittit erigi Capellam vel altare in titulum perpetuum seu beneficium, in jure præsentandi concurrit cum dotante vel ædificante, quia contulit fundum: ille censetur
14. *construere* Ecclesiam, qui pro illa ædificanda suo nomine expensas sumptusque facit. *c. 25. cit.* aut qui funditus destructam, ita ut novâ indigeat consecratione, reædificat, æquum tamen est ut Episcopus priorem Patronum moneat eumque Ecclesiam reficere volentem præ quovis extraneo admittat. *Garcias c. 9. numer. 51. Dotare* 15. Ecclesiam dicitur, qui jam constructæ annuos proventus in sustentationem ministrorum perpetuò assignat. Econtrà qui post primam dotationem novos fundos vel reditus Ecclesiæ tribuit, etsi plures sint quàm priores, non fundator sed benefactor Ecclesiæ dicitur, nisi prior dotatio injuriâ temporum periisset, ita ut hæc censeretur quasi nova. *Engel hic num. 21.* idem est de Ecclesiâ planè dirutâ & de novo constructâ, tunc jus Patronatûs non primo ædificanti, sed restauranti debetur. *Garcias numer 51. Vallens. numer.* 16. *3. Zoes. numer. 6. Wistn. numer. 25.* Notandum tamen hîc est, quòd ad effectum acquirendi jus Patronatûs, fundatio, constructio, dotatio fieri debeant cum authoritate & licentia Episcopi, per *cit. c. 25.* sufficit tamen consensus etiam ex post accedens, ut si Episcopus templum sine consensu suo ædificatum ex post acceptet, & consecrari jubeat; imò in dubio ex diuturnitate temporis ejus consensus præsumitur. *Garc. numer. 72. Barb. numer. 21.*

*Schamb.*

*Schamb. Menoch. Schmalzg. numer. 36.*

QUÆR. IV. Quibus modis jus patronatûs jam constitutum in alios transferatur?

17. R. Quatuor modis: *1.* Successione in hæreditatem vel jura patroni, sive mas sit, sive fœmina. *c. 1. h. t. Barb. num. 9. Pirh. num. 44. 2.* Donatione, quæ si fiat Laico, requiritur ad valorem consensus Episcopi, non verò si fiat Ecclesiæ vel lōco religioso. *c. illud 8. & c. un. de jurep. in 6.* Si tament sint plures compatroni Laici, unus alteri jus suum irrequisito Episcopo liberè remittere potest. *Passerinus in c. unic. h. t. numer. 7. Vallens. §. 4. numer. 3. Zoes. nu. 14. Eng. nu. 22. Schamb. n. 42. arg. clem. 2. h. t. 3.* Permutatione juris-patronatûs cum alio spirituali factâ cum consensu Episcopi; *Dixi*, cum alio spirituali, nam permutatio ad temporalia reprobatur tanquam Simoniaca, *in c. ult. de rerum permut. 4.* Venditione, non quâ ipsum jus patronatûs, sed quâ castrum vel prædium, cui illud jus cohæret, venditur; ut autem evitetur omnis simonia, non debet in tractatu fieri specialis conventio super jure patronatûs, neque propterea augeri pretium, aut haberi alius respectus temporalis, sed hoc ipso quo ejusmodi prædium transfertur, transfertur simul jus ei cohærens, dummodo specialiter non excipiatur. *c. 7.*
18. *de jurep.* & ibi DD. communiter: eâdem ratione per contractum feudalem vel Emphyteuticum cum castro vel præsidio transfertur jus patronatûs ei annexum; item si uxor marito ejusmodi bona in dotem afferat, non uxor sed ipse præsentationem faciet, cùm ad maritum dominium civile dotis & jus percipiendi fructus ex re dotali pertineat. *Laym. Zoës. h. t. n. 36. Garc. num. 177. Schmalzg. n. 83. Engel. n. 23.* qui etiam dicunt ad conductorem longi temporis scilicet 10. annorum transire jus patronatûs annexum bonis conductis, quia conductor longi temporis verè est emphyteuta & habetur pro possessore. *l. 1. §. 3. ff. de superficieb.* & regulariter omnes fructus, qui per contractum vel consuetudinem specialiter excepti non sunt, percipere potest, quod non tenet de conductore modici temporis. Multo minùs jure patronatûs uti poterit creditor, qui ejusmodi castrum sibi oppignoratum habet, *per c. cum Bertholdus 18. de sent. & re jud. Lambertin. Barb. Azor. Vallens. §. 4. n. 2. Wistn. n. 186. Ratio* est, quòd creditor non possit ex re oppignorata fructus percipere nisi cum obligatione eos Domino restituendi, vel in sortem computandi; sed præsentatio est fructus, quem nec in sortem computare potest, cùm sit quid spirituale, nec restituere, postquam præsentatus sub Episcopo fuerit institutus, ergo.

QUÆR. V. Quibus modis jus patronatûs amittatur?

19. R. Seqq. 1. Si Ecclesia vel dos planè pereat. 2. Si cum patroni consensu ex Ecclesia fiat Monasterium vel Ecclesia Collegiata, cùm in his non præsentatio sed electio obtineat. 3. Si Ecclesia patronatui obnoxia uniatur alteri Ecclesiæ vel Monasterio sine juris reservatione, quia Ecclesia alteri principaliori unita censetur quasi extincta. *Pirh. numer.* 138. 4. Deficientibus successoribus aut extinctâ
20. familiâ patroni. 5. Per non usum amittitur jus patronatûs, si saltem duabus vicibus non præsentarit. *Riccius. Barb. numer.* 5. *Eng. num.* 26. intellige, si lapsum simul sit tempus ad præscriptionem requisitum; jus autem patronatûs contra Ecclesiam liberam à tali jure non præscribitur, nisi quadraginta annis cum titulo, sinè titulo tempore immemoriali. *Trid. sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* contra alium patronum, si hic Laicus sit & præsens, decem, si absens viginti annis cum titulo, sinè titulo annis triginta, contra patronum Ecclesiasticum, cui hoc jus ratione officii vel dignitatis competit, ab Ecclesiastico præscribitur annis quadraginta, à Laico non nisi tempore immemoriali. *Vallens. Barb. Schmalzg. nu.* 166. *Reiffenst. num.* 15. 6. propter delictum hæresis, schismatis, apostasiæ,
21. aut læsæ Majestatis. 7. Si in Rectorem vel Clericum Ecclesiæ patronatæ impias manus injecerit, eum vulnerando, vel occidendo. 8. Si reditus beneficii sibi attraxerit, aut beneficiatum ab eorum perceptione malitiosè impediverit. *DD. cit.* 9. Si patronus jus patronatûs venditione vel simili contractu à jure prohibito in alium transtulerit. *Trid. sess.* 25. *de refor. c.* 9. & *DD. cit.* 10. Excommunicatus non toleratus saltem Ecclesiasticus privatur usu juris patronatûs, usque dum absolvatur; quia per ejusmodi excommunicationem tollitur omnis jurisdictio, Laicus non toleratus etsi juxta *Covar. Dian. p.* 5. *t.* 9. *resol.* 105. validè præsentet, tamen Episcopus ejus præsentationem admittere non potest, quia cum eo communicare prohibetur. *Zoës. nu.* 59. *Schmalzg. nu.* 7. probabiliter dicunt utriusque præsentationem valere & præsentato jus acquiri, sed Episcopum non posse admittere præsentationem factam à vitando, usque dum absolvatur, quia prohibetur cum eo communicare. Notandum etiam quòd jus patronatûs ex causa delicti non amittatur nisi post sententiam, declaratoriam judicis, nisi delictum foret notorium, *Gail, 2. obs.* 51. *n.* 6.

QUÆR. VI. An validè præsentet 11
nudus possessor?

R. Qui bonâ fide possidet jus præsentandi, quamvis tantùm unum actum habeat pro se, validè præsentat, & ab ipso præsentatus est instituendus, etsi ex post motâ sibi lite in petitorio succumbat,

bat, quia præsentatio est fructus possessionis, qui spectat ad bonæ fidei possessorem. *C. consultationibus. 19. h. t. Leur. Reiffenst. Engel. num. 14. Pirh. num. 77.* ubi dicit id tenere, si præsentatio facta est ante motam litem; nam lite contestatâ possessor præsentatus institui non debet, eò quòd fructus post contestatam litem percepti etiam à possessore bonæ fidei restitui debeant, factâ autem institutione non posset restitui beneficium, eò quòd institutio det jus perpetuum. Econtrà *Host. Vivian. Hon. hic num. 58. Wiest. num. 57. Schamb. numer. 55. aliique cum Schmalzg. num. 87.* probabiliùs docent etiam pendente lite à possessore bonæ fidei præsentationem fieri & præsentatum institui posse. *Ratio* est, quia favor Ecclesiæ etsi beneficium sit curatum etiam bonum animarum exigit, ne rite præsentati institutio differatur & in præsentando solùm attenditur possessio *C. cum Ecclesia 3. de caus. poss. & prop.* atque per litis pendentiam possessio non tollitur, ergo: *nec obstat ratio* in contrarium allata, quia re evictâ illi tantùm fructus restituendi sunt, qui restitui possunt salvo jure possessionis, & qui sunt pretio æstimabiles, quale quid non est jus patronatûs.

## CASUS LXXVIII.

### *In Tit. 7. l. 3.*

### De Institutionibus &c.

CAutius *beneficiandus interrogatur 1. Quæ ætas requiratur ad S. Ordines, 2. Ad beneficia simplicia, 3. Ad curata, 4. Ad Dignitates, 5. An admitti possit præsentatio extra tempus facta. 6. An ad beneficium pro certa familia fundatum validè admittatur extraneus. 7. An valeat præsentatio uno patrono non vocato. 8. An major pars patronorum consentire debeat, quid si aliqui ex post varient. 9. Quid si major pars præsentet indignum vel minùs dignum. 10. Quid sit institutio collativa & corporalis. 11. Qualiter fiat. 12. Ad quem spectet. 13. Quid de institutione authorizabili. 14. Collatio cui fieri debeat & à quo. 15. An Capitula & Vicarii Generales sede vacante beneficia Episcopi conferre vel præsentatos instituere valeant. 16. Ad quem spectet conferre Canonicatus Cathedrales, 17. Vel collegiales. 18. An & quæ Parochiæ per concursum conferendæ. 19. An & ad quem fiat devolutio, si institutio vel collatio differatur. 20. An*

20. *An collatio ante acceptationem revocari posit.* 21. *Quid de eo, cui beneficium est invalide collatum.* 22. *An plura beneficia haberi possint.* 23. *An hic excuset dispensatio Papæ vel consuetudo.* 24. *An institutio vel collatio à nudo possessore facta sit valida.* 25. *An ex præscriptione competere possit Laico.* Pro resol.

QUÆR. I. Quis ordo & ætas requiratur in instituendo?

1. R. I. Instituendus debet ante omnia esse Clericus, hoc est habere primam Tonsuram. 2. Debet habere ætatem ad beneficium & Ordines beneficio annexos requisitam: requiruntur autem ex communi *DD.* ad Tonsuram, lectoratum, ostioratum, & exorcistatum anni septem, ad acolytatum duodecim, omnes completi; ad Subdiaconatum ex *Trid.* requiritur vigesimus primus, ad Diaconatum vigesimus secundus, ad Sacerdotium vigesimus quartus, omnes completi; docent autem *DD.* cum *Barbosa* communiter hoc tempus accipiendum esse de momento ad momentum, ita ut si vel una hora desit, Ordines licitè conferri & recipi nequeant, dies tamen bisextilis non computetur: qui ante legitimam ætatem Ordines recipit, ipso facto est suspensus, & in suspensione ministrans fit irregularis; ab hac tamen suspensione quilibet Sacerdos absolvere potest, ut docet *Laym. in resp. morali dub.* 10. qui bonâ fide processit aut hanc pœnam ignoravit, eam non incurrit, quia ignorans censuram vel bonâ fide procedens non est contumax contra legem aut censuram, ut dicam *Cas.* 113. 3. Ex *Trid. sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* requiritur ad 2. beneficia simplicia annus 14. saltem inchoatus *Barb. ad d. c.* 6. *Garc. de benef. p.* 7. *c.* 4. *num.* 11. ubi pro hoc adducit decisionem S. Congreg. si verò in fundatione beneficii cautum sit, ut etiam impuberi rectè conferri valeat, tali fundationi non censetur derogasse Trid. *Engel. l.* 1. *tit.* 14. *n.* 29. ubi addit, Episcopum non posse dispensare, ut minor 14. annis beneficium habeat, quia dispensatio contra Canones & Concilia regulariter soli Papæ, qui supra Canones est, competit; putat tamen ad pensionem sufficere septem annos, eò quòd pensio in odiosis non veniat nomine beneficii. 4. Ad Prælaturas 3. regulares & beneficia curam animarum habentia præter necessariam doctrinam & morum integritatem requiritur annus 25. inchoatus, & præterea ut intra annum suscipiant Ordinem Sacerdotii, alioquin anno elapso ipso jure sunt privati beneficio. *c. licet* 14. *& c. commissa* 35. *de elect. in* 6. si ad Parochiam præsentetur constitutus in solis Minoribus, is repelli non debet, sed admitti & institui, modò intra annum ad Sacerdotium promoveatur. *Text. & DD. in c. si is de instit. in* 6. 5. Ad Episco- 4. patum requiritur annus trigesimus completus *c.* 7. *de elect.* & præterea eli-

eligendus debet per sex menses fuisse in Subdiaconatu. *Trid. sess. 22. c. 2. de ref.* ad Dignitates curam animarum non habentes sive propriè sive nominetenus tales sint, veluti Personatus, viginti duobus annis non minores assumendi sunt. *Trid. sess. 14. c. 12.* quod *Barbosa* etiam extendit ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium; alii econtrà dicunt, ad hos utpote beneficia simplicia & à Trid. specialiter non excepta sufficere annos 14. nisi requirant Ordines Majores, nam *Trid. l. c.* dicit generatim de omnibus beneficiis, quæ certum Ordinem requirunt, quòd intra annum talis Ordo recipi debeat, aliàs si beneficium sit curatum ipso facto illud amittitur, aut in aliis beneficiis media pars fructuum subtrahitur, & crescente contumaciâ etiam beneficio per sententiam privari poterit. *Clem. 2. de ætat. & qualit. ord.*

5. QUÆR. II. Quid circa præsentationem?

R. Sequentia: *1.* Præsentatio debet fieri intra tempus legitimum, quale pro patrono Laico ùt dixi cas. præc. est quadrimestre post habitam notitiam, pro Ecclesiastico semestre, quo neglecto beneficii provisio ad Episcopum, vel illum cujus est instituere, pro illa vice devolvitur. *c. 3. 22. & 27. de jurep.* ita tamen ut præsentatio extra tempus præfixum facta admitti & præsentatus institui possit. *p. c. 4. & ibi gloss. de suppl. negl. Præl.* nisi fortè admissio & institutio ejusmodi cedat in præjudicium tertii legitimè præsentati, ut ex *Celso* bene notat *Konig hic numer. 9.* potest tamen Episcopus, vel ille ad quem spectat instituere, tempus præsentandi prolongare ad aliud quadrimestre vel semestre, non tamen ultra; quia hoc tempus in favorem instituentis præfixum est, cui cedere potest. *Leur. Croix de benef. numer. 307. 2.* Si fundator 6.
ordinaverit, ut ad beneficium præsentetur vel beneficium conferatur uni ex suis descendentibus, præsentatio & collatio alteri facta est nulla, modò idoneus de familia haberi possit; si nullus intra tempus præsentandi de familia contradicat, præsentatio extranei sustinetur non minùs quàm præsentatio facta spreto patrono. *Corrad. Garc. p. 7. c. 15. num. 1. Reiffenst. l. 3. t. 5. numer. 108. 3.* Si jus præsentandi spectet ad plures, omnes 7.
vocari debent, si possint, & si unus prætereatur, tota præsentatio est nulla, ùt patet à pari in electione, quia nemo sine sua culpa privandus est suo jure. *Garc. Laym. Leuren. quæst. 131. numer. 1.* sufficienter tamen censetur quis vocatus, si vacatio beneficii ita ab Ordinario sit publicata, ut omnibus facilè innotescere potuerit. *4.* Ut præsentatio valeat, major pars pa-

tronorum debet in eam consensisse, hinc si duo Patroni Clericus v. g. & Laicus simul unum idoneum præsentarint, postea verò Laicus alterum præsentando accumulet, Episcopus necesse habet primum instituere, cùm sit potior, utpote ab utroque præsentatus, neque Laicus in præjudicium compatroni variare possit. *Abbas in c. cum autem 24. de jurep.* idem est, si tres sint patroni, unus Ecclesiasticus & duo Laici, qui habet duo vota v. g. unum ab Ecclesiastico alterum à Laico, debet institui, quamvis ex post Laicus variet & sentiat cum altero Laico, quia hæc variatio non potest privare primum jure quæsito: in paritate vocum & meritorum est locus gratificationi. *C. cùm autem de jurep.* nec ab ea gratificatione appellare licet. *Honor. de jurep. numer. 58. Vall. §. 5. num. 5. Pirhing. à numer. 48.* 9. 5. requiritur ut præsentatus sit dignus, hoc est, ut sit morum integritate, ætate, scientiâ, prudentiâque sufficiente &c. præditus; si plures compatroni præsentent indignum, & unus tantùm dignum, dignus ab uno præsentatus instituendus erit, eò quòd totum jus hoc casu consolidetur in præsentante dignum, & indigni præsentatio habenda sit quasi non facta. *arg. c. dudum 22. & c. congregato 53. de elect.* si præsentati in votis & merito sint æquales, Episcopus potest instituere quem vult; si unus sit dignior illum præ aliis eligere debet, alioquin peccat contra justitiam distributivam. *c. quoniam 3. c. cum autem 24. & ibi Panorm.* institutio tamen minùs digni præ digniore erit valida. *Panor. in c. pastoralis 29. de jurep.* & alii communiter. Si dignus à majori, dignior à minori parte præsentetur, dignus digniori præferendus est, quia dignior in tali casu non censetur præsentatus. *c. quem. 3. & ibi gloss. de jurep.*

QUÆR. III. Quid circa institutionem?

℟. Tenenda esse seqq. 1. Institutio propriè dicta, prout contradistinguitur à collatione, est concessio beneficii ad præsentationem patroni, collatio autem est libera beneficii concessio sine præviâ ejusmodi præsentatione. 10. 2. Institutio est duplex, *collativa* quâ per litteras ùt vocant confirmatorias confertur ab Episcopo titulus seu plenum jus in beneficium, cùm per præsentationem tantùm habuerit jus ad rem; altera *corporalis*, per quam confertur actualis beneficii possessio, quæ etiam investitura, installatio, vel immissio vocatur; ex hoc enim quòd quis ab Episcopo quoad titulum sit institutus, non potest ipsam actualem possessionem sine licentia vel introductione Superioris apprehendere, aliàs punitur pœnâ arbitrariâ, imò si

si violentiâ utatur priorem possessorem v. g. expellendo, ipso facto amittere omne jus ex institutione quæsitum docent *Engel l. 3. t. 7. numer. 4. Konig ibid. nu. 18.* colligunt hoc à paritate cum electo, sed meliùs contradicit *Schmalzg. ibid. numer. 6.* quia in odiosis & pœnalibus non valet argumentum à pari. 3. Modus investiendi est varius, in aliquibus locis præstitâ in manibus Episcopi vel ejus Vicarii professione fidei *à Trid. sess. 24. c. 12.* præscriptâ, insimul juramento obedientiæ & fidelitatis, imponitur investiendo byretum cum verbis investituram significantibus; alii vocant hanc investituram verbalem, & insuper requirunt realem, sicut in feudis, quâ investiendus in locum beneficii introducatur cum traditione clavium & jurium; sic Neo-Parochus verbaliter & realiter investitur, dum per Commissarium Episcopi die festo, quando Parochiani ad divina conveniunt, introducitur in Ecclesiam, publicè juramenta fidei & obedientiæ præstat ac insignia parochialia accipit, demum in domum Parochialem deducitur, claves & fructus beneficiales ei assignando. Abbas investitur per introductionem in templum, collocationem in sede vel promissionem obedientiæ, Canonicus per assignationem stalli in Choro & Capitulo. *Pirhing l. 3. t. 7. numer. 1.* debet tamen in beneficiis non tantùm electivis, sed etiam collativis & patronatis per edictum affixum fieri citatio eorum, quorum interest, aliàs electio, collatio aut institutio erit irrita. *Garc. Pirh. numer. 3. Schmalzg. num. 34. & seq.* ubi cum aliis docet in collatione libera hujusmodi edictum non esse necessarium: sed spectanda est Ecclesiarum consuetudo. *Garc. Barb. Leuren. p. 9. fori benef. quæst. 192. numer. 3. 4.* Hæc introductio spectat ad Archidiaconum, nisi Episcopus vel alius eam sibi præscripserit. *c. ad hæc 7. de offic. Archid.* excipe Canonicatus, in quibus corporalis institutio de jure competit Decano *c. post 7. de conc. præb.* ipsa verò institutio aut collatio, quâ ipse titulus confertur, regulariter pertinet ad Episcopum loci, ubi beneficium situm est; ex privilegio tamen & consuetudine utraque potestas ad Prælatos inferiores spectare potest *per c. 6. de instit.* si desuper lis est inter Episcopum & Prælatum inferiorem, probatio incumbet inferiori, quia Episcopus habet intentionem fundatam in jure, ex quo institutio & collatio ad eum spectare præsumitur, nisi contrarium probetur. *Garc. p. 5. de benef. c. 1. nu. 235. Eng. num. 3. 5.* etiamsi constet jus instituendi in aliquo beneficio alicui Prælato inferiori competere, nihilominus Clericus ab illo insti-

11.

12.

13.

tutus tenetur se Episcopo præsentare, & illius examen subire, & si beneficium sit curatum, ad curam approbari seu authorisari, quæ approbatio propterea vocatur institutio authorisabilis, alioquin institutio prima irrita erit & inanis. *Trid. sess. 25. c. 5. de refor. sess. 23. c. 15.* ubi addit: *contrariis privilegiis & consuetudine etiam immemoriali non obstantibus.* Concordat Bulla Greg. XV. *Inscrutabili*, & Bulla Urbani VIII. *Cum sicut*; interim hanc institutionem authorisabilem seu approbationem instar aliorum jurium Episcopalium à Prælatis inferioribus præscribi posse, probat *Panor. in c. 12. de præscrip. numer. 17. Barb. de off. & potes. Ep. p. 3. alleg. 72. numer. 185. alleg. 127. numer. 14.* & de Prælatis exemptis concedit *Reiffenst. tit. 7. nu. 42.* etsi neget de non exemptis *numer. 38.* neque enim lex, quæ tollit consuetudinem contrariam generalem, tollit particularem præscriptionem. *arg. c. 1. de const. in 6. Rob. Konig. num. 19. Engel num. 8.* deinde dum *Trid.* dicit: *nullâ obstante consuetudine*, intelligitur de consuetudine tunc vigente, non autem de consuetudine ex post inducendâ. *Engel. l. 1. tit. 4. num. 23.* & præcipuè *num. 13.* accedit, quòd inferiores Prælati possint acquirere jus quasi Episcopale, ùt fatentur omnes, ergo & institutionem authorisabilem; hæc sententia est probabilis, etsi opposita sit communior, quam tenent *Lotterius, Murga, Pirh. Leur. q. 720. Schmalzg. n. 43.*

QUÆR. IV. Quid circa Collationem?

R. Collatio multa habet communia cum institutione, multa autem specialia, ùt patebit ex seqq. nam *imò*, Collatio & institutio fieri debet Clerico digno, hoc est ætatem habenti, immuni à censuris, irregularitate, interdicto personali, suspensione & excommunicatione, idque tenet etsi excommunicatio non sit notoria aut denuntiata. *C. is qui 58. §. is verò de sententia exc. in 6. 2.* Collatio sicut & institutio regulariter competit Episcopo loci, ita ut omnia beneficia suæ Diœcesis conferre possit, nisi ea dignoscantur S. Pontifici esse reservata, aut ad aliorum collationem spectare; nam & aliis inferioribus Prælatis vel Abbatibus jus conferendi beneficia, ex speciali fundatione, privilegio aut præscriptione competere posse experientiâ manifestum est. Requiritur autem, ut collator non sit excommunicatus, non toleratus, quia tunc invalidè confert. *C. un. ne sede vacante*, excommunicatus toleratus etiam notorius validè confert. *Covar. Sayr. Leur. q. 728. num. 22. contra Garc. 3tio Capitula & Vicarii generales etsi sede vacante possint instituere à patronis præsentatos, nulla tamen beneficia ad Episcopum spectantia con-* 14. 15.

conferre valent ; *Ratio est* , quòd conferre sit species donationis, quam rei alienæ administrator regulariter facere non potest. *c. fin. de offic. Vicar. in 6.* instituere verò præsentatum est actus justitiæ, eò quòd præsentato ex præsentatione jus ad beneficium acquiratur. *c. 1. de inst. in 6.*

16. 4. Collatio Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis de jure communi non spectat ad solum Episcopum, neque ad solum Capitulum, sed ad utrumque simul, ita ut una vox sit penès Episcopum, altera penes Capitulum seu majorem partem Capitularium; quòd si Episcopus velit huic, Capitulum verò alteri conferre, neutra collatio valebit; nec refert, quòd minor pars Canonicorum fortè sentiat cum Episcopo, nam vota paucio-rum hic non attenduntur, cùm penès Capitulum tantùm unica vox sit. *Ratio* congruentiæ *est*, quòd non solius Episcopi sed omnium Canonicorum interest, quales collegas acquirant; ideo hic valet regula: *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. c. novit 4. & seqq. de his quæ fiunt à Præl. c. cum Ecclesia 31. de elect.* ubi reprobatur petitio Episcopi electionem Canonicorum sibi soli vendicantis; ergo rectè infertur eam ad Episcopum simul & Capitulum pertinere. *Dixi* de jure communi; nam consuetudine introduci potest, ut Canonicatus vacantes in mensibus Ordinarii vel per solum Episcopum, vel per solum Capitulum, aut etiam per Episcopum cum consensu & consilio Capituli conferantur. *d.c. 31.* magna autem est differentia, an collatio pertineat simul ad Episcopum & Capitulum, vel an principaliter pertineat ad Episcopum cum consensu tamen & consilio Capituli; nam in primo casu Episcopo à collatione suspenso vel mortuo poterit conferre solum Capitulum, vel suspenso Capitulo Episcopus. *c. un. ne sede vacante in 6.* quia utriusque æqualis est consideratio ; altero autem casu Episcopo mortuo vel suspenso Capitulum se intromittere non poterit, quia principalis collatio est penès Episcopum. *Konig. Engel l. 3. t. 5. à num. 66. Schmalzg. ibidem Reiffenst. à n. 186.* 5. In Collegiatis Ecclesiis collatio regulariter fit per præsentationem Prælati & Capituli ac institutionem Episcopi. *Barb.* in tract. de Canonicis. *c. 14. Gonzales Reiff. n. 199.* attendenda tamen & hic locorum consuetudo, ex qua nonnunquam soli Episcopo, Præposito, aut Decano cum consensu Capituli institutio Canonica competit. 6. Parochiæ non arbitrio Episcopi, sed per concursum conferri debent illi, qui post examen dignior inventus fuerit. *Trid. Sess. 24. c. 18. de refor.* Idque tenet etiam de Parochiis S. Pontifici reservatis in tantum, ut Episcopus Papæ illum pro collatione denunciare debeat, qui in concursu extiterit melior; excipiuntur tamen Parochiæ, quæ sunt

17.

de jure Patronatûs Laicorum, in quas Episcopus illum instituere debet, quem Patronus præsentat, dummodo habilis fuerit; item excipiuntur Parochiæ Monasteriis vel aliis Ecclesiis incorporatæ, quia in his non propriè Parochus, seu Vicarius ponitur. *Pius V. constit. 47. ad exequendum Barb. Reiffenst. à n. 142.* notandum hîc, quòd licèt Episcopi ex rationabili & justâ causâ ante collationem possint ex beneficio certam pensionem reservare, applicandam scholæ pauperum aut simili Ecclesiæ utilitati vel necessitati, vel denique uni ex litigantibus, qui jus suum amore concordiæ & pacis colligatori suo cedit cum reservatione ejusmodi pensionis &c. tamen non possunt Ecclesias Parochiales, quæ summam 100. ducatorum non excedunt pensionibus gravare, prohibente id *Trid. Sess. 24. c.* 19. *13. de reform. 7.* Pro facienda institutione nullum tempus à jure est præfinitum, ideóque non fit devolutio, etsi habens potestatem instituendi negligens sit. *Garc. p. 10. c. 4. n. 1. Barb. alleg. 72. n. 191. Pirh. n. 19.* collatio tamen fieri debet intra 6. menses à tempore habitæ notitiæ, collator finens hunc terminum elabi, vel conferens indigno, pro eâ vice jure suo privatur, idque in Ecclesiis Cathedralibus ab Episcopo ad Capitulum, illo etiam negligente ad Archi-Episcopum, demum ad S. Pontificem devolvetur, in Ecclesiis verò Regularium post elapsos sex menses jus conferendi non ad Capitulum sed ad Episcopum spectabit, qui in non exemptis propriâ & ordinariâ potestate, in exemptis Apostolicâ authoritate beneficia neglecta confert, ita tamen ut regularia regularibus, sæcularibus sæcularia concedat. *Clem. un. de sup. negl. Præl.* illud autem est speciale, quòd quoad beneficia regularia, quæ sunt de mensa Prælatorum, hoc est, de quibus Prælati & Religiosi habent sustentationem, seu quæ pleno jure, id est, quoad temporalia & spiritualia sunt Monasterio incorporata, non observetur terminus sex mensium, quia nunquam propriè vacant, cùm Prælatus sit rector principalis, & exercens curam animarum tantùm Vicarius ad nutum amovibilis. *dicta Clem.* notandum etiam, quòd collatio sicut & præsentatio post tempus juris facta, de rigore quidem irritari possit, si tamen per celerem provisionem mora purgata fuerit, debet talis provisio de æquitate tolerari, quia Consilium Lateranense, quod hunc terminum statuit, non tam pœnam negligentium, quàm maturam Ecclesiarum provisionem intendit. *c. litteras de supplend. negl. Præl.* 8. Collatio semel facta sub- 20.
jecto idoneo revocari non potest, etiamsi nondum sit acceptata. *c. si tibi de præb. in 6.* quod si quis collationi renunciavit, sed ex post eandem iterum accepter, antequam collator mutet voluntatem,

va-

21. valet acceptatio. *Laym.* & alii. 9. Si quis est incapax beneficii, vel certò novit illud sibi invalidè esse collatum, nec beneficium nec fructus malâ fide perceptos retinere potest, sed debet resignare vel petere à S. Pontifice revalidationem tituli, dispensationem impedimenti, aut absolutionem à censuris: scienter permanens in beneficio nulliter obtento, contrahit vitium intrusionis, idque debet in supplica pro revalidatione tituli coram Pontifice specialiter exprimere, alioquin revalidatio censebitur subreptitia. *Abbas in c. 28. de præb. & dig.* putat tamen *Sanch. Laym. de benef. c. 5. numer. 2.* si nullitas collationis & ipsa intrusio sit occulta, revalidationem tituli in foro conscientiæ hoc ipso contingere, quòd quis ab aliquo habente potestatem à censura absolvendi, vel impedimento ætatis, ordinis &c. dispensandi absolutus vel dispensatus sit; *dixi*, si certum sit collationem ipso jure esse nullam, nam in dubio melior erit conditio possidentis: deinde qui jam validè obtinuit beneficium, si ex post propter excommunicationem, irregularitatē, simoniā, vel aliter ipso jure vel facto aut etiā ante sententiā declaratoriam dicitur privatus beneficio, non tenetur dimittere beneficiū ante sententiam judicis declaratoriam, quia ejusmodi pœna requirit factum hominis, scilicet dimissionem ex parte beneficiati, & cognitionem causæ ex parte judicis; aliud est de pœnis, quæ consistunt in negativo & exteriorem executionem non requirunt, ùt excommunicatio, irregularitas. *Engel l. 1. t. 6. n. 45. Leur. p. 2. q. 288.* imò si beneficium esset invalidè obtentū ob defectū v.g. ætatis, ordinis, potestatis in cōferente aut aliter, dummodo defectus sit occultus, & omnia jure naturæ requisita adsint, plerumque in foro conscientiæ retineri posse, usque dum per Superiorem tollatur, cum aliis docet *Dian. p. 11. tr. 5. R. 56. Leur. q. 761.* excipi simoniacum & intrusum *V. Cas. 85. n. 7. 9. 10.*

QUÆR. V: Quid circa pluralitatem beneficiorum?

22. Tenenda sunt seqq. 1. Beneficia residentiam personalem per majorem anni partem requirentia, qualia de jure sunt Canonicatus & beneficia curata, duo vel plura ab uno sine speciali Papæ dispensatione obtineri non possunt, & per assecutionem secundi vacatio primi ipso jure inducitur. *Trid. Sess. 24. c. 17. de refor.* 2. Plura beneficia simplicia, aut etiam unum residentiam requirens & alterum simplex absque speciali dispensatione eidem conferri possunt, modò unum ad honestam sustentationem non sufficiat & non sint uniformia, id est in una eademque Ecclesia, v. g. duæ Capellaniæ in uno eodemque Altari sub invocatione ejus-

ejusdem sancti. *Trid. l. cit. Passerin. in c. 19. de præb. in 6. Wiest. t. 5. num. 197.* plura verò beneficia quàm duo, quamvis ad sustentationem insufficientia, per Episcopum absque dispensatione Papæ concedi non posse definivit S. Congreg. apud *Garc. p. 11. de benef. c. 5. n. 316. Barb. p. 3. alleg. 62. num. 6.* potest tamen in eadem Ecclesia quis esse Canonicus & simul Decanus, Præpositus, Scholasticus, Custos, *Garc. l. c.* & ita habet consuetudo. 23. 3. Qui plura beneficia etiam simplicia habet, quàm conditio sui statûs pro honestâ sustentatione requirit, in conscientiâ securus non est, quia id repugnat intentioni fundatorum & imminuitur cultus divinus, potestque iis per Episcopum privari. *Trid. loc. cit.* à potiori inexcusabiles sunt, qui sinè sufficientibus causis [quales sunt sola necessitas & evidens Ecclesiarum utilitas, aut honesta clerici sustentatio] dispensationem super pluralitatem beneficiorum incompatibilium à Summo Pontifice extorquent. De his *Trid. c. se ipsos non Deum decipiunt, qui ea quæ bene constituta sunt variis artibus eludere & plura simul beneficia obtinere non erubescunt.* Et *S. Bernard. cit. à D. Thom. qdl. 9. a. 15. qui non unus sed plures est in beneficiis, non unus sed plures futurus est in suppliciis, & qui poterat ire ad infernum sine dispensatione, jam ibit cum dispensatione.* Neque excusat consuetudo contraria, quia hæc utpote repugnans juri naturali est irrationabilis & corruptela. *c. 1. de consuet. in 6. Paris. Barb. n. 9. Garc. n. 270. Pirh. tit. 5. n. 127.* potest tamen consuetudo excusare à pœnis Ecclesiæ, *DD. cit.* illud autem beneficium censetur ad sustentationem sufficiens, ex quo quis servatâ hospitalitate & statûs decentiâ honestè vivere potest. *Vallens. Zyp.* apud *Reiffenst. n. 222.* ad Clerici sustentationem etiam computantur parentes, consanguinei, pauperes &c. qui honestissimè ex beneficio aluntur.

QUÆR. VI. Quid circa possessionem conferendi, instituendi, eligendi, præsentandi &c.

R. Capax juris conferendi, instituendi, præsentandi, si possideat bonâ fide & habeat tantùm unum actum pro se, confert validè, quod tenet, quamvis ipse nullum actum exercuerit, modò ejus prædecessor fuerit in possessione, aut ipse possideat rem, cui jus conferendi est annexum, etiamsi ex post constet proprietatem ad alterum pertinere. *Gonzal. Garc. Leur. l. c. Zoës. num. 14.* nec refert, an collatio à tali possessore facta sit ante vel post contestationem litis motæ super proprietate juris, quia lite pendente in possessoris præjudicium nihil est innovandum. *Leuren. num. 4. Garc. Schmalzg. num. 60.* si verò agatur super possessione, eventus litis exspectandus erit; aut si ante factam collationem constet jus conferendi 24.

ad

ad alium pertinere, clarum est possidentem nec validè nec licitè conferre posse, quia est in mala fide, & non tam possessor quàm usurpator rei alienæ. *Garc. c. 5. n. 9. 33. & 37. dixi, capax juris conferendi,* quia Laicus sicut jus conferendi possidere non potest, sic nec præscribere nequidem tempore immemoriali, sed debet docere de titulo, & quamvis ex possessione immemoriali juris decimandi, etiam in Laico præsumatur titulus, id tamen non tenet in jure conferendi. *Garc. Barb. Leur. Zoes. de præb. n. 8. Engel. ibid. n.* 3. quia jus decimandi ab Ecclesia etiam Laicis ex privilegio concedi solet, non verò jus conferendi ut- 25.
pote magis spirituale, hinc ex possessione immemoriali quoad jus decimandi facilius præsumitur titulus quàm quoad jus conferendi, & Ecclesia dum videtur aliquibus Principibus concessisse jus donandi beneficia, id potiùs de jure Patronatûs quàm de jure conferendi intelligendum est. Demum si Prælatus vel Episcopus, qui communiter habetur pro legitimo, conferat beneficium suo officio annexum, validè confert ob titulum coloratum & errorem communem. *L. Babarius ff. de offi. Præl. c. infamis 3. p. 7.* & DD. communiter, quia Ecclesia tunc supplet defectum propter bonum commune.

## CASUS LXXIX.

### *In Tit. 6. lib. 1. Decret.*

### De electione & iis, qui eligere possint.

DAphnes super electione varia format dubia, 1. *An extranei jus eligendi acquirere possint præscriptione cum uno actu absque titulo,* 2. *An fundatione,* 3. *An ex consensu Capituli.* 4. *An etiam Laici,* 5. *An impuberes aut nondum Subdiaconi,* 6. *An excommunicati, suspensi, interdicti,* 7. *An religiosi proprietarii,* 8. *An negligentes tempus præfixum, & quod illud.* 9. *An eligentes per abusum secularis potestatis.* 10. *Quid de eligentibus indignum.* 11. *Quinam ad electionem vocandi, Quid si non compareant vel protestentur contra tempus præfixum.* 12. *An vocandi inhabiles.* 13. *An habiles obligentur comparere.* 14. *Quid si absentes commodè exspectari non possint.* 15. *An absentes possint constituere procuratorem, an in scriptis vota mittere &c.* Pro resol.

QUÆR. I. Quid sit electio?

1. R. Est personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem per vota Capitularium Canonica vocatio. Vota autem alia dicuntur activa, alia passiva; *activa* sunt illorum, qui eligere possunt; *passiva* illorum, qui possunt eligi, seu capaces sunt dignitatis electivæ.

QUÆR. II. Quinam eligere possint?

R. Regulariter soli & omnes Capitulares jure non prohibiti, nonnunquam tamen jus eligendi etiam Clericis extraneis, qui non sunt de gremio Capituli, competit, ùt 1. *ex privilegio* S. Pontificis *c. 8. de consuet. 2. consuetudine aut præscriptione* quadragenaria, *c. 3. de causa possess. & propriet.* & quamvis ad quasi possessionem juris eligendi sufficiat unus actus, *Barb. in collect. ad c. 3. de causa possess. & prop. numer.* 10. ad complendam tamen præscriptionem quadragenariam requiri videntur plures actus, & ad minus duo; nam quomodo erit possessio satis continuata, ubi unus tantùm intercessit actus, cùm tamen actus hi ex natura sua sint iterabiles, nec argui possit patientia adversarii, quando occasio impediendi non fuit, dum scilicet electus 40. annis vixit, & interea nullus alius electionis casus intervenit; de cætero qui est in possessione juris eligendi etiam per unicum tantùm actum, ad electionem admitti debet, quia lite pendente nemo fructu suæ possessionis privari debet, *c. 1. & 2. ut lite pendente Engel l. 1. t. 6. à n. 2. Wiestner* ibidem *n. 51.* ubi dicunt ad præscriptionem quadragenariam juris eligendi non requiri titulum, tum quòd *cit. c. cum causa* nullius tituli mentionem faciat, cùm tamen ibidem non tantùm super possessorio, sed & petitorio, in quo regulariter titulus monstrari debet, actum fuerit; tum quòd in juribus incorporalibus scientia & patientia adversarii plerumque loco tituli habeatur. *L. si quis diuturno. 10. ff. si servitus 3. Ex fundatione*, scilicet si Patronus Ecclesiasticus in Ecclesia à se fundatâ sibi aut alteri jus eligendi reservet, prout reservare potest. *Arg. c. 23. de jurep. Rota decis. 194. numer. 1. p. 2 Fagn. Reiffenst. l. 3. t. 5. à num.* 105. 4. *Ex pacto vel compromisso eligentium*, ùt si eligentes omnes in Clericum extraneum v. g. Episcopum compromittant, ut vel solus eligat, vel pro una vice ad coëligendum admittatur; dixi, *si omnes*; nam si vel unus se opponat, admissio extranei erit nulla. *Pirh. l. 1. t. 6. num. 53. Schmalzgruber ibid. num. 7.* dixi 2. *pro unâ vice*; nam Capitulares jus eligendi sine solennitatibus Canonicis à se in perpetuum abdicare non possunt, quia hoc jus non tam favore eligentium quàm Ecclesiæ, cui melius per electionem quàm per aliam provisionem consultum est, conceditur: *Engel sup.* qui extra gremium ad dignitatem aliquam evehitur, jus cli-

eligendi sibi nequidem cum consensu Capituli reservare potest, ut clarè habetur *c. 47. de elect.* nec obstat, quòd Capitulares Clericum extraneum ad eligendum admittere possint, nam id pro unâ vice etiam concedi posset Capitulari ad dignitatem alibi electo, nam *cit. c. 47.* tantùm prohibet jus eligendi concedi ad dies vitæ, ne sit quasi duplex Canonicus vel Monachus participans jura utriusque Collegii. *Pirhing num. 14. Jo. Andreas Rob. Konig ibid. n. 4.* 4. Laici jus eligendi nec pacto, nec fundatione, nec quacunque donatione consequi possunt, *c. 51. de elect.* imò nec consuetudine immemoriali, cùm spiritualia possidere nequeant, sine possessione autem non procedat præscriptio. *c. 7. de præscrip.* quòd verò sæculares privilegio Apostolico ad ritè eligendum quemadmodum ad jus Patronatûs & similia jura spiritualia qualificari possint, docet *Engel n. 4. Schmalzg. n. 16. à n. 4. h. t.* & olim factum fuisse perhibet *c. 13. 18. 22. & 23. dist. 63.*

QUÆR. III. Quinam à jure prohibeantur eligere?

5. R. Prohibentur plures & quidem ex triplici capite, ob inhabilitatem, ob censuram, ob culpam. *Ob inhabilitatem* ab electione arcentur 1. impuberes per *c. 34. de elect.* nec obstat, quòd fortè malitia suppleat ætatem, nam Canon non distinguit, *Zoës. numer. 3. h. t.* 2. Excluduntur Subdiaconatûs Ordine non initiati, *Trid. Sess. 22. c. 4. de refor.* dispensatus in ætate ad Ordinem suscipiendum non censetur dispensatus ad electionem, ùt habet communis, quia dispensatio est strictæ interpretationis, etsi oppositum non improbabiliter teneat *Schmalzg. n. 11.* quia inhabilitas eligendi videtur esse ex defectu Ordinis, non ætatis; ex longâ tamen consuetudine apud Regulares admitti posse professos nondum in majoribus constitutos, docet *Engel numer. 6.* 6. *Ob censuram* eligere non possunt 1. Excommunicati excommunicatione majore. *c. 24. & 29. h. t.* minor excommunicatio, cùm non exercitio officii sed tantùm Sacramentorum susceptione privet, non obstat electioni activæ. *c. fin. de Clerico excom.* 2. Suspensi ab officio, & multò magis suspensi ab officio & beneficio. *c. 16. in fine h. t.* non autem suspensi à beneficio *tantùm*, nam suspensio à beneficio *tantùm* privat fructibus percipiendis, eligere verò non est fructus beneficii, sed potiùs actus officii vel quasi jurisdictionis, *Barb. l. 1. c. 19. n. 59. 3.* Interdicti interdicto personali, quod importat suspensionem, *d. c. 16.* interdictum locale non impedit electionem, eò quòd solùm prohibeat administrationem quorundam Sacramentorũ & Sepulturæ Ecclesiasticæ, si tamẽ quis in loco interdicto celebret

fit irregularis & voce activâ & passivâ privatur *per c. is qui 18. §. is verò de sent. excom. in 6. Wiestner.* post extrav. Martini V. *ad evitanda*, excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares ad eligendum admitti possunt, nisi sint denuntiati aut per exceptionem repellantur, *Pirhing numer. 31. c.* econtrà si vitandus seu denunciatus scienter admittatur tota electio est ipso jure nulla secundùm *Suar. Nav. Barb. &c.* secundùm *Laym.* verò *quæst. can. 26.* tantùm irritanda, quia actu irritam esse nullo jure expressum est: si talis admittatur ignoranter vel ex metu gravi, solum votum excommunicati habetur pro non dato, electione in suo vigore permanente. *Ob culpam*

7. jus eligendi amittunt 1. Religiosi proprietarii, hi enim biennio voce activâ & passivâ privantur. *Trid. Sess. 25. de regul. c. 2.* 2. Qui scienter negligunt tempus à jure præfixum, eligentes autem ad Ecclesiam

8. Cathedralem seu Episcopalem, item ad Ecclesiam Regularem habent à die notitiæ vacantis Ecclesiæ tres menses, eligentes ad aliam Prælaturam quamcunque non Episcopalem neque regularem in Ecclesia sive Cathedrali sive Collegiata habent sex menses, quo tempore si non eligant, jus eligendi pro ea vice ipso jure devolvitur ad Superiorem, cujus aliàs erat Electionem confirmare, ita tamen ut ex eadem Ecclesia teneatur aliquem Prælatum eligere, si idoneum habeat, cæteroquin ex alia, *c. 41. h. t.* quòd si electio intra trimestre vel semestre facta effectum non habuit, eò quòd electus eam vel acceptare noluerit, vel mortuus sit, conceditur novum integrum trimestre pro celebrandâ electione, dummodo non fraudulenter actum fuerit, ut si studiosè ultimo die eligant illum quem sciunt non acceptaturum, ut sic novum currat tempus electionis. *c. 26. h. t. in 6.* 3. Ab officiis & beneficiis per sententiam judicis ad 9.
triennium sunt suspendendi, & ipso facto jure eligendi pro illa vice privantur, qui scienter & sponte eligunt per abusum sæcularis potestatis, id est, petunt vel admittunt Laicos v. g. Principem vel ejus Commissarios, qui se cum authoritate ingerunt electioni & eligentium libertatem impediunt. *c. 43. h. t.* ubi etiam consentiens electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis inhabilitatur ipso jure ad quamcunque dignitatem Ecclesiasticam, donec cum eo dispensetur, & electio ejusmodi irrita declaratur, quod adeo verum est, ut nec consuetudo in contrarium valeat. *c. 56. h. t.* si tamen eligentes per errorem vel gravem metum sæculares admiserint, pœnam non incurrunt, & valet electio quoad vota Capitularium non verò Laicorum, modò eorum præsentia libertatem electionis non impediverit; hîc enim

va-

valet *regula 37. in 6.* quòd utile per inutile non vitietur; attamen consultum est, ut Capitulares tali casu protestentur Laicorum vota non valitura, ne dum gravem metum aut violentiam probare non possunt, censeantur liberè consensisse, ideoque dictam pœnam incurrisse: potest verò permitti, ut Laicus quà testis, Notarius, Juris-Consultus & protector, absque tamen voto, electioni assistat; imò *Laym. quæst. Can. 22. Engel. num. 3. Konig n. 20. Schmalzg. num. 5.* non improbant consuetudinem, quæ in aliquibus locis invaluit, ut nempe electio novi Prælati tam celebranda quàm celebrata Principi vel patrono Laico intimari ejusque desuper consensus peti debeat, *p. c. c. 51. in fine h. t.* modò per eam nihil derogetur Ecclesiasticæ libertati, & Princeps vel Patronus Laicus consensum super electione celebrandâ vel celebratâ à se postulatum non deneget, nisi Canonicum adsit impedimentum. 4. Qui scienter eligunt Epi- 10.
scopum indignum, maximè ob defectum natalitium, scientiæ, & morum, ipso jure ad triennium sunt suspensi ab omnibus beneficiis in illa Ecclesia obtentis, & pro illâ vice devolvetur ad Superiorem, *c. 23. h. t.* si verò contingat, quòd dignus à minore parte tali casu electus electionem non accepter, moriatur, vel occulto impedimento laboret, jam alii Capitulares, qui priùs indignum elegerant, ampliùs excludi non poterunt, *Laym. Pirh. num. 52.* *Ratio* est, quia excluduntur tantùm à prima electione, quæ jam à minore parte peracta fuit: imò docet cit. *Pirh. nu. 51.* quòd privati voce propter electionem indigni, si ab aliis liberè admittantur, etiam primâ vice validè votare queant; si enim Capitulares possint extraneos admittere, quare non Concapitulares voce privatos. *c. 40. h. t.* nec obstat, quòd per triennium sint suspensi à beneficiis, nam electio non est actus beneficii. *5tò*, Etiam eligentes ad Dignitates & Prælaturas Episcopatu inferiores scienter indignum, ex communiori sententia incurrunt supradictas pœnas, exceptâ solâ suspensione, quam incurrunt soli eligentes Episcopum indignum. *c. 7. 18. 37. h. t. in 6.* docet quidem *Passerinus* apud *Engel. l. c.* Regulares & alios ad Dignitatem Episcopatu inferiorem eligentes nullam ex dictis pœnis incurrere, sed puniendos esse solâ pœnâ arbitrariâ; at jura citata sunt nimis clara.

QUÆR. IV. Quinam ad electionem vocari debeant?

R. Vocandi sunt omnes Capitu- 11.
lares, qui *debent*, *volunt*, *& commodè possunt* interesse, *c. 42. h. t.* & quidem si vel unus è vocandis negligatur, seu non vocetur, eo vel ejus successore prosequente contemptum, electio licèt à majore parte Capituli facta aut etiam confirmata sit, est irritanda, cùm plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quàm

multorum contradictio in præsenti, *c. 36. h. t.* nisi contemptus ob bonum pacis malit suo juri resignare & electioni consentire *c. 48. h. t.* nec citatio facta præsumitur, sed probari debet ab electoribus, quòd si ob unius vel alterius neglectum electio cassetur, non devolvitur ad Superiorem, sed redit ad Capitulum. *Passer. Leur. p. 2. qu. 314.* Si absentes legitimè citati tempore præfixo comparere nolint, soli præsentes electionem efficiunt; nec obstat, quòd fortè major pars sit absens; cùm enim sint legitimè citati & mora in electionibus sit periculosa, sibi imputent, quòd ad terminum præfixum per se vel procuratorem non comparuerint. *Pirh. num. 126.* quod maximè procedit, si major pars per minorem vocata dicat se nolle eligere, vel electioni interesse, *per c. 19. V. item cum post. h. l.* aut si in litteris citatoriis expressum fuerit, quòd non obstante absentum contumaciâ ad negotium electionis procedendum sit; hæc enim comminatio designat citationem peremptoriam *l. 71. ff. de jud.* quod si tamen vel unus protestetur & appellet à tempore præfixo, si non instet terminus electionis, aut periculum aliquod, audiendus erit, aliàs censebitur contemptus. *Passerin.*

12. *Leur. qu. 311. Dixi 1.* Ad electionem vocandos esse, qui electioni *interesse debent*, hoc est, qui de facto jus eligendi habent vel sunt in quasi possessione juris eligendi. *c. 55. h. t.* idque ante & post motam litem super jure eligendi *Schmalzg. n. 10. V. Cas. 77. nn. 22. & Cas. 78. n. 24.* econtrà inhabiles seu privati jure eligendi, si negligantur, non poterunt agere de contemptu. *c. 18. h. t.* quæ doctrina obtinet, etiamsi priùs discussum non sit, an non citati inhabiles aut privati sint aut non sint, modò postea convinci possint. *Gonzal. in d. c. 18. n. 11. Leur. q. 309. Dixi 2do, & volunt,* quia cùm 13.
cuilibet juri suo renunciare concessum sit, nemo invitus electioni interesse cogitur aut cogi potest, nisi vel statuto aut consuetudine particulari aliud introductum fuerit, aut certè ob specialem aliquam causam viduatæ Ecclesiæ interfit, ut omnes ad electionem accedant. *Pirh. n. 126. Dixi 3.* & 14.
*possunt* commodè interesse, unde qui commodè aut sine periculo vocari vel exspectari non possunt, eò quòd timeantur factiones, sciśmata, intrusiones, vel abusus Laicæ potestatis, sine iis ad electionem procedendum erit *per c. quia propter c. sicut 28. h. t. Pirh. n. 127.* de cætero sicut consuetudine induci potest, ut absentes omninò non vocentur, teste *Panor. in c. 35. h. t.* ita de facto in pluribus locis obtinuit, ut omnes sive insive extra provinciam existentes licèt remotissimi debeant citari, dummodo intra tempus à jure statutum adesse possint: proinde hac in re non tam dispositio juris communis, quàm cujuslibet Ecclesiæ usus attendendus erit &c. 15.
*Notandum* autem,

quòd

quòd justè impediti procuratorem constituere possint, qui regulariter debet esse de Capitulo, & petentibus cæteris Capitularibus in animam principalis jurare, quòd is personaliter accedere non potuerit. *c. 42. h. t.* procuratorem extraneum Capitulares acceptare non tenentur, etsi nullus de Capitulo absentis procurator esse velit. *c. 46. h. t. in 6.* ubi etiam disertè statuitur procuratorem non posse alium suo, alium principalis nomine eligere sed pro se & principali eâdem conscientiâ digniorem eligere debere, nisi speciale mandatum habeat de certa persona eligenda, tunc enim illâ principalis nomine eligere debebit; absentes autem per litteras votum dare non possunt, tales enim litteræ deberent aperiri & manus scribentis à Capitulo recognosci, quod est contra formam scrutinii, in quo vota debent dari sigillatim & secretò, & ejusmodi votum in scriptis datum præveniret ipsum scrutinium. *d. c 46.* in electionibus tamen regularium, in quibus forma scrutinii tam exactè non servatur, sed scedulæ obsignatæ in unam urnam conjiciuntur, votum in scriptis ab ægroto vel absente mitti potest, *Laym. q. can. 44.* & quia *Trid. sess. 25. de regul. c. 6.* statuit sub pœna nullitatis, ut electio regularium fiat per vota secreta; hinc regularis absens non poterit constituere procuratorem cum mandato speciali de eligendâ certâ personâ, bene tamen cum mandato generali de eligenda persona, quæ procuratori dignior visa fuerit: Procurator cum mandato generali etiam mandantem eligere potest, & quamvis procurator specialis subdelegare possit, non tamen generalis, quia industriâ ipsius personæ electa est, eò quòd suo judicio teneatur eligere quemcunq; digniorem. *Pirh. n. 150.* ubi dicit eundem etiam posse compromittere & sub aliis formis quàm scrutinii consentire; econtrà procurator cum speciali mandato non potest sub alia forma quàm scrutinii in electionem consentire, cùm hæc sola ei intelligatur demandata *c. penult. V. de certa h. t.*

## CASUS LXXX.

### *In Tit. 8. & 9. lib. 3. & tit. 6. lib. 1. Decret.*

### De Ecclesia vacante & persona ad eam eligenda.

EAtius *Decanus dubitat*, 1. *An possit conferre beneficia solo jure vel facto vacantia*, 2. *Vel promittere possit beneficium primò vacaturum.* 3. *An Capitulum sede vacante possit Confessarios approbare, electiones confirmare, resignationes, permutationes recipere, beneficia Episcopi conferre, dimissoriales concedere, Episcopo extraneo in sua*

*Dia-*

*Diœcesi vacante confirmandi, ordinandi licentiam dare. 4. Statuta facere, appellationes recipere, excommunicare, dispensare, 5. Vicarium generalem constituere, Moniales exemptas visitare, 6. Reditus Episcopales alienare, ex iis debita solvere. 7. An hæc suo modo teneant de Capitulo Regularium. 8. An Capitulares eligendo certas conditiones imponere possint. 9. An eligi possint illegitimi vel rescripto Principis legitimati. 10. An descendentes ex genere maculato. 11. An nondum Sacerdotes, quid si post electionem occurrat impedimentum Sacerdotii, 12. An Novitius, 13. An is qui non est de gremio. 14. An rudis & neophytus. 15. An quis queat eligere se ipsum, an ambitiosus vel plura beneficia habens. 16. Quid de electo per abusum potestatis sæcularis, vel intruso. 17. An infamis, 18. An Simoniacus, 19. An excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares. 20. An minùs dignus præ digniore. 21. An sponsus alterius Ecclesiæ. 22. Quid de Abbatissis.*

Casu præc. dictum est, quòd Electio sit vocatio personæ idoneæ ad *Ecclesiam vacantem*; igitur præsenti examinandum est *1.* Quid sit Ecclesiam aut Beneficium vacare. *2.* An beneficia nondum vacantia conferri possint. *3.* Quid Ecclesiâ vacante possit Capitulum. *4.* Quæ personæ ad Ecclesiam vacantem eligi possint. Igitur

1. QUÆR. I. Quid sit Ecclesiam vel beneficium vacare?

R. Ecclesia dicitur vacare, quando est viduata pastore suo; beneficium vacat, quando caret deservitore, idque fieri potest tripliciter: de facto tantum, de jure tantum, de facto & de jure simul. 1. *De facto tantùm* vacat beneficium, quando quis habet jus & titulum sed nondum possessionem, vel possessione injustè est spoliatus; hujusmodi beneficium alteri conferri non potest, quia propriè non vacat & debetur illi, qui jus in eo habet; & qui scienter tale beneficium recipit, dicitur intrusus. *Zoës. l. 3. t. 8. num. 2. Engel ibid. nu. 2. Gonz. ad reg. 8. gloss. 15. num. 18.* 2. Vacat beneficium *de jure tantùm*, quando aliquis illud possidet sed injustè, ùt contingit, si collator non habuit jus conferendi, vel recipiens fuit inhabilis, aut per pacificam assecutionem beneficii incompatibilis, primum vacat ipso jure & alteri conferri potest & debet. *C. de multa 28. de præb.* qui tamen beneficium sic vacans à Papa petit, debet in supplicâ exprimere injustam alterius possessionem, aliàs rescriptum impetratum subreptitium censebitur, nisi rescriptum contineat clausulam: *motu proprio*, vel *amoto quolibet illicito detentore*; talis enim clausula tollit subreptionem. *Pirh. l. 3. t. 8. nu. 10. Schmalzg. & Reiffenst. ibidem à n. 11.* 3. Beneficium vacat *de jure & facto simul*, quando nullus jus vel possessionem habet, sic vacat beneficium per mortem naturalem, per resigna-

tio-

tionem, privationem, depositionem &c. hæc est propria ac plena vacatio & beneficia sic vacantia tempore statuto conferenda sunt, tempus autem statutum pro Episcopatibus & Ecclesiis regularibus sunt tres menses, pro aliis beneficiis semestre, ùt dixi *Cas. præc. n.* 8.

2. QUÆR II. An validè concedi vel promitti possit beneficium nondum vacans, sed vacaturum?

℟. Negativè, patet ex toto *tit.* 8. *l.* 3. *& Trid. sess. 24. c. 19. de refor.* ratio prohibitionis est, ne detur ansa captandi vel desiderandi mortem proximi, idque tenet etiam in promissione facta in scriptis super beneficio vacaturo in genere vel in specie & quamvis olim tolerata fuerit promissio beneficii sub forma: *Si potero, cùm facultas se obtulerit,* modò tamen talis promissio non obligat ob constitut. Clem. VIII. relatam in *c. 2. h.t. Trid. l. c.* similiter præcipitur, *ut nemini amplius in Collegiis, Universitatibus, Senatibus &c. detur gratiæ exspectativæ.*

3. QUÆR. III. Quid possit Capitulum sede vacante?

℟. *Potest omnia ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis ordinariæ, & ex justitia aut necessitate ab ipsomet Episcopo expediendæ forent*: est regula generalis, eamque quoad rem tenent *Engel l. 3. t. 9. & ibid. Konig Reiffenst. &c.* durat autem sedis vacatio usque dum litteræ constitutivæ vel confirmativæ novi Prælati Capitulo præsentatæ fuerint. *Barbos. p. 3. de pot. Ep. alleg. 54. numer. 160.* itaque 1. Capitulum per se vel suum Vicarium sede vacante approbat Confessarios, sicut Episcopus habens territorium, *Felin. c. in c. cum olim de maj. & ob. 2.* Confirmat & infirmat electiones, recipit resignationes, permutationes, unit beneficia, non tamen in suum favorem vel successoris præjudicium. *Eng. n. 12. 3.* Instituit præsentatos, non tamen confert beneficia, quorum libera collatio jure proprio ad Episcopum spectat; quia collatio est gratiæ, institutio justitiæ, cum in præsentato supponat jus ad rem *c. illa ne sede vac. Reiffenst. tit. 9. n. 30.* dixi quorum collatio jure proprio spectat ad solum Episcopum, nam si æquè principaliter pertineat ad Capitulum, ea sede vacante à Capitulo fieri potest, ùt dixi, *Cas. 78. num. 16. 4.* Clericis beneficiariis impertit facultatem transeundi ad aliam Diœcesin. 5. Olim potuit concedere litteras dimissorias *C. cum nullus 3. de temp. ordin. in 6.* pro nunc solis arctatis, hoc est, iis qui ob beneficium sibi collatum aut conferendum necesse habent Ordines intra annum suscipere, dimissorias concedere potest; *Trid. sess. 7. c. 10. de refor. 6.* Potest extraneo Episcopo dare licentiam in Diœcesi exercendi pontificalia, paramenta consecrandi, confirmandi, non tamen intra annum ordinandi illos qui sunt de Diœcesi vacante. *Trid. l. c.*

7. Facit Statuta pertinentia ad totam
4. Diœcesin, quæ etiam durant ad tempora novi Episcopi. *c. 11. & c. 14. & ibi Panorm. numer. 24. de maj. & ob. 8.* Appellationes, de quibus Episcopus jure ordinario cognoscere, recipit. *9.* Potest excommunicare, suspendere, & interdicere, sicut & absolvere ab omnibus Censuris & irregularitatibus, nec non & dispensare in votis, in quibus posset Episcopus, *d. c. un. de maj. & ob. Garc. de benef. p. 5. c. 7. num. 40.* quod tamen intellige, si sit aliqua necessitas
5. absolvendi, dispensandi, &c. *10.* Potest imò debet Ecclesiæ viduatæ intra octo dies providere de Vicario generali seu Officiali, aut priùs existentem, cujus jurisdictio simul cum Episcopo interiit, confirmare, & quamvis non possit visitare totam Diœcesin, potest tamen per se vel per suum Vicarium visitare illas Ecclesias, quibus visitatio est necessaria. *Konig num. 9. & glos. in c. 1. de hæreticis. 11.* Ad Capitulum sede vacante etiam pertinent ea, quæ competebant Episcopo ex consuetudine, quia consuetudo æquè juris communis & ordinarii est species, quàm jus scriptum. §. *constat. 3. instit. h. t.* Unde si ex consuetudine Episcopus debeat alicui electioni in certa Ecclesia interesse, mortuo Episcopo non poterit electio fieri irrequisito Capitulo; cæterùm quæ Episcopo conveniunt ex speciali jure, privilegio, aut commissione, in hæc Capitulum non succedit. *Konig l. c. Reiffenst. à num. 42.* quia privilegium & specialis commissio non excedunt personam. *arg. c. petisti 17. caus. 7. quæst. 1.* unde Capitulum non potest visitare Monasteria Monialium exempta, cùm Episcopus hac potestate polleat, non quà Episcopus & Ordinarius, sed quà delegatus Sedis Apostolicæ. *Trid. sess. 25. c. 5. de regul. 12.* Quamvis sede 6.
vacante Capitulum de reditibus Episcopalibus nullatenus in sui commodum disponere possit, sed debeat ea reservare futuro Episcopo, ut decidit S. Congregatio de 17. April. 1627. debeatque statim œconomum statuere, inventarium conficere, & super proventibus futuro Episcopo reddere rationem adinstar curatorum vel rei alienæ administratorum, *Trid. sess. 24. c. 16. de refor.* nec possit quidquam alienare, quin alienatio à successore rescindi & revocari possit; nihilominus potest sede vacante alienationes, quæ fiunt ab Ecclesiis inferioribus, admittere. *Panor. in c. cum olim 14. de maj. & ob. qu. 3.* item non prohibetur facere alienationes necessarias distrahendo v. g. fructus, qui servando perirent, vel sine magnis expensis servari nequeùt. *Panor. in c. 1. n. 7. h. t.* Item ex fructibus Ecclesiæ solvere mercedes Ministrorum & Officialium Episcopi, uti & debita à defuncto Episcopo pro utilitate Ecclesiæ contracta, imò si justa necessitas exigat potest Capitulum mutuum accipere & per hoc Ecclesiam

siam & futurum Episcopum obligare, saltem tunc, quando periculum est in mora & Superior requiri non potest. *gl. in c. cupientes 16. §. ad hæc eod. in 6.*

7. 13. Quæ dicta sunt de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis vacantis, cum proportione etiam dicenda sunt de Capitulo Regularium, ita ut mortuo Prælato jurisdictio immediatè non devolvatur ad Episcopum vel Superiorem, ùt volunt aliqui, sed ad Priorem Claustralem & Conventum tam in temporalibus quàm spiritualibus. *Felin. in c. his quæ n. 3. Barb. ibid. n. 4.* & hanc sententiam universali consuetudine esse receptam ex *Tamb.* docet *Engel. n. 16.* ubi in fine dicit, vacante sede Conventum posse litem [intelligę necessariam] intentare & procuratorem constituere, si vacatio sit diuturnior & authoritas Superioris accedat, cùm cæteroquin Capitulo non concedatur agere sede vacante, ùt notant *DD. in c. 3. h. t.* advertendum etiam hîc, quòd Capitulares sede vacante speciali pacto aut juramento se obligare queant, ut quisquis in Episcopum vel Abbatem eligendus fuerit, certa statuta inviolabiliter observare debeat, quæ pacta aut juramenta obligant novum Episcopum & Abbatem ad præstationem fidei interpositæ, nisi forent manifestè in præjudicium Canonum, Ecclesiæ, animarum, disciplinæ, vel Dignitatis Episcopalis aut Abbatialis, tunc enim nec jurata obligabunt, *c. ult. de pactis Eng. l. 1. tit. 2. num. 22. Panor. Barb. Schmalzg. l. 1. t. 6. à n. 41.* idque de jure communi; nam specialia Ordinis nostri Præmon. statuta *dist. 4. c. 13.* videntur ejusmodi pacta & juramenta improbare ac penitus annullare.

8.

QUÆR. IV. Quæ qualitates requirantur, ut quis ad Dignitatem Ecclesiasticam canonicè eligi possit? 9.

R. Seqq. 1. Legitimitas natalium; nam illegitimi, quamvis à Principe sæculari forent legitimati, nequeunt ad Prælaturas eligi *c. innotuit 20. de elect.* econtrà legitimati per consequens Matrimonium, capaces sunt omnium dignitatum exceptâ Cardinalitiâ, à quâ eos excluſit Sixtus V. in Constitutione, quæ incipit: *postquam* &c. Professio religiosa quamvis legitimet ad S. Ordines, non tamen ad Dignitates & Prælaturas; Item licèt Episcopus cum illegitimo dispensare possit in Ordine ad minores Ordines & beneficium simplex, ad Ordines tamen majores, dignitates & beneficia curata solus Pontifex dispensare valet. *cit. c. innotuit & c. 1. de filiis presbit. 2.* Eligi non possunt qui descendunt ex genere maculato per hæresin, & quidem in lineâ paternâ ad secundam, in maternâ ad primam generationem, nisi eorum parentes ante mortem fuerint Ecclesiæ reconciliati *c. statutum 15. de hæret. in 6.* hæc tamen constitutio, ùt notat *Engel l. 1. t. 6. n. 25.* non obtinet in Germania, ubi Zizania tritico impunè miscentur. Item prohibentur eligi scismatici & non permittuntur nisi dispensativè confirmari. *c. quia 5. h. t.* dispensatio autem 10.

hæc dari potest ab Episcopo, quia jura permittentia dispensationem rationabiliter intelligi non possunt de dispensatione Papæ, cùm huic semper competat, adeoque intelligi debet de dispensatione danda ab Episcopo. 3. Ad Episcopatum requiruntur 30. anni completi *C. 7. de elect.* & præterea ut eligendus saltem per sex menses fuerit in Subdiaconatu. *Trid. sess. 22. c. 2. de refor.* quod alii ad omnes Ordines extendunt; ad inferiores Dignitates & Beneficia curata requiritur annus 25. inceptus, nec requiruntur omnes majores, sed sufficit, quòd intra annum à die adeptæ possessionis, vel quo possessionem adipisci potuit, Sacerdotium suscipiat, ùt dixi *Cas. 78. nu. 3.* est tamen hic annus non continuus, sed utilis, ita ut non currat justè impedito, quod si post electionem impedimentum Sacerdotii occurrat, quod moraliter vel physicè sit perpetuum, aut ad plures annos sine certo fine duraturum, sive illud sit in- sive voluntarium; electus poterit dignitate privari, eò quòd beneficium detur propter officium, ideoque incapax ad officium videtur etiam incapax ad beneficium. *c. 1. de ætat. & qualit. h. t.* si tamen alius æquè idoneus non haberetur, posset dispensativè admitti, quod maximè tenet, si jam esset confirmatus & plenum jus in dignitatem accepisset. 4. Ut quis ad dignitatem regularem eligi possit, debet esse non solùm tacitè, sed expressè professus, cùm in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit. *c. 49. h. t.* nec sufficit, quòd simul velit profiteri, & in Abbatem eligi, nam talis professio censetur potiùs fieri amore Dignitatis quàm Religionis *c. 37. h. t.* & si id in pactum deducatur & religionem profiteatur sub conditione, ut Abbas fiat, simoniæ crimen est. *c. fin. de pactis*; imò regulariter eligi non potest paulò post professionem, cùm nondum censeatur satis instructus in Regulâ Monachali *c. 38. h. t.* nisi id exigat necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas. *Dixi*, non tacitè sed expressè professus; nam quamvis tacita professio sufficiat ad electionem activam, non tamen ad passivam, nisi Ecclesia regularis simul esset Cathedralis, tunc enim Novitius aut etiam Clericus Sæcularis ob excellentiam Dignitatis in Episcopum eligi posset. *p. c. nullus 28. de elect. clem. 1. eod. sto* Eligendus debet esse de gremio Ecclesiæ vacantis. *c. nullus 13. dist. 61.* quia tamen hoc in favorem eligentium statuitur, ne illis invitis extraneus obtrudatur, poterunt huic favori renunciare & extraneum, dummodo sit ejusdem Ordinis & licentiâ à suo Superiore obtineat, eligere: statuta Præmonst. *dist. 4. c. 12. n. 23.* privant illos eâ vice jure eligèdi, qui cóspirant de non eligendo alio Pastore seu Abbate quàm de gremio Ecclesiæ,

11.

12.

13.

per-

permittunt tamen, ut Præses electionis ad instantiam totius vel majoris partis Conventûs dispensare possit cum iis, qui ex hac vel alia causâ pro una vice sunt privati voce, restitutio autem *vocis perpetuò amissæ non suffragatur nisi in scriptis obtenta à Domino, præmonst. ibid. n. 26.* 6. In eligendis requiritur congrua litterarum scientia. *c. 7. 17. 19. & 53. h. t.* & quidem eligendi ad Ecclesiam Cathedralem debent esse actu insigniti gradu Licentiæ aut Doctoratûs in Theologia vel Jure Canonico, vel saltem publico Academiæ testimonio esse idonei ad alios docendos. 7. Eligi non potest Neophytus, hoc est, noviter ad fidem conversus. *Can. Apost. 79.* quanto tempore autem aliquis debuerit esse conversus ut eligibilis fiat, relinquitur judicio Superioris, cujus est confirmare electum, qui id ex moribus & pietate conversi judicabit. 8. *Ob*
15. *morum improbitatem* à Prælaturis removentur 1. ambitiosi qui eligi affectant. *c. nullus 118. caus. 1. q. 1. c. 9. 10. 11. & 19. caus. 8. q. 1. c. 46. h. t.* unde Statuta S. Ordinis nostri Præmonst. *dist. 4. c. 12. n. 13.* eos, qui per se vel per alios sive in- sive extra Ordinem sibi litteras commendatitias procurant, ipso facto illâ vice privant voce activâ & passivâ. Item privant ipso facto of- vel beneficiis sic obtentis. *c. 14. p. totum.* similiter ob notam ambitionis nemo eligere potest se ipsum, ita quidem, ut si omnes Capitulares essent mortui vel jure suo privati & jus eligendi in uno solo resideret, hic se ipsum eligere non posset, sed necesse habet alium Clericum ejusdem tamen Ordinis, si regularis sit, nominare vel in alios per compromissionem aut aliter jus eligendi transferre, à quibus deinde etiam ipse, si idoneus fuerit, eligi poterit. 2. Ob notam cupiditatis ineligibiles sunt, qui absque dispensatione Papæ tempore electionis habent plures dignitates, vel beneficia curata. *p. c. 54. h. t. & ibi Gloss.* 3. Qui consentit 16.
electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis, non tantùm ad hanc sed & ad omnem aliam fit ineligibilis, nisi cum ipso dispensetur. *c. quisquis 43. & ibi Panor. h. t.* 4. Intrusi, qui nimirum authoritate propriâ absque Canonica institutione aut titulo Prælaturam vel aliud beneficium occupant, detinent, aut administrant, saltem ad eandem Prælaturam vel beneficium fiunt inhabiles. *Less. Azor. Konig. h. t. n. 43.*
5. Ad Prælaturas eligi nequeunt in- 17.
fames infamiâ sive juris sive facti, ex vulgata regula, quòd infamibus portæ dignitatum non pateant *c. 87. de reg. jur. in 6.* infamia autem juris dicitur, quæ ex sententia judicis oritur, infamia facti quæ ex publicitate enormis alicujus delicti v. g. hæresis, apostasiæ, sodomiæ, adulterii, incestûs &c. divulgatur. *Pirh. n. 94. h. t.* ubi dicit, infamiam juris non

tantùm removere à dignitatibus acquirendis, sed etiam ipso jure privare acquisitis; econtrà infamiam facti solùm facere inhabilem ad beneficia acquirenda, usque dum constet de constanti emendatione vitæ, nisi crimen forsan ipso jure pœnam suspensionis vel depositionis annexam habeat. 6. à dignitatibus & 18. beneficiis arcentur simoniaci, id est, tales à quibus vel pro quibus etiam ipsis ignorantibus pecunia vel quid temporale datum aut promissum est, ut eligerentur, *c. 3. caus. 1. q. 7. c. 59. h. t. c. 27. de simonia.* & quidem si in facto aliquid datum sit, electio est ipso jure nulla. *extrav. 2. de sim. inter communes*; si verò tantùm aliquid promissum fuerit, est irritanda *d. c. 27.* nisi in fraudem scilicet ad irritandam electionem aliquid datum vel promissum fuerit, aut electus promissioni vel donationi per alios factæ contradixerit, *Pirh. n. 96.* cum simoniacè electo solus Pontifex potest dispensare, nisi quis ignorans simoniacè sit electus ad beneficium simplex, illudque liberè & prævie resignaverit, tunc enim Episcopus dispensare poterit. *c. si alicujus 59. h. t. Pirh. n. 98. Wiestn. n. 64.* de cætero simoniacè electus illam dignitatem consequi non potest, nisi intermedia persona ad illam electa fuerit, & per ejus mortem vel resignationem denuò vacare contigerit; tunc enim nil obstat, quò minùs saltem ille, qui ob simoniam sine sua culpa remotus fuit, iteratò eligatur *c. 59. h. t.* multò minùs simoniacè electus prohibetur eligi ad aliam Ecclesiam, dummodo à Papâ absolutionem ab excommunicatione, quam incurrit, obtinuerit & prævie pœnitentiam egerit. *Schmalzg. n. 19. v. Cas. 66. n. 36. & seq.* 9. *Ob censuram Ecclesiasticam* ab electione passiva 19. removentur 1. Omnes excommunicati excommunicatione majore & minore, ita ut major excommunicatio reddat electionem irritam, minor irritandam *c. 7. de cler. excom. c. fin. & ibidem Gloss. eod.* 2. Suspensi sive ab officio *d. c. fin.* sive à beneficio *c. 8. juncta Gloss. de etat. & qlit. Ord.* ne suspensio reddatur elusoria, si privatus officio vel beneficio id per electionem denuo obtineret. 3. Interdicti personaliter, quia hi similes sunt suspensis ab officio. *Arg. c. 16. h. t.* 4. Irregulares saltem ex causa violati interdicti localis vel personalis, ùt habetur *c. is qui 18. §. is verò de sent. excom. in 6.* & hæc tenent etiam de excommunicatis & suspensis toleratis seu non denunciatis, nec iis suffragatur extravag. Martini *V. ad evitanda*, cùm per hanc Pontifex illis directè favere non intendat; nec obstat, quòd tolerati possint eligere, non autem eligi; nam eligi est in favorem electi, econtrà eligere est magis in favorem Ecclesiæ quàm eligentis. 10. Est in 20. conscientia obligatio eligendi dignio-rem, est communis & quoad digni-

dignitates & beneficia curam animarum habentia certa. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. *ad* 3. *c.* 5. *dist.* 61. *c.* 9. *dist.* 63. *c.* 45. *cauſ.* 1. *q.* 1. *Trid. Seſſ.* 6. *de refor. c.* 1. & ipſa juſtitia diſtributiva idem evincit; dignior autem dicitur, qui conſideratis omnibus qualitatibus &c. Eccleſiæ erit utilior; ſic ſi Eccleſia in locis hæreticis indigeat protectore, dignior cenſebitur potentior, quâvis alius ſit ſanctior, doctior, *V. dictaCaſ.* 28. *n* 2. valet tamen electio digni præ digniore, & taliter electus regimen tutâ conſcientiâ ſuſcipere poteſt. *c.* 19. *v. illius & ibi Gloſſ. h. t. Ratio eſt*, tum quia electus non debet ſe meliorem aliis reputare, hoc enim foret præſumptuoſum, tum quia communis quies exigit ut ex hoc capite electio non poſſit impugnari, aliàs enim ferè omnes electiones verſarentur in diſcrimine & infinitis litibus daretur locus, cùm facilè prætendi poſſet alium eſſe
21. digniorem &c. 11. Electioni obſtat vinculum cum alia Eccleſia, hinc Epiſcopus uniusEccleſiæ ſaltem confirmatus, quamvis nondum conſecratus, non poteſt eligi, ſed debet poſtulari ad aliam; econtrà Abbas unius Monaſterii poteſt eligi in Abbatem alterius, vel etiam in Epiſcopum, obtentâ tamen licentiâ tranſeundi ab illo Superiore, cujus eſt confirmare: *Ratio diſp. eſt*, quòd inter Epiſcopum & ſuam Eccleſiam propriè intercedat matrimonium ſpirituale imprimens characterem Sacramentalem Ordinis Epiſcopalis, quale matrimonium non eſt inter Abbates & ſuas Eccleſias. *Schmalzg. l.* 1. *t.* 5. *n.* 10. 12. Circa Abbatiſſas ſtatuit *Trid. Seſſ.* 25. *c.* 7. *de regul.* ut 22.
nulla eligatur, quæ non habeat 40. annos, & 8. annis in Monaſterio laudabiliter vixerit; ſi talis in proprio Monaſterio non habeatur, ex alio ſumenda erit, vel ſi id commodè fieri non poſſit, eligi debet habens 30. annos, quæ ſaltem 5. annos in Monaſterio cum laude exegit; occultè corrupta vel etiam vidua eligi & electionem acceptare poſſunt, quia defectum virginitatis ſupplere poteſt vitæ Sanctitas & in regendo prudentia; in pari tamen habilitate virgo viduæ ob honorem virginitatis præferenda eſt. Prædicta tenent etiamſi vidua eſſet bigama, eò quòd habuiſſet plures viros vel viduum; nam in fœminas propriè non cadit irregularitas, quæ ſolos Ordines Clericales reſpicit. *Laym. l.* 3. *ſect.* 4.

CASUS

# CASUS LXXXI.

## *In Tit. 5. lib. 1. Decret.*

## De postulatione Prælat. &c.

FAbellius ad Dignitatem postulatus quærit 1. *An Superior teneatur postulationem admittere.* 2. *An ipse ante admissionem in eam consentire possit.* 3. *An à Capitulo possit revocari.* 4. *Quid de postulatione non solenni.* 5. *Qui postulari possint.* 6. *Quot suffragia ad postulationem requirantur.* 7. *Quid si postuletur indignus.* 8. *Quid de litteris postulationis.* 9. *Cujus sit admittere postulationem.* 10. *Quis modus postulandi.* Pro resolut.

QUÆR. 1 Quid circa naturam postulationis?

1. Rr. Non solâ electione, sed & postulationeDignitates Ecclesiasticæ acquiruntur; postulatio autem inventa est in subsidium electionis, ut si quis ob defectum Canonicum dispensabilem tamen eligi prohibeatur, saltem mediante postulatione dignitatem consequatur, ideoque postulatio definitur, quòd sit *Capitularium petitio facta Superiori, ut is qui propter impedimentum Canonicum jure communi ad dignitatem Ecclesiasticam eligi non potest, ad eandem per dispensationem admittatur*: ita quoad rem omnes. Hinc patet prima & præcipua differentia electionem inter & postulationem, electio enim juxta *Gloss. in c. un. h. t. in 6.* innititur juri, adeò ut legitimè facta ex justitia confirmari debeat, & electus sine injuria rejici non possit. *c. 3. de elect.* postulatio verò innititur gratiæ dispensationis quam Superior sine injuria negare potest. *c. 3. & 5. h. t.* nonnunquam tamen tenetur Superior dispensare cum Postulato, & si nolit compelli potest, si scilicet in ea versetur bonum commune. *Panor. c. 3. h. t. numer. 14. Wiestn. n. 41.* non quòd Postulatus tali casu propriè habeat actionem contra nolentem dispensare, cùm actio sit jus petendi rem ex justitia debitam, sed quòd possit implorare officium judicis; hinc sequitur secunda differentia, quòd Electus ante 2.
confirmationem simpliciter consentire possit in electionem, quia ex parte sua nullum est impedimentum, Postulatus verò, cùm sit impeditus, consentire non potest, nisi sub conditione impetrandæ dispensationis, sicut sponsi habentes impedimentum v. g. consanguinitatis, non possunt simpliciter, sed tantùm sub conditione futuræ dispensationis in sponsalia consentire. *Laym. Can. quæst.*

*quæst.* 1. *Pirh. l.* 1. *tit.* 5. *numer.* 2.

3. 3. Differentia est, quòd electio post publicatum scrutinium ab eligentibus revocari non possit, quia electus habet jus quæsitum *c.* 58. *de elect.* econtrà postulatio utcunque fuerit publicata, aut etiam ad Superiorem destinata, modò in facto nondum fuerit præsentata, revocari potest, post factam verò præsentationem sine consensu Superioris revocari non potest, ne videantur Superiori voluisse eludere. *c.* 4. *h. t. Leur. quæst.* 212. *& seq.*

4. statuitur autem duplex postulatio à Canonistis, solennis scilicet & non solennis; solennis seu propriè talis est quando à Superiore petitur, quatenus in impedimento Canonico Postulati dispenset, ut si à Sum. Pontifice postuletur minor 30. annis; simplex dicitur, quando non petitur dispensatio, sed solus consensus illius cui persona postulata est subjecta; sic requiritur licentia Superioris, ut Religiosus aut etiam ipse Abbas vel Prælatus ad Episcopatum vel Prælaturam alterius Monasterii sui Ordinis assumi valeat; cùm enim talis Religiosus nullo jure ad ejusmodi Dignitates inhabilitetur, nec defectum Canonicum habeat, nullâ hîc opus est dispensatione, sed solo Superioris consensu, ne ejus juri præjudicetur; unde patet postulationem non solemnem magis esse electionem quàm postulationem, possunt tamen simul concurrere postulatio solennis & non solennis, ut si religiosus aut Filiusfamilias Laicus non habentes 30. annos ad Episcopatum postulentur, tunc enim præter licentiam Abbatis & patris simul requiritur dispensatio Summi Pontificis in ætate & statu laicali filii. *Pirh. n.* 3.

QUÆR. II. Quibus competat jus postulandi?

5. 5. Regulariter omnes postulare possunt, qui possunt eligere. *c.* 1. *in fine c. h. t.* hinc qui jus eligendi præscripsit, hoc ipso etiam jus postulandi præscripsit, etsi ob defectum occasionis actum postulationis nunquam exercuerit, licèt enim præscriptio utpote stricti juris juxta *Panorm. in c.* 18. *de præscrip.* non extendatur de casu ad casum, nec plus aliquis præscribat quàm possideat, *c.* 3. *de reg. jur. in* 6. fallit tamen hæc regula in iis, quæ necessariò connexa sunt, ut sunt electio & postulatio, hæc est enim supplementum & quasi pars electionis. per *c.* 30. *de elect. Engel de elect. numer.* 2. *Pirhing numer.* 17. *h. t.* si tamen extraneus ad electionem quidem per 40. annos fuisset admissus, à postulatione autem exclusus, solum jus eligendi, non autem postulandi præscripsisset, quia nequidem per connexionem jus postulandi possedit, utpote ab illo per expressum exclusus &c.

QUÆR. III. Quid circa suf-

fragia ad postulationem requisita?

6. R. Tenenda esse sequentia: 1. Si postulatio concurrat cum electione, ita ut unus ab una parte postuletur, alter ab aliâ parte eligatur, tunc ut postulatio electioni prævaleat requiritur ut numerus postulantium sit duplo major quàm eligentium, v. g. ex 30. Capitularibus debent concurrere 20. ad postulationem, aliàs enim præfertur electio etiam à parte minori facta, modò unam tertiam superet, ita ut è 30. votis ad minus habeat 11. & sit de idoneo. *c. 40. de elect. &* ibi Abbas *numer. 13. & 14. Lott. l. 3. q. 17. numer. 241.* notant tamen communiter Doctores, hoc non ita strictè esse accipiendum, adeò ut licèt duæ tertiæ in postulationem non consentiant, sed tantùm major pars Capitularium v. g. ex 30. septemdecim vel octodecim, reliqui autem eligant, tunc possit Superior consideratis circumstantiis, & personarum qualitate vel postulationem admittere, vel electionem confirmare, vel utramque rejicere, adeò ut ne electo quidem hoc casu aliquod jus acquiratur ante secutam confirmationem, *c. pen. h. t. Engel Pirhing num. 18. Laym. can. quæst. 8. Leur. p. 2. quæst. 210. 2.* Si postulatio non concurrat cum electione, eò quòd omnes postulent, alii hunc, alii illum, tunc sufficit quòd facta sit à majore parte Capituli v. g. ex 30. concurrant 16. in unum, ut admitti possit à Superiore ex gratiâ speciali etiam invitâ minore parte, ùt constat ex *c. postulationem h. t.* & *Ratio est*, quòd ordinariè ad gesta Capituli plus non requiratur, quàm ut major pars consentiat. *c. 1. de his quæ fiunt. Wiestn. num. 26.*

QUÆR. IV. Quid de postulatione indigni?

7. R. Postulantes scienter indignum, hoc est habentem defectum vel impedimentum, in quo Superior vel non potest vel non solet dispensare, privantur pro eâ vice potestate postulandi & eligendi, *Inn. in c. 1. & Panor. in c. ult. h. t.* impedimenta autem, in quibus dispensari solèt, sunt vinculum alterius Ecclesiæ, defectus Ordinis aut ætatis &c. econtrà non facilè dispensatur, ut ad Episcopatum postuletur minor 27. annis, vel saltem id specialiter prohibetur sub pœnâ privationis vocis activæ pro illâ vice, *extrav. unic. de postul. præl.* similiter postulari prohibentur Mendicantes ad Prælaturas alterius Ordinis ab Episcopatu distinctas; eandem pœnam incurrunt, qui attentant innovare postulationem ob vitium personæ cassatam, *c. 2. de post.* aut recipiunt postulatum ad Ecclesiam tanquam institutum vel administratorem ante admissionem

postu-

postulationis à Superiore factam; *c. 23. & ibi DD. h. t.* item qui postulant corpore vitiatum, simoniacum, moribus infamem, omnino illiteratum &c. in his enim facilè dispensari non solet.

QUÆR. V. Quid circa litteras postulationis ejusque admissionem?

8. R. Seqq. 1. In litteris postulationis exprimi debent omnes defectus postulati, qui electionem impediverunt, aliàs enim ejus admissio erit nulla & subreptitia, & ita scienter postulantes pro eâ vice æquè privantur jure eligendi & postulandi ac illi, qui scienter indignum postulant. *Arg. c. 10. de elect. c. 1. & 2. de filiis presbyt. in 6. Ratio est*, quòd postulatus non admittatur nisi per dispensationem; cùm autem dispensatio utpote juris communis relaxatio strictè interpretanda sit *per c. odia de reg. jur. in 6.* non extendit se ad ea, quæ litteris non exprimuntur. 2. Postulationis admissio regulariter spectat ad confirmantem & admissio postulationis habet vim confirmationis. *c. 2. h. t.* si tamen Superior immediatus, ad quem aliàs confirmatio spectat, in defectibus postulati dispensare non posset, etiam non posset admittere postulationem, quia admissio hæc est dispensatio. *Panor. in c. ult. numer. 10. h. t.* sed hæc tunc ad Superiorem potentem dispensare vel Papam spectabit. 3. Episcoporum confirmatio, eorumque postulationis admissio soli Summo Pontifici reservantur. *c. 4. de offi. legati c. 59. in fine de appellat.* 4. Omnes Dignitates sive Episcopales sive inferiores, quarum confirmatio vel admissio ad Papam spectat; si electio ad eas vel postulatio tanquam minùs Canonicæ à Papa rejiciantur, hoc ipso Sedi Apostolicæ reservantur per concordata Germaniæ §. 2.

QUÆR. VI. Quid circa modum postulandi?

R. Servanda esse seqq. 1. sicut triplex est via eligendi, scilicet per inspirationem divinam vel quasi, per compromissum & per scrutinium, sic & postulandi; quia electio & postulatio in jure æquiparantur, *Abb. in c. qua propter de elect. n. 9. 2.* Si certum est aliquem esse postulandum, non debet quis uti verbo eligo; neque econtrà uti verbo postulo, quando constat eum esse eligendum; neque uti formulis sibi repugnantibus, ut eligo postulandum, postulo eligendum, aliàs enim omnis actus foret nullus. *c. un. h. t. in 6. & ibi Gloss. c. 4. & ult. h. t.* si tamen probabilis facti [ non juris *c. 13. de reg. jur. in 6.* ] ignorantia vel dubitatio intervenerit, utrùm quis postulandus vel eligendus sit, valebit hæc formula: eligo & postulo, prout de jure melius valere potest, quo casu sic electus

vel postulatus, quando consentit, tenetur viam postulationis vel electionis eligere & in ea quam eligit permanere, *d.c. un. & ibi Gloss.* in postulatione verò non solenni, cùm aliquid de postulatione, aliquid de electione participet, Capitulares utroque nomine sive electionis sive postulationis uti possunt. *Eng. n.* 8.

# CASUS LXXXII.

## *In Tit. 6. lib.* 1.

## De electionis ordine & forma.

CApitulares sede vacante inter se consultant. 1. *Quid agendum ante electionem, an v.g. electio fieri possit ante sepulturam defuncti? cujus sit vocare absentes, indicare locum & diem electionis, &c.* 2. *Quæ forma electionis servanda.* 3. *An valeat per inspirationem divinam vel quasi, & an tunc indigeat confirmatione.* 4. *An inspiratio valeat apud regulares.* 5. *Quid de forma scrutinii.* 6. *Quid si aliqui veniant inchoatâ electione.* 7. *Quid si è Capitulo exeat major vel minor pars.* 8. *Quot esse debeant scrutatores & an de gremio.* 9. *An scrutatores & electores teneantur prævie jurare.* 10. *Qualiter scrutatores vota exquirere debeant.* 11. *Qualiter vota in communi publicanda.* 12. *Quot vota in scrutinio requirantur & quid hic possit consuetudo.* 13. *Quid de collatione zeli ad zelum, meriti ad meritum, & an locum habeant apud regulares.* 14. *Quid si duæ tertiæ stent pro una parte; vel duo sint æquales; aut in nullum pars major Capituli consenserit, an tunc fieri possit accessus.* 15. *Quid electio communis.* 16. *Quid compromissum, an fieri possit in Laicum vel Clericum extraneum.* 17. *Quid compromissum absolutum & limitatum & quæ utriusque conditiones.* 18. *Quot modis expiret compromissum.*

Ut electio ordinatè fiat & secundùm Canones, aliqua observanda sunt prævie, alia in ipso actu, alia post actum electionis; de postremis casu seq. de primis in præsente

QUÆR. I. Quæ observanda sint ante electionem?

R. Seqq. 1. Electio non debet 1.
institui ante tertium depositionis diem,

diem, funere defuncti jam sepulto. *C. nullus 7. dist. 79. c. 36. h. t.* valet tamen electio ante sepulturam facta, ita cum communi *Georg. Fasel. in canon. methodo pag. 7. 2.* Capitulares præsentes congregati assignant diem & locum electionis, nisi consuetudo habeat, ut hæc assignatio fiat ab Episcopo loci cum consensu Principis; in Ordine nostro Præmonst. assignatio diei & loci electionis fieri debet à P. Abbate, *statut. dist. 4. c. 12. n. 3.* intellige si hic commodè conveniri possit, aliàs à Priore & Conventu, & ita habet praxis. *3.* Dies & locus absentibus notificatur per litteras vel per nuntium aut etiam per publicum proclama vel cridam, ùt vocant, valvis Ecclesiæ & Curiæ Capitulari affixam. *4.* Ipso die electionis celebratur Missa de Spiritu S. & electores etiam Sacerdotes [nisi consuetudo habeat ut singuli privatim Missam legant] sacrâ Synaxi reficiuntur. *5.* Dein sono campanæ vocantur ad Capitulum, *c. in causis 30. h. t.* *6.* Ante tractatum electionis invocatur gratia Spiritûs S. per hymnum *veni creator Spiritus.* *7.* Fit protestatio à Præside vel alio nomine Capituli, nolle se quempiam admittere ad electionem, vel ejus suffragium valere, cui de jure eligendi potestas non competit, & hæc protestatio hunc habet effectum, ut si quis inhabilis per potentiam vel aliter se electioni ingesserit, illa per hoc non vitietur. *Konig num. 85. 8.* Absolvuntur omnes electores ab excommunicatione aliisque censuris in ordine ad effectum electionis Canonicæ tantùm, si quisquam adsit habens talem potestatem. *9.* Incipitur & continuatur electio ad lucem solis, ex causa tamen, ut si instet finis trimestris, vel timeatur aliud malum, etiam de nocte fieri potest accensis ad minimum tribus luminaribus, ne subsit suspicio fraudis aut electio dicatur clancularia. *Laym. quæst. 34. Fasel. pag. 165.* hæc tamen omnia exceptâ absentum citatione non sunt de substantia, sed convenientia electionis. *Pirh. lib. 1. t. 6. n. 161.*

QUÆR. II. Quid observandum in ipso tractatu electionis? 2.

R. Servanda est forma seu modus à jure probatus; est autem triplex, per inspirationem divinam vel quasi, per scrutinium, & compromissum; alio modo facta electio non valet, & eligentes contrà facientes eligendi potestate pro illa vice sunt privandi *per c. quia propter 42. h. t.* facta per sortes ipso jure est irrita, ut contra *Pellizar.* docet *Fasel, pag. 128.* & *Ratio* est, quia ejusmodi electio est contra formam à Trid. *sess. 25. c. 6. de regul.* præscriptam cum clausula annullativâ actûs contrarii; *Inspiratio autem divina* vel est vera, quæ fit per miraculum seu revelationem Spiritûs Sancti, quemadmodum in Apostolum electus est S. Matthias, in Episcopum S. Nicolaus; & ejusmodi electio non subest legibus humanis, 3.

nec indiget confirmatione ; vel est inspiratio quasi divina, cùm scilicet sine prævia conspiratione super certâ personâ omnes repentè nullo excepto in unum conclamant & consentiunt. Tunc enim præsumitur ejusmodi electio fuisse facta inspirante Deo ; quia autem hæc præsumptio fallere potest, hinc talis electio adhuc indiget confirmatione subestque Superioris examini, num absque fraude, simonia, vi aut metu liberè
4. peracta fuerit, hanc viam *Quasi inspirationis* locum non habere in electionibus regularium, eò quòd in hac ex præscripto Trid. nomina eligentium nunquam debeant publicari, docet *Barb. in collect. ad c. 6. Trid. sess. 25. de reg.* refertque decisionem Cardinalium, quæ si in forma authentica appareat, ei acquiescendum erit, alioquin probabile est, quod docet *Laym. qu. 230.* formam inspirationis etiam apud regulares locum habere, quia Trid. requirens vota secreta, commodè intelligi potest de forma scrutinii, & in electione per quasi inspirationem videtur cessare ratio occultandorum votorum, quia vix potest esse ansa inimicitiarum, ubi omnes unanimiter in unum conclamant & hanc formam inspirationis divinæ vel quasi approbant *Statuta Præmonst. sup. num. 10. &* 11. ubi econtrà improbant sub pœna nullitatis viam scrutinii, ubi ex antiquo non fuit in continuo & pacifico usu; videtur autem mihi certum, Statuta solùm loqui de scrutinio rigoroso, in quo vota coram scrutatoribus dantur vivâ voce, non autem quando scripta & clausa conjiciuntur in calicem, ita ut maneant omnino secreta & ipsos scrutatores lateant; tunc enim non poterit esse occasio inimicitiarum, quod præcipuè Trid. & Statuta præcavere voluerunt, & hæc forma eligendi coincidit cum compromisso limitato seu mixto, quod ab omnibus approbatur.

QUÆR III. Quid de forma scrutinii?

℟. Modus eligendi per scrutinium accuratè describitur *c. quia propter 42. h. t.* his formalibus : *Ut præsentibus omnibus, qui volunt, debent, & possunt interesse, eligantur tres de Capitulo fide digni, qui secretò, sigillatim, ordinatè ac diligenter exquirant vota cunctorum, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is collatione habitâ eligatur, in quem major & sanior pars Capituli consenserit.* 5.

*Dicitur 1.* Præsentibus omnibus; nam omnes jus eligendi habentes, debent vocari ; si vel unus negligatur, potest agere de contemptu & irritare electionem, ùt ostensum est *Casu. 79. numer.* 11. Sed quid, si quis seriùs veniat inchoato jam actu electionis? ℟. Si fuerat contemptus & veniat post publicatum scrutinium, potest po- 6.

tere

tere rescissionem omnium gestorum, nisi malit pro bono pacis ratihabere *c. quod sicut. 28. h. t.* Si non fuerat contemptus, & veniat dum fit scrutinium, debet quidem admitti ad suffragia & alia usque ad finem, non tamen est opus totum actum reiterare, imò si veniat publicato scrutinio, est solùm admittendus ad ea, quæ restant facienda, jam factis in suo robore permanentibus, idque suæ negligentiæ habet imputare. *Fasel. ex Pelliz. in man. Regul. to. 2. t. 9. c. 2. sect. 2. numer. 73.* Quid si cœpto 7. tractatu electionis aliqui exeant? R. Si exeat major pars, censetur hoc ipso actum electionis velle abrumpere & in aliud tempus differre; & regulariter tenetur se minor pars accommodare, *arg. c. 1. de his quæ fiunt à maj. part. cap.* Dico *regulariter*, nam si periculum sit in mora, eò quòd instet finis trimestris, aut timeatur schisma, vel abusus Laicæ potestatis, aut etiam ex statuto talis Ecclesiæ vel consuetudine solus Decanus vel Senior haberet jus determinandi diem electionis, tunc aliis venire negligentibus vel temerè recedentibus jus eligendi manet penès eos qui remanent, etsi tantùm essent duo vel unus, quia etiam in uno solo jus Capituli conservari potest. *l. sicut ff. de cujusque universitatis. Pirh. num. 137.* Si minor pars exeat, potest major pars remanens in electione pergere, *arg. c. cum nobis 19. h. t.* nam paria sunt non venire & non exspectare finem. *c. 1. de judiciis*, unde tales discedentes frustra protestantur & appellant, quia recedendo fecerunt se à Capitulo & jure votandi alienos. *d. c. cum nobis. de Lucas discurs. 27. de Canonicis numer. 9.* hæc jam dicta tenent, etiamsi post unam electionem ob non secutum consensum electi procedatur ad secundam, adeò ut nec tunc de novo vocandi sint, qui sponte abierunt vel absunt, dummodo secunda electio fiat in continenti; sciunt enim vel scire debent, quòd electores possint toties quoties necesse est actum electionis repetere; cùm ergo spontè absint, non poterunt agere de contemptu.

*Dicitur 2.* Eligantur tres [ intellige scrutatores ] de Capitulo nec pauciores nec plures, nec alii, qui non sint de gremio, idque substantiale esse cum communi docet *Pagn. in dict. c. quapropter nu. 43.* & videtur esse clarum ex textu *dicti c.* ubi subjungitur clausula: *aliter electio facta non valet.* & *Fasel. pag. 47.* adducit Decisionem Rotæ de Anno 1624. quæ dicit, esse indubitatum tantùm debere esse tres & non plures scrutatores, aliàs electionem non valere, idque indubiè tutius est, hoc 8.

tamen

tamen non obstante testatur *Eng. de elect. num. 34.* consuetudine invaluisse, ut ex communi consensu Capituli vel ordinatione Superioris alii viri idonei, qui non sunt de gremio, præsertim in electione regularium plures vel pauciores in scrutatores assumantur: & quamvis valde conveniens sit & in quibusdam locis usu
9. receptum, ut scrutatores ante scrutinium præstent juramentum, quòd fideliter agere & vota secretò servare velint, id tamen jure communi expressum non est, eligentes verò debent præstare juramentum de eligendo digniore; quod usu quidem firmatum esse ait *Konig num. 64. h. t.* sed nullo jure decisum. At *Fasel. pag. 12. & 13.* adducit Decretum Clem. VIII. de An. 1595. & Urb. VIII. de 1624. quod ultimum dicit esse irritum & inane, quidquid sine prævio ejusmodi juramento actum fuerit, derogatque contrariis constitutionibus etiam Mendicantium, ideoque pag. 15. exhibet formulam juramenti ab eligentibus præstandi.

10. *Dicitur 3. Qui secretò, sigillatim, ordinatè ac diligenter exquirant vota cunctorum.* Igitur *1.* Vota exquirenda sunt *secretò & sigillatim*, hoc est non in communi, sed seorsim ab aliis Capitularibus, ut quisque liberiùs votum suum possit exprimere & eligendum vivâ voce nominare vel in scriptis offerre, & quidem vota eligentium apud Regulares si non maneant secreta, Trid. *sess. 25. c. 6. de reg.* decernit electionem futuram irritam; non tamen nocebit electioni, si unus vel alter votum suum revelet, nisi id fiat cum consensu majoris partis Capituli, imò etiamsi post electionem omnium consensu vota propalentur, quia factum subsequens electioni legitimè factæ obesse non potest. *Konig Schmalzg. à num. 88. 2. Ordinatè*, ita scilicet, ut scrutatores primò à se invicem vota exquirant & duo excipiant votum tertii. *Ratio* est, ne scrutatores aliorum votorum conscii sua ex illis vota instruere, & interdum pro arbitratu electionem ratam reddere vel infirmare possint. *Panor. in c. quia propter 42. num. 9. de elect. 3. Diligenter* quoque vota exquirenda sunt, non tantùm sciscitando nomen eligendi, sed etiam rationes, quare potiùs hunc quàm alium eligi velint, ut exinde collatio Zeli ad Zelum, & meriti ad meritum fieri possit, sed hic rigor uti & præcedens non observatur in electione regularium, ubi vota vivâ voce non exquiruntur, sed scripta in urnam vel calicem coram scrutatoribus positum conjiciuntur, ut ipsos quoque scrutatores lateat, cui singuli sua vota dederint. *Laym. quæst. 73. 4.* Exquirenda sunt vota cunctorum, adeo ut si in civitate vel collegio sint infirmi, qui nolint vel non possint sua vota per procuratorem exprimere, hos teneantur scrutatores accedere & eorum vota excipere, &c.

*Dici-*

11. *Dicitur 4. Vota in scriptis* [ intellige ab aliquo scrutatorum vel Notario ] *redacta mox publicent in communi, omni obstaculo appellationis remoto*; ùt habet textus. Vota in communi dicuntur publicari, quando ab uno scrutatore, vel cui hoc specialiter est commissum, integer eorum numerus publico Capitulo denunciatur, non explicando quot ex ipsis in unam vel aliam personam consenserint, sed tantùm proferendo numerum personarum quæ votarunt, v. g. dicendo, vota quæ à Dominis Capitularibus exquisivimus sunt universim 30. tot scilicet, quot sunt votantes; in nonnullis tamen locis etiam exprimi solet, in quas personas & quot in singulas vota directa sint. Effectus hujus publicationis est, quòd electores post illam censeantur perfuncti officio suo, ideoque vota amplius variare non possint *per d. c. 58. h. t.* aliud obtinet in postulatione, in qua etiam post publicatum scrutinium variationi locus est, usque dum Superiori fuerit præsentata, ù dixi *Cas. prac.*

12. *Dicitur 5. Collatione habitâ is eligatur, in quem major & sanior pars consenserit*; itaque 1. Publicato scrutinio statim fit collatio numeri ad numerum, ut inde appareat an & quis à majori parte Capituli electus sit, ubi de jure non sufficit habere majora vota comparatione minoris partis, sed requiruntur majora respectu totius Capituli, nimirum ut ex 30. v. g. votis 16. stent pro electo, si unus haberet 14. alter 10. tertius sex, irrita foret electio *c. 48. 50. & 55. h. t.* & quamvis consuetudo contra jus prævalere possit, ut v. g. ille censeatur electus, qui habet majora vota respectu partis minoris, etsi non superet medietatem eligentium, quia tamen consuetudo est quid facti, unà cum suis qualitatibus probanda erit, an scilicet habuerit actuum frequentiam, tempus legitimum, an causam rationabilem, an nunquam per contrarios actus interrupta sit. *Eng. n.* 38. citans *Jason. Mynsi.* ubi bene notat vota dubia aut incerta, v. g. *Eligo Petrum vel Paulum, eligo quem major pars elegerit*, haberi pro non datis, & in collatione numeri ad numerum non supputari *c. 2. h. t. in 6.* nec propterea novam electionem instituendam esse. 2. Fit collatio Zeli ad Zelum, id est, debet examinari, quo Zelo seu ex quibus motivis Capitulares hunc potiùs quàm alium nominarint, ut constet, quis à majore simul & saniore parte [ quod utrumque copulativè requiritur, *c. 57. h. t.*) sit electus, sanior autem pars censetur, à qua stant viri prudentiâ & pietate magis conspicui, vel ùt ait *Pirh. n. 183.* qui meliori Zelo & intentione ducuntur, attendentes sola merita personæ & bonum Ecclesiæ, non autem affectum amicitiæ, consanguinitatis, aut 13.

proprium interesse. 3. Collatio meriti ad meritum, seu examinantur merita electi, num cæteris scientiâ virtutibusque præpolleat &c. 4. Hæc collatio Zeli ad Zelum, meriti ad meritum non solet fieri apud plerosque regulares, sed sola collatio numeri ad numerum, cùm ob perspectam probitatem eligentium, eorumque juramentum dubitare non liceat, quin à majore parte electus verè sit dignus, id plerumque ex privilegio Apostolico fieri dicit *Laym. q. 76. Pirh. num. 184.* minùs expedit collatio Zeli ad Zelum, meriti ad meritum in electione Abbatissarum, ob sexum ad querimonias nimis proclivem, *c. 43. in fine h. t. in 6. Schmalzg. num. 48. h. t. 5.* Quamvis sæpè dictum *C. quia propter* requirat ut pro electo stet major simul & sanior pars, ita ut si unus habeat majora, alter saniora, neutrius valeat electio. *c. 57. h. t.* si tamen majora in duplum superent, seu pro uno stent duæ tertiæ, hic absque comparatione Zeli ad Zelum simpliciter erit confirmandus. *C. 9. h. t. in 6. & ibi gloss. V. si quando. 6.* Si vota ita sint dispersa, ut in nullum major pars respectu totius Capituli consenserit, aut duo in votis fuerint æquales, nova instituenda erit electio & quod suprà dictum est ex *c. 58.* post publicationem scrutinii, vota non posse mutari, intelligendum est in casu quo secuta est electio cum effectu; insinuat tamen *Eng. n. 40. Pirh.* 14.

*nu. 76.* quòd tali casu electores mutatâ sententiâ possint accedere ad numerum ejus, qui suffragia plura, sed non sufficientia nactus est, quæ electio dicitur per accessum; & quidem in electione summi Pontificis *per c. 6.* & ibi *Panor. n. 8. h. t.* ac Monialium seu Abbatissæ juxta *c. 43. §. sanè eodem in 6.* locum habet, & in aliis quoque Theoricè defendi potest, id tamen in praxi suadere non audet *Konig nu. 70.* præsertim si confirmatio à Sede Apostolica petenda sit, cùm constet in Curia Romana electionem per accessum frequenter non admitti &c. 7. Si verò factâ collatione constet majorem & saniorem partem in unum eumque dignum convenisse, confestim proceditur ad electionem communem, quæ nomine totius Capituli per unum è scrutatoribus vel alium à Capitulo ad hoc deputatum facienda est; formam hujus communis electionis exhibet *Laym. q. 77.* videlicet *Ego N. meo & eligentium mihique consentientium nomine invocatâ gratiâ Spiritûs sancti in Episcopum vel Abbatem hujus Ecclesiæ eligo & electum coram vobis pronuncio NN. in nomine Patris & Filii &c.* Hæc electio vocatur *communis*, quia fit nomine totius Capituli, electio enim privata nihil aliud est, quàm singulorum Capitularium votatio, ideoque privatæ electiones sunt tot, quot sunt vota. 15.

QUÆR. IV. Qualiter electio fiat per compromissum? 1.

2. Electio fit per compromissum, quando potestas eligendi uni vel pluribus idoneis committitur, qui vice eorum Capitularium Ecclesiæ viduatæ de pastore provideant *c. quia propter 45. h. t.* quocirca tenenda sunt seqq. *1.* Ut compromissum subsistat, omnes omninò Capitulares consentire debent, ita ut unius contradictio compromissum impediat; agitur enim hîc de jure singulorum, ne quis invitus suâ voce privetur, *Passer. de elect. c. 21. num. 19. Zoes. num. 74. eod. 2.* etsi compromissio non rectè fiat in Laicos *per c. 56. h. t. & c. 2. de judiciis.* Potest tamen fieri in unum vel plures Clericos extraneos, qui non sunt de collegio, v. g. in Episcopum vel Abbatem. *c. 8. & 21.* V. *post hæc h. t.*

17. *3.* Compromissum est duplex; aliud absolutum, aliud limitatum; absolutum est, quo datur compromissariis absoluta potestas eligendi quemcunque idoneum sive sit, sive non sit de gremio vacantis Ecclesiæ. *c. 33. & 52. h. t.* adeò ut hujusmodi compromissarius absolutus etiam postulare possit, si ita videatur Ecclesiæ expedire, ex recepta apud *DD.* regula, quòd qui potest eligere etiam possit postulare: *c. 30. h. t. Schmalzg. num. 58.* Compromissum limitatum est, quod fit sub hac limitatione, ut compromissarius perscrutatis omnium votis teneatur illum eligere, qui à majore parte Capituli fuerit nominatus; unde patet hunc modum conflari partim ex compromisso, partim ex scrutinio, *c. cum dilectus 32. h. t. c. cum expediat 29. eodem in 6.* ideoque non valet compromissum sub hac conditione, ut eligatur, in quem major pars Capituli non respectu totius, sed comparatione ad minorem partem consenserit. *C. si cui 23. h. t. in 6.* & *Ratio* est, quòd hæc conditio sit contra substantialem formam scrutinii; quæ mixta est compromisso limitato, & in eo servanda. *Passer. c. 22. num. 6.* in hoc scrutinio etiam alias conditiones admittit *Laym.* v. g. ut unus ex Capitularibus eligatur, aut unus eligatur qui non sit de compromissariis, quas conditiones si compromissarii acceptent, etiam servare debent; de cætero non prohibentur se ipsos eligere, ne officium illis fiat damnosum, si propterea excluderentur ab electione passiva: & quidem si è tribus compromissariis v. g. primus det votum suum secundo vel tertio, hic acceptando tale votum in effectu habebit duo adeoque majora; *nec obstat*, quòd eligentes se ipsum reputentur ambitiosi, & hoc ipso ineligibiles *per c. in scripturis 9. caus. 8. qu. 1.* nam acceptans tali casu votum pro se, principaliter non eligit seipsum, sed accessoriè tantùm coëligit, eò quòd electio ortum non habeat ab electo, sed ab aliis. *c. cum in jure h. t* hoc autem locum tantùm habet, quando compromissarii

palàm & vivâ voce eligunt, ut unus alterius votum audiat & cognoscat; si enim secretò aut per privatum scrutinium v. g. in scripto procedant, tunc sicut quilibet ex ipsis ante publicatum scrutinium nescit, an electus sit an non, sic nec præviè consentire potest. *Panor. sup. num. 6.*

18. *Vivianus num. 4. 4.* Exspirat autem compromissum præcipuè quinque modis: *1.* Per secutam electionem, quamvis fortè non habuerit effectum, eò quòd electus eam noluerit acceptare, vel mortuus sit, aut institutaper compromissarios postulatio ante factam Superiori præsentationem per Capitulum revocetur; tunc enim compromissarii censentur perfuncti suo officio, ita ut illud reassumere non valeant, nisi Capitulum expresè vel tacitè, tolerando v. g. eorum actum, consentiat. *2.* Si compromissarii tempus ad faciendam electionem sibi à Capitulo præscriptum elabi sinant, vel conditiones sibi positas non servent, *c. 52. h. t. 3.* Si res adhuc sit integra, hoc est, si ad substantialia electionis v. g. nominationem personæ eligendæ nondum processum fuerit; compromissum enim habet se in hoc veluti mandatum, quod re integrâ revocari potest. *Leg. 16. ff. de procur.* debet tamen ejusmodi revocatio fieri à majore parte Capituli, quamvis enim unus compromissum impedire possit ne fiat, non tamen cum præjudicio majoris partis jam factum revocare. *Eng. num. 43. 4.* Si compromissarii elegerint indignum sive scienter sive ignoranter, censentur perfuncti suo officio, & jus eligendi redit ad Capitulum, nisi ipsi electionem indigni ratam habuerint. *C. si compromissarius 37. h. t. in 6. 5.* Si compromissarii tempus trimestre sine electione elabi permiserint, tunc electio pro eâ vice devolvitur ad Superiorem, & Capitulum sibi imputare debet, quòd in negligentes compromiserit, electionem non usserit, nec mandatum revocaverit. *d. c. 37.* & ibi *DD.*

CASUS

# CASUS LXXXIII.

## *In eund. Tit. 6. lib. 1.*

## De Consensu, confirmatione, & electione Electi.

CApitulares elegerunt Hadrium, quærunt 1. *Qualiter præsenti vel absenti intimanda sit electio.* 2. *An electus teneatur electionem acceptare & quo tempore.* 3. *An Religiosus ad Episcopatum electus consentire possit non exspectatâ Superioris licentiâ, & an sufficiat licentia generalis.* 4. *Quomodo hi menses computandi.* 5. *An acceptare possit habens occultum impedimentum.* 6. *Qualiter faciendа installatio.* 7. *Intra quod tempus & à quo petenda confirmatio.* 8. *An electus se ante confirmationem regimini immiscere possit.* 9. *Quid de Monialibus.* 10. *Quid si aliqui contradicant, aut major pars asserat se in electum non consensisse, scrutatores verò testentur contrarium.* 11. *Quando ab Episcopo petenda consecratio, & an hoc fieri possit ab uno tantùm Episcopo.* 12. *Qui sint effectus confirmationis & consecrationis.* 13. *Quid de benedictione Abbatum ejusque effectu.*

Electionem sequuntur consensus electi, confirmatio, consecratio. De quibus

QUÆR. Quid circa consensum electi?

1. R. Tenenda esse seqq. 1. Intra 8. dies, vel quò citiùs consideratâ loci distantiâ fieri potest, debet per electores electio facta præsentari electo & ab eodem consensus requiri, aliàs electores quoad se à processûs prosecutione totaliter excluduntur, & ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsâ Ecclesiâ, de cujus electione agitur, obtinent, toto triennio ex tunc inchoando suspensi sunt. *c. 6. & 16. h. t. in 6.* si electus est præsens, potest hæc electionis intimatio fieri oretenus, si verò sit absens, debet ei electio notificari in formâ authenticâ, hoc est subscripta ab omnibus electoribus *Pelliz. in manuali regul. tr. 9. c. 2. sect. 1. n. 44.* 2. Electus non tenetur electionem 2.
acceptare, imò etiamsi sit regularis, ad acceptandum per Superiorem cogi non potest; cùm jure per professionem acquisito privari non debeat invitus; si tamen necessitas Ecclesiæ id exigat, & æquè idoneus non adsit, ex charitate acceptare obligabitur & à die electionis sibi præsentatæ habet mensem deliberandi, intra quem si non consentiat, hoc ipso omni jure per electionem acquisito privatus est. *c. 6. h. t. in 6.* si tamen persona electa non sit in

statu consentiendi ante habitam Superioris licentiam, veluti Religiosus, tunc mensis deliberationis priùs incipit à die obtentæ licentiæ, quæ pro majori vel minori distantiâ Superioris celeriùs petenda erit. *c. 5. de concess. præb.* Religiosus electus ad
3. Episcopatum vel Prælaturam alterius Monasterii si consentiat ante obtentam à suo Abbate [qui eam irrequisito Conventu præstare potest] licentiam, electio ejus hoc ipso in pœnam viribus evacuatur. *c. 27. h. t. in 6.* nec sufficit licentia Generalis à Superiore concessa, vi cujus Religiosus omni electioni vel promotioni consentire valeat; cùm enim hæc ambitioni viam paret, reprobatur & invalida declaratur per *Clem. ult. h. t.*

4. 3. Computantur autem pro mense tot dies, quot habet mensis ille, in quo fuit electio præsentata; ut si præsentatio fiat in Majo, habet 31. diem ad deliberandum; si in Februario, habebit tantùm 28. & si dies aliqui de mense sint elapsi, supplentur ex diebus mensis sequentis. *Arg. c. 2. de supp. negl. Præl.* quod idem dicendum videtur de tribus mensibus ad eligendum & ad petendam confirmationem concessis, ut notat *Gloss. in c. 6. V. mensem h. t. in*
5. *6.* 4. Qui habet occultum impedimentum, v. g. est illegitimus aut irregularis, non potest licitè consentire in electionem ante impetratam dispensationem, nisi evidens utilitas vel Ecclesiæ necessitas non permittat exspectare dispensationem, nec recusans dignitatem propterea diffamatur, quin potiùs fit laudabilis propter humilitatem, colligitur *ex c. innotuit 20. h. t. Ratio est*, quòd Leges justæ in foro externo etiam sint justæ in foro interno, & quamvis fortè sint pœnales, si tamen pœna ipso jure sit inflicta, & aliam exteriorem executionem non requirat, veluti irregularitas, excommunicatio, impedimenta matrimonii, inhabilitas ad beneficia, & similia, quæ in negativo aut inhabilitate consistunt, etiam in conscientia locum habent. *Engel n. 54. h. t. 5.*

6. Post acceptatam electionem, electo solent tradi claves, & præcipuè clavis ad archivium & ærarium, deinde superpellicio, stolâ, & byreto indutus medius inter electionis præsides, præcedentibus electoribus, ad Ecclesiam processionaliter & sub solenni campanarum pulsu deducitur; ubi post cantatum solenniter *Te Deum*, & datâ in majori altari benedictione in Episcopali cathedra intronisatur vel ad stallum Abbatiale deducitur, & manuum osculo eidem obedientia promittitur &c. notandum tamen, quòd per ejusmodi intronisationem, installationem aut similes ceremonias ante confirmationem exercitas non acquiratur propriè possessio beneficii, quia hæc capi non potest ante confirmationem. *Leur. q. 802.*

QUÆR.

QUÆR. II. Quid circa confirmationem?

R. Observanda seqq. 1. Confirmatio debet peti intra tres menses à 7. die præstiti consensûs, intra quos si cessante justo impedimento non petatur, electus hoc ipso censetur suo juri renunciasse, eoque de facto privatur. *d. c. 6. h. t. in 6.* 2. Confirmatio debet peti & dari gradatim, hoc est, à proximo Superiore; sic confirmatio Abbatis nisi exemptus sit ab Episcopo, Episcopi ab Archi-Episcopo, Archi-Episcopi à Patriarcha petenda erit, nisi hujusmodi confirmatio specialiter Sedi Apostolicæ reservata fuerit, quemadmodum per concordata reservatur confirmatio & consecratio Episcoporum in Germania. In S. Ordine nostro Præmonst. confirmatio competit Patri Abbati; notandum hîc, quòd jura tempus non præfigant, intra quod Superior electum teneatur confirmare; si tamen injustè differatur, potest à Superiore confirmantis peti, ut is terminum, intra quem confirmatio fieri debeat, constituat, quo elapso ipsemet confirmabit. *Arg. c. 13. §. excessus de offic. jud. ord.* 3. Ante obtentam confirmationem electus se regimini 8. immiscere nullatenus potest, quòd si se immiscat sive per se sive per alium, sive in parte sive in toto, etiam tantùm administrando sub nomine œconomi, aut juramenta & homagia recipiendo, excommunicando, absolvendo, judicando &c. hoc ipso privatur omni jure per electionem quæsito, & redditur imposterum ineligibilis. *c. 9. 12. & 17. h. t.* faciens verò sola præparatoria ad futurum regimen non dicitur se immiscere, pœnalia enim sunt cum effectu accipienda. Ab hac generali regula excipiuntur extra Italiam per concordiam, hoc est, saltem per majora nullo electionem impugnante electi, quorum confirmatio immediatè spectat ad Sedem Pontificiam, his ob distantiam loci & periculum Ecclesiæ interim vacantis, conceditur statim administratio in temporalibus & spiritualibus exceptâ solâ alienatione rerum Ecclesiasticarum, adeò ut ab iis gesta tanquam valida sustineri debeant, licèt fortè confirmatio ex post non sequatur. *c. 44. h. t. Pirh. n. 300.* neque videtur his obstare *extrav. 1. h. t.* nam hæc ne sit juris correctiva, strictè & de solis intra Italiam electis & ad confirmationem vel consecrationem S. Sedis spectantibus intelligi debet. 4. Speciale est in electione Monialium, quòd electa à sola majore 9. parte, minore licèt invitâ, etiam ante confirmationem suscipere possit administrationem bonorum, dummodo de rebus Monasterii nil penitus alienet, nec aliquam quovis modo in Monialem recipiat, *c. 43. §.* 10. *sanè h. t. in 6.* 5. Superior antequam electum confirmet, debet diligenter inquirere in ætatem, mores, sci-

scientiam aliasque qualitates electi, item debet examinare formam & processum electionis, an sit legitimè celebratus, & si aliquis in particulari electioni contradicat, hunc debet nominatim evocare seu citare, si nullus talis adsit, edictum generale ad valvas Ecclesiæ affigendum est, in quo peremptoriè ad diem definitum citantur, si qui velint se electioni factæ opponere; hæc vocatio seu citatio si negligatur, subsecuta confirmatio est ipso jure irrita *c. sin. h. t. in 6. Pirh. numer. 321.* hæc tamen citatio apud regulares fieri non consuevit. Quòd si major pars Capituli dicat se in electum non consensisse, sed in alium vota direxisse, econtra scrutatores testentur contrarium, magis his quàm electoribus credendum est, eò quòd electores sint testes singulares, ignorantes quale votum alter in secretò dederit, quorum etiam 100. non faciunt plenam probationem, econtrà scrutatores sunt contestes in causa aliena, & quamvis fortè non sint testes omni exceptione majores, eò quòd ob suspicionem falsi videatur simul agi de eorum honore & in tantum testari in causa propria, tamen prævaleat testibus singularibus pariter in causa propria testantibus. *Engel n. 33.*

QUÆR. III. Quid circa consecrationem Episcopi?

11. R. Post confirmationem sequitur consecratio, quam si Episcopus intra tres menses à die confirmationis numerandos non petat, tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum; si intra tres alios menses, hoc est, intra sex non petat, Dignitate Episcopali ipso jure est privatus, debet autem hæc consecratio fieri die Dominicâ tempore Missæ à tribus Episcopis, ex dispensatione tamen Papæ etiam ab unico Episcopo assistentibus duobus Abbatibus. *Pirh. numer. 344. Schmalzg. n. 8.* & colligitur *ex can. 1. Apost.* ubi Episcopus à duobus vel tribus ordinari jubetur.

QUÆR. IV. Qui sint effectus confirmationis & consecrationis?

12. R. Sunt seqq. 1. Per confirmationem acquiritur plenum jus in dignitatem, ita ut confirmatus vi confirmationis possit omnia ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, ut judicare, punire, absolvere, dispensare, visitare, gratias, privilegia & beneficia conferre, juramenta & homagia recipere, electos confirmare, investire, alteri Episcopo licentiam dare ad exercenda in sua Ecclesia Pontificalia &c. ipse tamen Pontificalia exercere, ordinare, confirmare non potest ante consecrationem; quia hæc non sunt jurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis, qui per solam consecrationem obtinetur; imò Archi-Episcopus licèt confirmatus ante obtentum pallium non potest ea exercere, quæ ei ut Archi-Episcopo competunt, volut indicere Capitulum Provinciale, Provinciam visitare. *c. 28. §. super eo h. t.*

*h.t.2.* Post consecrationem vel saltem elapso tempore consecrationi præfixo, beneficia priùs obtenta vacant ipso jure, ita ut collator ea alteri
13. liberè conferre possit. *c.7.§. cum verò* & ibi *Gloss. & DD. h.t.* 3. Sicut Episcopus sic & Abbas cum proportione vi confirmationis potest omnia quæ sunt Ordinis, scilicet exercere Pontificalia, benedicere vestes & paramenta sacerdotalia, ac cærera omnia in quibus non intervenit S. Unctio, item conferre minores Ordines non tantùm suis subditis, ùt concedunt omnes, sed etiam Novitiis qui in favorabilibus veniunt nomine professorum, imò non subditos ex delegatione scilicet alterius Abbatis; qui sicut ipse ordinariè potest, sic & suas vices alteri, eandem potestatem habenti, delegare. *Engel de priv. Monast. priv. 45.* vide dicenda *Cas. 103.* si usus loci non habeat, ut Abbas benedicatur, per solam confirmationem non tantùm potestas jurisdictionis sed & Ordinis Abbati confertur, dummodo sit Sacerdos. *Arg. c. alienationes caus. 12. q. 2.* & ibi *Gloss. Pirh. n. 402.* differt autem benedictio Abbatis à consecratione Episcopi, quòd benedictio Abbatis non imprimat characterem, sed sit tantùm deprecatoria manuum impositio. *c. 1. dis. 69.* nec fiat per assistentiam Episcoporum, sed duorum Abbatum, illa verò Abbatibus præcipuè imponditur, ut in honore proximè ad Episcopos accedant & quædam ex eorum officio participent &c.

# CASUS LXXXIV.

## *In Tit. 5. lib. 3. Decret.*

## De beneficiis Papæ per Concordata Germaniæ & aliter reservatis.

JAson *Canonista interrogatur* 1. *An omnia beneficia possit Papa conferre.* 2. *An Ordinarius validè conferat reservata vel affecta, quid si quis intuitu beneficii affecti aliud dimiserit.* 3. *Qualiter reserventur beneficia vacantia apud Sedem Romanam vel in Curiâ.* 4. *Qualiter vacantia per obitum Nunciorum vel Officialium Curiæ.* 5. *An vacantia per promotionem à Papa obtentam, & quid si ex dispensatione Papæ priora retineantur, an adhuc manebunt affecta.* 6. *Quid si promotio fiat ab Ordinario.* 7. *Quid de beneficiis resignatis apud Ordinarium in mense Papali.* 8. *Quid de vacantibus per depositionem, translatio-*

*nem, resignationem Romæ factam. 9. Quid de regulis Cancellariæ. 10. Quid de beneficiis ob delictum reservatis. 11. Quæ beneficia à reservatione sint libera. 12. Quid sint concordata Germaniæ, & an vi illorum vacent beneficia Episcoporum titularium vel promotorum vi precum. 13. Quid de alternativis præsertim Sede Papali vacante. 14. Quid in dubio, an beneficium vacet in mense Papæ vel Ordinarii. 15. Quid si Papa non conferat intra tres menses. 16. An hoc trimestre currat sede Papali vacante, Quid si Papa contulit, sed indigno. 17. Quid si Papa intra mensem non conferat beneficium vacans in Curia. 18. Quid concordata habeant circa Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & regularibus. 19. Quid de annatis. 20. An Papa concordatis possit derogare. 21. Quinam concordatis obligentur. 22. An consuetudo concordatis derogare possit. 23. Quid circa beneficia urbis Colonienſis. 24. Quid sint Preces Cæsareæ. 25. Quid si Ordinarius precibus deferre nolit. 26. Quis sit effectus Precum. 27. In quibus beneficiis locum habeant. 28. In quibus non habeant. 29. An Cæsar variare possit. 30. An pro eadem persona apud plures collatores Preces interponere. 31. Quid si Preciſta beneficium vacans intra mensem non acceptet, vel Preces non insinuet. 32. An Preces exspirent morte Cæsaris.* Pro resol.

QUÆR. I. Quid Papa possit circa beneficia in genere?

R. Ad S. Pontificem de jure spectat conferre omnia totius orbis beneficia. per *c. 2. de præb. & dig. in 6.* ex post verò cùm dilatatâ per orbem Ecclesiâ Romano Pontifici de idoneitate singulorum impetrantium constare non posset, in partem sollicitudinis vocavit Episcopos iisque potestatem conferendi beneficia suarum Diœcesium communicavit, eâ tamen moderatione, ut Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum cùm iisdem haberet jurisdictionem concurrentem, imò superiorem & præciputam. *d. c. 2. & 6. dudum 14. §. nos igitur h. t. in 6.* ita ut locus esset præventioni & ille potior foret jure, cujus collatio prior erat tempore; sed cùm hic modus concurrenter conferendi multas inveheret lites & confusiones, eò quòd Ordinarii volentes prævenire Papam, sine delectu personarum præcipitarent collationes, Papa tum per Canones clausos in corpore juris, tum etiam per Bullas extraordinarias, Regulas Cancellariæ Romanæ, concordata Germaniæ &c. certa beneficia suæ collationi reservavit, ita ut nullus inferior Prælatus sine speciali privilegio vel commissione Papali ea conferre valeat, & si ejusmodi beneficium Papæ reservatum vel affectum, id est tale, in quo Papa de facto manus apposuit, seu circa quod disponere cœpit, Prælatus inferior conferat, tametsi ex ignorantia juris vel facti, collatio hujusmodi est 1. 2.

est irrita; qui tamen intuitu ejusmodi collationis præhabitum beneficium resignavit, poterit ad illud redire, etiamsi jam aliis collatum fuerit, modò in dimittendo altero, quod ab Episcopo invalidè accepit, difficilem se non exhibuerit. *c. si postquam 13. c. 20. h. t. in 6. Barbos. Gonz. Parisius. Eng. h. t.*

QUÆR. II. Quæ sint beneficia Papæ jure communi reservata?

3. R. Seqq. 1. Reservantur beneficia vacantia apud Sedem Romanam vel in Curia, hoc est, beneficia eorum, qui ob quodcunque negotium Curiam Romanam sequuntur; in ea vel ab ea recedentes, aut ad eam accedentes intra duas diætas legales moriuntur, diæta autem legalis hic significat iter unius diei, id est 20. milliaria Italica, seu 4. vel 5. Germanica; hoc tamen Statuto non comprehenduntur ii, qui in loco Curiæ domicilium suum ordinarium habent, & non sunt Curiales, neque ratione Curiæ ibi degunt; nec comprehenduntur ii, qui à Curia recedunt ad sua domicilia intra duas diætas dissita. *c. licet 2. c. statutum 3. c. præsenti 34. h. t. in 6.* porrò Curia Romana ibi censetur esse, ubi est Papa cum Cancellaria & Tribunalibus, si Papa aliò proficiscatur relictis Romæ Tribunalibus, quoad effectum reservationis in utroque loco dicitur esse Curia, & ita declarasse Clem. VIII. testatur *Reiffenst. l. 3. t. 5. n. 422.* meritò tamen cum *Engel* dicit in hoc attendendum esse stylum Curiæ. 2. Reservantur beneficia vacantia per obitum Cardinalium, Nuntiorum aliorumque Sedis Apostolicæ Officialium Curialium aut Familiarium, quantumcunque locus, in quo decedunt, à Curia distet, quia ratione officii semper censentur affixi Romæ. *Leur. t. 2. quæst. 536.* 3. Qui authoritate Pontificiâ ad aliquam Dignitatem promoventur, omnia eorum beneficia præhabita tam regularia quàm sæcularia etiam electiva *p. extrav. ad regimen inter communes h. t.* reservantur, si sint cum nova dignitate incompatibilia, & nova dignitas quietè possideatur, idque tenet etiamsi Papa dispenset, ut priora simul retineant neopromoti. *Garc. Barb. Schmalzg. l. 3. t. 5. n. 256.* contra *Eng. n. 16. Leur. Wistner* &c. & ita habere praxin Curiæ testatur *Croix l. 4. n. 508. Ratio est* 1. Quòd *d. extrav.* dicat generaliter reservari *omnia beneficia quæ obtinebant tempore promotionis nunc vacantia & in ante vacatura.* 2. Illa beneficia manent affecta per appositionem manûs Pontificiæ & per consequens reservata, nec Papa dispensans plenè de iis disposuit, ùt vult *Engel*, tum quia dispositio perfecta fit de solis beneficiis vacantibus, dispensatio autem fecit ut in effectu non vacarent, tum quia provisus alioquin deberet iterum solvere statuta, iterum emancipari

4.

5.

& esse junior, quod est contra praxin. *Dices* cum *Engel* 1. *d. extrav.* reservat tantùm beneficia vacantia per promotionem; sed beneficia, quæ promotus retinet usque ad mortem, non vacant per promotionem; ergo. 2. Ejusmodi Papæ dispensatio non est nuda manûs appositio, sed potiùs actualis collatio, reservationis consummativa; quid enim refert, an Papa beneficium sibi per promotionem delatum alteri vel eidem concedat. 3. Talia beneficia possunt resignari, ergo signum est non ampliùs esse reservata. 4. Reservatio est odiosa, ergo non est extendenda ultra verba clara. R. *ad* 1. & 2. non tantùm beneficia vacantia, sed & affecta reservantur, usque dum Papa de iis perfectè & cum effectu disposuerit, de his autem non disposuit perfectè ùt patet. *Ad* 3. dico beneficia hæc posse resignari, sed ad manus Papæ, quod non obstat reservationi. *Ad* 4. 6. verba extrav. sunt satis clara, *Dixi, authoritate Pontificiâ*; nam si provisio de secundâ dignitate vel beneficio fiat ab Ordinario, tunc quidem prima ipso jure amittuntur post adeptam possessionem secundi, an autem priora Papæ sint reservata est incertum; *Chockier. Nicolartz dis. 1. §. 22.* dicunt esse reservata, sive vacent in mense Papali sive Episcopali, econtrà *Eng. n. 16.* dicit theoricè, hoc est, si stilus Curiæ seu praxis Romana non sit contraria, esse certum in mense Episcopali vacantia per factam ab Episcopo collationem vel promissionem non esse reservata, quia *d. extrav.* clarè habet hanc clausulam: *per nos seu authoritate nostrâ promoti*, ergo beneficia vacantia per promotionem factam ab Episcopo non sunt reservata, in materia enim reservationis utpote odiosa non est facienda extensio. Pariter sub 7. reservatione vacantia per resignationem apud Ordinarium, sed Episcopus potest in omni mense admittere resignationes simplices & conferre beneficia etiam in mensibus Papæ resignata. *Gonzal. Chok. Nicolart. d. 9. §. 9.* Regula enim octava Cancellariæ in suis reservationibus habet hanc clausulam: *aliàs quàm per resignationem quocunque modo vacantia.* 4. Dictâ extrav. *ad regimen* reser- 8. vantur omnia beneficia vacantia per depositionem, privationem, translationem, muneris vel consecrationis susceptionem, electionis vel postulationis cassationem, item per resignationem vel renunciationem admissam, intellige si illa omnia fiant Romæ vel alibi authoritate Pontificiâ; nam si resignatio fiat coram Ordinario, etiamsi resignans vel electus existat Romæ, propterea non inducetur reservatio; resignatio autem in favorem certæ personæ non potest fieri nisi coram Papa, ùt dicam *Cas. 86.* sæpe dicta extrav. etiam tenet in his partibus utpote inserta Concordatis Germaniæ. 5. Regulæ 9. Can-

Cancellariæ, quarum tenorem exhibet *Reiffenſt. poſt nu. 487.* varias continent reſervationes, ſed de his in quantum Germaniam concernunt dicetur infrà, quando de Concord. Germ. Regulæ autem Cancellariæ ſunt certæ conſtitutiones, quas ſinguli Pontifices in ingreſſu ſui regiminis circa cauſas judiciales & beneficiales facere vel à Prædeceſſoribus factas renovare, augere, vel minuere ſolent, nec hæ regulæ corpori juris inſertæ ſunt, ſed ſub ſingulis Pontificibus noviter imprimuntur, quia exſpirant cum morte Pontificis & ſede vacante ceſſat reſervatio in ſolis his regulis fundata v. g. reſervatio alternativa menſium, ut infra videbimus, & his regulis ſpeciale eſt præ aliis legibus, quòd ſtatim ligent ut primum à novis Pontificibus aſſumuntur vel confirmantur etiam non publicatæ, ſcilicet quoad effectum nullitatis actûs in contrarium geſti, non verò quoad culpam vel pœnam, niſi poſt publicationem. *Eng. hic n. 19.*

10. 6*to* Etiam in pœnam delicti reſervantur beneficia 1. Ob hæreſin. 2. Ob ſimoniam. 3. Si in collatione beneficiorum non obſervetur forma Trid. ut ſi Epiſcopus beneficium curatum conferat non habenti 25. annos vel beneficium ſimplex impuberi. 4. Si negleĉta eſt publicatio reſignationis. 5. Si quis moleſtet litigantes in Curia Romana, aut eorum Judices, Advocatos &c. 6. Si ex poteſtate conceſsâ à Papa beneficium conferatur inhabili &c. ſed hæc & ſimilia locum non habent in Germania, eò quòd non contineantur in concordatis. *Chockier tit. 8. nu. 24. Eng. t. 5. n. 18.*

QUÆR. III. Quænam beneficia à reſervatione ſint libera? 11.

℟. I. Etſi Papa abſolutè poſſit, tamen de facto non reſervat beneficia juris patronatûs Laici, quod habetur ex fundatione, dotatione aut conſtructione Eccleſiæ, ne homines à piis fundationibus faciendis abſterreantur; neque illa beneficia cadunt ſub alternativâ. Idem dicendum, ſi jus patronatûs ſit mixtum, id eſt, Clerico ſimul & Laico competens; quia æquum non eſt, ut Laicus ex Societate Clerici privilegium ſuum amittat. *Garc. van Eſpen, Pirh. nu. 324.* beneficia tamen, quæ Clerici fundârunt, non ex bonis patrimonialibus, ſed Eccleſiaſticis ſub reſervatione cadere poſſunt, ſicut & ea, quorum jus patronus Laicus vel Clericus habet ex privilegio vel præſcriptione. *Eng. num. 8. Leur. q. 534. Reiffenſt. nu. 396. 2.* Non obſervantur beneficia manualia, tum quia in odioſis non veniunt nomine beneficii, tum quia beneficiati ad nutum revocari poſſunt, & hoc ipſo, quòd Superior illos amoveret, eluderetur reſervatio; tum denique, quia nunquam propriè vacant, eò quòd Rector principalis ſit Prælatus vel Collegium, cui beneficium eſt incorpo-

ratum. *Reiffenſt. n. 304. 3.* Non reſervantur beneficia, in quæ quis tantùm habet jus ad rem, non autem jus in re, v. g. ex collatione nondum accepta, quia ante acceptationem nondum cenſetur beneficium fuiſſe ipſius. *C. ſi tibi abſenti 17. h. t. in 6. 4.* Nec reſervantur beneficia reſignata ex cauſa permutationis, quia non cenſentur propriè vacare. *Laym. Schmalzg. nn. 222. 5.* In Germania nulla beneficia reſervantur, niſi contenta in Concordatis, de quibus

12. QUÆR. IV. Quid circa concordata Germaniæ?

R. Famoſa Germaniæ Concordata aliud non ſunt, quàm certæ conſtitutiones & pactiones ad terminandas innumeras lites circa beneficia, Anno 1447. conventæ inter Nicol. V. Sum. Pontificem & Fredericum III. Imper. totumque Imperium, tenorem Bullæ exhibet *Croix l. 4. n. 503. Reiff. n. 535.* ejus ſubſtantia conſiſtit in ſequentibus: *1.* Repetit omnes reſervationes, quæ habentur *in Extrav. ad regimen*, de quibus ſup. ſcilicet circa beneficia apud Sedem per mortem in Curia aut in cicinia intra duas diætas, aut per diſpoſitionem, privationem, reſignationem, vel promiſſionem authoritate Apoſtolicâ factam vacantia; excipiuntur beneficia promotorum ad Epiſcopatus titulares, velut Suffraganei. *Nicolarts tit. 1. dub. 1. §. 24. Leur. q. 542. n. 11.* Item non reſervantur beneficia, quæ vacant per promotionem factam vi Precum Imperatoriarum, quia talis promotio non cenſetur immediatè facta vi litterarum Apoſtolicarum. *c. de multa 28. de præb. Schmalzg. n. 255. 2.* reſervantur in Germania tantùm ſex menſes alternativè, ita ut collatio beneficiorum vacantium in primo menſe, ſcilicet Januario, ſpectet ad Papam, in Februario ad Ordinarium, in Martio iterum ad Papam & ſic deinceps: & quidem Sede Papali vacante omnia beneficia etiam in menſe Pontificio vacantia conferri poſſe per Ordinarium non obſtantibus Concordatis docent *Barb. alleg. 57. num. 62. Leur. q. 600. Engel à nu. 48.* idque de beneficiis curatis expreſſum habetur *c. 35. de præb. in 6.* de ſimplicibus probatur: quamvis Concordata ſint perpetua & non exſpirent per mortem Pontificis ſicut regulæ Cancellariæ, tamen Pontifex vi illorum non intendit aliter ſibi reſervare menſes, quàm priùs per regulas Cancellariæ reſervare conſueverat, ſcilicet vivente tantùm Pontifice; ergo vacante Sede Pontificâ nulli menſes vi concordatorum reſervantur; attendendus eſt ſtilus Curiæ. In dubio, an beneficium 14. vacaverit in menſe Papæ vel in menſe Ordinarii, eò quòd v. g. beneficiatus ultimâ nocte reperiatur in lecto mortuus, nec ſciatur, an ante vel poſt duodecimam ultimæ noctis diſceſſerit, præſumendum eſſe pro Ordinario docent *van Eſpen. Nicolarz. dub. 12. §. 7. Pirh. n. 354. Leur. q. 562.* 13.

*quæst. 562.* etiamsi Papa prævenerit & provisus à Papa sit in possessione beneficii, nihilominus præferendum esse provisum ab Ordinario, quia Ordinarius habet intentionem fundatam in jure communi ad conferenda omnia suæ Diœcesis beneficia non reservata, quo jure privari non debet, quamdiu non constat de reservatione, cujus probatio incumbit proviso Papali, & Papa intendit providere vi reservationis, quæ utpote odiosa in dubio non præsumitur.

15. Addit quoque Pontifex §. *5.* quòd menses Ordinariorum *per quamcunque reservationem, gratiam exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem* nolit impedire; imò si intra tres menses à die vacationis notæ in loco beneficii non apparuerit, quòd de beneficiis in mense Papali vacantibus alicui Apostolicâ authoritate provisum fuerit, jus conferendi redibit ad Ordinarium, hoc tri-

16. mestre currit etiam Sede vacante, & ita habere praxin testatur *Wistner hic n. 118.* Si Papa intra trimestre beneficium quidem contulit, sed indigno, ex praxi Germaniæ redit ad Ordinarium. *Schmalzg. num. 322.* si

17. verò beneficium sit reservatum propter privationem, promissionem vel obitum in Curia aut vicinia, tunc si Pontifex intra unum mensem à die vacationis de eo non disposuerit, ordinarii collatores de eo disponere poterunt *per c. statutum 3. h. t. Chockier. van Espen. Nicolarz dub. 11.* §. 4. & hic mensis computatur non à die notitiæ, sed vacationis, ùt habet clarus textus. *Nec obstat*, quòd Concordata hujus Canonis nullam mentionem faciant, nam etiam non corrigunt, & cùm correctio juris sit odiosa, sine clara ratione afferri non debet maximè in odium nationis Germanicæ, cui per Concordata Pontifex favere voluit.

3. Pontifex in Concordatis sibi 18.
reservat majores Dignitates post Pontificiales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis Ecclesiis, quales sunt Præposituræ, vel si tales non habentur, Decanatus. *Nicolarts §. 10.* nisi ex speciali privilegio sint exemptæ, uti exemptæ sunt Præpositura Monasterienſis Westphaliæ, Præpositura Cathedralis Augustana, Elvacensis, item omnes Præposituræ urbis & Diœcesis Leodiensis, quia ex Indulto Eug. IV. sunt electivæ, modò intra 30. dies à die vacationis fiat electio, & intra 6. menses à Sede petatur confirmatio. *Branden. Nicolarts l. c. Croix numer. 507.* Econtrà conceditur omnibus Germaniæ Ecclesiis Metropolitanis & Monasteriis etiam Sedi Apostolicæ immediatè subjectis libera Prælati electio, Episcoporum tamen & Prælatorum immediatè subjectorum confirmatio reservatur, & si electio ob neglectam præsentationem intra tempus præscriptum vel alium defectum Canonicum non

non fuerit confirmata, jus providendi Ecclesiæ ad Papam devolvitur.

19. 4. Habent Concordata, ut de Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis virorum Sedi immediatè subjectis, si vacaverint, solvantur annatæ, hoc est, unius anni fructus; de aliis autem beneficiis ad provisionem Papalem spectantibus à tempore possessionis intra annũ mediam fructuum partem, si tamen reditus annui juxta taxam Cameræ valorem 24. florenorum in auro excedant, aliàs nihil solvunt, & ex hoc capite Canonicatus Germaniæ & Hispaniæ annatas non solvunt, quia ex stilo Curiæ non æstimantur supra valorem 24. ducatorum, etsi fortè reditus annui unius Canonicatûs excurrant ad mille ducatos. *Pirh. n. 364.*

20. 5. Dicit Pontifex hæc Concordata fore perpetua, & se iis sine consensu nationis Germanicæ & extra generale Concilium nunquam velle derogare, imò nec derogare potest, nisi id fortè exigat gravis Ecclesiæ necessitas vel communis utilitas. *Lotter. Branden. Eng. n. 54. Ratio* est, quòd hæc Concordata non sint mera gratia, sed vera pactio & promissio utrimque acceptata, habens expressam clausulam de non revocando, cum onere ex parte Germanorum taxas Cameræ Apostolicæ si voluerit fide-
21. liter exsolvendi. 6. Concordatis obligantur omnes Germani, non verò Itali, aut alii, qui sunt tantùm de feudo Imperii, neque Ecclesia Metensis, Virdunensis, neque Belgæ, quia non sunt de Imperio, neque Concordata unquam acceptârunt exceptâ Ecclesiâ Nivellensi, Cameracensi, Lewensi, & Thenensi, quæ etiam nunc postquam ab Imperio sunt avulsæ, pristina privilegia retinent. *Wex. Nicolarts tit. 3. d. 1. §. 3. Leuren. q. 591.* 7. Con- 22.
cordatis per consuetudinem contrariam vel præscriptionem derogari non posse, docent *DD. cit. Gonzal. Pirh. n. 363.* quia id exigit publica tranquillitas, & consuetudo non potest derogare aliis reservationibus Apostolicis, ac constanter ita judicatur in Curia; nihilominus per præscriptionem immemorialem Concordatis derogari posse non minùs probabiliter docent *Zypæus. Wistner hic n. 71. Croix n. 29.* quia ejusmodi consuetudo nullo jure expressè reprobatur; deindè ex privilegio Apostolico concesso Universitati Lovanienſi Sixtus IV. defacto derogavit Concordatis, ergo idem potest consuetudo immemorialis, quæ habet vim privilegii.

QUÆR. V. Quid circa beneficia 23.
Urbis Colonienſis?

R. Pro Urbe Colonienſi habentur specialia concordata, vi quorum 1. In Ecclesia Cathedrali & in aliis undecim Collegiatis est una certa Præbenda, quæ dicitur *Prima Gratia*, hæc quocunque mense vacet semper confertur ab Universitate, hoc est, à Rectore Magnifico & quatuor Provisoribus. 2. Est adhuc una certa Præ-

benda

benda in singulis Collegiis,quæ semper confertur à Capitulo in quocunque mense vacet, & hæc vocatur *Secundæ Gratiæ*. 3. Papa nullos sibi Coloniæ reservavit menses, sed suos transtulit partim in Archi-Episcopum, partim in Universitatem, ita ut Episcopus habeat *Januarium, Majum & Septembrim*, Universitas verò *Martium, Julium & Novembrim*, in quibus Canonicatus & Vicarias per mortem vacantes conferunt Rector Magnificus,quatuor Provisores,& quatuor Decani, & hæ Præbendæ dicuntur *Tertiæ gratiæ*; alii sex menses, scilicet *Februarius, Aprilis, Junius, Augustus, October, December*, alioquin ad Episcopum spectantes Coloniæ competunt Capitulis. Quoad Præbendas primæ & tertiæ gratiæ specialiter est notandum, quòd conferri non possint nisi Magistris artium,& Indultum conferendi Præbendas tertiæ gratiæ debet confirmari à singulis Pontificibus, & quandoque confirmatur tantùm ad aliquot annos, potestas autem conferendi Præbendã primæ & secundæ gratiæ est perpetua.

24. QUÆR. VI. Quid circa primarias Preces, ùt vocant? R. Romano Imperatori recenter electo à Papa antiquitùs concessum fuit privilegium nominandi in qualibet Ecclesiâ Romani Imperii semel personam idoneam ad beneficium vacans, vel proximè vacaturum, quæ nominatio à Cæsare facta primæ seu Primariæ Preces vocantur, eò quòd ordinarius collator personæ à Cæsare nominatæ præ omnibus aliis beneficiũ conferre & ad possessionem intromittere teneatur; hinc patet penès Cæsarem non esse jus conferendi, sed tantùm nominandi; nam jus conferendi retinet Ordinarius, cum obligatione tamen præferendi nominatum à Cæsare, qui si id renuat habet Cæsar privilegium eligendi personas in Ecclesiastica dignitate constitutas Precum suarum executores,qui authoritate Apostolicâ Episcopos & quosvis electores etiam per censuras Ecclesiasticas cogere possint ad recipiendas Preces,vel si eas omnino admittere nolint aut beneficia sint Papæ reservata, tunc ipsimet executores Cæsarei authoritate apostolicâ ea Præcistæ conferre poterunt. *Wex. Chock.fol.28.Eng.n.71.* extenduntur autem preces ad totum Imperium Romanum prout nunc est,non autem prout fuit;nisi cum reservatione hujus juris dominia translata sint: neque Preces extenduntur ad Imperii feuda. *Chock. Wistn. n. 157. 2.* Habent 26. Preces hunc effectum, ut beneficium pro quo interponuntur, reddant affectum, ita ut si collator ordinarius illud alteri quàm Precistæ etiam ex ignorantia cõtulerit,collatio sit invalida. *Chock. lect. 4. de primis precibus Schmalzg. n. 330. 3.* Preces, ùt patet ex earum formula, quam exhibet *Pirh. n. 367.* non obstantibus Concordatis Germaniæ locum habent in omnibus beneficiis vacantibus sive in mense Ordinarii sive Papali,sive sint beneficia curata,sive non curata, item resignata simpliciter in manus Ordinarii *Chock. Wagner. f. 488. Leur. q. 607.* imò in Indulto exprimuntur etiam beneficia regularia, tamen

25.

27.

men quoad hæc Cæsar non utitur suo
28. privilegio. 4. à Precibus excipiuntur beneficia reservata *per Extrav. adregimen*, hoc est, vacantia apud Sedem & in Curia per mortem, privationem, resignationem &c. authoritate Pontificiâ factam &c. Item omnes Dignitates Episcopales & in Ecclesiis Cathedralibus prima Dignitas post Episcopatum; Item Dignitates primæ in Ecclesiis Collegiatis & Prælaturæ regularium; beneficia litigiosa, quia generatim gratiæ exspectativæ non cadunt super beneficia litigiosa, ut à Rota decisum testatur *Wagn.* §. 2. *Chock. f.* 77. beneficia resignata ex causa permutationis coram Ordinario, vel in favorem tertii, quia hæc non censentur vacare nisi ad effectum ut conferantur iis, qui permutationem fecerunt, vel in quorum favorem dimissa sunt. *Chock. f.* 74. *Wist. n.* 163. Item excipiuntur beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta, ut expressè habet Indultum, erecta post concessas Preces, manualia mensæ Episcopi vel Abbatis incorporata, Commendata, Vicariæ temporales &c. *DD. CC.* denique omnia beneficia spectantia ad jus patronatûs laicale vel mixtum, cui Pontifex nunquam intendit derogare. *Chock. Engel. n.* 71. & ut Preces locum habeant, debet collator ad minus quatuor beneficia conferre posse, debetque quilibet collator tantùm semel à Cæsare gravari. *Wex. Wagner. l. c. Pirh. n.* 376. 5. Si res ad-
29. huc sit integra, id est, si Precista nondum imploravit officium collatoris, Cæsar adhuc variare & alium nominare potest; idem à potiori tenet, si nominatus obierit, uxorem duxerit, vel aliter Precibus renunciaverit, quia Preces nondum fuerunt sortitæ effectum. *DD. CC.* 6. Potest Cæsar pro unâ eademque personâ apud plures Collatores Preces interponere, non ut à singulis Collatoribus Precista beneficium obtineat, sed ut eò certiùs accipiat, idque tenet, etiam si Precista modò in eâdem Ecclesiâ unum beneficiũ habeat, dummodo secundũ cum primo non sit incompossibile, ut Canonicatus & Dignitas, aut Canonicatus & beneficium curatum; si compatibilia sint, utrumque absque dispensatione retinere potest; quia Preces etiam ad pluralitatem se extendunt. *Leur. q.* 620. dixi, *in eadem Ecclesiâ*; nam si Precista in diversis Ecclesiis etiam duo vel tria qualiacunque beneficia habeat, nihilominus ei beneficium, ad quod à Cæsare nominatus est, conferri debebit, nec tenetur priorum beneficiorum mentionem facere, 31.
*Chock. f.* 74. *Pir. n* 382. 7. Precista debet intra mensem, postquam ipsi vacatio beneficii innotuit, Preces collatori insinuare & beneficium per se vel alium acceptare, aliàs amittit suum jus; si tamẽ res post mensem adhuc sit integra, acceptationi per negligentiam omissæ adhuc locus erit propter clausulam Indulto additam, § *fin. VVagn. Schmalzg.* 32.
*à n.* 354. *Reiff. n.* 591. 8. Preces à Precistâ acceptatæ non exspirant morte Cæsaris, etsi nondum secuta sit collatio, sicut morte patroni nõ exspirat præsentatio, aut aliæ gratiæ jam concessæ. *C. si super* 9. *de off. del. in* 6. *Wex. Croix n.* 573.

CASUS

# CASUS LXXXV.

## De Surrogandis Collitigantibus, de annali & triennali possessione, & aliis ad beneficium litigiosum pertinentibus.

KRamerius *optat surrogari in beneficium Crusii, dubitat an possit, 1. Quia Crusius ultra mensem est mortuus & beneficium collatum alteri, & Kramerius non est præsentatus à vero patrono. 2. Movit Crusio litem spe surrogationis, & beneficium est de patronatu Laico, & lis fuit super solâ possessione. 3. Beneficium est affectum & surrogatio petitur ab Ordinario. 4. Crusius fuit in annali possessione, sed inhabilis sine titulo & bonâ fide. 5. Quid si triennio possederit, sed beneficium sit reservatum, regulare &c. 6. Quid si fuerit non tonsuratus, bigamus, hæreticus, excommunicatus, irregularis, carens requisitâ ætate, ordine, gradu, aut retineat beneficia incompatibilia, vel neglexerit publicare resignationem. 7. Quid si fuerit in mala fide vel ignorantia juris clari. 8. Quid si possessio non fuerit pacifica. 9. Quid si sit simoniacè ingressus vel intrusus. 10. An triennalis possessio non tantùm possessorium sed & petitorium excludat & in conscientia absque dispensatione securum reddat. 11. Quomodo solvantur opposita. 12. Quid circa revalidationem tituli.*

*Ad* amputandas lites circa beneficia, Papa in Regulis Cancellariæ varias & salubres fecit ordinationes, circa quas

1. QUÆR. I. Quid de Regula 29na de *Surrogandis, Collitigantibus*?

R. Hæc statuit, ut si duo super beneficio litigent & alter à lite per mortem, Matrimonium, vel professionem religiosam recesserit, tunc alter habeat mensem unum à die notitiæ, intra quem possit petere surrogationem, seu substitutionem in jure vel ad jus, quod alter habebat, & intra hunc mensem non valet gratia vel concessio beneficii litigiosi alteri facta, quàm collitiganti, modò petens surrogationem non fuerit in dicto beneficio intrusus, seu occuparit beneficium propriâ authoritate sine titulo ejus, qui potest providere, neque fraudulenter egerit impetrando beneficium senis vel periculosè ægrotantis, eique litem movendo spe consequendæ surrogationis, neque adversarius illud per triennium possederit. De cætero surrogationem 2.
locum habere etiam in beneficiis, quæ sunt juris patronatûs Laici, docet *de Luca, Leur. p. 2. q. 667. n. 1.* debet tamen lis fuisse non super solâ possessione, sed principaliter super proprietate beneficii. *Chock. Lotter. Rosa c. 17. à n. 71.* & 3.
quamvis durante lite beneficium litigiosum utpote affectum à nullo nisi Papâ concedi possit, *per c. 1. & 2. ut lite pendente in 6. clem. 1. eod.* attamen uno litigante mortuo alter superstes, & non alius surrogari poterit ab ordinario Collatore vel præsentari, eò quòd cessaret ratio prohibitionis, quia ita surrogando non datur novus adversarius nec occasio nova litis. *Parisius, Garc. p. 5. c. 9. à n. 220.*

4. QUÆR. II. Quid de Regulâ 35ta *de annali poſſeſſore?* R. Hæc ordinat, ut quicunque beneficium ab alio per annum pacificè poſſeſſum, certo modo vacare prætenderit & impetrarit, debeat ſpecificè & clarè probare poſſeſſori nullum jus in beneficium competere, eumque intra ſex menſes ad judicium evocare, cauſamque ex tunc intra annum uſque ad ſententiam definitivam proſequi, alioquin impetratio prædicta & quæcunque indè ſecuta nullius erunt firmitatis, & impetrans de damnis & intereſſe poſſeſſori tenebitur; hæc regula tuetur quemcumque pacificum unius anni poſſeſſorem etiã aliàs inhabilem, de jure privatum, intruſum, carentem bonâ fide & omni titulo, item poſſeſſorem nondum percipientem fructus. *Leur. q. 832. & 842.* præcipuè tamen regula locum habet in Curia Romana & apud Legatos Pontificios, non item in aliis Curiis. *Chock. ad hanc reg. n. 55.*

5. QUÆR. III. Quid de Regula 36. *de triennali poſſeſſione?* R. Hæc Regula eſt plurimùm notabilis, in qua ſtatuitur, ut omnis, qui quæcunque beneficia ex quovis titulo, ſive Collationis, electionis, præſentationis &c. per trienniũ pacificè poſſedit, modò in illa non ſit intruſus, aut ſimoniacè ingreſſus, *Super beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari nequeat, nec non impetrationes de beneficiis ſic poſſeſſis factas irritas eſſe decernitur, lites ſuper illis motas penitus extinguendo.* Explicatur Regula: *Dicitur 1.* Beneficia quæcunque etiam reſervata Pontifici, niſi reſervata ſint propter obitum in Curia, vel reſervatio tollat omnem colorem tituli aut capacitatẽ poſſidendi, *Gomez, de Luca de benef. d. 91. n. 8.* hæc Regula etiam tenet, ſi ſæcularis poſſideat beneficium regulare vel econtrà, ita ut poſt triennium pacificæ poſſeſſionis moleſtari non poſſit; nam licèt requirantur quadraginta anni, ut beneficium regulare fiat ſæculare vel econtrà, ad hoc tamen ut beneficium poſſeſſori cenſeatur acquiſitum, ſufficiunt tres anni, qui etiam ſufficiunt ad 6. præſcribendos fructus. *Dicitur 2. omnis qui poſſedit*, quia qui non poſſunt beneficia Eccleſiaſtica poſſidere, velut Laici, non tonſurati, conjugati, bigami & hæretici *c. ſi adverſus de hæret.* etiam triennali præſcriptione gaudere non poſſunt, ſine poſſeſſione enim non currit præſcriptio; econtrà alii omnes qui ob pœnam, cenſuram, irregularitatem vel aliter excepto intruſo & Simoniaco, beneficiis ipſo jure ſunt privati, eò quòd v. g. ætatem, gradum, vel ordinem ad beneficiũ requiſitum non habuerint, beneficia etiam incompoſſibilia retinuerint, reſignationem debitè publicari intermiſerint &c. juvantur hâc regulâ, ita ut poſt triennium moleſtari non poſſint; *Ratio* eſt, quia hæ pœnæ quamvis dicantur ipſo jure infligi & privari beneficiis, tamen cùm ad ſui executionem requirant factum hominis ſcilicet cognitionem cauſæ ex parte judicis, & dimiſſionem beneficii ex parte poſſeſſoris, non obligant in conſcientiâ ante ſententiam declaratoriam, ùt cum communi docet *Covar. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 15. n. 6.* ergo ſi adſit

adsit capacitas possidendi, & titulus saltem coloratus, poterit beneficium bonâ conscientiâ retineri, adeoque & per triennium vi hujus regulæ præscribi; titulus autem coloratus est collatio vel institutio ab Ordinario facta sed ob defectum aliquem nulla. *Si dicas*, 7. qui ipso jure est beneficio privatus, est in mala fide vel saltem in errore juris clari & notorii, sed mala fides aut ignorantia juris clari non prodest ad præscriptionem. R. Est in mala fide, hoc est, habet vel saltem habere potest notitiam pœnæ à jure sibi decretæ, *Tr.* est in mala fide, id est, continuat 8. possessionem malâ conscientiâ, quod proptiè significat esse in mala fide *N. Dicitur 3. omnis qui possidet pacificè*, ille autem pacificè possidet, cui lis super beneficio mota non fuit, ita quidem ut si Cajus possessori intra triennium litem moverit, non verò Titius, præscriptum sit contra Titium, non verò contra Cajum, quia respectu Titii pacificè possedit, non verò respectu Caji. 9. *Dicitur 4.* dummodo *intrusus* non sit vel *simoniacè ingressus*, & quamvis communiter dicatur intrusus, qui occupat beneficium sine titulo Canonico, hoc est, sine institutione, collatione aut confirmatione, tamen ut quis non gaudeat effectu triennalis possessionis, solùm hic nomine intrusi venit, qui ab alio quàm Papa acceptat & ingreditur beneficium vacans in Curia, aut qui cujuscunque beneficii vel dignitatis à Papa impetrandæ administrationem suscipit ante obtentam confirmationem vel ad solam signatam à Papa supplicam nondum expeditis litteris. *Leur. q. 862.* & licèt ex communi DD. teste *Parisio lib. 10. q. 1. n. 20.* gratia dicatur perfecta per solam signaturam, quâ Papa supplicationi sibi factæ subscribit per verbum *fiat ut petitur*, tamen adhuc ista gratia est informis & quasi conditionata, antequam ordinaria collationis Bulla desuper expediatur. *Arg. regul 27. Cancel.* ideóque qui ante expeditas litteras se in beneficium ingerit, amittit omne jus præhabitum, venitque hic nomine intrusi. Dicitur verò simoniacè ingressus, qui sciens à se vel alio in adeptione beneficii commissam esse simoniam realem & completam, beneficium illud ingreditur; econtrà si à tertio ipso ignorante simonia commissa sit, à triennali præscriptione propterea non excluditur. *Leur. Rebuff. Garc. p. 8. c. 1. n. 15. Leur. q.* 10. *873. Dicitur 5. super iisdem beneficiis* taliter possessis molestari nequeat, *lites super illis motas penitus extingendo*; circa quam clausulam magna est inter *DD.* disceptatio, an scilicet *triennalis* possessio non tantùm excludat omnem litem super possessorio, ùt fatentur omnes, sed etiam super petitorio, ita ut probatâ post triennium nullitate tituli beneficio privari non debeat, sed possit illud tutâ conscientiâ sine dispensatione retinere, in quo dubio judico *triennalem* etiam valere pro petitorio, modò adsit capacitas personæ ad possidendum, bona fides & justus titulus coloratus. *Rebuff. Navar. Engel. Laym. l. 4. t. 2. c. 15. n. 4. Pirh. l. 2. t. 26. n. 115. Ratio est* 1.

Quia id videtur habere clarus textus Regulæ, *lites super illis motas penitus extinguendo*, quomodo autem lites dicentur penitus extingui, si maneant quoad principale punctum scilicet petitorium; 2. Triennalis possessio non tantùm facit præsumptionem tituli, sed revera illum confert, quemadmodum præscriptio confert dominium rei præscriptæ, si enim triennalis possessor non consequeretur titulum, ejus beneficium semper de jure vacaret, nec esset ratio, cur ab alio validè impetrari non posset; cùm tamen Regula dicat impetrationes de beneficiis sic possessis factas irritas esse, & si bona Ecclesiastica tempore à jure requisito præscribantur, cur non beneficia? *Dices*: Regula tantùm prohibet per
11. litem molestari triennalem possessorẽ, cum hoc autem stat quòd possessor post triennium cognoscens nullitatem sui tituli, teneatur beneficium dimittere vel dispensationem petere. 2. Titulus non potest aliter acquiri quàm per institutionem Canonicam. *Reg. 1. juris in 6.* 3. Ordinarius Superior ex communi sententia etiam à triennali possessore potest exigere titulum, & desuper inquirere; ergo signum est, quòd triennalis possessio per modum præscriptionis non conferat titulum; fruſtra enim inquireretur in hoc, quod jam per triennalem possessionem scitur esse collatum, sicut post completam præscriptionem domûs, fruſtra à judice inquireretur in titulũ dominii domûs &c. R. *Ad 1.* hoc ipso quòd Pontifex prohibeat molestari possessorem triennalem, dat ei jus ad retinendum beneficium & percipiendos fructus, quod jus est sufficiens titulus. *Ad 2.* triennalis præscriptio habet vim institutionis Canonicæ. *Ad 3.* sicut judex non obstante, quòd præscriptio transferat dominiũ, adhuc potest inquirere, an adsit titulus coloratus, bona fides, & similia ad præscriptionem communiter requisita; sic quamvis triennalis possessio det titulum seu dominium beneficii, Superior adhuc inquirere poterit, an adsint omnia requisita ad hunc effectum, an scilicet sit bona fides, persona apta possidere, possessio pacifica, an non sit intrusus, simoniacus &c. quæ dicta sunt de possessione triennali, à potiori intelligenda sunt de decennali; nam hanc habere vim tituli docent omnes, nisi manifestè constaret de intrusione. *Paris. Luca de benef. d. 91. n. 15.* Quoad revalidationem tituli tenenda sunt 12.
quæ dixi *Cas. 78. n. 21.*

## CASUS LXXXVI.

*In Tit. 9. lib. 1.*

### De Renuntiationibus seu Resignationibus Beneficiorum.

MAsius Licentiandus *interrogatur 1. Quid sit Resignatio, & an valeat dolo vel metu extorta. 2. Quid sit expressa, tacita. 3. Pura & conditionalis, & coram quo fieri possint. 4. An beneficia resignata dari possint con-*

*consanguineis, 5. Aut aliis, quàm iis in quorum favorem sunt resignata. 6. Quid si conditio sit intrinseca aut sit simoniaca, 7. Vel cum reservatione pensionis. 8. Cum conditione regressus, accessus &c. 9. Ex causa permutationis. 10. Quid de causa resignationis. 11. An necessarius consensus Superioris, Patroni &c. 12. Quid circa regulam de viginti. 13. Quid de publicatione resignationis. 14. Quid si resignatio facta est in plures. 15. Quæ beneficia resignari possint. 16. An etiam reservata. 17. Exspectativa, 18. Litigiosa. 19. Concessa in titulum Ordinationis, 20. Ob crimen vacantia ipso jure. 21. Aut beneficia Novitii. 22. An resignatio revocari possit; quid si revocatio procuratori non intimetur vel principalis moriatur. 23. Cui post resignationem debeantur fructus. 24. Quando beneficium resignatum conferri debeat, quid si resignatarius moriatur, an resignans regredi possit.*

*Sicut* beneficia diversis modis acquiruntur, sic & diversis amittuntur, veluti per mortem naturalem, per depositionem, per certa crimina, saltem post sententiam declaratoriam, aliasque causas, de quibus egimus sparsim suis locis; restat examinandum, qualiter beneficia dimittantur per renunciationem vel resignationem. Itaque

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit Resignatio?

8. R. 1. Resignatio est spontanea beneficii dimissio coram Superiore facta & acceptata: est *communis*. Dicitur spontanea, quia resignatio facta ex dolo vel metu injusto est irritanda & resignans restituendus, *per c. 3. & 4. de his quæ vi &c.* imò si dolus sit circa substantiam, resignatio est ipso facto irrita defectu consensûs, *Flam. l. 13. de resig. q. 3. Wiestn. hic n. 9.* R. 2. Dividitur resignatio 1. in expressam & tacitam; *expressa* est, quæ fit verbis aut scripturâ, voluntatem resignandi apertè significantibus; *tacita* est, quæ fit facto dimissionem beneficii significante, vel ex dispositione juris importante, sic censetur renunciare beneficio, qui religionem solenniter profitetur. *c. benef. 4. de reg. jur. in 6.* qui in minoribus constitutus uxorem ducit. *c. 1. & 3. de clericis conjug. qui beneficium cum priore incompossibile suscipit, qui militiam sequitur, qui Parochiam adeptus intra annum Sacerdotium non suscipit*, & generaliter qui aliquid facit propter quod ipso jure beneficium vacat; tunc enim statim alteri conferri potest. *Schmalzg. n. 2. h. t.* 2. 2. Resignatio dividitur in puram & conditionalem; *pura* est, quæ fit simpliciter absque omni pacto, restrictione, conditione; econtrà *conditionalis* est, quæ fit sub certâ conditione, restrictione aut pacto, qualis est 1. Quæ fit in favorem certæ personæ, ut illi & non alteri beneficium resignatum conferatur; hæc resignatio cùm importet speciem hæreditariæ successionis est in jure odiosa, & coram solo Papâ & non coram Ordinario fieri potest, nil tamen obstat quominùs resignatio simplex in manus Ordinarii aut Episcopi fieri possit etiam

2.

3.

etiam cum recommendatione certæ personæ, ex qua tamen Episcopus non obligatur beneficium dare personæ recommendatæ, sed potest sine injuriâ dare alteri. *Zoes. Garc. p. 11. c. 3. n. 154.* imo ex Bulla Pii V. *quanta Ecclesiæ*, beneficia resignata nec licitè
4. nec validè dari possunt consanguineis, affinibus, vel familiaribus resignantis vel admittentis resignationem; sed hæc Bulla teste *Zypæo* & *Laym.* non est ubique recepta, esse tamen receptam in Diœcesi Colonienſi, Leodienſi & Monasterienſi testatur *Croix lib. 4. n. 1073.* in permutationibus verò, quæ fiunt apud Papam, non attenditur consanguinitas, neque hujus necessaria mentio facienda est. *Luca d. 40. n. 15.* quòd si resignans
5. coram Ordinario addat clausulam: *quòd non aliter intendat resignare quàm in favorem tertii, tunc Episcopus* ejusmodi resignationem nec admittere, nec beneficium cassatâ hâc clausulâ alteri dare potest. *Ratio est*, quòd talis non simpliciter dimittat beneficium, sed sub conditione & pacto, ut detur personæ à se nominatæ; cùm ergo Episcopus hanc conditionem implere non possit jure id prohibente, etiam resignationem admittere & beneficium alteri conferre non valet, imò ipse Papa quamvis pro libitu admittere vel rejicere possit resignationem factam in favorem, postquam tamen admisit, non potest beneficium alteri conferre, quàm in cujus favorem fuit resignatum, sicut non potest alteri conferre beneficia resignata cum animo permutandi: resignans enim non intendit jus suum aliter abdicare, nec debet invitus & innocens privari suo jure. *Pirh. à n. 78. h. t.* si 6.
tamen conditio sit intrinseca v. g. resigno beneficium ut in eo resideas, ut prænabitum incompossibile vel superfluum dimittas, ejusmodi conditionata resignatio etiam coram Ordinario fieri potest, quia non imponitur per conditionem appositam nova obligatio: econtrà si resignem beneficium eâ conditione, ut tu hoc vel aliud beneficium suo tempore in mei vel alterius favorem resignes est simonia, & quamvis simoniaca resignatio sit ipso jure nulla, tamen tenet in præjudicium resignantis simoniacè, qui ideo amittit jus, nec conceditur ei regressus, sed beneficium tanquam vacans à tertio impetrari potest; attamen simonia commissa ab uno non potest nocere parti innocenti. *Leur. q. 754. 3.* Fit resignatio conditionalis, quando resignans sibi certam pensionem aut refusionem expensarum reservat, & hæc resignatio etiam coram solo Papa fieri potest; tum quia ejusmodi reservatio simoniam sapit & in effectu beneficium quasi pro fructibus permutat, tum quia beneficia conferri debent sine diminutione seu novi oneris impositione. *Pirh. n. 8. Eng. n. 10. h. t.* ubi dicit, Episcopum ex justa causa v. g. ad finiendam litem resignanti pensionem constituere posse, si resignet simpliciter & purè sine restrictione; 4. Est resignatio conditionalis, si fiat *sub conditione regressus, accessus*,

8. *cessus*, *vel ingressus* ad beneficium, casu quo resignatarius non solvat pensionem tempore constituto, & quamvis Concilium Trid. *Sess. 25. c. 7. de refor.* abrogarit omnem accessum & recessum in beneficia, attamen hoc non intelligi de hujusmodi regressu propter non solutam pensionem docet *Azor. Flam. de resig. l. 6. q. 5. n. 110. 5.* Fit resignatio conditio-
9. nalis ex causa permutationis; clerici permutare volentes debent 1. resignare sua beneficia in manus Papæ vel Episcopi; si tamen permutatio fiat inter plures quàm duos, v. g. resigno tibi ùt Titio, & ùt Titius mihi &c. quæ resignatio dicitur triangularis vel quadrangularis, hæc non coram Ordinario, sed necessariò coram Papâ fieri debet. *Pirh. n. 82.*

QUÆR. II. Quæ conditiones requirantur, ut resignatio fiat legitimè? R. 1.
10. Debet esse libera à metu, dolo, & simoniâ. 2. Requiritur justa causa resignandi saltem in beneficiis curatis, præcipuè Prælaturis & Episcopatibus; justa autem causa censetur defectus scientiæ, debilitas ex morbo vel senectute, conscientia criminis, malitia plebis &c. in simplicibus beneficiis admittuntur resignationes sine graviore aliqua causa in libera voluntate resignantis factæ. 3. requiri-
11. tur consensus Superioris, per Superiorem autem hic intelligitur, qui habet potestatem ordinariam beneficiatum à beneficio removendi, qualem non semper habent collatores, & præterea si beneficium sit electivum, requiritur consensus omnium eligentium; si verò collativum, consensus collatoris; si Patronatum, consensus Patroni, sive Patronus sit Laicus, sive Clericus; quia horum interest, ne ipsis neglectis aliquis instituatur in beneficium fortè ipsis infensus aut inimicus. *Flam. lib. 2. q. 1. n. 1. & 4. Schmalzg. n. 7.* Resignatio in favorem vel animo permutandi facta his invitis & intra tempus ad præsentandum concessum contradicentibus, est ipso jure nulla. *Garc. c. 3. n. 19. & 21.* vel certè irritanda juxta *Chockier Pirh. sup. n. 13.* in renunciatione tamen simplici & absolutâ non videtur necessariò requiri consensus Patroni, cùm in hac nullum versetur præjudicium Patroni, cui salvum manet jus alium præsentandi in locum renunciantis. *Pirh. n. 86. 4.* Ex regula Cancel- 12.
lariæ, quæ dicitur *de viginti* vel *de infirmis resignantibus* requiriritur, ut resignans [ sive sanus sive infirmus, ùt docet *communis* ] post præstitum coram Superiore consensum vivat p. 20. dies, intra quos si moriatur, beneficium non per resignationem, sed per mortem vacat, ejusque collatio ad Ordinarium spectat, ideóque si mors incidat in mensem Episcopi vel Capituli, ad Episcopum vel Capitulum spectabit collatio, non verò ad Papam; *necobstat*, quòd ejusmodi beneficium videatur affectum propter appositionem manûs Papalis, nam hæc affectio non causat hîc reservationem, eò quòd Pontifex per hanc regulam velit conservare jus Ordinarii, ideóque apertè dicit hujusmodi beneficium non per resignationem, sed per obitum vacare, & collationem aliter factam quâcunque authoritate esse nullam. *Parisius l. c. Garc. p. 5. c. 1. n. 160.* dixi post præstitum consensum coram Superiore, nam

ex ſtilo Curiæ Rom. reſignans porrigit ſupplicam, quæ ſi placeat S. Pontifici, ſignatur ſeu ſubſcribitur ab eo *fiat ut petitur*, inſuper poſt ſignatam à Papa ſupplicam debet reſignans in Camerâ vel Cancellaria per ſe vel per procuratorem iterum in reſignationem expreſsè conſentire & jurare, quòd omnia fideliter acta fuerint, ſeu quòd non intervenerit fraus, vis, metus, ſimonia &c. itaque non à die correctæ vel ſignatæ ſupplicæ, ſed à die præſtiti in Camera conſensûs dicti 20. dies numerari debent; & quia ante hunc conſenſum reſignatio necdum eſt perfecta, ideóque adhuc res integra, reſignans adhuc poterit pœnitere; aliud eſt in reſignatione, quæ fit apud Ordinarium, quâ ſemel à Superiore admiſsâ non eſt pœnitentiæ locus. *c. 5. 6. & 12. h. t.* ſed exſpectari debent à die admiſſæ à Superiore reſignationis 20. dies, intra quos ſi reſignans moriatur, beneficium non per reſignationem, ſed per mortem vacat. *Flam. Pirh. n. 34. & n. 112.* 5. Proviſus 13. de beneficio reſignato debet ex eadem regula facere reſignationem publicari præſente populo in Eccleſia beneficii, & Cathedrali, & quidem ſi reſignatio ſit facta Romæ & beneficium ſit in Italia, intra ſex menſes à die ſupplicationis oblatæ; ſi extra Italiam, intra novem menſes, reſignatio verò facta extra Curiam apud Ordinarium intra tres menſes publicanda erit; alioquin ſi contingat reſignantem mori, antequam reſignatarius ceperit poſſeſſionem, beneficium cenſetur vacare per obitum & collatio facta reſolvetur. *Azor. Flam. l. 11. q. 3.* 14. *Schmalzg. n. 4. 6.* Si quis reſignet in favorem plurium, ſola reſignatio pro primo eſt valida, licèt poſterior eſſet ſub priore data, utì habet *reg. 40. Cancel.* & ſecundus eſt intruſus, ideóque juxta plures non præſcribit, etiamſi per triennium poſſideat, ſed *V. Caſ. 85. à n. 5.* præmiſſa tenent, etiamſi pro primo reſignaſſet per procuratorem aut apud Ordinarium, pro ſecundo autem per ſe ipſum apud Papam; ſi tamen prima reſignatio non fuiſſet admiſſa aut revocata ante præſtitum in Camera vel Cancellaria conſenſum, valeret ſecunda. *Rebuff. Leur. p. 3. q. 263.*

QUÆR. III. Quæ beneficia reſignari poſſint? R. Omnia cujuſcunque generis, etiam nondum poſſeſſa, niſi ſpecialiter à 15. jure reſignari prohibeantur; hinc reſignari poteſt Papatus, Patriarchatus purè non in favorem, Epiſcopatus etiam in favorem; item reſignari poſſunt Dignitates electivæ, Abbatiæ, Prioratus, Parochiæ, ſed ordinariè tantùm poſt tres vel quatuor annos; item Vicariæ perpetuæ, præſtimonia data in titulum, beneficia patrimonialia, Patronata, penſiones non in tertium ſed tantùm in beneficiatum, niſi accedat Superioris licentia. *Pirh. n.* 17. manualia cum expreſſione tamen manualitatis, aliàs reſignatio eſt nulla etiam facta coram Papâ *Leur. q. 280.* 2. Beneficia Papæ reſervata etſi apud Or- 16. dinarium poſſint reſignari purè, non tamen in favorem vel animo permutandi, ſed taliter reſignari debent apud Papam, qui & ſolus de iis providere poteſt; de his ab Epiſcopo proviſus eſt intruſus, nec titulum nec poſſeſſionem acquirit. *Felin. Garc. Leur. q. 297.* 3. Illa, 17.

ſuper

super quibus data est exspectativa, resignari non possunt nisi coram Papâ de hoc admonito. *Clem. 1. de renunc. Ratio est*, quòd aliàs fiat præjudicium exspectanti, ideóque si ejusmodi resignatio fiat coram Ordinario, hoc ipso beneficium vacat & subintrat exspectans. *Rota. Flam.* 4. Habens tantùm jus ad rem, veluti electus nondum confirmatus, potest quidem jus suum dimittere, sed non propriè resignare; quia nondum est be-
18. neficii Dominus. 5. Beneficium ligitiosum coram Ordinario dimitti potest, non verò ab Ordinario conferri, nisi surrogando collitigantem; quia est affectũ & reservatum Papæ *c. 1. & 2. ut lite pend.* coram Papa si fiat resignatio debet fieri narratio litis, aliàs est invalida, nisi resignatio fuerit facta ante motã litem; tunc enim resignatario possunt expediri litteræ & capi possessio pendente lite.
19. *Azor. Imola Leur. q. 308. n. 5. 6.* Voluntariè non potest resignari beneficium, super quo quis ad ordines majores est ordinatus, nequidem apud Papam, nisi hæc duo narrentur, quòd scilicet super hoc beneficio sit ordinatus, & aliunde habeat unde vivat, aliàs resignatio est irrita, *Trid. Sess. 21. c. 2. de refor. dixi, voluntariè*, nam si resignatio aut privatio inducatur à jure v. g. ob consecutionem beneficii incompossibilis cum præhabito, valida est, nec opus est ista narrari, quia tamen secundum beneficium tunc succedit in locum primi tituli, nec hoc resignari poterit, nisi dicta duo narrentur *Choch. Garc. p. 2. c. 5.* præfata tenent etiam de titulo patrimonii, super quo
20. quis ordinatus fuit. 7. Ob delictum vel aliter ipso jure privatus beneficio non potest resignare, nam quamvis ex dictis ante sententiam non teneatur se ipsum exequi & beneficium dimittere, quia tamen à tempore commissi criminis amisit omne jus & beneficium ipso jure vacavit, per resignationem non potest impedire, quominus collator alteri beneficiũ liberè conferre queat. *Felin. Flam. l. 3. q. 1. à n.* 20. si verò criminosus non sit ipso jure beneficio privatus, sed solùm privandus, ante sententiam adhuc resignare poterit, quia retinet jus in beneficium. *Flam. q. 16. Schmalzg. n.* 10. 8. An Novi- 21.
tius ante ultimos duos menses validè possit resignare beneficium, non convenit inter *DD.* hoc certum est ejusmodi renunciationem non habere effectum, nec vi hujus beneficium alteri conferri posse, nisi subsecutâ professione, ne tollatur Novitio libertas regrediendi ad sæculum. *Pirh. n. 25. Wiest. n. 36.* colligitur ex Trid. *Sess. 25. c. 16. de reg.*

QUÆR. IV. Qui sint effectus resignationis? R. Præcipuè sunt seqq. 1. Re- 22.
signatione legitimè factâ non est ampliùs locus pœnitentiæ, prout explicatũ est sup. sed resignans etiam invitus compelli potest ad dimittendam beneficii possessionẽ; si resignatio fiat per procuratorẽ, potest quidem resignans re integrâ pœnitere & mandatum revocare, sed revocatio debet procuratori vel parti adversæ vel Superiori fuisse intimata, aliàs procurator validè procedet ad resignationem, licèt in ejus absentiâ mandatum revocatum fuerit. *Clem. un. h. t.* quamvis contrarium obtineat in matrimonio, ad quod contrahendum missus

procurator etiam in absentia & inscius revocari potest ob favorē libertatis matrimonialis. *c. fin. de procur. in 6.* in aliis autem contractibus id ita se non habet. *L. si præcedente 58. ff. mandati.* econtra morte principalis revocatur mandatum re adhuc integrâ, etiamsi mors procuratori non innotescat, ideóque si procurator in vim mandati perrexerit, & à Superiore beneficium vigore resignationis alicui obtinuerit, totus actus erit nullus, & beneficium vacat per mortem. *Ratio est*, quòd beneficium mortuo principali cesset esse in ejus vel hæredū potestate, ergo ejus nomine per procuratorem renunciari nō potest; econtra si principalis vivat, sed ejus revocatio non intimetur procuratori, beneficium adhuc manet in principalis potestate; ergo nihil obest, quin à procuratore jure sic permittēte in *Clem. fin. h. t.* nomine principalis resignari possit. *Flam. l. 9. c. 24. n. 14. 2.* Post admissā
23. & perfectā resignationē resignans non potest ampliùs beneficii fructus percipere, cùm per renunciationem titulū beneficii amiserit, sine quo beneficiū justè possideri non potest, per consequens nec fructus percipi; fructus tamē industriales & naturales à solo separati usq; ad diem admissæ resignationis debentur resignāti, etiamsi prædia frugifera essent locata & dies solutionis nondū advenisset, sufficit enim fructus à solo esse separatos; fructus verò naturales pendentes quia censētur pars fundi, uti & fructus civiles v.g pensiones ex censu vel locatioe ædiū proveniētes, quorū dies solutionis tēpore acceptatæ resignationis nondū advenerat, debentur successori. *Eng. n. 16.* intellige si consuetudo non sit contraria, aut resignans fructus etiā civiles sibi re- 24.
servârit. *Croix l. 4. n. 962. 3.* Post admissā à Superiore resignationē debet beneficiū resignatū cōferri juxta *Paris.* intra mensem, juxta alios intra sex menses; si beneficiū resignatario cum effectu collatum fuit, resignans non poterit sine novâ collatione ad illud redire, etiāsi resignatarius āte sumptā possessionē moriatur, quia prior titulus fuit extinctus; si verò resignatio non habuerit effectū ob non impletas conditiones, potest resignans sine novâ provisione ad beneficia redire quia jus nōdū fuit amissū. *Schmalzg. n. 50.*

# CASUS LXXXVII.

## *In Tit. 4. lib. 3.* De Residentia Clericorum.

LAbano Clerico *variæ proponuntur quæstiones. 1. Quid sit residentia. 2. Sub qua pœna residere teneantur Episcopi, 3. Abbates, 4. Parochi. 5. Quid hìc valeat consuetudo, 6. Licentia præsumpta, 7. Aut concessa ab Episcopo causâ studiorū. 8. Quo loco residendum. 9. Quid si Parochus exerceat curam per alios. 10. An beneficiū simplex obliget ad residentiam. 11. Quæ sint causæ à residentiâ excusantes. 12. An absentum portio accrescat præsentibus, an fructus lucrentur qui choro intersunt, sed non cantant, 13. An sunt in religione Novitii.* Pro resol.

QUÆR. 1. Quid sit residere? R. Residere nihil aliud est, qûàm in loco beneficii 1.
permanere eique personaliter deservire: *Residentia* verò est duplex, vera & ficta; *vera* est, quâ quis corporaliter præsens per se ipsū beneficii sui functiones ex-

exequitur: *ficta* est, quâ quis corporaliter quidem absens, fictione tamen juris & in ordine ad fructus & præsentias percipiendas habetur tanquam præsens vel interessens. *Pirh. n. 1. h.t.* Beneficium verò aliud est *simplex* sine adjunctâ animarum curâ; aliud *curatum*, cui annexa est cura animarum, ùt Episcopatus, Prælatura, Pastoratus &c. Certum est de jure omnes beneficiarios tam simplices quàm curatos ad residentiam obligari, & quidem simplices ex solo jure Ecclesiastico, curatos verò ad residentiam ipsam secundùm se & in genere ex jure divino, ùt claret ex *Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de refor.* dico ad residentiam secundùm se, nam quòd Episcopi, Pastores &c. si ex justa causa abesse velint, sub certis pœnis debeãt petere & in scriptis obtinere licentiã, id utique ex solo jure Ecclesiastico provenit.

2. QUÆR. II. Quid circa residentiam Episcoporum? R. *Trid. sess. 6. c. 1. sess. 23. c. 1 de refor.* circa residentiam Episcoporum, Archi-Episcoporum statuit sequentia: *1.* Episcopi sine graviori ex æqua tamen causa duobus vel tribus ad summum mensibus computatis omnibus partialibus absentiis, idque sine detrimento sui gregis, quod eorum conscientiæ relinquitur, singulis annis à suis Ecclesiis abesse possunt, modò in festis solennioribus scilicet Adventûs, Quadragesimæ, Nativitatis, Paschatis, Pentecostes & Corporis Christi sint præsentes. *2.* Si diutiùs abesse velint præter graviorem causam v.g. Christianæ charitatis vel urgentis reipublicæ necessitatis, requiritur licentia Papæ, Metropolitani aut senioris Suffraganei in scriptis obtenta, quâ tamen licentiâ opus non est, si periculum appareat in mora, aut si causa absentiæ sit notoria, ùt dum Episcopus, qui simul est Princeps Imperii, ad comitia comparere debet. *3.* Episcopi qui ultra tres menses sine licentiâ vel rationabili causâ absunt, præter reatũ peccati mortalis fructus sui Episcopatûs pro ratâ absentiæ non faciunt suos; sed in conscientia ante omnem sententiam eosdem ad fabricam Ecclesiæ vel in pauperes erogare debent; non enim eos tam ex pœna amittunt quàm deficiente causâ non acquirunt. *Barb. Covar. Leur. p. 1. q. 389.* *4.* Quamvis Trid. de Abbatibus specialem mentionem non fecerit, dubitandum tamen non est, ùt ait *Eng. n. 5. h. t.* quin veniant nomine curatorum Episcopo inferiorum, quibus omnibus *Trid. l. c.* residentiam seriò præcipit, ita ut sine justâ causâ ultra duos vel tres menses à suâ Ecclesia absentes peccent mortaliter. *Schmalzg. n. 39. h.t.* pœna tamen circa amissionem fructuum locum non habet in Regularibus, quia ob votum paupertatis nihil habent proprii & ex culpâ Abbatis non debet damnificari Monasterium. *c. delictum 76. de reg. jur. in 6.* quanto autem tempore Abbates sine licentia abesse possint, præcipuè ex consuetudine & timoratorum praxi metiendum erit. 3.

4. QUÆR. III. Quid circa residentiam Parochorum aliorumque curatorum Episcopo inferiorum? R. *Cit. Trid. sess. 23. c. 1. §. eadem omnino*, circa hos statuit, ut *quandocunque eos causâ priùs per Episcopum cognitâ & probatâ abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debitâ mercedis assignatione*

*tione relinquant, discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra trimestre tempus, nisi ex gravi causâ non obtineant*: ubi pœnas Episcoporum in tantum ad Parochos extendit, ut *& ipsi præter peccati mortalis reatum pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant, nec tutâ conscientiâ aliâ declaratione etiam non secutâ illa sibi retinere possint, sed teneantur fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare &c.* Quòd si major fuerit contumacia, liberum erit Episcopo per censuras aut subtractionem fructuum etiam usque ad privationem beneficii procedere. Quoad hanc constitutionem in praxi tenenda sunt seqq. *1.* quamvis *Trid.* Episcopis & aliis Canonicis concedat trimestre, quo singulis annis non petitâ licentiâ abesse possint, id tamen non extendit ad Parochos, qui semper indigent licentiâ Episcopi & ita declarasse S. Congregationē, *ex Garc.* tradit *Eng. n. 10. Schmalzg. n. 18.* non tamen peccat mortaliter Parochus, qui sinè licentiâ Episcopi ex justa causa [qualis juxta *Garc.* est honesta recreatio & amicorum visitatio] per trimestre abest, minùs tenebitur ad restitutionem fructuū pro ratâ absentiæ, tum quia hæc absentia juxta *Navar. Bonac. &c.* videtur modica, tum quia ex sententia istorū Doctorum est probabile pro absentia duorum mensium Parochum nunc non indigere licentiâ Episcopi, modò nullū inde oriatur damnum animarum, & ita habet consuetudo, ut modico tempore absq; omni licentia Episcopi abesse possint, constituto tamen semper Vicario
5. idoneo. *Reiff. hic n. 78. 2.* Quamvis nullâ consuetudine nequidem immemoriali induci possit, ut curator animarum nec per se nec per alium in loco beneficii vel in vicinia resideat, eò quòd hoc sit contra jus divinum, & ejusmodi consuetudo ob periculum animarum foret irrationabilis, ùt habet communis, nihilominus per consuetudinem saltem immemorialem ex justa causa induci posset, ut rector animarum non per se, sed per Vicarium perpetuum vel temporalem ad nutum revocabilem æquè idoneum resideat, ita contra *Eng.* aliosque *Pignat. Laym. Pirh. à n. 13. Leur. q. 368. Ratio* est, quòd populus tunc nullū patiatur damnum spirituale & consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, ita ut quidquid induci potest privilegio, etiam possit consuetudine immemoriali. *c. sup. quibusdam 26. §. præterea de V. S.* at per privilegium Papæ induci potest & de facto multis in locis inductum est, ut Rector principalis non per se sed per Vicarium perpetuum aut temporalem curam animarum exerceat, ergo. *Si dicas:* ejusmodi consuetudo est contra jus divinum & à *Trid.* dicitur corruptela, ergo est irrationabilis adeoque nulla, &c. Id verum esse, si Parochus non possit per alium suis æquè utiliter providere, tunc enim jure naturali & divino officium pastorale in propria persona exercere debet; secus si possit æquè vel magis utiliter officium suum explere per alium, tunc tantùm jure Ecclesiastico sub pœnâ amissionis fructuū per se ipsum residere obligabitur, quæ obligatio prout tolli potest per dispensationem & privilegium, sic & per consuetudinem saltem immemorialem.

3. Ad

6. 3. Ad hoc, ut Parochus legitimè absit, nō sufficit tacita vel præsumpta Episcopi licentia, sed requiritur expressa, etiamsi adsit causa gravissima discedendi, v. g. instans bellum vel insidiæ; tunc enim prævie ante discessum, vel si id fieri non possit, quamprimum potest, licentia petenda, & causa absentiæ Episcopo significanda erit, ut de sufficientia causæ cognoscere & tempus redeundi determinari possit, & sic declarasse S. Congreg. docet *Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 34.* nec poterit Episcopus quoad residentiā etiam in beneficiis simplicibus, minùs in curatis dispensare in perpetuum; hoc enim soli Papæ competit; sed tantùm ad tem-
7. pus ex justis causis. 4. Olim Parochi poterant cum licentia Episcopi studiorum causâ septē annis abesse, *c. cum ex eo 34. de elect. in 6.* hodie autem post *Conc. Trid.* Episcopos Parochis ejusmodi licentiam dare non posse respondit Pontifex à S. Congreg. Concilii consultus, ùt testatur *Fagn. in c. super speculâ de Magistr. n. 17. Ratio Trid.* est, quòd Parochiæ hodiedum conferri debeant per concursum, & examen Episcopi, in quo non admittuntur nisi capaces, qui necessaria studia jam absolverunt, nihilominus hâc declaratione non obstante cum *Fagn. Wiss.* aliisque docet *Schmalzg. l. c.* Episcopum Parochis ejusmodi licentiam concedere posse, quia de cōtraria declaratione non constat authenticè & fundatur in con-
8. cursu, qui ubiq; receptus non est. 5. Locus, in quo residere debet, est locus beneficii, ideoque Episcopus debet residere in civitate, in qua est Ecclesia Cathedralis. *Can. placuit cauſ. 7. q. 1.* Parochus in sua Parochia; unde non satisfaciunt si resideant in vicinia, nisi excuset consuetudo rationabilis vel necessitas. *Garc. sup. Schmalzg. n. 10.* qui habet plures Parochias aut Parochiam simul & Abbatiam vel Præposituram, in loco digniori seu in Abbatia vel Præpositura residere debet; si verò habeat Parochiam & Canonicatum, in Parochia ob favorem curæ animarum residere debet, & nihilominus quoad perceptionem fructuum imò etiam quoad præsentias quotidianas, si Parochia Canonicatui fuerit unita, fictione juris habetur pro præsente. *Eng. n. 20.* intellige nisi consuetudo vel statuta loci contraria fuerint. 6. Peccat 9.
Pastor, si totam curam per cooperatores exerceat; nam non sufficit quòd materialiter resideat, sed etiam debet residere formaliter, saltem aliquando & maximè si Parochiani id petant per se ipsum officium parochiale exercendo, non tamen incidit in pœnas non residentium, neq; tenetur ad restitutionem fructuum. *Garc. c. 2. n. 53. Reiffenst. n. 87.* Item teneri Parochum residere tempore pestis, contagionis, vel belli, declaravit S. Congreg. 11. 8bris 1576. quia tunc oves assistentiâ sui Pastoris magìs indigent; non expediet autem tunc, si solus sit & successorem statim habere non possit, Sacramenta minùs necessaria cum novo periculo administrare, ne ex præmaturo ejus morbo vel obitu subditi careant Sacramentis necessariis, unde oportebit ipsum magnâ cautelâ & continuâ præservativâ uti, pro qua *Eng. n. 19.* multa & præclara suggerit remedia & ego dabo aliqua *Cas. 88. q. 6.*

QUÆR.

10. QUÆR. IV. Quid de iis, qui habent beneficia simplicia? R. Non tantùm curati, sed etiam omnes habentes beneficium simplex quantumcunque tenue, de jure communi ad residentiam obligantur, ut patet ex *c. 3. 6. 10. h. t.* dico de jure communi, nam modò generali consuetudine introductum est, ut Capellani seu obligati ad certas Missas & similes à residentia sint liberi possintque Officium suum explere per alios, nisi aliud habeat beneficii fundatio; Canonici verò Cathedrales & Collegiati tenentur residere juxta sequentes limitationes: 1 Canonici habent à jure annuò tres menses, quibus etiam pro solâ animi recreatione abesse & nihilominùs fructus annuos lucrari possunt; si ulteriùs abesse præsumant, præterquam quòd fructus pro rata absentiæ non faciant suos, insuper primo anno mediâ parte, secundo anno omnibus fructibus, etiam quos causâ residentiæ jam fecerant suos, eo ipso privantur. *Trid. sess. 24. c. 12. de reform.* Notandum autem hîc, quòd proventus Canonicales sint duplices, alii vocantur distributiones quotidianæ seu præsentiæ, quæ singulis dantur, quoties Matutino, Missæ, vel alteri Horæ intersunt; alii vocantur fructus annui, qui dantur propter annuam residentiam in loco beneficii, statuit autem *Trid.* in Ecclesiis, in quibus nullæ aut exiguæ sunt distributiones quotidianæ, ut tertia pars fructuum annuorum illuc impendatur, ne defectu præsentiarum ad Officium chorale negligentiùs accurrant Canonici, 2.

11. Duæ sunt causæ, ob quas Canonici ultra tres menses abesse & tamen fructus lucrari possunt, moralis scilicet impossibilitas, & communis utilitas. Ratione moralis impossibilitatis excusantur, qui ob ægritudinem, insidias hostiles, injustam captivitatem, pestem &c. adesse non possunt, & tales fictione juris habentur pro præsentibus saltem quoad fructus annuos, etsi in eâdem urbe præsentes sint, quamvis Chorum non frequentent etiam quoad distributiones quotidianas *per C. unic. h. t. in 6.* modò aliàs soliti fuerint Chorum frequentare, nam si sani non frequentassent, non censeretur infirmitas dare causam absentiæ *Schmaltzg. n. 91.* Ratione communis utilitatis excusantur, qui absunt non ex privata sed publicâ causâ v. g pro tuendis sui Canonicatûs vel Ecclesiæ juribus, aut intersunt Capitulo Provinciali vel Generali, Inquisitores hæreticæ pravitatis, Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus dum confessiones audiunt, auditores Rotæ Romanæ, Sacellani, Consiliarii, & similes Ministri, qui Episcopum adjuvant in regendâ Diœcesi. *Barb. de off. alleg. 53. an 171. Pirh. n. 91. h. t.* Item Canonici, qui docent Theologiam vel Jus Canonicum in aliqua Universitate, aut de licentia Episcopi in Gymnasio (non autem in villa vel loco privato, ubi exiguum est litterarum exercitium) *C. 4. & 10. h. t.* denique juxta *Garc. p. 1 c. 2 n. 334 Leur. q. 397.* ii qui per quatuordecim annos diligenter divinis interfuerunt, si ita habeat statutum vel consuetudo; omnes hi fictione juris habentur pro præsentibus saltem quoad lucrandum corpus seu fructus annuos, an verò etiam lucrentur præsentias quotidianas attendenda erunt statuta & consuetudo cujuslibet Collegii, ex quibus pariter colligendum, an Concionatores vel legentes Missas cum aut sine licentia tempore Horarum, lucrentur præsentias; Item an 12.
præsentiæ chorales Canonicorum absentium accrescant Canonicis præsentibus; quâvis *Trid sess. 22. c. 3.* dicat omnes applicandas esse arbitrio Episcopi ad fabricam Ecclesiæ vel alium locum piũ, quia tamen *Trid.* ibi tantùm loquitur de præsentiis, quæ noviter ex tertiâ parte fructuũ deductæ sunt, hinc communiter *DD.* censent aliud obtinere in præsentiis antiquis putantque has accrescere præsentibus; qualiter autẽ peccent & ad restitutionem teneantur Canonici, qui quidem residenti sed Chorum non frequentant, aut in Choro præsentes nõ cantant, vel dormiunt, dixi *Cas 71. n. 14.* 13,
finaliter dubitari posset, an Canonici intrantes religionem tempore Novitatûs lucrentur fructus, *Konig h. t. n. 26.* inclinat in partem affirmativam, eò quòd ingressus in religionem sit causa favorabilior, quàm causa studiorũ; sicut ergo studiorũ causâ absens habetur fictione juris pro præsente, sic & absens causâ religionis, iniquũ enim videtur, ut aspirans ad statũ perfectiorem propterea privetur fructibus; ubi enim nõ est culpa non debetur pœna; his non obstantibus negativa videtur verior, nam quamvis talis Canonicus justissimè absit, quia tamen hoc non cedit in utilitatem publicam sed privatam, & Novitiatus non refertur inter causas legales & privilegiatas in jure uti refertur studium, hinc ejusmodi Novitius fictione juris non habetur pro residente, nec privatur fructibus in pœnam, sed tantùm eos non acquirit, defectu conditionis ad acquirendum requisitæ, scilicet residentiæ personalis.

EX

# EX TRACTATU DE SACRAMENTIS.

## CASUS LXXXVIII.

### De Essentia, Materia, Forma, Ministro & Effectu Sacramentorum in genere.

*Achatius pro cura pastorali se sistens interrogatur:* 1. *Quid sit Sacramentum.* 2. *Quid de Sacrificiis Veteris Testamenti; de lotione pedum, missione Spiritûs Sancti.* 3. *Quot sint Sacramenta & quotuplicia.* 4. *Quæ sit materia & forma.* 5. *An sint de essentia; an ab eodem Ministro applicanda.* 6. *An necessariò coexistant, & quomodo.* 7. *An liceat adhibere materiam vel formam dubiam aut probabilem.* 8. - 9. *Quid sit mutatio substantialis materiæ, vel formæ; quid de mutatione in voces non synonimas.* 10. *Quid de transpositione, subtractione, addutione vocum.* 11. *Quid de mutatione linguæ in linguam, item de interruptione.* 12. *Quale peccatum sit voluntaria mutatio.* 13. *An ea mutare possit Ecclesia.* 14. *Quis sit Minister.* 15. *Quæ in ipso requiratur intentio, & quid in dubio, an hæc adfuerit.* 16. *Quid si habeat intentiones oppositas.* 17. *Quid de intentione conditionata.* 18. *Quid si sit distractus.* 19. *Quid si sit in statu disgratiæ.* 20. *Vel in tali statu distribuat Eucharistiam; vel exerceat actus Ordinis.* 21. *Quæ sit obligatio Ministri tempore pestis.* 22. *Quibus uti debeat præservativis vel cautelis; quid si sæpiùs vocetur ad eundem.* 23. *An liceat ei fugere, vagos, infectos negligere, vel unum alteri præferre.* 24. *Quid sub incursu hostium.* 25. *An liceat Sacramentum petere ab excommunicato, suspenso, &c.* 26. *A peccatore.* 27. *Quæ dispositio requiratur in suscipiente.* 28. *Quæ intentio, & an Baptismus necessarius ad valorem reliquorum.* 29. *An Sacramentum dari possit inhabili, vel metu mortis simulari.* 30. *Quid de matrimonio.* 31. *An liceat ministrare Sacramenta peccatori.* 32. *Quot peccata committat consecrans in mortali.* 33. *An peccet contrahens matrimonium cum peccatore.* 34. *An dari possit peccatori publico saltem metu mortis.* 35. *Quid si crimen non sit notum omnibus præsentibus, vel solùm sit notum in vicinia.* 36. *Quid si sit emendatus, sed non publicè, vel de emendatione sit dubium.* 37. *Quid*

*de articulo mortis.* 38. *Quid si peccator occultè petat; quid si sciatur ex confessione.* 39. *Quid si publicè petat.* 40. *Quis sit effectus Sacramentorum & Sacramentalium?* Pro Respons.

QUÆRES I. Quid sit Sacramentum? 1.

℟. Est signum sacrum, sensibile, practicum sanctitatis à Deo stabiliter institutum. *Dicitur primò Signum*; hoc est, ducens in cognitionem alicujus à se distincti, scilicet gratiæ, quam causat. *Dicitur 2. Signum sacrum*, id est, ad cultum Dei institutum. *Dicitur 3. Sensibile*, seu sensibus externis perceptibile; si enim Sacramentum non esset signum sensibile, non esset aptum significare homini, qui nihil percipit, nisi dependenter à sensibus, nec posset sensibiliter discernere Ecclesiam veram à profana. *Dicitur 4. Practicum sanctitatis*, seu causativum gratiæ ex opere operato, id est, per sui usum & applicationem, non autem præcisè ex opere operantis, seu ex applicantis aut suscipientis merito. *Dicitur 5. à Deo stabiliter institutum.* 2. Quia sicut solus Deus vel Christus potest dare veram gratiam, sic & solius Dei est instituere signa stabilia & practica gratiæ; unde patet, Sacrificia Veteris Testamenti, esum Agni Paschalis, aspersionem sanguinis, &c. non fuisse vera Sacramenta, quia non causabant gratiam; & Circumcisio quamvis sustulerit peccatum originale per veram gratiam, quia tamen istam gratiam non causabat ex opere operato, sed in quantum erat professio fidei in Christum, ideo propriè non fuit Sacramentum; idem tenet de Sacramentalibus in nova Lege, de benedictione panis, vini, cereorum, de consecratione Abbatum, Virginum, lotione pedum, &c. quia non causant gratiam nisi ex merito & opere operantis. Item de verbis Christi ad Magdalenam: *Remittuntur tibi peccata tua.* Item de linguis igneis in Pentecoste: quia licèt hæc causârint gratiam, tamen id non fecerunt ex *instituto & stabiliter.*

QUÆRES II. Quid de numero & divisione Sacramentorum? 3.

℟. I. Sacramenta sunt septem: *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.* Est de fide ex *Trid. sess. 2. c. 1. Nec dicas* cum hæreticis, id nullibi haberi in Scriptura; nam ℟. Nullibi etiam habetur, quòd tantùm sint tria vel quatuor, & tamen hoc credunt Adversarii; sufficiat igitur, quòd ille numerus habeatur in Scripturis æquivalenter ex hoc, quòd de singulis septem & non de pluribus dicant esse Sacramenta, & de iis constet per traditionem & definitionem Ecclesiæ.

II. Sacramenta dividuntur *Primò* in *Iterabilia*, quæ sæpiùs suscipi possunt, & sunt quatuor: *Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Matrimonium*; & *Initerabilia*, seu Characteristica, quæ semel validè suscepta iteratò suscipi nequeunt, eò quòd imprimant characterem, id est, qualitatem indelebilem in anima suscipientis, per quam homo designatur servus, miles, vel minister Christi;

sunt

sunt autem tria: *Baptismus*, *Confirmatio*, *Ordo*. Qui unum horum (nisi sit prudens dubium de valore) scienter iterat, peccat gravissimè, & nullum effectum consequitur. *Secundò*, in Sacramenta vivorum & mortuorum. *Vivorum* dicuntur, quæ in suscipiente supponunt primam gratiam, seu vitam spiritualem animæ, & sunt quinque: *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *Matrimonium*; alia duo sunt mortuorum, velut *Pœnitentia* & *Baptismus*, quia non prærequirunt, sed ex sua institutione causant primam gratiam; per accidens tamen fieri potest, ut Sacramenta mortuorum causent secundam, & vivorum primam gratiam, ùt si adultus perfectè contritus suscipiat Baptismum, vel peccator Confirmationem cum sola attritione, quam bonâ fide judicat esse contritionem, vel eam credit sufficere. *S. Thom. 3. part. q. 79. art. 3.* *Tertiò* in *Formata*, quæ in suscipiente actu causant suum effectum seu gratiam, quæ dicitur forma seu pulchritudo animæ; & *Informia*, quæ hunc effectum non causant, eò quòd ex parte subjecti sit obex seu impedimentum, ùt si adultus suscipiat Baptismum vel Matrimonium sine dolore de peccatis actualibus: An autem & qualiter Sacramenta remoto obice ad causandam gratiam reviviscant, quia parum ad praxin facit, Scholasticis relinquo. *Quartò*, in Sacramenta *Transeuntia*, & *Permanentia*; hæc consistunt in actione transeunte, v. g. ablutione, unctione: illa in re permanente, ùt Eucharistia, &c.

QUÆRES III. Quid de materia & forma Sacramentorum, eorúmque necessitate & simultate? 4.

R. Seq. 1. *Omnia Sacramenta perficiuntur rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conficientis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Sunt verba *Concil. Florent.* In Matrimonio, quia habet rationem contractûs, sufficiunt verba æquivalentia, id est nutus vel alia signa consensum significantia; in aliis Sacramentis requiruntur verba formalia. 2. Materia alia est remota, alia proxima. *Remota* est illa res, quæ per actionem Sacramentalem applicatur; *Proxima* est illa ipsa actio applicativa. V. g. in Baptismo materia remota est aqua, proxima est ablutio; in Confirmatione remota est Chrisma, proxima unctio; in Eucharistia remota est panis & vinum, proxima Corpus & Sanguis Christi cum speciebus; in Pœnitentia materia remota sunt peccata post Baptismum commissa, proxima sunt contritio, dolor, propositum, confessio; in Extrema Unctione remota est oleum, proxima ipsa unctio; in Ordine, remota materia sunt instrumenta, proxima traditio; in quibusdam remota sunt manus Episcopi, proxima earum impositio; in Matrimonio materia remota sunt corpora contrahentium, proxima eorum mutua traditio. 3. Materia & forma ita sunt de necessitate Sacramentorum, ut horum uno deficiente vel substantialiter mutato deficiat Sacramentum. *Florent. l. c. S. Tho. q. 60. art. 5.* 5.

4. Materia & forma debent applicari ab eodem Ministro, ideóque si unus affundat aquam aut inungat, alter pronuntiet formam, Sacramentum est nullum, quia sensus formæ est falsus; nam hoc dicens verè non abluit vel inungit. *Diana, Dicastil. de Bapt. d. 1. n. 181.*

6. 5. Materia & forma debent esse simul, ita ut spectatâ cujusque Sacramenti naturâ verba censeantur afficere materiam, de eáque verificari; in consecratione Eucharistiæ materia & forma debent coëxistere physicè, ita ut eo tempore quo forma profertur, materia consecranda sit præsens; hanc enim ut præsentem significant & demonstrant pronomina *Hoc* & *Hic*. *Metzg. tr. 15. d. 17. a. 2. Reiffenst. Theol. tr. 14. dist. 1. n. 29.* In aliis Sacramentis probabiliùs sufficit coëxistentia moralis, seu talis conjunctio, ut verba communi judicio adhuc censeantur verificari de materia, etsi non coëxistant physicè, sed statim subsequantur vel antecedant; sicut ad veritatem hujus propositionis: *Bibo, fileo*, sufficit, quòd immediatè post vel ante prolata verba bibam, fileam; quia tamen *Cajet. Suar. Scot. in 4. dist. 6. q. 3.* etiam probabiliter requirunt coëxistentiam physicam materiæ & formæ, erit mortale, si forma quoad unam suî partem physicè non coëxistat materiæ, ut si verba Baptismi proferantur post finitam ablutionem, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Excipe Sacramentum Pœnitentiæ, in quo absolutio sequi potest confessionem, ita ut post horam validè absolvatur confessus, etsi non licitè, nisi ex causa rationabili, ut dum apoplexiâ tactus ante unam vel plures horas petiit Confessarium. Ratio est, quòd absolutio sit sententia judicialis, quam antecedere debet accusatio seu confessio. Similiter in Matrimonio unius consensus tamdiu sequi potest, quamdiu durat alterius consensus, ut patet in Matrimonio contracto per procuratorem, quia Matrimonium sequitur naturam contractûs, *Tamb. lib. 1. cap. 1. §. 1. Spor. p. 1. Sacr. n. 81.* Econtrà, si quis cœperit inungere infirmum, & quia inter ungendum putat esse mortuum, desistat, post horam autem videat eum vivere, reliquas unctiones addat, Sacramentum est nullum, quia hîc requiritur major connexio. *La Croix L. 6. p. 1. n. 8.*

6. Adhibere formam vel materiam 7.
dubiam vel probabilem, si certa aut tutior haberi possit, est mortale, quia Sacramentum sine causa exponitur periculo nullitatis, & suscipiens periculo carendi fructu. Vid. *cas. 3. n. 7.* Si Sacramentum sit necessarium velut Baptismus, Pœnitentia, & materia certa haberi non possit, sufficit probabilis & dubia, eámque adhibere in necessitate exigit charitas proximi. An verò liceat sequi opinionem probabilem, quando agitur de conditione ab Ecclesia supplebili, v. g. de jurisdictione absolvendi, dicam *cas. 99. n. 6. & cas. 106. n. 22.*

QUÆRES IV: Quid circa mu- 8.
tationem materiæ & formæ?

R. I. Si materia vel forma mutetur sub-

substantialiter, non fit Sacramentum, secùs si tantùm mutetur accidentaliter; *Tunc autem materia dicitur mutari substantialiter, si secundùm communem hominum acceptionem & usum nomine & ratione differat à materia à Christo instituta, quamvis fortè physicè sit eadem.* Ut si in Baptismo loco aquæ adhibeas glaciem, nivem; in Eucharistia loco panis pisti panem crudum: quia glacies vel nix antequam resolvantur, communi usu & æstimatione non veniunt nomine aquæ, neque massa cruda nomine & usu panis, etiamsi specie physicâ probabiliter non differant. Econtrà vinum album & rubrum, quamvis forsan physicè differant, quia tamen communi usu & nomine conveniunt, utrumque est materia apta consecrationis. Materia dicitur accidentaliter mutari, si salvâ substantiâ aliqualiter solùm alteretur, ut si aqua in Baptismo vel vinum in consecratione tepefiat.

9. 11. Substantialiter forma mutatur, si forma non retineat sensum & significationem, quam Christus per verba exprimi voluit; eodem verò sensu manente, mutatio erit solùm accidentalis. Est communis cum *D. Tho. art. 8.* Ex hac regula deduces sequentia: 1. Mutatio formæ *in voces non-omninò synonimas*, est substantialis. *Suar. d. 2. § 4. Dicast. d. 1. n. 179.* ùt si loco Patris & Filii baptizans dicat: *In nomine Sanctissimæ Trinitatis: In nomine primæ, secundæ & tertiæ personæ: In nomine Patris majoris, Filii minoris: In nominibus Patris & Filii: In nomine Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris: In nomine Patris, Filij, & B. V. Mariæ:* significando æqualem authoritatem. Ratio est, quia hæ formæ non habent eundem sensum, nec æquè clarè & distinctè exprimunt rationem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qualiter exprimitur per formam ordinariam. Vid. *Cas. seq. q. 1.* Similiter in Eucharistia est mutatio substantialis vel saltem dubia, si dicatur: *Hoc est Corpus Christi*; quia sic consecrans non loquitur in persona Christi. Item si dicatur: *Ecce Corpus meum*; quia τὸ *ecce* non ita videtur significare conversionem panis sicut τὸ *hoc*. 2. Mutatio in *voces æquivocas* non invalidat Sacramentum, si verba æquivoca ex circumstantijs vel intentione Ministri determinentur ad sensum similem, ut τὸ *hoc* in Eucharistia, cùm possit demonstrare multas hostias, per intentionem Ministri determinat hanc, & non illam. *Dicast. sup. Bernal d. 6. n. 35.* 3. *Mutatio per transpositionem,* 10. *subtractionem* vel *additionem* verborum tunc est substantialis, quando non relinquit sensum à Christo institutum. 4. *Repetitio vel corruptio vocum* non semper est substantialis, maximè si fiat ex naturali balbutie vel ruditate, ùt: *Ego bapt-bapt-ti-ti-zo te te te, &c.* Vel: *Bapzo in nomine Patria, Filia & Spiritua Sancta. Cap. retulerunt dist. 4. de consecrat.* Aut si quis non valens exprimere H & R dicat: *oc* est *Copus*, vel etiam *Colpus* meum; quia istæ voces à balbutiente corruptæ saltem ex secundaria institutione idem significant quod in aliis non corruptæ, *March. La Croix n. 36.* Nisi corruptio

sit tanta, ut audientes non possint scire, quid loquens vellet significare, vel corruptio vocum fieret studio; tunc enim non censeretur habere seriam intentionem, vel putatur aliud
11. velle significare. 5. *Mutatio linguæ in linguam* per se est tantùm accidentalis, etsi proferens eam non intelligat, nunquam tamen est licita nisi in solo Baptismo, quando Latina lingua ignoratur. 6. *Interruptio* si sit levis, non est substantialis, ut si baptizans prolatis verbis: Ego te baptizo, interponat: *Quid garritis? Aqua est nimis frigida*, aut aliquoties sternutet, osciter, & statim subjungat: In nomine Patris, & Filii, &c. quia verba sequentia adhuc moraliter unum sensum faciunt cum præcedentibus. Secùs si interruptio sit notabilis ad medium vel integrum quadrantem ob rationem contrariam, ideoque tunc forma debebit repeti. *S. Thom. q. 65. art. 8. Tamb. l. c.*

12. R. III. Mutare materiam vel formam substantialiter est mortale, quia Sacramentum in illis circumstantiis, quibus causare deberet effectum, voluntariè redditur nullum, quæ est gravis irreverentia in Authorem Sacramentorum: Mutatio accidentalis si levis sit, ad summum est veniale; ut si in Baptismo citra necessitatem utaris aquâ calidâ vel linguâ vulgari, *Dicast. n. 131.* Vel in forma Baptismi aut Pœnitentiæ omittas TÒ *ego*, in forma Eucharistiæ TÒ *enim*, modò absit contemptus. Mutatio accidentalis notabilis est mortale, ut si Latinus consecret in pane fermentato, aut utatur formâ Græcâ vel linguâ vulgari, vel inungat in oleo prioris anni, vel in Baptismo omittat TÒ *&. Dicast. n. 117.* Vel in Baptismo omittantur præcipuæ ceremoniæ. Item quandocunque materia vel forma redditur dubia, &c. quia in his omnibus vel notabiliter agitur contra præceptam ab Ecclesia uniformitatem, vel Sacramentum per materiam dubiam exponitur periculo nullitatis.

R. IV. Nequidem Ecclesia potest 13.
materias vel formas Sacramentorum formaliter mutare, potest tamen materialiter. Colligitur ex *Trid sess. 21. c. 2.* Ratio est, quia formaliter mutare est facere, ut materia & forma à Christo instituta non sit apta ad valorem Sacramentorum, ut si vinum de vite manens vinum fieret ineptum consecrari; qualem potestatem nullibi Ecclesia legitur accepisse à Christo. Materialiter mutare est facere, ut id, quod anteà erat materia à Christo requisita, induat aliam naturam, & non maneat talis, qualem Christus requisivit, ut si è vino fiat acetum, quod etiam privatus facere potest. Aut si contractus clandestinus anteà validus ex constitutione Ecclesiæ fiat invalidus, & per consequens materia inepta matrimonii. Item si Ecclesia faciat, ut sola manuum impositio in Ecclesia Græca habeat vim significandi potestatem Ordinis Sacerdotalis & Diaconatûs, non autem apud Latinos.

QUÆRES V. Quid circa *Minis-* 14.
*strum*, ejúsque *intentionem, attentionem & dispositionem?*

R. I.

14. I. Minister ordinarius est solus homo viator, habens intentionem faciendi id, quod facit vera Christi Ecclesia. *Trid. sess. 7. c. 11. S. Thom. q. 64. a. 7.* Intentio autem hîc potest esse triplex, actualis, virtualis, habitualis. *Actualis* est actus voluntatis advertenter & perceptibiliter imperans confectionem Sacramenti. *Virtualis* est virtus ex priori actu relicta, quæ physicè est actus tenuis & imperceptibilis, vi cujus quis pergit operari ad finem per intentionem actualem imperatum, hinc intentio virtualis tamdiu censetur perseverare, quamdiu ponuntur media ad intentum finem, ut si quis post intentionem consecrandi eat ad sacristiam, se lavet, vestiat, legat Missam, quamvis toto tempore distractus, &c. hæc omnia diriguntur ab intentione virtuali. *Habitualis* est intentio prætérita non retractata, nec in se, nec in virtute ampliùs existens, potestque esse in dormiente, ebrio, &c.

15. II. Non requiritur intentio actualis, etsi hæc sit optima, sed sufficit virtualis, non verò habitualis. Est communis cum Scot. *in 4. dist. 6. q. 6. Suar. disp. 13. sect. 3. Metzg. d. 23. art. 5.* Ratio primæ partis est; quòd sit moraliter impossibile semper habere actualem & expressam intentionem, cùm nobis etiam invitis se ingerant distractiones, & obligatio semper habendi intentionem expressam exponeret homines innumeris scrupulis. Ratio secundæ partis est: Quòd intentio virtualis sufficiat ad orationem, vota, contractus; ergo etiam ad conficienda Sacramenta. Tertia pars inde probatur, quòd intentio Ministri debeat imperare & influere in actionem Sacramentalem, eamque reddere humanam prudenterque positam nomine Christi, quod facere non potest intentio habitualis, cùm nec in se nec in aliqua sui virtute existat, possitque esse in dormiente, phrenetico, &c. Minister tamen prudenter dubitare non potest de intentione requisita, nisi eam studiosè omiserit vel excluserit. *Maur. q. 78. n. 5.* Quia vult agere quod solet, & quod agunt similes ministri. Nec opus est corde vel ore dicere: *Intendo, volo,* &c. hæ enim scrupulosæ reflexiones magis devotionem impediunt, quàm promovent, sed sufficit quòd quis exercitè attendat ad id, quod facit.

16. III. Si in Ministro sint intentiones virtualiter oppositæ, v. g. Calvinista baptizans intendit facere quod Christus, non autem quod fieri vult Papa vel Romana Ecclesia. Item vult Matrimonium, sed non Sacramentum, tunc prævalebit ea intentio, quæ est appretiativè major, quod à posteriori colliges, si Calvinista ita sit dispositus, ut si sciret idem esse quod vult Christus & Papa, idem esse Matrimonium & Sacramentum, adhuc vellet baptizare, Matrimonium inire; prævalet intentio conficiendi Sacramentum. Secùs si ita non est dispositus. *Lugo d. 8. §. 8. Metzg. l. c.* Ex simili ratione prævalet consecratio, si Sacerdos rudis per τὸ *Corpus meum* intelligat suum Sacerdotis, quia prævalet intentio generalis significandi

candi, quod Christus instituit. Quod non tenet de eo, qui id malitiosè & scienter faceret, quia tunc prævaleret intentio non significandi Corpus Christi, sed suum. Si intentiones sint æquales, nullum est Sacramentum, quia neutra prævalet; si una contrariorum existat tantùm habitualiter, altera verò actu existens imperet confectionem Sacramenti, hæc prævalet utpotè efficacior, quia sola habitualis Sacramentum causare non potest. *Bernal.d.17. n.182. La Croix n. 69.*

17. ℟. IV. Intentio non debet esse *conditionata*, adeò ut Sacramenta nec licitè, nec validè conferri possint sub conditione de futuro suspensiva valoris; quia non est in potestate Ministri posita actione Sacramentali suspendere Sacramenti valorem, etsi tunc non intendat conferre Sacramentum validum, deinceps etiam non validabitur, sive conditio eveniat, sive non. Quare invalidè infantem baptizat obstetrix sub conditione, si Parochus ante obitum non superveniat. *Spor. à n.128.* Excipe Matrimonium, quod habet naturam contractûs, ideóque sicut aliorum contractuum, sic & Matrimonii valor suspendi potest usque ad eventum conditionis. Quòd si conditio sit de præsenti vel præterito, sed Ministro incerta, v. g. *Baptizo te, si Pastor sciat, si non sit domi*, est mortale eam adhibere, quia Sacramentum sine causa exponeretur periculo nullitatis. Aliud est de conditione Sacramento intrinseca; talis enim, si dubium sit de dispositione, adhiberi potest & debet; ùt, baptizo te, si non sis baptizatus; absolvo, si doleas, &c. tunc ab irreverentia excusat necessitas; sufficit autem tunc conditionem exprimere in animo, etiamsi consultum sit etiam exprimere verbo. *Dian p.10. t.11. res.55.*

℟. V. In Ministro etiam requiritur attentio: nam voluntaria distractio est peccatum, sed tantùm veniale, nisi sit periculum aliquid notabile omittendi vel mutandi in materia aut forma. *Gob. in exp. t.1. n.97.* Et quamvis plurimi dicant esse mortale sub actuali consecratione Eucharistiæ vel etiam per notabilem partem Canonis voluntariè distrahi, eò quòd hîc videatur esse gravis irreverentia; nihilominùs alii id valde probabiliter negant, modò non sit periculum aliquid omittendi, quale plerumque non est, quia tunc distractio nec ratione suî, nec ratione periculi erit mortalis irreverentia, neque ratione præsentiæ Christi, aliàs voluntariè distrahi, etiam sub Communione, erit mortale, quod est contra communem, nec debet astrui mortale sine ratione convincente, ùt habet *communissim.* &c. 18.

℟. VI. In Ministro Sacramentum conficiente requiritur status gratiæ, aliàs peccat mortaliter; sancta enim sunt sanctè tractanda, idque de Ministro ad hoc specialiter ordinato solemniter agente docent omnes cum *S. Th. q.64. a.6. in Corp.* De Ministro quolibet etiam ad hoc non ordinato docet *Laym. Coning, Castrop.* 19.

*hic*

*hîc p.4. n.10. La Croix n.249.* Quia videtur esse gravis irreverentia, si hostis Dei gerat personam Christi, & unà cum eo coëfficiat Sacramentum causativum gratiæ: nihilominùs valde probabiliter docent *S. Tho. a.cit. ad 3. Sayr. Suar. d.16. s.4. Illsung, Reiffenst. à n.45. Spor. n.171. Metzg. a.6. n.4.* à peccato mortali saltem excusari laicos aut etiam clericos in necessitate baptizantes, absolventes, &c. non tantùm tunc quando ob turbationem, perplexitatem, temporis brevitatem se ad contritionem disponere non possunt, utì certum est, sed etiam aliàs, tum quia major est irreverentia, si Minister specialiter ad Sacramenta deputatus citra necessitatem illa in disgratia conficiat, quàm si id faciat non deputatus, vel etiam deputatus in necessitate, tunc enim magis attenditur necessitas recipientis, quàm dignitas Sacramenti. Hucusque sermo fuit de Ministro conficiente Sacramentum. Nam alios 20. actus, quibus non fit Sacramentum, in disgratia exercere, ut Eucharistiam distribuere, circumferre, cum ea populo benedicere, non videtur mortale. *Sylv. Vasq. Lugo, Nugnus, Bernal d.17. §.3. Dian. p.2. c.14. Res.23. Metzger, La Croix l.c.* Quod magis tenet de assistentia matrimonii, de solemni ministratione Diaconi vel Subdiaconi, de benedictione Chrismatis, Olei, Altarium, Abbatum, &c. Ratio est, quia in his omnibus non conficitur Sacramentum, neque hæc fiunt in persona Christi, & remotè se habent ad productionem gratiæ.

QUÆR. VI. Quid de Ministro Sacramentorum tempore pestis vel incursûs hostium? 21.

℟. Seq. 1. Parochus tempore pestis non tantùm tenetur suis administrare Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiam, si possit eodem periculo, quia ad id vi officii obligatur; si tamen sit solus, & statim successorem habere non possit, non tenetur novo periculo dare Communionem vel Unctionem, ne Parocho ægrotante vel deficiente Sacramenta magis necessaria Parochianis desint, est communis & certa. V. *Metzger to.2. à pag.502. Verjuys tr.14.a.8. Dicast. dis.11. n.123.* ubi refert declarationem *S. Congregationis*, qua prohibetur Parochus per se ea ministrare infectis, si alius sit, qui ministret, ne reliqui Parochiani fugiant ejus conversationem, quem sciunt agere cum pestiferis. 2. Etiam alii Sacerdotes, sive sæculares, sive Regulares, tenentur in defectu Pastoris ex charitate ministrare Sacramenta fidelibus, & quidem in extrema necessitate spirituali cum periculo vitæ corporalis; id enim exigit ordo charitatis, ut quilibet vitam temporalem corporis postponat vitæ æternæ animæ proximi; necessitas autem gravis hîc dicitur, in qua quis sine tuo adjutorio difficulter salvabitur, ut si peccator sit absolvendus vel disponendus ad contritionem; extrema, quando quis sine tuo adjutorio esset damnandus, eò quòd seipsum juvare non possit: v.g. infans moriturus sine baptismo. 3. Parochus sibi provideat de præ- 22.

servativis; optima & facillima præservativa est, infectos non accedere jejuno stomacho; salivam in illorum præsentia non deglutire; inter se & inter infectum ponere ignem, carbones ardentes, vel saltem candelam accensam; cavere vel maximè ab halitu infecti; uti vestibus minimè villosis, easque aquâ vel flammâ sæpiùs lustrare; si sentiatur aliqua alteratio, provocandus est copiosus sudor, &c. 4. Moneat populum, ut omnes adhuc sani in Ecclesia Sacramentum pœnitentiæ & Viaticum percipiant, ne cum periculo semper opus sit adire domos infectas. 5. Seriò inculcet esse gravissimum peccatum, & infectum esse reum non unius homicidij, si temerè se immiscеat sanis, eósque omnes periculo mortis exponat. 6. Si indigens Sacramento pœnitentiæ sit capite turbatus, aut ex passione vel obstinacia aliquoties rejiciat Parochum, si ex pòst Parochum petat, & sit spes fructûs, denuò tenetur eum adire, cum manifesto periculo infectionis, quia id exigit ejus officium.

23. 7. Gravissimè peccat, si tempore pestis fugiat, aut resignet; est enim conductus pro tali necessitate, sicut miles pro prælio. *Chapeaville, Barb. de Paroch. p. 2. c. 17.* Et quamvis fortè cum licentia Episcopi substituto æquè idoneo ad tempus abesse possit, debet tamen esse ita vicinus, ut in omnes populi necessitates intendere possit. 8. Vagis peste infectis tenetur providere Parochus, in cujus Parochia decumbunt. 9. Si plures simul petant Sacramenta, ij præferendi sunt, qui petunt Sacramenta magìs necessaria; inter æqualiter egentes, primò habenda est cura Principis, parentum, civium, alienigenarum. 10. Quæ dixi de Parocho, etiam tenent de Episcopo vel Prælato regulari, ita ut suis per se vel alium idoneum non tantùm in extrema, sed & in gravi necessitate spirituali cum periculo vitæ succurrere obligentur. 11. Quæ dicta sunt de tempore pestis, etiam locum habent in incursu hostium, Turcarum, hæreticorum &c. Ita ut Pastor tunc fugere non debeat, nisi & populus fugiat, sed suis commanere & indigentibus assistere, etiam cum periculo vitæ; poterit tamen latitare in occulto, ex quo suis providere possit. Item, si parochianus tuus extremo supplicio afficiendus petat confiteri, tenetur Parochus eum adire cum periculo vitæ, nisi majora inde timeantur incommoda fidei vel aliis fidelibus: si hæreticus in ultimo agone petat in fide instrui, vel infidelis baptizari, quilibet tenetur eum instruere & baptizare saltem cum aliquali periculo, quia ad minus est necessitas spiritualis valde gravis. 24.

QUÆR. VII. An liceat Sacramentum petere à Ministro indigno? 25.

℟. 1. Extra casum extremæ necessitatis non licet petere Sacramenta à Ministro non tolerato, hoc est, nominatim excommunicato vel suspenso, notorio Clerici percussore, publicè per sententiam irregulari, publicè & in perpetuum degradato. Ratio est, quia Ecclesia graviter prohibuit cum his communicare, præsertim in

in Sacris. Idem in quibusdam Diœcesibus statuitur de publicis fornicariis vel concubinariis. In extrema verò necessitate, seu in periculo vitæ, quando alius Sacerdos haberi non potest, à non tolerato licet petere Sacramenta necessaria, velut Baptismum, *c. si quem 24. q. 1.* Sacramentum Pœnitentiæ, *Trid. sess. 14. c. 2.* Idem de Viatico, etsi præcesserit absolutio, docet *Suar. d. 72. sect. 4. ex c. quod in te de pœnit. & remiss.* De extrema Unctione contrarium dicit Innoc. III. ibidem. 2. Ab excommunicato vel suspenso tolerato ex gravi causa Sacramenta peti possunt, quia Ecclesia non prohibet cum his communicare, & peritur res sancta, quam prævia contritione vel confessione licitè præstare potest. Vide *Casum 114. q. 3.* Gravis autem causa est, si urgeat præceptum Communionis annuæ, vel quis diu non sit confessus, & alius Minister sine notabili incommodo
26. haberi non possit, &c. 3. In dubio, an Minister sit ministraturus Sacramentum in mortali, ab eo peti potest, quia in dubio debet præsumi bonus; & quamvis paulò antè peccaverit mortaliter, tamen præsumi potest se disposuisse saltem per contritionem, nisi constaret ipsum esse consuetudinarium, aut esse in occasione proxima; tunc enim absque gravi causa vel necessitate Sacramenta peti non possent, ne ei detur scandalum vel occasio peccandi.

27. QUÆR. VIII. Quid circa dispositionem & intentionem suscipientis?

R. I. Ut quis licitè suscipiat Sacramenta vivorum, requiritur status gratiæ, & ad Eucharistiam non sufficit contritio, sed jure divino in peccatore requiritur confessio prævia, ut dicetur suo loco; ad baptismum in adulto requiritur fides & attritio de peccatis actualibus.

R. II. Ut Sacramenta validè suscipiantur, in adultis requiritur aliqua intentio, in parvulis & perpetuò amentibus sufficit intentio Christi & Ecclesiæ; in adultis ad minus requiritur & sufficit habitualis, hoc est, voluntas præterita non revocata; undè qui post petitionem Sacramenti incidit in amentiam vel lethargum, validè baptizatur, confirmatur, communicatur, absolvitur, inungitur, &c. quamvis in phreneſi vel amentia contradicat. Imò ad baptismum valdè probabiliter sufficit intentio implicita inclusa in at- vel contritione, ideóque Judæus in articulo mortis attritus baptizari posset, etiamsi dicat se nolle baptismum, quia verè attritus habet voluntatem servandi omnia Dei præcepta, & percipiendi media ad salutem necessaria; ergò implicitè etiam vult Baptismum, & intentio opposita est minùs efficax; si enim sciret Baptismum esse medium necessarium, certò illum vellet. In Confirmatione, Communione, Unctione etiam sufficit intentio interpretativa, qua quis ex vita Christianè acta præsumitur hæc Sacramenta velle, etsi de facto ea ob morbum, amentiam, lethargum, &c. petere non possit: de aliis dicetur suo loco. Hoc adde, ad valorem reliquorum 28.

Sacramentorum requiri Baptismum, quia Baptismus est *Janua vitæ spiritualis, per quem membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ*, uti definit *Florent.* in Decreto *Eugen. IV.* ad Armenos, ideóque soli baptizati sunt membra Ecclesiæ, & capaces Sacramentorum, quæ pro sola Ecclesia instituta sunt.

29. QUÆR. IX. An Sacramenta dari possint indigno?

℟. I. Si suscepturus ita sit inhabilis seu indignus, ut ei Sacramentum nec validè conferri queat, nequidem metu mortis licitè conferri potest, ut si quis minetur te occidere, nisi baptizes Judæum invitum, vel puerum baptizatum, aut absolvas indispositum. Ratio est 1. quia tunc applicando materiam & formam, simulas te conferre Sacramentum, quod tamen scis te conferre non posse, ideóque illudis Christo, & verbis sacris ab ipso institutis abuteris, reddísque formam falsam, & mentiris in re gravissima; exercitè enim & in facto dicis te nomine Christi baptizare, absolvere, quod tamen scis fieri non posse, idque nunc certum videtur ex propositione 29. ab Innoc. XI. damnata: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Similiter si intentetur mors, nisi extra Missam consecres panem, peccas mortaliter, si absque intentione proferas formam ob rationem datam; posse tamen tali casu submissè recitari Orationem Dominicam vel aliam, vel super panem dici: *Hoc non est corpus meum*, & super pœnitentem indispositum: *Ego te non absolvo*, docent *Carden. 2. crisi d. 20. n. 44. 52. Bosco hic n. 232.* quamvis circumstantes putarent te consecrare vel absolvere. Ratio est, quia hæc omnia de se sunt indifferentia, neque simulas circa administrationem Sacramentorum, quia non applicas materiam & formam, ideóque nec formam falsam reddis; idem alii dicunt, si metu adactus baptizes infantem baptizatum, affundendo vinum his verbis: *Pax tecum*, intellige hæc, si absit scandalum, & non petantur in contemptum religionis, qui rarò aberit. V. *Henao n. 1776.*

Aliud est de Matrimonio, quod 30.
metu mortis inire potes, etsi scias illud ratione metûs vel alterius impedimenti fore nullum. *Nav. Sanch. Castrop. de sponsi. punct. 12. Bosco n. 232. Spor. p. 4. c. 1. n. 21. La Croix n. 262.* quia non abuteris formâ vel materiâ Sacramenti; nam solus contractus absolutus & validus potest esse materia Sacramenti, qualis non est initus ex metu, vel cum impedimento dirimente; neque hîc est mendacium, quia ex circumstantiis gravis metûs illa verba: *Accipio te in meam*, habent hanc restrictionem: *Quantum est in me*, aut, *si tenear. Scot. in 4. dist. 29. q. unica.*

℟. II. Peccatori indigno, qui va- 31.
lidè quidem, sed sine effectu sumeret, Sacramenta ministrare per se non licet, est *communis & certa*, tum ex perpetuo Ecclesiæ usu, tum ex Concil. Arelatensi, & probatur 1. ex Script. *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare*

*& dare canibus*, *Matth. 25.* id est, ut explicat *S. Tho. q. 80. art. 6.* peccatoribus manifestis. Idem 1 Cor. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*; sed non est fidelis, qui Sacramenta sibi concredita indignis inutiliter & sine fructu dispensat, sicut Minister Regis non est fidelis; si pecunias datas ad conscribendos amicos vel milites profundat inutiliter; quid si det hosti vel proditori iisdem abusuro ad injuriam Regis? 2. Minister, qui non avertit injuriam sui domini, cùm facilè potest, non est fidelis, multò magis si cooperetur; atqui cooperatur, dando Sarramentum indigno. 3. Peccat contra charitatem proximi, cooperando ad ejus peccatum. 4. Sacerdos peccat, collocando hostiam in loco sordido; ergo à potiori, si det peccatori. Unde deduces seqq.

32. 1. Sacerdos consecrans in mortali tria distincta admittit sacrilegia, quatenus scilicet Sacramentum indignè conficit, indigno ministrat, & indignè suscipit; hæc tamen in confessione satis exprimuntur, dicendo: Semel conscius peccati mor-
33. talis consecravi. 2. Quamvis juxta communem Matrimonium ex justa causa post dispensationem impetratam licitè iniri possit, cum peccatore etiam publico, v. g. hæretico, eò quòd contrahentes principaliter conficiant contractum, & indirectè solùm Sacramentum; nihilominus Parochus Matrimonio assistens debet ex officio allaborare, ut sponsi sint in statu gratiæ, & si sponsus sit hæreticus materialis, debet cum eo elicere contritionem. 3. Peccatori publico etiam publicè negandum est Sacramen- 34.
tum, quia nullum jus habet, estque jam publicè infamatus, & sine scandalo & irreverentia dari non potest, *S. Th. l. c.* Peccator autem publicus vocatur, cujus delictum est notorium de jure, facto, vel fama, ut explicavi *Casu 36. à n. 15.* Sed quid si minetur mortem, nisi detur v. g. Eucharistia? R. Dari potest, nisi petat in contemptum religionis; si enim dari possit indigno pro conservanda ejus fama, cur non pro conservanda vita ministrantis? 4. Si crimen non sit 35.
publicum, attamen notum omnibus præsentibus, neganda est Communio, quia negari potest sine nova infamia; si verò uni aut alteri ex præsentibus non sit notum, neque simpliciter sit publicum, non est neganda Communio, quia adhuc retinet jus ad famam respectu horum. Si crimen quidem aliquos ex præsentibus lateat, sit autem simpliciter publicum, vel publicum in vicinia, ex qua facilè hîc sit publicandum, adhuc negari debet, quia amisit jus ad famam etiam hîc, & temerè Sacramentum petendo est causa, quòd crimen etiam ignorantibus propaletur. 5. Ut peccatori publico Sacramentum publicè dari possit, debet publicè constare de ejus emendatione; quod tunc fit, si coram pluribus sit confessus, & sustulerit occasionem proximam. Si pluries confessus semper sit relapsus, aut retinuerit occasionem proximam, non dimittendo v. g. concubi-

nam,&c. ad Sacramenta admitti non potest, quia adhuc publicè est indignus, *Bernal. d. 48. n. 49.* Si occultè egit pœnitentiam, occultè admitti
36. poterit, non publicè. 6 Si delictum publicum sit certum, & emendatio dubia, Sacramentum negari debet, quia certitudo delicti est in possessione; si crimen sit dubium, vel de eo sola est probabilis vel publica suspicio absque morali certitudine, Sacramentum negari non potest, quia habet jus certum ad famam & Sacramenta, quo per suspicionem incertam privari non debet, *Suar. d. 67. s. 6. Henriq. Vasq. d. 209. c. 5. Spor. n. 185.* Ex eadem ratione si delictum sit certum, sed dubitetur an sit publicum, debet Sacramentum negari occultè, sed non publicè.

37. 7. In articulo mortis etiam peccatori publico Sarramenta negari non debent, modò contritionis signa dederit, necessitas excusat à scandalo, vel scandalum tollere debet Minister, publicando occultam ejus pœnitentiam, *Suar. l. c. Castrop. punct. 20.* 8. Si peccator occultus petat occultè, neganda est Communio; id enim exigit reverentia Sacramenti, & negari potest absque infamia, nisi indignitas solùm cognita sit ex confessione, *Sylv. Nav. c. 21. n. 55. Fagund. Coning q. 80. a. 6.* Tunc enim negans læderet sigillum, nec enim vel licet loqui pœnitenti de auditis in confessione, minùs tacitè exprobrare crimen confessum, quod fieret negando Eucharistiam; nihilominùs tunc posse negari Eucharistiam, si nullus alius sit præsens, docent *S. Thom. in 4. d. 9. q. 1. Vasq. Suar. suprà, Castrop. n. 20.* quia videtur non esse illicitum uti scientia confessionis ad proprias actiones moderandas, si nulli inde fiat suspicio criminis uti hîc, aliàs non liceret negare Eucharistiam, quam ex confessione scio peti ad comburendum, vel ad usum magicum, neque negare possem gladium, quem scio peti ad me occidendum; sed de hoc dicam *Cas. 100. n. 12. & seq.*

9. Si occultus peccator publicè 38.
petat, admitti debet, si repelli non potest absque infamia, *S. Th. q. 80. a. 6.* & habetur expressè *cap. si tantum. c. placuit. q. 2. c. si Sacerdos de offic. ord.* Ratio est, quia occultus peccator retinet jus ad famam; & quamvis Christus etiam habeat jus, ut non inhonoretur ab indigno sumente, tamen illo jure uti non vult cum infamia peccatoris occulti, ut patet in Juda, quem occultè indignum à Communione non repulit, & obligatio tales repellendi esset onus intolerabile pro Ministro, darétque occasionem infinitam litium, scandalorum, inimicitiarum, &c. Erit tamen talis peccator privatim monendus, vel si non possit, omnes in genere hortandi sunt ad dignam Sacramentorum susceptionem.

*Dices* 1. Episcopus potest occultè 39.
indignum v. g. irregularem publicè repellere ab Ordine, ergò & à Communione. 2. Non repellendo cooperatur ejus peccato. 3. Petens hostiam ad eam projiciendam in cloacam, vel ad comburendam, potest publi-

publicè repelli. 4. Ad tuendam vitam vel honorem innocentis licitè aperio occultum scelus iniqui insidiatoris; ergo & licitè cum infamia nego Eucharistiam pro tuendo honore Christi. 5. Si Cajus repetat suum gladium ad se vel alium occidendum, debeo eum negare etiam cum infamia; ergo & Eucharistiam, quia moraliter occidet animam. 6. Præceptum non dandi Sacramentum indigno est negativum, ergo obligat semper pro semper.

R. *ad* 1. Si ordinandus sit indignus propter peccatum occultum, etiam repelli non debet cum infamia; quia tamen plerumque potest sine infamia ab Ordine repelli, & plerique rejiciuntur propter defectum physicum natalium, ætatis, tituli, subjectionis, &c. hinc etiam publicè rejici debet vel maximè irregularis, quia ita Ecclesia præcipit, & si quæ sit infamia, hîc prævalere debet bonum publicum Ecclesiæ. *Ad* 2. Cooperatur tantùm materialiter, præbendo rem optimam, qua suscipiens potest & debet benè uti. *Ad* 3. Nego conseq. Christus tali casu resignavit juri suo, non verò innocens juri ad vitam & honorem. Deinde sacrilegium præcipuè consistit in actu interno, seu in voluntate Sacramentum indignè sumendi, quæ jam tum existit, & per publicam Sacramenti sumptionem impediri non potest, damnum verò vitæ vel honoris consistit in actu externo, qui manifestando crimen occultum insidiatoris vel negando gladium potest impediri; hinc patet *ad* 5. *Ad* 6. distinguo conseq. Ergo obligat semper pro semper in certis circumstantiis, C. in omnibus, N. *Non occides* est præceptum negativum, & tamen non obligat in casu necessariæ defensionis, ita & hîc. 40.

QUÆR. X. Quis sit effectus Sacramentorum & Sacramentalium?

R. 1. Effectus omnibus Sacramentis communis est gratia; gratia autem est duplex, habitualis & actualis; habitualis est qualitas supernaturalis permanens, reddens hominem sanctum, justum, amicum & filium Dei adoptivum & hæredem cœli; gratiam habitualem consequuntur seu cum ea simul infunduntur habitus supernaturales omnium virtutum, quibus homo adjutus permanenter possit elicere actus meritorios vitæ æternæ, fidei, spei, charitatis, aliarúmque virtutum. Gratia actualis est auxilium hominem transeunter adjuvans ad eliciendos actus supernaturales virtutum, maximè si homo per peccatum mortale amisit gratiam sanctificantem, & consequenter habitus supernaturales virtutum; tunc enim necesse habet adjuvari auxilio transeunte. 2. Omnia Sacramenta in omnibus ritè dispositis ex opere operato causant gratiam habitualem seu sanctificantem, in infantibus, perpetuò amentibus aut adultis æqualiter dispositis æqualem, in aliis majorem vel minorem pro majori vel minori subjecti dispositione. *S. Th. q. 69. a. 1.* ita tamen ut Sacramenta digniora, v. g. Eucharistia & Baptismus, cæteris paribus, plus gratiæ causent

sent quàm alia; gratiam sanctificantem comitantur habitus supernaturales virtutum, item jus ad specialia & copiosiora auxilia gratiæ actualis suo tempore danda pro cujusque Sacramenti fine consequendo conducentia in quo jure gratia Sacramentalis distinguitur à gratia communiter dicta. 3. Tria Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio & Ordo insuper causant characterem seu qualitatem indelebilem in anima, quâ homo designatur servus, miles, minister Christi, hæc qualitas in damnatis manet ad confusionem, in beatis ad gloriam. 4. Sacramentalia hîc dicuntur omnes cæremoniæ ab Ecclesia ad cultum DEI, & præcipuè circa decentem Sacramentorum administrationem institutæ, ut exorcizationes, benedictiones aquæ, vini, cereorum, vestium, Virginum, Abbatum, &c. hæc omnia non causant gratiam ex opere operato, neque peccata venialia remittunt, nisi in quantum mediante impetratione Ecclesiæ causant in voluntate pios motus, qui proindè merentur gratiam vel remissionem venialium. *S. Tho. a. 3.*

# CASUS LXXXIX.

## De Baptismo.

BAutius *Theologus interrogatur:* 1. *Quid sit Baptismus.* 2. *Quæ materia remota.* 3. *Quæ proxima, ubi de variis dubiis.* 4. *Quid de forma ejúsque mutatione.* 5. *Quotuplex sit Baptismus.* 6. *Qualiter necessarius.* 7. *Quis sit Minister ordinarius, extraordinarius, & quis inter hos præferendus.* 8. *An liceat baptizare alienos parochianos.* 9. *Quid de vagis & peregrinis.* 10. *An liceat Baptismum accipere vel petere ab hæretico saltem ex timore gravis mali.* 11. *An infantes & amentes baptizari possint.* 12. *An infantes in utero matris, an mater teneatur admittere sciſſionem ventris, quid si mater moriatur.* 13. *Quid de abortivis.* 14. *Monstris.* 15. *An invitis parentibus baptizari possint infantes hæreticorum.* 16. *Infidelium.* 17. *Quid si infideles sint mancipia vel bello capti: vel unus parentum consentiat, vel ideo petat, ut infans liberetur ab infestatione dæmonis.* 18. *Quid si infans per fas vel nefas jam sit à parentibus abstractus.* 19. *Quid si parentes sint mortui, aut proles petat, vel sit in periculo vitæ.* 20. *An aliquando Baptismus reiterandus, & quæ requiratur dispositio in adulto rebaptizando.* 21. *Quid de infante baptizato ab obstetrice vel hæretico.* 22. *Quid de expositiis.* 23. *Quid de eo qui multum angitur super valore sui Baptismi.* 24. *An dubius de Baptismo debeat abstinere ab aliis Sacramentis, & si sit Sacerdos, Religiosus, de novo ordinari, confiteri, Novitiatum servare, pro-*

*profiteri, &c.* 25. *Quid si Parochus in confessione audiat se & alios invalidè baptizatos.* 26. *Quid de libro baptismali, & an puerpera semper debeat edicere patrem.* 27. *Quid si Parochus dicat, se nolle baptizare prolem, si sit illegitima.* 28. *Quale peccatum sit baptizare extra Ecclesiam.* 29. *Quid si mulier in via paritura petat tuum auxilium.* 30. *Quid si sub Missa audias periclitari infantem.* 31. *Quid circa obstetrices & matres, ne ad lectum suum assumant infantes.* 32. *Quid circa ritus,* 33. *Patrinos, quid si plures se ingerant non designati.* 34. *An cognatio contrahatur in Baptismo non solemni.* 35. *An liceat adhibere patrinum hæreticum vel gentilem, aut puero dare nomen ethnicum?* Pro Resolut.

1. QUÆR. I. Quid sit Baptismus? Quando institutus? Quæ ejus materia, forma?

R. 1. Baptismus est Sacramentum hominem spiritualiter regenerans, seu remissivum peccati originalis per ablutionem in aqua naturali, sub hac vel æquivalente verborum forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.* 2. Est institutus à Christo probabiliùs ante passionem, quando fuit à Joanne baptizatus in Jordane. *S. Tho. q. 66. a. 2.* Quia tunc aquæ à Sanctis Patribus dicuntur sanctificatæ, & Apostoli ante passionem baptizabant authoritate Christi; non fuit tamen obligatio suscipiendi Baptismum, nisi post passionem Evangelio sufficienter pro-
2. mulgato. 3. Materia remota est aqua naturalis. *Trid. sess. 7. de Bapt.* Aqua certò naturalis est certò sufficiens, velut aqua maris, fontis, paludis, pruinæ, vaporum in hyeme ex parietibus & ollis igne suppositio exsudantium, aqua è luto expressa, è nive, grandine, glacie resoluta, licèt accidentaliter sapor, odor, color mutatus sit. Materia certò insufficiens est quilibet liquor specie distinctus ab aqua naturali, ut vinum, saliva, urina, lac, nix, &c. Materia dubia est 3.
quilibet liquor, qui tantùm dubiè aut probabiliter est aqua naturalis, ut aqua rosacea, è vino extracta, sudans ex arboribus, &c. Materia proxima est ablutio, quæ fit vel trahendo corpus per aquam, vel aquam fundendo in corpus; alicubi sit ter, alibi semel, in quo servanda est consuetudo Diœcesis, quam transgredi est veniale, *Scot. Dicast. d. 1. de Bapt. n. 43.* quia non est mutatio notabilis; uti aquâ non benedictâ in Baptismo non solemni licitum est, in solemni juxta *Sennyei* est solùm veniale, juxta *La Croix n. 263.* mortale, quia id prohibetur *Clement. unic. de Baptismo.* Aqua calida meritò adhibetur, si periculum sit, ne frigus noceat infanti. Ablutio certò est sufficiens, si fiat in principali parte corporis, v. g. capite, pectore, scapulis, &c. incerta est, si fiat in parte minùs principali, v. g. in digito, pede, aut in utero matris; vel si aqua non fluat per corpus; si nix priùs resolvatur in corpore baptizandi; si baptizans baptizandum subjiciat canali, ex quo aqua fluit; si infans adhuc sit involutus secundinis, talis ablutio in sola necessitate facienda est, & ex pòst re-

repetenda sub conditione. Certò insufficiens est, si nulla pars corporis immediatè tangatur; si solæ vestes vel lintea abluantur; si baptizandus in aquam prosiliat, & alter verba pronuntiet; quia tunc seipsum potiùs abluit, quàm abluatur à pronuntiante verba; si quis infantem projiciat in aquas, pronuntiétque formam, valet Baptismus, quia est vera immersio, & forma est debitè applicata materiæ; id tamen probabiliùs non licet, etiamsi infans esset moriturus absque Baptismo, quia videtur esse directa occisio innocentis, & non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Sot. Suar. Gob. Dian.* & certum esse dicit *Palao punct. 4. n. 12. Metzg. ar. 2. n. 14.* 4. Valet omnis forma habens eundem sensum cum hac: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.* Hinc valet forma Græcorum: *Baptizetur servus Dei Cajus in nomine Patris, Amen, in nomine Filii, Amen, &c.* Item valet: *In nomine Dei Patris, Dei Filii*, vel, *Christi Dei Filii, &c.* Item: *Ego Sacerdos, ego Petrus te abluo, &c. baptizo tuam dominationem, &c.* Certò insufficiens est: *In nominibus Patris, & Filii, &c.* quia significatur pluralitas Deorum. Item: *Baptizo te in nomine JESU Christi, Amen. In nomine DEI*, vel, *sanctissimæ Trinitatis.* Aut: *Baptizetur Petrus à Christo, &c.* Forma est dubia, si omittatur tò *In*, vel tò *Et*, item tò *Ego* in aliquibus linguis, ut Germanica & Gallica, juxta *Gob. tr. 2. à n. 88.* vitiat formam, sicut & notabilis interruptio verborum, qualis non est, si unum vel alterum verbum interponatur, v. g. Parochus inceptâ formâ dicat: Tacete, & deinde pergat. Vide *Cas. præc. à n. 8.*

4.

QUÆR. II. Quotuplex sit Baptismus, & qualiter necessarius? 5.

Rs. 1. Baptismus est triplex: Sanguinis, Flaminis & Fluminis. *Baptismus Sanguinis* idem est ac martyrium; per martyrium autem intelligitur perpessio mortis vel cruciatûs lethalis pro Fide, quæ perpessio in adultis debet esse voluntaria saltem habitualiter. Effectus ejus in infantibus, perpetuò amentibus, & in adultis, attritis vel contritis est expiatio omnis culpæ ac pœnæ. *Baptismus Flaminis* idem est quod contritio perfecta, aut actus perfectæ charitatis in Deum; hi duo Baptismi non sunt Sacramentum, quia non sunt cerimonia sacra à DEO instituta, &c.

Rs. 2. Solus Baptismus Fluminis est verum Novæ Legis Sacramentum, omnibúsque hominibus necessarius necessitate medii, & quidem infantibus seu perpetuò amentibus reipsâ susceptus. *Trid. sess. 7. c. 5. de Bapt.* Et quamvis olim in Ecclesia Baptismus differretur usque ad adultam ætatem, ut se per actus fidei & spei meliùs disponerent; quia tamen id erat periculosum & zelus indiscretus, ideo Ecclesia præcepit, ne Baptismus infantum differretur ultrà triduum. Parentes differentes ultrà mensem, vel juxta *Sennyei*, ultrà 15. vel 20. dies, peccant mortaliter, quia universalis Ecclesiæ consuetudo & decreta multarum Synodorum prohibent 6.

bent differre ultrà triduum vel quatriduum. Adultus tenetur non ex jure Ecclesiæ, quia huic ante Baptismum nondum est subjectus, sed ex jure naturæ & Divino Baptismum suscipere, quamprimùm commodè potest; si in re suscipere non possit, sufficit susceptus in voto, seu inclusus in contritione perfecta, quâ quis ex amore DEI paratus est servare omnia DEI præcepta, ideóque & suscipere Baptismum, si posset. *S. Tho. q. 68. a. 2.*

7. QUÆR. III. Quid circa Ministrum Baptismi?

℟. 1. Minister ordinarius est Parochus in sua parochia, Episcopus in sua Diœcesi, extra quam per se baptizare non licet, quamvis in se non sit actus jurisdictionis, quia id specialiter est prohibitum à Dionysio Papa. 2. Minister extraordinarius & in necessitate est quilibet homo viator, sive mas, sive fœmina, sive fidelis, sive infidelis, modò habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Christi; si tamen Pastor, Sacerdos, vel Diaconus sit præsens, & baptizare velit, sub mortali præferri debent; nisi fortè verecundia vel honestas Clericum baptizare prohibeat, eò quòd v.g. puer necdum sit plenè natus ex utero; ratio est, quia Pastor, Sacerdos, Diaconus sunt Ministri ex officio, ut patet ex *Conc. Florent. de Sacram.* Quoad cæteros, scilicet Subdiaconum, virum, mulierem, &c. ordo tantùm servandus est ex congruentia, vel ad summum sub veniali; præferre tamen sine causa fideli infidelem vel hæreticum, videtur gravis irreverentia, *Vasq. Suar. Laym. &c.* 3. Sine licentia Parochi 8.
non licet Sacerdoti etiam regulari extra necessitatem baptizare, quia est actus pascendi proprius Parocho; & quamvis parvulus non baptizatus nec Parocho, nec ulli Ecclesiæ sit subjectus, subjecti tamen sunt ii, quibus parvulus per Baptismum aggregatur; his autem alium aggregare est proprium Parochi. Absente Parocho, qui vices suas nulli commisit, potest quilibet Sacerdos baptizare solemniter; imò in æquali necessitate etiam Diaconus, quia tunc habent licentiam præsumptam ab Ecclesia, quæ officium solemniter baptizandi Sacerdotibus & Diaconis committere solet, non verò Subdiaconis, &c. Parochus Diaconus necdum Sacerdos potest jure ordinario etiam solemniter baptizare. *Suar. Gob. tr. 2, n. 139.*

4. Peregrini & vagi possunt eligere 9.
locum Baptismi, quem volunt, & sic habere praxin testantur *Barb. Sennyei.* Peregrina pariens in alieno pago potest facere prolem baptizari à Parocho loci, aut infantem mittere ad Parochum proprium, si vicinus sit; qui tamen non in aliena, sed in propria parœcia eum baptizare debet. *Pignat. tom. 7. cons. 41.*

5. Non licet Baptismum accipere 10.
à schismatico, minùs ab hæretico, quia hoc est communicare cum eo in sacris ritibus, & profiteri eum esse ordinarium talis Sacramenti ministrum, quod *Palao punct. 10. n. 12.* dicit esse

mortale; licitum tamen est nomen baptizati ferre ad Prædicantem, ut inscribatur, si id jubeat Magistratus politicus; imò si timeantur gravia mala, cò quòd Magistratus urgeat sub gravi pœna, vel maritus hæreticus minetur verbera, rixas, odia, &c. potest permitti Baptismus fieri ab hæretico, si constet eum debitam adhibere materiam & formam, in dubio sub conditione erit rebaptizandus, *Lugo disp. 14. de fide sect. 5.* vel juxta *Arsdekin* erit primò & occultè baptizandus à Catholico, quamvis ex pòst sit rebaptizandus ab hæretico. Major difficultas est, an non tantùm permitti possit Baptismus metu gravis mali, sed & peti ab hæretico? Negant *Verjuys tr. 6. a. 1. Pignat. consil. 41.* ubi refert declarâsse Clementem VIII. quòd non liceat petere extra necessitatem extremam à scismaticis, multò minùs ab hæreticis, quia est agnoscere Prædicantem tanquam ministrum Sacramenti; licebit tamen ex gravi metu deferre infantem ad Prædicantem, quia id non tam est petere, quàm ex gravi causa Baptismum ab hæretico permittere; neque est Prædicantem agnoscere Ministrum ordinarium, sed solùm sufficientem, quod verum est, esseteque onus nimiùm grave pro Catholicis degentibus in terris hæreticorum, si potiùs deberent exilium aut jacturam bonorum sustinere, quàm infantem ad Prædicantem deferre. *Si dicas:* Ne quidem metu mortis licet à Prædicante accipere cœnam Calvinisticam, ergo nec Baptismum. R. N. C. Prædicans cœnam nec validè administrat, & accipere cœnam foret externa professio sectæ falsæ, quia omnes judicant talem à fide recessisse, quod non tenet de recipiente Baptismum; aliàs enim nec in extrema necessitate hunc à Prædicante accipere vel petere liceret, quod nemo admittit.

QUÆR. IV. Quid circa subjectum Baptismi? 11.

R. Subjectum capax Baptismi est omnis homo vivens ab Adamo descendens nondum baptizatus, unde resolves *seqq.* 1. De fide est contra Anabaptistas, infantes licitè & validè baptizari, *Trid. sess. 7. can. 12.* quia à prima conceptione obnoxii sunt peccato originali; ergo & capaces sunt Baptismi. Idem est de perpetuò amentibus & à nativitate mutis simul & surdis, qui æquiparantur infantibus, *Can. qui 7. caus. 16. q. 6.* Si verò aliquando habuerunt usum rationis, baptizari non possunt, nisi ante amentiam im- vel explicitè Baptismum petierint, *S. Th. p. 3. q. 68. a. 12. Suar. Laym.* Ratio est, quia in ratione utentibus requiritur consensus & intentio suscipiendi, ut dixi *Casu præc. n. 28.* 2. Infans in utero baptizari potest & debet, si sit periculum, & aqua per tubum, fistulam, vel alio modo ad eum deferri possit, quia talis Baptismus est probabiliter validus; est enim homo vivens, *Chap. Bonac. Dian. Pign. tom. 1. consil. 153.* debet tamen aqua esse tepida, ne noceat matri vel proli. *Si dicas*: Nundum natus ex Adam non potest renasci in Christo, *Can. qui in. 115. dist. 4. de cons.* R. Etsi talis nundum sit perfectè natus ex Adam vel ex utero, est tamen natus 12.

in

in utero ex Adam descendens; si infans ex utero protendat caput, in eoque baptizetur, certò valet baptismus; si baptizetur in brachio, pede, &c. Baptismus est dubius, ideóque si infans supervivat, repetendus; an autem mater teneatur permittere secari uterum, ut puer baptizetur, disputant Theologi; negant plures, quia medium est incertum, periculum matris certum, affirmat *Rayn. c. 5.* quia mater tenetur etiam cum vitæ periculo proli in extrema necessitate spirituali constitutæ succurrere, si sit certa spes Baptismi; talem autem esse per scissionem testatur judicium & experientia medicorum; quidquid sit, mater admittens scissionem faciet actum heroicæ charitatis; si verò renuat, non erit multum urgenda ob probabilitatem sententiæ oppositæ. Si mater vivente fœtu in partu moriatur, statim vocetur chyrurgus, qui cadaver aperiat, vel id faciat animosior ex præsentibus, exigit id periculum animæ; neque hîc curanda contradictio cognatorum, interim os matris retineatur apertum, ne
13. infans suffocetur. 3. Omnes abortus nâti ex concubitu humano quomodocunque imperfecti sunt baptizandi, modò dent signum vitæ per motum, quia ex tali concubitu rarò nascitur aliud vivens, & plures medici docent, fœtum post tres vel quatuor dies à conceptione animari animâ rationali. Si abortus vel monstrum habeat membra hominis gemina, & dubitetur, an sit unus vel duo homines, duplex Baptismus conferendus est, unus absolutè, alter sub conditione in ea parte, in qua membra apparent imperfectiora, *Bonac. Laym. Castropalao p. 6. n. 4. & Rituale Roman. de Bapt.* Si infans præter naturam nascatur ex viro, uti Anno 1330. in Belgio ex dextero fœmore viri, eò quòd uxorem suam in puerperio ejulantem riserit, esse natum authenticè testatur *Loth Theol. tr. 15. a. 1.* talis infans baptizandus erit; quamvis enim non descendat ex Adam generatione ordinariâ, ideóque nec originale peccatum habeat, indiget tamen Baptismo, ut accipiat gratiam sanctificantem, habitus virtutum supernaturales, & fiat membrum Ecclesiæ.
4. In monstris magna cautio adhiben- 14.
da est, & si non sit periculum in mora, Ordinarius, vel alius peritus consulendus, ut monet *Agenda Colon. edita 1720. de Bapt. n. 24.* Monstra nata ex homine mare & bruto fœmina sub conditione, *si es homo,* baptizanda sunt, etiamsi homini multum sint dissimilia; nata ex homine fœmina, & bruto mare, juxta plerosque baptizari nequeunt, quia ex sola fœmina humana defectu seminis homo nasci non potest; sed huic rationi non multum esse fidendum probant historiæ apud *Less.* & *Malesp. tr. 1. Flor. curios.*

QUÆR. V. An invitis parentibus liceat baptizare proles hæreticorum 15.
vel infidelium?

R. 1. Licitè baptizantur proles hæreticorum, si id velint Superiores Ecclesiastici, *Gonet, Metzg. d. 26. a. 1. Verj. a. 13.* quia sunt subditi Ecclesiæ, & Catholicus baptizans impedit, ne sacrilegè baptizet hæreticus, & adhibet sacros ritus; cavendum tamen, ne læda-

datur pax publica; unde rarò expediet ejuſmodi Baptiſmus, præſertim ſi proles cum periculo perverſionis ſit reddenda parentibus.

16. §. 2. Infantes infidelium, Judæorum, Gentilium per ſe invitis parentibus baptizari nequeunt, ut habet communis cum *S. Tho. q. 68. art. 10.* cont. *Scot. Gabr. Ledeſma, &c.* quia parentibus fieret injuria ob jus naturale in proles, quæ ſunt aliquid patris, & Eccleſia id prohibuit ſub pœna ſuſpenſionis, teſte *Pign. to. 4. conſ. 192. Dices* 1. Judæo prolem occidere volenti vi eripienda eſt, ergo etiam ut liberetur per Baptiſmum à morte animæ. 2. Infideles prædicationem fidei impedientes vi cogi poſſunt, ergo etiam impedientes Baptiſmum infantum. 3. Princeps poteſt parentibus invitis ob abuſum patriæ poteſtatis ſtatuere tutores, qui poſſunt invitis parentibus proles facere baptizari, de quo *Valent. diſp. 4. q. 3.* refert deciſionem Pontificis; ergo idem poteſt Princeps, qui eſt ſupremus tutor. 4. Parentes non habent jus proles abſtrahendi à Baptiſmo, ergo eas baptizando non fit injuria parentibus; nec obſtat, quòd reddendi ſint parentibus cum periculo perverſionis; nam duæ tertiæ infantum moriuntur ante uſum rationis, teſte Pontio; item benè diſpoſitis licitè confertur Confirmatio, licèt ex pòſt ſint in apoſtaſiam lapſuri: ergo & Baptiſmus pueris pervertendis. R. *ad 1.* N. C. Occidere eſt contra juſtitiam naturalem, ad quam conſervandam poteſtas ſæcularis ordinata eſt: negligere Baptiſmum eſt contra virtutem ſupernaturalem, in qua infidelis nec Eccleſiæ, nec Principi eſt ſubjectus, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, *S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 12. Ad 2.* N. C. Ex Evangelio & praxi conſtat, Eccleſiam habere poteſtatem mittendi prædicatores Evangelii, non autem baptizandi infantes invitis parentibus; & ſicut hos non poteſt cogere ad fidem vel Baptiſmum, ſic nec eorum infantes invitis parentibus baptizare. *Ad 3.* Poteſt Princeps invitis parentibus ſtatuere tutores ad bona naturalia, non verò ſupernaturalia. *Ad 4.* Parentes habent jus, ne illis invitis proles baptizetur citra neceſſitatem, vel ſaltem Eccleſia non habet jus ſic baptizandi, ut conſtat ex praxi, & ſi eſſet licitum ſic baptizare, hoc ipſo eſſet neceſſarium, alioquin Eccleſia deficeret in neceſſariis, *Terill. in reg. q. 64. n. 55.* Confirmatio & Pœnitentia datur etiam apoſtaturis, quia nemo eſt invitus, modò nunc ſint diſpoſiti. Dixi, *per ſe*; nam ſæpè per accidens proles 17.
invitis parentibus infidelibus baptizari poſſunt: Ut 1. Si infideles ſint mancipia hominis chriſtiani, aut bello capti; tunc enim proles non ad patrem, ſed ad dominum vel ad capientem ſpectat. 2. Si unus ex parentibus conſentiat, quia in favorem prolis & fidei præferenda eſt juſta voluntas conſentientis alterius iniquè contradicentis, *c. Judæi 28. q. 1. Gonet, Laym. c. 6. n. 10.* Si parentes ideo petant filios baptizari, ut liberentur ab infeſtatione dæmonum, utì petunt Mahume-

motani à Franciscanis, *Sylvest.* docet baptizari posse, quia tertia pars moritur ante annos discretionis, & faciliùs convertuntur, si ex pòst cognoscant se à Christianis baptizatos, & ideo liberatos à dæmone. Sed plerique contradicunt cum *Pignat. cons. 190.* nisi excuset gravis metus, quia sunt reddendi parentibus certò educandi
18. in Turcismo. 3. Infans justè vel injustè à cura parentum abstractus potest & debet baptizari, si nulla prudens spes sit, quòd ad suos redire possit, *Suar. Coning, Gonet, Verj. art. 2.* quia tunc prævalet jus, quod habet infans ad Baptismum, & illi, quibus nunc subest, sunt loco parentum. 4. Infans per fas vel nefas à parentibus abstractus & jam baptizatus non debet reddi, quia subjectus est Ecclesiæ, & reddi non potest sine periculo perversionis & injuria Sacramenti, *Palao punct. 6. n. 8. Metzg. disp. 26. a. 1.* 5. Parentibus mortuis
19. potest Princeps invitis tutoribus prolem facere baptizari, si tutores constituti sint à Principe, secùs si à parentibus, *Sot. Vasq. Senn.* quia Princeps tutelæ per jus civile introductæ derogare potest, non autem juri parentum quoad supernaturalia, in quibus nec ipsi nec Ecclesiæ infideles subjecti sunt. 6. Si proles post usum rationis Baptismum petat, debet baptizari, quia in hoc est sui juris, si dubitetur de pleno usu rationis, non est reddendus parentibus, sed asservandus & instruendus, usque dum plenam rationem adeptus se resolvat, *Lug. Mor. l. 1. dub. 4. Suar. d. 25. s. 3.* 7. Possunt & debent invitis parentibus filii infidelium baptizari in periculo mortis, saltem si sit exigua spes reconvalescentiæ, quia tunc non est periculum perversionis, & jus parentum non videtur se extendere ad filios cum tanto eorum præjudicio, *Suar. Palao* suprà.

QUÆR. VI. An aliquando reiterari possit Baptismus? 20.

Rr. 1. Potest & debet sub conditione reiterari, quotiescunque est prudens dubium de valore, & quidem quocunque loco à quocunque laico, etiam sine patrinis & aliis solemnitatibus, modò hæc antecedenter adhibita fuerint; quòd si valor Baptismi est moraliter certus, nequit fieri rebaptizatio etiam sub conditione sine gravissimo sacrilegio, & si fiat absolutè, incurritur irregularitas, *c. qui in cans. 1. q. 7. Senn.* Rebaptizandus adultus debet se disponere per fidem & attritionem de peccatis actualibus, probabiliter non tenetur confiteri, quia certus est se ante Baptismum non obligari ad confessionem, & Baptismus qui supervenit, est tantùm dubius. 2. Infans in ne- 21.
cessitate baptizatus ab obstetrice satis instructa & fide digna, vel coram testibus, non potest sine peccato rebaptizari, sed solæ cæremoniæ supplendæ sunt, in infantibus omissæ. In partu tamen valde difficili, quia ob præcipitantiam vel turbationem errores sæpissimè committi solent, Baptismum tunc collatum sub conditione repetere suadet *Agenda Colon. n. 31.* & exigit recta ratio. 3. Baptizari

ab

ab hæreticis, de quibus constat quòd adhibere soleant debitam materiam & formam, rebaptizari non debent, quia non est prudens dubium de valore; debent tamen (idem est de quovis in necessitate baptizato) tunc in Ecclesia suppleri cæremoniæ in infantibus omissæ; dico, in infantibus, nam ex praxi Ecclesiæ in hæreticis adultis ad fidem conversis cæremo-
22. niæ non supplentur. 4. Infantes exposititi probabiliùs sunt rebaptizandi, etiamsi habeant schedam de Baptismo suscepto, nisi in ea fortè notetur Baptismus solemnis, & Sacerdos baptizans, quia schedula ab ignoto authore non facit moralem certitudinem de valore, & in tali casu ordinariè baptizat ipsa mater, quæ fortè nunquam vidit aut didicit baptizare, nec præ pudore alterius auxilium rogare ausa fuit, aut si alius baptizavit, forsan præ turbatione aliquid substantiale omisit, nec desuper examinari potest, *Plat. p. 5. n. 138. Dian. Metzg. disp. 24. a. 4.* 5. Si quis
23. aliàs non scrupulosus multum inquietetur circa valorem sui Baptismi, hoc ipso rebaptizari poterit, quia videtur grave dubium, & exemplis constat, ejusmodi agitatos non fuisse baptizatos, *Gob. à n. 446. La Croix n. 313.* 6. Manens dubius de valore
24. sui Baptismi debet abstinere ab aliis Sacramentis, usque dum Baptismum renovavit, ne hæc absque causa exponat periculo nullitatis; Sacerdos si velit perseverare in suo officio, debet etiam de novo suscipere Ordines saltem majores, si ante illud dubium jam plures absolverit, Missas ergo stipendium legerit, ipse & pœnitentes tuti esse possunt, quia nullitas Baptismi non est certa, & in dubio præsumendum pro valore actus, & ipsi sunt in possessione. Similiter Religiosus dubius de Baptismo debet de novo sub conditione baptizari, confirmari, ordinari; non tamen opus est renovare professionem, ut dixi *Cas. 63. n. 12.* minùs opus est novo novitiatu, quia jam satis probatus est. 7. Si
25. Parochus ex confessione obstetricis audiat, se & alios invalidè aut etiam in nomine diaboli esse baptizatos; ante omnia eam inducat, ut fideliter specificet omnes taliter à se baptizatos; deinde ut id fateatur extra confessionem, vel saltem Parocho det licentiam non baptizatos baptizandi: si metu infamiæ vel etiam extremi supplicii, eò quòd fortè sit suspecta de magia, prævideatur in manifestationem non consensura, & ipsa obligationem manifestandi probabiliter ignoret, potest dissimulari, quia monitio non erit profutura, sed nocitura; deberet tamen tunc peti licentia eos saltem ignaros rebaptizandi; sic enim non erit periculum infamiæ, & Baptismus valet, eò quòd quilibet fidelis censeatur habere habitualem vel virtualem intentionem suscipiendi Baptismum. Sed quid si nec in hoc consentiat? R. Non esse absolvendam; probabiliter tamen poterit Parochus se & alios in confessione nominatos facere rebaptizari, si ex hoc confitenti vel aliis nulla fiat suspicio, quòd Parochus utatur scientia confes-

fessionis, quia tunc probabiliter non frangitur sigillum. V. *Cas.100. n.13.*

QUÆR. VII. Quid hîc circa varias obligationes Parochi?

26. R. 1. Parochus tenetur omnium baptizatorum eorúmque parentum & patrinorum nomina & cognomina cum annotatione anni, mensis & diei in librum ad hoc specialiter deputatum inscribere, *Trid. sess.24. de reform.* Dicit tamen *Gobat append. 1.* Parochum non posse cogere puerperam, ut patrem manifestet, nisi jubeat Magistratus Ecclesiasticus, vel ita habeat consuetudo; rationem dat, quia mater non tenetur imò quandoque nec licitè potest manifestare, si scilicet manifestatio causet scandalum, periculum vel infamiam patri, qui fortè est consanguineus, maritatus, Ecclesiasticus, paratus privatim satisfacere & sustentare prolem &c. Imò mater etiam à judice interrogata non tenebitur respondere, sed potest uti æquivocatione congruâ, si ex manifestatione sibi vel patri immineat gravis infamia vel damnum, nisi fortè adesset semiprobatio, vel ex aliis indiciis semiplenè constaret de patre. Si timeatur solùm levis infamia, mater Parocho patrem aperire tenebitur saltem privatim, quia ipsius officium est nomen patris notare in libro baptismali, ut constet de consanguinitate spirituali & carnali in ordine ad contrahendum matrimonium, & ut sciatur, quis proli debeat alimenta; nominatio tamen mulieris non facit plenam fidem, ideóque Parochus non debet scribere: *Natus Titio patre*; sed: *Uti mater dicit, natus Titio patre*; Sic nominatus si alia indicia accedant, cogi potest ad alendam prolem, ita tamen ut mater cogatur alere primo triennio. 2. Quamvis 27. Parochus protestetur se nolle baptizare prolem illegitimam, si tamen eam ex post baptizet, baptismus erit validus, quia intentio baptizantis debet ferri in personam præsentem, qualiscunque illa sit: quòd si Pastor absolutè nollet præsentem personam baptizare, nisi esset legitima, peccaret graviter, & baptismus esset nullus vel dubius, si conditio sit incerta. 3. Baptismus solemnis debet fieri in 28. Ecclesia, *cap. cum un. de bapt.* baptizare enim extra eam est mortale, *Navar. Manual. c.22. n.7.* nisi excuset necessitas, v. g. obstetrix dicit infantem sine periculo ad Ecclesiam deferri non posse; vel permittat privilegium, quale habent principes, eorúmque nepotes & pronepotes, & juxta *Gobat* omnes habentes jurisdictionem temporalem: attendenda tamen est consuetudo, quæ sæpè permittit, infantes Nobilium baptizari in sacello domestico. 4. Si 29. mulier sentiens in via dolores partûs à te prætereunte petat obstetricem manum, si opera tua pro vita matris aut pro vita vel baptismo infantis est necessaria & etiam profutura, teneris ex charitate, etiàmsi sis Sacerdos vel Religiosus; si verò timeas, ne opera tua ob insciti am fortè plus sit nocitura quàm profutura, vel tempus permittat advocare mulierem, non teneris per te ipsum juvare. 5. Pa- 30.

rochus nunquam differat Baptismum sub Missa audiens periclitari infantem, relictâ tantisper casulâ etiam post consecrationem currat ad infantem, & ex post Missam compleat, meminerit se incurrere suspensionem, si suâ cunctatione fiat, ut quis sine Baptismo discedat. *c. quicunque dist. 4. de consecrat.* 6. Obstetricem
31. non toleret nisi Catholicam & approbatam ac circa substantialia probè instructam, moneatque, ut non baptizet nisi in magna necessitate, ut adhibeat testes, ut procuret pueros maturè ferri ad Ecclesiam, ut moriente in partu matre curet ejus os manere apertum, inserendo aliquid intra dentes, ut sic infans vivere possit & baptizari. 7. Moneat frequenter matres & nutrices, ne infantulos noctu secum in lectu habeant, aut saltem ita accommodent, ut non sit periculum suffocationis, *Agenda Colon. n. 32.* de obstetricibus agit pag. 294.

32. QUÆR. VIII. Quid circa ritus & patrinos?

R. 1. Ritus Baptismi consistunt in adhibitione aquæ benedictæ, abrenuntiatione Sathanæ, signo crucis in fronte & pectore, exorcismis cum exsufflatione, unctione chrismatis in vertice baptizati: certum est esse mortale has omnes vel unam notabilem, v. g. unctionem chrismatis extra necessitatem omittere, colligitur *ex Trid. sess. 7. c. 13. de Sacram.* cæremoniæ ex causa omissæ debent ex post
33. in Ecclesia suppleri. R. 2. Circa patrinos tenenda sunt seqq. 1. Patrini dicuntur, qui infantem levant è fonte, & ordinariè sunt unus & una, sufficit tamen unus vel una. Adhibere ultra duos, vel duos ejusdem sexûs, vel omninò nullum, juxta communem est mortale. *Plat. hic n. 145.* 2. Officium Parochi est, monere patrinos de obligatione instruendi infantes in defectu parentum, item de cognatione spirituali, quam contrahunt, & orto inde impedimento matrimonii, de quo v. *Cas. 107. n. 12.* Intercedit autem hæc cognatio spiritualis inter patrinos, baptizatum & parentes baptizati, item inter baptizantem, baptizatum & parentes ejus, non tamen inter patrinum & patrinam: quòd si patrini à parentibus non sint designati, nec in eorum defectu à parocho cognationem spiritualem non contrahunt, quia de designatis tantùm loquitur Tridentinum. Si plures patrini à parentibus sint designati, aut se sponte ingerant, Pastoris erit unum & unam signo aliquo externo designare, quibus solis dein tradet infantem, & velut patrinos inscribet; reliquos potest addere ùt testes. 3. In Baptismo non 34.
solemni solus baptizans contrahit cognationem spiritualem, non verò patrini, quia baptizans contrahit cognationem spiritualem ratione Sacramenti, quod æquè valet in necessitate quàm extra; patrini autem contrahunt ratione cæremoniarum, quæ pro baptismo solemni tantùm sunt institutæ. Baptizans propriam prolem in necessitate impeditur à matrimonio contrahendo, non ab usu con-

contracti, quia id nullibi est statutum, & statutum si quod fuit, est revocatum *per c. si vir de cognat. Spirit.* Nec semper verum est, quidquid dirimit matrimonium contrahendum, etiam impedit usum contracti, nisi quando jura id statuunt. Consonat *Agenda Colon. n. 12.* 4. A munere patrinorum
35. excluduntur septennio minores, non baptizati, criminosi, ac publicè infames, hæretici, gentiles, &c. Admittere sinè gravi causa gentilem vel hæreticum est mortale, licitum tamen est Catholico esse patrinum infantis hæretici, quia hoc est spondere, quòd infantem in defectu parentum velit instruere in vera fide, item prohibentur Monachi esse patrini, *per c. placuit & c. non licet.* Monachos tamen excusari ex levissima causa dicit *Senn.* 5. Non est quidem 36. præceptum, ut infanti imponatur nomen alicujus Sancti, est tamen omninò conveniens, nec facilè admitti debet nomen ethnicum, *Catech. Rom. de Bapt. c. 14. n. 3.*

# CASUS XC.

## De Sacramento Confirmationis.

*CAnutus Episcopus:* 1. *Plures confirmat in puro oleo non benedicto, per se & simplices Sacerdotes in pectore aut in fronte absque forma Crucis, infirmos per bacillum in chrismate veteri.* 2. *Confirmat electus, nondum consecratus, hæreticus, &c.* 3. *Rarò confirmat, unde subditi Confirmationem negligunt, vel in peccato suscipiunt, vel eâ non suscepta recipiunt sacros Ordines.* 4. *Confirmat infantes, amentes.* 5. *Non subditos in aliena diœcesi.* 6. *Patrinos non adhibet, vel adhibet plures, inter quos sunt non confirmati, Religiosi, aut hæretici, &c.*

*Resolutio* constabit ex seqq. 1. Con-
1. firmatio metaphysicè est Sacramentum spiritualiter corroborans ad fidem in quacunque circumstantia fortiter propugnandam; physicè est unctio chrismatis in fronte baptizati, facta ab Episcopo, vel de licentia Papæ, à Sacerdote, sub hac verborum forma: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, &c. Conc. Florent. & Trid. sess. 7. c. 1. de confir.* 2. Materia ejus remota est chrisma seu oleum mixtum balsamo, ab Episcopo benedictum; utens oleo puro seu oleo infirmorum peccat mortaliter, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis; balsamum enim & benedictio Episcopi probabiliùs sunt de essentia confirmationis; quia *Florent.* illa principaliter requirit; & quamvis simplex Sacerdos ex dispensatione solius Papæ (non verò Episcopi) possit confirmare, ut decrevit *Florent.* non tamen benedicere chrisma, quamvis

hoc in se sit quid minus, ratio est praxis & traditio Ecclesiæ. Materia proxima est unctio, quæ essentialiter fieri debet in fronte in forma crucis & per manum ministri, non autem per instrumentum, *Florent. & S. Tho. hic a. 9.* Uti chrismate prioris anni est mortale, attamen valet Confirmatio. *c. si quis dist. 4. de consir. Palao. p. 9.* 3. Minister ordinarius est Episcopus, qui si consecratus sit, validè confirmat, etiamsi sit excommunicatus, non toleratus aut publicus hæreticus, *Suar. Barbos. alleg. 39. n. 2.* quamvis peccet mortaliter indignè & contra præceptum Ecclesiæ conferendo Sacramentum. Ratio est, quòd confirmare sit actus Ordinis, non jurisdictionis; Episcopus autem non toleratus vel hæreticus, quamvis privetur jurisdictione, manet tamen validè ordinatus. 4. Episcopus ex præcepto *Trid. l. c.* tenetur hoc Sacramentum suis conferre, quoties opus fuerit, etsi fideles probabiliùs non obligentur ad illud suscipiendum, *S. Tho. art. 8. ad 4.* eò quòd de hoc non extet præceptum, debent tamen tam Episcopus quàm suscipientes esse in statu gratiæ, quia est Sacramentum vivorum; iteratò conferre vel scienter recipere Confirmationem est mortale, quia Sacramentum hoc est irreiterabile; è contrà Ordines suscipere vel scienter conferre ante Confirmationem, videtur tantùm veniale. Nec obstat, quòd Trid. *sess. 23. can. 4. de reform.* dicat: *Primâ Tonsurâ non initientur, nisi Sacramentum Confirmationis susceperint.* Nam hæc verba non satis probant obligationem gravem, sed potiùs significant consilium, majorem congruentiam, & utilitatem. 5. *Meratius* dicit, esse mortale, Confirmationem dare infantibus aut perpetuò amentibus, quia est contra Ecclesiæ consuetudinem graviter obligantem, sicut ex eadem causa mortale est dare iisdem Eucharistiam: sed mitiùs de Confirmatione loquuntur *Coning, Suar. d. 35. s. 2. Granado tr. 2. d. 2. n. 4.* quia non convenit eos privare gratiâ hujus Sacramenti; per accidens est quòd non valeant pugnare pro fide, nec satis constat de Ecclesiæ consuetudine graviter obligante: de Eucharistia est alia ratio ob periculum irreverentiæ. 6. Quamvis Episcopus plerumque confirmare possit quoscunque fideles ad se venientes etiam alterius diœcesis, quia ex praxi Ecclesiæ habet tacitam licentiam ab aliis Episcopis; tamen non potest in aliena Diœcesi etiam circa suos exercere Pontificalia, id est ordinare, chrisma conficere, benedicere virgines, Ecclesias & altaria consecrare, &c. quia ad hoc requiritur specialis licentia Episcopi loci. *Trid. sess. 6. c. 5. de refor.* 7. Effectus hujus Sacramenti est gratia sanctificans, & gratiæ actuales seu auxilia specialia ad tuendam fortiter fidem & ad superandas tentationes contra eam occurrentes; item character indelebilis in anima, quâ confirmatus designatur miles Christi. 8. Adhiberi debet patrinus Catholicus & confirmatus, adhibere infidelem

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.

lem vel non confirmatum, juxta plures est mortale, neque cognationem contrahunt, *Castropalao p. 10.* Debet autem esse unus vel una distinctus à patrino baptismi, *c. non plures. c. in cathechis. dist. 4. de Confir.* Hoc ultimum tamen dicit Gob. contrariâ Ecclesiæ consuetudine esse abrogatum: congruum est ut mas sit patrinus maris, fœmina fœminæ, & ita habet usus Ecclesiæ & Pontificale Roman. In magno concursu, ubi facilè patrinus haberi non potest, Confirmatio potest fieri sine patrino, vel unus potest esse plurium patrinus; monachus non potest esse patrinus, nisi confirmandus sit religiosus, *c. non licet. c. monachi dist. 4. de Confir.* quod tamen non satis constat esse præcepti. De cætero patrinus contrahit cognationem spiritualem cum confirmato & ejus parentibus, quæ cognatio dirimit matrimonium contrahendum, ùt dicam *Cas. 107. à n. 12.*

# De Sacramento Eucharistiæ.

## CASUS XCI.

### De ejus natura, materia, forma, &c.

*Daphnes neo-Sacerdos petit informari:* 1. *Quid sit Eucharistia; an species, vel sumptio sint de ejus essentia.* 2. *Qualiter Christus sit præsens.* 3. *An sit unum, vel plura Sacramenta.* 4. *Quæ sit materia proxima, quæ remota.* 5. *An liceat uti pane bis cocto, sale mixto, hostiâ maculatâ, fractâ, non rotundâ, parvâ.* 6. *Pane fermentato: Quid de transeunte per terras Græcorum, & quid in necessitate.* 7. *Quid de pane ex hordeo, avena, oriza, milio, aut ex siligine sed subacto saccaro, ovis, melle, butyro; quid de amylo, siligine, spelta, an saltem adhiberi possint pro conficiendo viatico.* 8. *An materia calicis sit vinum ex uvis immaturis, vinum pani imbibitum, vinum in uvis adhuc existens.* 9. *Quid de vino congelato.* 10. *Quid de musto.* 11. *Quid de vino vappido, acescente, Hispanico.* 12. *Quid de aquæ vino miscenda; quid si haberi non possit, vel oblitus fuisti.* 13. *Quid si una species sit invalidè vel dubiè consecrata.* 14. *Quid si aranea vel vespa cadat in calicem consecratum.* 15. *Quid de intentione Ministri ejúsque scrupulis.* 16. *Quid si consecrâsti duas hostias, ratus esse unicam.* 17. *Quid de hostiis inscio Sacerdote appositis, aut de guttis calici adhærentibus.* 18. *An hostiæ pro populo post oblationem acceptari possint; quid si earum tempore consecrationis non recorderis.* 19. *Qualiter materia debeat esse præsens.* 20. *Determinata.* 21. *Quid de forma, ejus mutatione, prolatione, &c.*

Pro Resolutione

QUÆR. 1. Quid sit Eucharistia? 1.

℣. 1. Metaphysicè est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi

sub speciebus panis & vini in ultima Cœna à Christo Domino ad reficiendas spiritualiter animas institutum. Est de fide *ex Conc. Lateran. c. firmiter de Summ. Trinit. Florent. in decreto Eugenii. Trid. Sess. 7. & 13. c. 1. de Sacram. in genere.* Unde patet, quòd ejus finis & effectus primarius sit spiritualis animæ refectio consistens physicè in augmento gratiæ cum jure ad actualia auxilia, quibus homo adjutus proficiat in vita spirituali & exercitio virtutum. ℟. 2. Hoc Sacramentum physicè constituitur ex speciebus, Corpore & Sanguine Christi, ita ut & species sint de ejus essentia, non verò ipsa sumptio, quæ tantùm est applicatio seu conditio requisita ad effectum Sacramenti. *S. Thom. q. 78. a. 1. ad 2. Scotus* & communissima contra *Aureol. Dicast.* Ratio est, quia antecedenter ad sumptionem conficitur Eucharistia, fitque Christus præsens per verba consecrationis, ut declarârunt *Florent. & Trid. l. cit.* Unde patet, Eucharistiam esse Sacramentum omnium sanctissimum & perfectissimum, quia continet realiter ipsum sanctitatis Authorem, ideóque & abundantiorem gratiam causat dignè sumentibus. An autem verba consecrationis hoc Sacramentum in facto esse constituant, vel potiùs sint ejus causa, non facit ad praxin, ideóque Scholasticis disputandum relinquo.

QUÆR. II. Qualiter Christus sit
2. præsens in Eucharistia?

℟. 1. Est de Fide, post consecrationem non ampliùs manere substantiam panis & vini, neque cum Christo, ut vult Lutherus, neque sine Christo, ut vult Calvinus, sed solum Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini; hinc in consecratione dicitur fieri vera transubstantiatio, hoc est, conversio totius substantiæ, in substantiam totaliter novam. *Trid. Sess. 13. c. 3. & 4.* manétque Christus tamdiu, quamdiu manent species; si species consecratæ misceantur vino non consecrato, vel liquori non habenti vim expellendi formam vini, si adesset, manet Christus sub prioribus speciebus, vinum tamen profanum non redditur consecratum, quia mixtio non habet vim consecrandi, *S. Thom. q. 77. a. 8. ad 3.* 2. Christus non fit præsens per divisionem aut sumptionem specierum, sed per consecrationem, & quidem totus sub tota & totus sub qualibet parte specierum, *Trid. l. cit.* Et quamvis species sint alterabiles, divisibiles, non tamen Christus, *S. Thom. q. 87. a. 3.* quia Corpus Christi in Eucharistia nunc est glorioſum & naturaliter impassibile, nec recipere potest qualitates alterativas, ideóque non potest dici calefieri, tangi, &c. quia non existit extensum, extensio non minùs requiritur quàm approximatio, *Merat.* Rectè dicitur Christus moveri, elevari, demitti in stomachum, manducari, &c. ob motum non in se, sed in speciebus, cum quibus unitus est, receptum, *S. Thom. q. 76. a. 6.* Non rectè dicitur frangi vel misceri, quia fractio vel mixtio dicit separationem partium. 3. Quamvis 3.

phy-

physicè tot dici possint Sacramenta, quot sunt species, & partes specierum, moraliter tamen est unum, si proponatur vel sumatur per modum unius; sicut cibus & potus sunt unum convivium, sic Corpus & Sanguis Christi unum Sacramentum, & una spiritualis refectio; nec inde sequitur, laicos sub speciebus panis tantùm accipere Sacramentum inadæquatum, aut partem tantùm gratiæ; nam sub qualibet specie est totus Christus secundùm Corpus & Sanguinem; & quamvis quælibet species non sumatur per modum cibi & potûs, continet tamen totum id quod editur & bibitur; hinc ex opere operato probabiliùs confertur tantum gratiæ, si sumatur una species, quàm si sumatur utraque, ut docet communis cum *S. Thom. Bonav.* contra *Abul. Vasq. Lug. hîc d. 12. s. 3.* 4. Ex dictis sequitur contra hæreticos, Christum in Eucharistia rectè adorari, circumferri in processionibus, asservari in Sacrario, deferri ad ægros, ut constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, ex Conciliis *Niceno, Florent. Trid. & SS. PP.* Hæreses plurimas circa hoc Sacramentum exortas & solidè refutatas v. apud Bellarm. de Missa.

4. QUÆR. III. Quæ sit materia Eucharistiæ?

℟. 1. Materia proxima & permanens sunt species; materia remota & transiens est panis triticeus, & vinum de vite. Est iterum de fide ex definitione Concilii *Lateran. Florent. Trid. Sess. 13. c. 1.* Et Christus hac materia usus est, eámque usurpandam tradidit Apostolis, *Matth. 26. Luc. 22. 1 Corinth. 11.* Unde quod certò est panis triticeus, & certò est vinum de vite, est materia ad valorem Eucharistiæ certò sufficiens; quod dubiè est tale, est materia dubia.

℟. II. Materia hostiæ ordinaria 5. & certò sufficiens est panis confectus ex farina triticea, aquâ naturali coagmentatus & igne tostus, & omnis panis ab hoc specie non differens, *S. Thom. q. 74. a. 7. ad 3.* Unde inferes sequentia: 1. Certò valet panis bis coctus, item sale mixtus, qui juxta Gobat etiam licitè adhibetur, si alius desit, quia est panis usualis, nec lege, nec consuetudine prohibitus. 2. Certò valet hostia, in qua est macula vel fractura, quæ si parva sit, non videtur curanda; si valde enormis, mutanda est etiam post oblationem, & prior sumenda cum ablutione; sine causa adhibere notabiliter deformem vel fractam, vix excusari poterit à mortali ob gravem irreverentiam, quod magis tenet de hostia aliquantùm corrupta. 3. Consecratio in Ecclesia Latina ex præcepto fieri debet in hostia majori & rotunda; attamen certò valet, imò & in defectu alterius licita est in non planè rotunda & minore, *March. Dian. p. 5. t. 13. R. 80. Gobat in Alph. com. cas. 2. n. 45.* modò absit scandalum, quod abesse potest, si Missa fiat privatim, aut populus instruatur de licentia, neque lex, ratio, aut consuetudo id vetat. 4. Quamvis certò sufficiat panis triticeus, tam fermentatus, quàm azymus, in Ecclesia tamen Latina 6. sub

sub gravi præcepto adhibendus est azymus, in Græca fermentatus. *Conc. Florent. sup.* Græcus transiens per loca Latinorum, vel è contrà Latinus per loca Græcorum, si ibi non habeatur templum sui ritûs, potest in azymo & fermentato consecrare, quia potest, non autem tenetur se accommodare legibus loci, ùt dixi *Cas. 6. n. 7. & 8.* Dico, transiens per loca; nam si Latinus (idem est de Græco respectu Latinorum) fixum inter Græcos habeat domicilium, ubi non est Ecclesia sui ritûs, tenetur uti fermentato, quia tunc censetur pars populi Græci; si verò habeat Ecclesiam sui ritûs, tenetur uti azymo, quia habet se quasi in sua patria, *Lugo, Sporer de Sacram. p. 2. c. 3. n. 149.* Fermentatum admittit Gobat pro dando viatico secluso scandalo, sed pleriqúe contradicunt cum *Soto, Suar. Castrop. pun. 4. n. 5.* quia præceptum Divinum de dando viatico tunc non obligat, ut non obligat ad consecrandum sine sacris vestibus, idque testatur praxis Ecclesiæ; neque Sacramentum Eucharistiæ est ita necessarium, ut obinde universalis Ecclesiæ consuetudo violari debeat. 5. Materia certò inepta
7. est panis confectus ex hordeo, avena, oriza, milio, pisis, fabis, amygdalis; item massa cruda non cocta, panis è farina triticea subacta ovis, melle, saccaro, lacte, butyro, aquâ rosaceâ, oleo, cinnabare rubricata, vel alio liquore prædominante, quia hæc communi usu & opinione non veniunt nomine panis triticei usualis. Materia dubia est, quæ fit ex amylo, quod instar lactis ex tritico madefacto exprimitur, aut si tritico in æquali quantitate misceatur inepta materia, v. g. hordeum. Item panis è siligine vel spelta. Nec obstat, quòd spelta sit simillima tritico, aut siligo in terra sterili generetur ex tritico, vel in terra bona è siligine nascatur triticum; nam è tritico quandóque etiam nascitur avena vel lolium, aqua muratur in lapidem, semen in arborem, & tamen certum est hæc non esse ejusdem speciei, *Platel. Bonac. La Croix l. 6. p. 1. n. 421.* 6. Materia dubia sine gravissimo sacrilegio adhiberi non potest nequidem pro dando viatico, *Suar.* quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, & viaticum non obligat, nisi quando reverenter dari & consecrari potest. De mutatione materiæ dixi *Cas. 88. a. n. 8.*

§. III. Solum vinum de vite, sive rubrum, sive album, est materia ca- 8.
licis; unde ad consecrationem ineptus est omnis liquor à vino specie distinctus, ut 1. Acetum, vinum adustum, sicera, mulsum, succus ex pomis, malogranatis, herbis, radicibus, aromatibus, frugibus, aut etiam ex uvis immaturis expressus, vinum pani imbibitum, item liquor adhuc in uvis etsi maturis existens, *Haunold. hic n. 794.* quia hæc non habent rationem potus, sed potiùs sunt cibus, ideóque in magna quantitate sumpta frangunt jejunium. 2. Vinum congela- 9.
tum est materia valida, *Sot. Merat. Platel. Sangall. Metzger. d. 31. a. 1.* attamen illicita prima pars probatur, quia

quia vinum congelatum est substantialiter vinum, & Christus manet sub speciebus post consecrationem congelatis, teste Missali Romano, quod jubet eas liquefieri, & ut consecratas à Sacerdote sumi. Si *dicas* 1. Aqua congelata non est materia apta Baptismi. 2. Liquor uvæ maturæ inclusus non est materia valida, quia pro isto statu non est potabilis, etsi potabilis sit post expressionem: Atqui vinum congelatum etiam non est potabile pro isto statu, sed tantùm post liquefactionem: Ergo. R. *ad* 1. N. C. Baptismus essentialiter consistit in usu seu actuali ablutione, ideóque requirit materiam proximè aptam abluere, qualis non est aqua congelata; è contra Eucharistia est quid permanens, nec consistit in actuali potatione, adeóque non requirit materiam actu potabilem. *Ad* 2. Liquor uvæ inclusus adhuc est pars uvæ, & communi usu magis reputatur cibus quàm potus; quòd autem vinum congelatum sit materia illicita, docet communis contra *Merat. & Sennyei*, quia vel est materia dubia, ùt vult *Patel.* vel potiùs quia ex consuetudine Ecclesiæ & Rubricis est graviter prohibita: proinde ante consecrationem liquefaciendum est in calice, non halitu, quod foret rusticismus, sed manu appressa calici,
10. vel ad allatum ignem. 3. Mustum seu vinum ex maturis uvis expressum est materia certò sufficiens, sed extra necessitatem illicita ob irreverentiam propter fæces admixtas: in necessitate tamen pro viatico vel habenda Missa pro die festo, botrus in calicem comprimi potest, *c. cùm omne, dist. 2. de consec.* Sed quid si populus ex pia consuetudine velit primitias musti consecrari? R. cum *Tann. Laym. Gobat n. 50.* id tolerari posse, saltem si absque offensa vel irritatione populi abrogari non possit. 4. Vinum ex uvis 11.
passis affusâ aquâ expressum, item notabiliter vappidum vel acescens, aut cui aqua vel alius liquor in simili vel majori quantitate est admixtus, est materia dubia, ideóque nec in necessitate adhiberi licita, ùt suprà dictum est de pane dubio. Ad vinum dubium refertur vinum Hispanicum, quod in his partibus vendi solet, quia plerumque est adulterinum, & confici solet ex hydro-melle. 5. Vino 12.
ex gravi præcepto Ecclesiæ miscendum est modicum aquæ, *Trid. Sess. 22. c. 7.* tum quia Christus vino aquâ mixto usus fuit, tum in memoriam aquæ, quæ è latere Christi crucifixi fluxit cum sanguine. Hæc admixtio ita est necessaria, ut si aqua haberi non possit, in quovis casu potiùs abstinendum sit à celebrando, & Missa ante oblationem, non post, abrumpenda, quàm consecrare sine aqua, *Suar. Spor. n. 161. La Croix n. 4381.* Sufficere autem unicam guttulam docet S. Thom. *a. 7. in corp.* Si oblitus fuisti aquam affundere, adhuc teneris eam affundere ante consecrationem, & denuò calicem offerre, quia nihil consecrari debet, quod non fuerit oblatum; mixtio aquæ in ablutione est libera. An verò aqua affusa immediatè transeat in sanguinem, non facit ad praxin.

13. 6. Sacerdos in Communione advertens se non adhibuisse debitam materiam, v.g. aquam vel siceram pro vino, debet illam speciem de novo offerre & consecrare, incipiendo consecrationem ab illis verbis: *Qui pridie*, si sit hostia; vel ab illis: *Simili modo*, si calix denuò sit consecrandus, quia id exigit integritas Sacrificii, juxta *D. Thom.* Utraque species de novo est consecranda, si absque turbatione fieri possit, quod etiam præscribunt Rubricæ, quæ juxta *Sennyei* hîc tantùm sunt directivæ. Materiam quam Sacerdos habet in ore, debet deglutire, reliquæ affundatur tantum vini, ut certò prævaleat, præceptum Ecclesiæ de jejunio tunc non obligat, sed prævalet præceptum Divinum de integritate Sacrificii. Si priùs in Sacristia advertas unam speciem esse invalidè consecratam, omittenda est consecratio, *Suar.* idem dicit *Bonac.* si vinum valde diu & cum aliqua turbatione populi esset exspectandum. 7. Si probabile sit in calice esse aquam, vel aliquid essentiale in forma esse omissum, repetenda est consecratio sub conditione, ut Sacrificium fiat certò integrum, & non exponatur adorationi materia fortè non consecrata, *S. Thom. Nugnus, Illsf. n. 175.* Idem dicendum, si post consecrationem una species evanescat, rapiatur à vento, plenè effundatur, veneno inficiatur, miraculosè & constanter mutetur v. g. in carnem. Ratio est, quia quamvis tunc Sacrificium fuerit integrum quoad consecrationem, non tamen quoad sumptionem: si nulla species esset validè consecrata, non potes de novo consecrare, si non es jejunus, sed debes addere reliquas Orationes & abire, quia Sacrificium nequidem ex parte positum est. 8. Si incidat in calicem animal venenatum, quod sine infectione specierum extrahi possit, ut communiter potest aranea, extrahatur, lavetur, & lotio sumatur post calicem, & animalis combusti cineres jaciantur in sacram piscinam. Idem dicendum de animali non venenoso, sed incutiente horrorem, ut vespa: quòd si animal venenatum species infecerit, effundantur species in alium calicem, & stupâ vel linteo excipiantur, stupa vel linteum exsiccatum exuratur, fiatque præviâ oblatione nova consecratio: si animal non est horribile, ut musca, sumatur cum speciebus: quid faciendum, si hostia cadat, vel calix effundatur, dicam *Cas. seq. n. 7.* 14.

QUÆR. IV. Quid circa intentionem consecrantis, præsentiam & determinationem materiæ? 15.

R. I. Circa intentionem tenenda sunt sequentia: 1. Sufficit intentio virtualis & exercita contenta in actionibus, quibus Sacerdos se lavat, induit, etsi ex toto distractus: de sufficiente intentione prudenter dubitari non potest, modò studiosè non excludatur; nimia cura rectæ intentionis scrupulos causat, & devotionem impedit, vide *Cas. 88. a. n. 15.* ubi etiam dixi de habente intentiones oppositas. *Scrupulosus* hîc maximè caveat à scrupulis, quia dat scandalum populo, turbat actionem divinissimam, non inhalet in hostiam, verba non altiùs proferat quàm alia quæ secretò legit, quamvis ob stre-

pi-

pitum non audiat; nil repetat, quia repetitio auget scrupulum; intentionem tempore consecrationis non renovet, hoc ipso quòd timet, ne habeat, habet sufficientissimam; si timet, ne per *meum* intellexerit *suum*, nil repetat, quia certus est se non voluisse peccare mortaliter; apprehensiones nihil curandæ; si non recordetur se consecrâsse, non debet ex hoc turbari, inquit *S. Thom. q. 83. a. 6. ad 5.* sed pergere & supponere, se omnia rectè egisse, quia non solet errare, & ex communiter contingentibus prudens est præsumptio, *Pasq. q. 317.*

16. *n. 4.* 2. Si quis consecret duas hostias, ratus esse unicam, aliqui dicunt anteriorem tantùm consecrari, eò quòd ad hanc solam se extendat intentio Sacerdotis; at probabiliùs consecratur utraque, quia Sacerdos intendit consecrare, quidquid consecrabile in manu habet, ideóque Rubrica jubet utramque simul sumere; si non esset consecrata, deberet sumi post sanguinem; frangeret enim jejunium.

17. 3. Hostiæ inscio Sacerdote sive in, sive extra corporale appositæ non consecrantur, quia Sacerdotis intentio non fertur ad incognitum; similiter guttæ quæ exteriùs, imò & interiùs calici separatim adhærent, probabiliùs non consecrantur, quia intentio Sacerdotis debet esse ad id, quod in calice est per modum unius continui, *Platel. Reding. Metzg. a. 4. n. 5.* In praxi guttæ ante consecrationem calicis cum toto misceantur; si verò sint remotè, abstergantur.

18. 4. Hostiæ pro populo consecrandæ ex gravi causa, ne scilicet populus sine Communione dimitti debeat, admitti possunt usque ad consecrationem, factâ tamen saltem mentali oblatione, *Dian. Tamb. Gobat* apud *La Croix n. 460.* Quòd si unus tantùm vellet communicare, Gavantus suadet ei porrigere particulam ex hostia majore. Si hostiæ ponantur extra corporale, & Sacerdos sciat eas debere consecrari, sed statim obliviscatur, ita ut pixidem non attingat vel detegat, consecratio juxta *Gobat* est dubia, juxta *Lessium* nulla, ideóque in praxi sub conditione repetenda, intellige in alia Missa, quia principali hostiâ validè consecratâ non est licitum bis eadem die consecrare, vel consecrare unam speciem sine alia; si verò hostiæ ponantur in corporali, & Sacerdos aliquid agat in ordine ad eas consecrandas, v. g. citiùs incipiat Sacrum, pixidem aperiat, quamvis in summa distractione, videtur certò valere consecratio, quia adest intentio virtualis. Pro majori securitate facienda est intentio parvas hostias offerendi & consecrandi, etsi fortè in oblatione & consecratione earum non recorderis, vel pixidem non aperias, tunc enim certa erit consecratio, *Tanner. Sennyei.*

19. §. II. Materia consecranda debet ita esse præsens, ut possit demonstrari per pronomina *hoc* & *hic* independenter ab alio signo sensibili, v. g. nutu; & quamvis remotissima speculativè demonstrari possint, ut cùm dicitur: *Hoc cœlum, hæc stella est lucida*, tamen id locum non habet in conse-

cratione, quæ efficit quod demonstrat, & est verum Sacrificium, in quo victima debet esse præsens & spiritualiter mactari. Unde inferes seqq. 1. Invalidè vel saltem dubiè consecrari hostiam sub mappa, post parietem, intra tabernaculum, cistam, vel à tergo positam, aut in Missali latentem; nam quamvis ejusmodi res forsan nutu vel alio signo sensibili valeant demonstrari; non tamen per sola pronomina *hoc* & *hic*. 2. Consecrari non potest materia valde remota, v. g. ad 100. vel 50. passus distans, quia etsi tunc possit videri, non tamen demonstrari per pronomina *hoc* & *hic*: intra quam verò distantiam valeat consecratio, est incertum. 3. Ut consecratio sit licita, debet materia consecranda esse præsens in corporali, & pixis vel ciborium, in quo sunt hostiæ consecrandæ, tempore consecrationis aperiri; quod si omittatur, nihilominùs valet consecratio; quia hostiæ ratione corporis proximè continentis satis demonstrantur. Absurda est praxis eorum, qui os proximè admovent, ut anhalando halitum in panem & calicem inspirent. 4. Non potest validè consecrari materia adeò modica, ut nullo sensu percipi possit, quia non potest monstrari, nisi sit unita toti.

20. ℟. III. Materia consecranda debet esse certa & determinata ex intentione Ministri, hoc enim exigunt pronomina *hoc* & *hic*, & actiones præsertim effectivæ debent esse circa singularia certa & determinata. Unde deduces sequentia: 1. Invalida & sacrilega est consecratio, si intendas tantùm mediam vel tertiam partem unius vel plurium hostiarum, vel è pluribus tantùm quatuor vel quinque consecrare, nullam designando, vel si intendas illam consecrare, quam Deus vel Titius determinabit. 2. Si una hostia non consecrata misceatur consecratis, ita ut discerni non possit, non videtur validè consecrari posse, sed tunc vel sumendæ sunt post ablutionem à Sacerdote, vel cuilibet communicanti dandæ sunt duæ, ut detur una certò consecrata, factâ tamen monitione, quòd liceat simul duas sumere, & ut non intendant adorare totum, sed tantùm id, quod est consecratum. Quòd si plures non consecratæ sint mixtæ consecratis, juxta *Sennyet* debent consecrari sub conditione, juxta alios debent sumi paulatim à Sacerdote post sumptas species, quia non videntur posse consecrari, cùm non possint discerni & determinari consecratæ à non consecratis.

QUÆR. V. Quid circa formam 21.
Eucharistiæ?

℟. seqq. 1. Forma respectu panis est: *Hoc est enim Corpus meum. Trid. sess. 13. c. 1.* ubi omnia sunt de essentia, præter TÒ *enim*: quod omittere probabiliter est tantùm veniale. Omittere verba antecedentia: *Qui pridie*, est mortale, quia est mutatio accidentalis notabilis. 2. Forma respectu vini est: *Hic est enim calix Sanguinis mei novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ubi

quam-

quamvis sola verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia, ùt habet communis cum *Cajet. Jo. à S. Th. Contenson. Bonav. Suar. Scoto*, contra Gonet & alios; omittere tamen subsequentia: *Novi & æterni Testamenti*, &c. est peccatum mortale, quia forma vel redditur dubia, vel notabiliter mutatur. 3. Forma proferri debet in persona Christi non tantùm recitativè seu historicè, referendo verba tanquam à Christo prolata, sed etiam significativè & practicè, volendo efficere & significare Corpus Christi, ita ut sensus sit: Hoc quod prolatâ formâ erit præsens sub speciebus, est Corpus & Sanguis meus, ideóque τὸ *Hoc* & *Hic* non denotant panem neque species; falsum enim est, quòd panis vel accidentia sint Corpus Christi. 4. Qui loco *Hic*, vel *Hoc*, diceret *illud*, vel *istud*, vel *ecce Corpus meum*, hoc sit, vel fiat, vel significat Corpus meum, vel τὸ *Hic* accipiat adverbialiter, ut idem sit quod *in hoc loco*, aut per τὸ *Meum* intelligat corpus, non Christi, sed suum Sacerdotis, peccat gravissimè, & formam reddit nullam vel dubiam. 5. Si quis dicat, hic cibus, hæc res, hæc caro est corpus meum, hic potus, hic calix est sanguis meus, &c. vel utatur formâ descriptâ à S. Luca: *Hic est calix Novum Testamentum in Sanguine meo*; valet quidem consecratio, sed graviter peccatur contra præceptum & usum Ecclesiæ. 6. Gravem per se irreverentiam admittunt, qui in forma unum verbum bis terve repetunt, vel unam voculam diu post aliam recitant; quia inducitur novus ritus, & repræsentatur Christus ridiculè loquens, & rubricæ jubent verba consecrationis distinctè, reverenter & secretò proferre; sæpè tamen excusat naturalis balbuties vel anxietas, *quia scrupuli eos redigunt ad hanc parvam stultitiam*, inquit *Gobat Cas. 3. n. 94.* An verò peccet mortaliter voluntariè sub consecratione distractus, dixi *Cas. 88. n. 18.*

## CASUS XCII.

### De Ministro, subjecto & necessitate Eucharistiæ, eorúmque dispositione.

*ENtius Parochus dubitat: 1. An possit extra Missam communicare se ipsum, vel per Diaconum. 2. An tempore pestis dare hostias laicis, quibus se vel alios communicent. 3. An Parocho invito vel inscio possit Parochianis dari Communio, & quid hîc possint Religiosi. 4. An Parochus teneatur suis dare Communionem quotidie & tempore pestis, & quid si sit excommunicatus, suspensus. 5. An Eucharistia dari vel ferri possit sine sacris vestibus, sine lumi-*

*ne, tecto capite, equitando, currendo. 6. An dari digitis non canonicis, an hostia in cochleari, cum jusculo, in paramentis nigris, die Veneris sancto. 7. Quid si ceciderit hostia, vel effundatur calix. 8. Quid de reliquiis repertis: quid de renovando ciborio vel monstrantia. 9. Quid si communicans hostiam reponat in strophiolo. 10. An Eucharistia sit necessaria necessitate medii. 11. An præcepti. 12. An danda infantibus, amentibus. 13. An egro usu rationis & sensibus destituto. 14. An semifatuo, vomitivo, furioso. 15. Energumeno, surdo simul & muto. 16. An quotidie, an bis eodem die. 17. An in signum innocentiæ. 18. An species vini, si æger hostiam deglutire non possit, an prima ablutio. 19. Quid de viatico. 20. An dandum ægro, qui eodem vel alio die sanus communicavit. 21. Quid si post viaticum peccavit mortaliter: Incidat in novum periculum, vel negligatur. 22. An dandum reo statim occidendo, ebrio. 23. An pro viatico liceat consecrare extra Missam, in fermentato, sine Altari aut sacris vestibus. 24. An viaticum dari vel accipi possit ab excommunicato, consuetudinario. 25. Quid de Communione Paschali, an servari possit in Ecclesia Regularium. 26. Quid de peregrinis, vagis, aut eunte extra Parochiam. 27. Quid de Religiosis, eorum servis, studiosis, Sacerdotibus, puerperis. 28. An impeditus prævenire vel ex post supplere debeat. 29. An satisfiat per Communionem sacrilegam. 30. Quid de eo, qui censurâ vel carcere à Communione impeditur. 31. Qua requiratur dispositio animæ. 32. Quæ causæ excusent à confessione. 33. Quid si sub Sacrificio recordetur mortalis. 34. Vel in confessione unius fuit oblitus, aut certum dixit ut dubium, vel habeat peccatum reservatum. 35. An obligetur statim post Missam confiteri, qui sine confessione mortalis celebravit. 36. Quid si ex mera malitia confessionem omisit. 37. Quid si peccet sub Missa, vel tunc aut ex post recordetur peccati in confessione oblii. 38. An obsit pollutio vel actus conjugalis. 39. Quid de jejunio naturali & variis dubiis. 40. An incipiat à primo pulsu duodecimæ: quid si tunc bolus adhuc sit in ore: quid si sint horologia discrepantia. 41. Quid in dubio an sis jejunus. 42. Quæ sint causæ à jejunio excusantes.* Pro Resolutione

QUÆR. I. Quis sit dispensator Eucharistiæ? I.

℟. 1. Ex officio est solus Sacerdos, *S. Thom. q. 82. a. 3.* qui non tantùm alios, sed & se ipsum extra Missam, si alius non adsit, communicare potest, *Cajet. Suar. Coning, Salmant. Metzg. d. 34. a. 2.* quia nulla lex id prohibet, & Sacerdos sic communicat die Veneris sanctâ. 2. Ex delegatione Episcopi vel Presbyteri Communionem ministrare potest Diaconus, *Conc. Nicen. & Carthag. IV. c. 38.* Imò in extrema necessitate, quando non adest Sacerdos, qui possit & velit, tenetur sub mortali viaticum dare moribundo, *Bernal. d. 45. n. 34.* Ratio est, quia licitè potest juvare infirmum ob præsumptam Ecclesiæ & Episcopi licentiam, ergo ex charitate ad hoc tenetur. 3. In extremo periculo, v.g. 2.
tempore pestis, quando non adest Sacerdos vel Diaconus, qui possit & ve-

& velit Eucharistiam ministrare, probabile est laicum secluso scandalo eam in munda charta vel vitro ad ægrum ferre, sibi aut alteri dare posse, *Lezana, Chapeav. Marchant. Castropalao punct. 18. n. 8.* quia hoc Sacramentum est utilissimum, & tali periculo obligat ex jure Divino, causátque per accidens primam gratiam. Et *c. pervenit de consec. dist. 2.* id prohibens non loquitur de casu extremæ necessitatis, atque ita olim factum esse à viris sanctis, testatur *Euseb. lib. 6. histor. c. 36.* & Maria Suarta Regina Scotiæ martyrio proxima se ipsam communicavit, obinde à nemine reprehensa. Accedit, quòd Parochi ex hac sententia possint in domo pestifera deponere plures hostias, quas peste inficiendi sumant in necessitate, ut sic Parochus præservetur à periculo ad Sacramenta magis necessaria ministranda, idque non est contra sed præter praxin Ecclesiæ, quia casus rarò accidit; nihilominùs ob contrariam Ecclesiæ consuetudinem id à plerisque reprobatur, *Lugo, Henao, Verjuys, Mendo d. 11. q. 2.* Nec Ecclesia censetur ad hoc dare jurisdictionem.

3. 4. Ut licitè ministretur Eucharistia, requiritur jurisdictio vel ordinaria, qualem habet Pastor, Episcopus, &c. vel delegata, *Clem. dudum de sepult. Clem. religiosi de privileg.* Ideóque invito Parocho aliquem in Parochia communicans peccat mortaliter contra jus Parochi, cujus est pascere oves suas. Sufficit tamen licentia rationabiliter præsumpta. Hinc si quis sub tuo Sacro in Ecclesia aliena petat Communionem, non dubites de licentia, *Gob. tr. 4. n. 385.* 5. Religiosi habent privilegium in suis Ecclesiis ministrandi Communionem, ita tamen ut pro Communione Paschali quemlibet remittant ad suam Parochiam, nec possint Eucharistiam deferre ad ægros nisi ex commissione Parochi, *Suar. Dian. p. 4. t. 4. R. 14.* Si hic absens sit, aut iniquè renuat, quilibet Sacerdos potest & tenetur extremè periclitanti dare viaticum, quia tunc jurisdictionem dat Ecclesia. 6. Parochus tenetur ex justitia 4. suis etiam ex mera devotione petentibus Sacramenta ministrare etiam quotidiè, si rationabiliter petant; aliquando tamen ob reverentiam Sacramenti vel nimiam Ministri occupationem Communio poterit negari, modò fiat absque offensa & scandalo: peccat Pastor, qui se morosum aut difficilem exhibendo subditos à petendo absterret, hoc enim est virtualiter negare, *Suar. La Croix p. 1. n. 134.* Ad quid teneatur Pastor aliíque Sacerdotes tempore pestis vel incursûs hostium, dixi *Cas. 88. q. 6.* 7. Distribuens Communionem extra extremam necessitatem in excommunicatione, vel suspensione, fit irregularis, quia exercet actum sui Ordinis in censura, quod *Aversa* extendit ad ferentem processionaliter Eucharistiam, vel benedicentem.

QUÆR. II. Quid circa ritus à Ministro adhibendos tam in danda Eucharistia, quàm in corrigendis defectibus? 5.

R. 1. Communio & Viaticum dari de-

debet reverenter in superpelliceo & stola, vel in Alba & Stola cum lumine, præmisso *Confiteor* & Absolutione: omittere lumen, sacras vestes, est mortale, nisi excuset necessitas, qualis est, cùm vestes sunt ablatæ, vel Eucharistia per partes hæreticas aut per loca aspera vel prædonibus infesta, ut habet *Agenda Colon.* edita An. 1720. *p.77.* clam in pixide, vel involuta corporali est portanda, *Bonac. d.4.q.5. p.2.* Omissio omnis luminis juxta *Suar.* est mortale; si verò lumen extinguatur, & citò haberi non possit, vel si æger longè distet, aut Sacerdos tempore necessitatis currat sine lumine, sine nola, non peccat, charitas est, *March. Bonac. Gob. n.506. & 407.* 2. Sine justa causa non debet viaticum ferri recto capite, quod esse potest gravis irreverentia, nisi excuset inclementia aëris, vel alia causa; omittere Confiteor vel similes ritus leves, est tantùm veniale, & cum causa nullum. 3. Juxta plures potest Eucharistia deferri in equo mansueto, modò non sit periculum lapsûs, quare congruentiùs erit vehi curru. Parochus lassus non potest pixidem dare portandam laico, sed tunc expediet eam ex collo suspendere.

6. 4. Probabile est, indice & pollice chiragrâ vel aliter impeditis Eucharistiam aliis digitis dari posse; quia quamvis soli primi digiti sint inuncti, tota tamen manus censetur consecrata, ad summum veniale est aliis digitis hostiam sine causa tangere, *Gob. n.381.* Similiter probabile est dari posse hostiam cum vino vel jusculo in cochleari sumendam, si aliter deglutiri non possit, *Præp. Escob. Dian. Salmant. t.4. c.9. p.2.n.27.* Si æger Eucharistiam sumere non possit, non licet ad eum deferre, ut saltem pro consolatione adoret vel osculetur; id enim prohibuit Pius V. teste *Lugo. in resp. mor. l.1. dub.11.* 5. Si multi sint communicandi, sejungi possunt pollex & digitus sinistræ, modò priùs lambantur & abluantur, si digitis adhæreat saliva communicantium, decentiùs alio linteo quàm purificatorio absterguntur. 6. In paramentis nigris non debet distribui Communio; *S. Cong. 22. Jan. 1701.* 7. Quamvis Ecclesia prohibeat dare Communionem die Veneris sanctâ, tamen hanc prohibitionem non extendi ad necessitatem, qua æger sine viatico esset moriturus, meritò docent *Suar. Jordan. La Croix n.619.* 8. Si hostia 7.
cecidit, locus notetur strophiolo & abluatur, ablutio mittatur in sacrarium; si ceciderit intra vestes, vel supra pectus nudum fœminæ, non ipse Sacerdos, sed ipsa vel alia mulier in sacristia recipiat & manus lavet. Si ceciderit in barbam vel vestem, non opus est lotione, *Tamb. La Croix n.494.* Si minutissima pars cecidit, adverteute solo Sacerdote, nec sine gravi scandalo aut populi turbatione quæri & reperiri possit, potest commendari Domino DEO. Si calix effundatur, sorbeatur quantum potest; quod sorberi nequit, linteo vel stupâ excipiatur; si fuerit tabula vel lapis, locus abradatur; si mappa, pannus aut tapes, aliquoties la-

lavetur, abrasio & linteum postquam fuerint exsiccata, exurantur, & cineres mittantur in sacrarium. Idem dicendum de speciebus, quæ indigestæ per vomitum rejiciuntur: si bestia sumpsit S. Species, & non possit commodè occidi, permitti potest ut in bestia consumantur calore stomachi. Principaliora ex his ceremoniis omittere respectu calicis, est mortale, quia species imbibuntur, non item respectu hostiæ. 9. Sacerdos adhuc 8. indutus S. vestibus potest reliquias sui Sacrificii in patena vel corporali repertas, etiam post horam, & sumptâ ablutione sumere. Imò si particulæ sivo sui, sive alterius Sacrificii commodè asservari non possint, potest eas Sacerdos sumere etiam post exutas sacras vestes, *Dian. Sporer hic n. 477.* Integram tamen hostiam post ablutionem sumere non potest, quia usus Ecclesiæ solùm extenditur ad fragmenta, quæ unam tantùm Communionem constituent cum priùs sumptis: si tamen una vel altera hostia ex tuo Sacrificio supereset, nec adsit Sacrarium, in quo commodè reponere possis, meliùs erit eam sumere, quàm irreverenter asservare, *Gob. Cas. 13. n. 10.* Si dubitetur, an hostia vel particulæ inventæ sint consecratæ, serventur post ablutionem sumendæ, *Bonac. Castropalao, Pasq. q. 316.* Si renovetur ciborium, quod singulis mensibus meritò fieri deberet, potest homo jejunus & dispositus, si opus est, 50. & plures hostias sumere; fragmenta sumat Sacerdos post sacras species, vel etiam post ablutionem, si eam jam inadvertenter sumpsit, est enim una moraliter Communio, *Tamb. de Com. c. 2. n. 34.* Si renovanda est hostia in Monstrantia, binæ sunt consecrandæ, quia Sacerdos unam sumere debet de suo Sacrificio. 10. Si communicans 9. hostiam reponat in strophiolum, non debet publicè argui, aut hostia coram aliis repeti; quia hoc esset eum infamare; fortè id facit ex conscientia erronea, quia recordatur peccati, aut se non esse jejunum, vel præsentit vomitum, &c. Debet tamen Sacerdos observare quis sit, quò eat, ut hostia occultè possit repeti, *Burghab. La Croix n. 504.*

QUÆR. III. Quæ sit necessitas & obligatio Eucharistiæ? 10.

℟. I. Eucharistia non est necessaria necessitate medii, neque in re, neque in voto. Est communis cum *S. Thom. q. 65. a. 4.* Probatur, nam, primò non est necessaria in re susceptâ, quia multi etiam adulti salvantur non susceptâ Eucharistiâ, ut si moriantur statim post Baptismum vel pœnitentiam ritè susceptam, moriuntur enim in gratia. Neque est necessaria in voto, quia ut aliquid propriè in voto sit necessarium, debet in re susceptum per se esse justificativum; aliàs impletio omnis præcepti dicetur necessaria in re vel voto; atqui Eucharistia non justificat per se, licèt quandoque per accidens, sicut & alia Sacramenta vivorum: Ergo.

℟. II. Sumptio Eucharistiæ est 11. baptizatis & adultis aliquoties per vitam necessaria necessitate præcepti Divini, *S. Thom. q. 80. a. 11.* Probatur

ex verbis Christi *Joan. 6. ℣. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba propter gravis pœnæ comminationem indubiè habent vim præcepti, unde & *Trid. sess. 13. c. 2.* dicit, quòd Christus præceperit illius sumptione coli sui memoriam. Dixi: *Baptizatis & adultis*; 12. unde 1. Eucharistia dari non potest infidelibus vel catechumenis, quia Baptismus est janua reliquorum Sacramentorum, sine quo alia suscipi non possunt. V. *Cas. 88. n. 28.* 2. Parvuli usu rationis carentes (idem est de perpetuò amentibus) ad sumendam Eucharistiam non obligantur, *Trid. sess. 21. c. 4.* Et quamvis ipsis certò prosit, causando augmentum gratiæ, & in primæva Ecclesia data fuerit, de facto tamen dari non debet ob contrariam Ecclesiæ consuetudinem, *D. Thom. q. 80. a. 9.* Postquam autem adepti sunt usum rationis, (quod in Germania plerumque contingit circa annum octavum vel nonum) admitti possunt & debent, modò *cognitionem & gustum hujus Sacramenti* habuerint, ut habet Rituale Romanum. In dubio sufficientis discretionis dari potest viaticum, idque probat *Agenda Colon. pag. 76.* Non tamen obligat, quia plena discretio est aliquid facti, quæ non præsumitur, ideóque libertas possidet contra legem. Judicare autem de sufficientia discretionis & instructionis pueri spectat ad Parochum vel 13. Confessarium. 3. Illis qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amisisse in mortali, dandum est viaticum, *S. Thom. q. 80. a. 9.* Catech. Rom. *de Euch. c. 11. n. 2.* & DD. communiter; præsertim si prævie petierint, & devotionem ad illud ostenderint, absitque periculum irreverentiæ. Imò *Gobat n. 135.* dicit, absolutè dari posse, quia censentur digni, & interpretativè præsumuntur petiisse. Nihilominùs *Agenda Colon. pag. 78.* dicit, non convenire, ut detur ægro sensibus destituto, ita ut Sacramentum agnoscere non possit. 4. Semifatui & haben- 14. tes debilem rationis usum obligantur præcepto Communionis, si censeantur capaces absolutionis, & absit periculum irreverentiæ, ideòque non tantùm in articulo mortis & Paschate, sed juxta *Sanch. Illsung. Gobat.* sup. etiam sæpiùs per annum communicandi sunt, in his enim non est exspectandus plenior rationis usus, sicut in parvulis. Dicta de semifatuis magis tenent de fatuis tempore lucidi intervalli. 5. Furioso, phrenetico, maniaco, si alligati soleant sumere cibum, etiam dari debet viaticum, quamvis blasphement, quia non sunt liberi, & censentur petiisse, dum erant sanæ mentis; si dubites, an reverenter suscepturi sint, proba semel & iterum in hostia non consecrata, quam si reverenter suscipiant, da etiam consecratam. Idem faciendum est cum eo, qui est in periculo hostiam revomendi; si nihilominus S. Hostiam exspuat vel revomat, ita ut ab alio sumi non possit, non debet exuri; hoc enim foret grande sacrilegium, sed aquâ dissolvi, stupâ aut linteo excipi, & stupa exsiccata comburi.

15. buri. 6. Energumenis etiam propter peccata priùs commissa, obsessis post pœnitentiam sæpiùs dari potest communio, *Conc. Arausi. 1. Can. 14.* quamvis dæmone impediente non possint dicere *Credo*, debet tamen abesse periculum irreverentiæ. 7. Surdo muto simul & cæco à nativitate Eucharistia dari non debet; quia non potest instrui, & habetur ùt perpetuò amens: si tantùm sit surdus & mutus, non autem cæcus, ita ut per nutus instrui, & hunc cibum à profano distinguere possit, debet dari communiò, etiam sæpiùs pro ratione intelligentiæ, pietatis, modestiæ. *Laym. Castropalao punct. 10.* 8. Adultis ritè
16. dispositis suadenda est frequens communio, an autem huic vel illi expediat communio quotidiana, judicabit confessarius ex speciali reverentia, devotione & profectu pœnitentis. Lege Decretum Inn. XI. de 12. Feb. 1679. quod exhibet *La Croix n. 665.* 9. Per se non licet communicare bis eodem die, *S. Thom. q. 80. a. 10. ad 4.* & colligitur ex praxi Ecclesiæ, *& ex c. sufficit de consec. dist. 1.* Dico per se, nam in Natali Domini permittitur Sacerdoti ter consecrare; & si quis sanus communicavit, & incidat in periculum mortis, potest probabiliter secundò communicare per modum viatici; item posset secundò sumi Eucharistia, si aliàs dehonoranda esset ab infidelibus. 10.
17. Non potest suscipi aut dari communio in signum innocentiæ, præsertim cum execratione, ut si nocens sit, statim moriatur, *S. Thom. a. 6. ad 3. c. ex tuarum. de purg. Can. cum dilecti de purg. vulg.* quia est superstitiosa Dei tentatio, nullibi enim promisit Deus sic punire reum, & datur ansa sacrilegè sumendi Eucharistiam. Censent tamen *Suar. Castropalao. Gob. n. 458.* permitti posse, ut communicet quis in testimonium innocentiæ absque execratione, v. g. filia innocens suspecta de furto, si ideò pax sit reddenda, & deponenda suspicio, sed & hoc meritò dissuadendum.
11. In Ecclesia Latina non licet laico 18.
dare species vini, nequidem pro viatico, casu quo hostiam deglutire non posset, meliùs tunc datur hostia vel ejus frustellum cum modico jusculo vel vino non consecrato; si tamen deficiente Sacerdote species vini essent convertendæ in acetum, vel dehonorandæ ab hæreticis, possent sumi à laico, etiam non jejuno, quia sic magis consulitur reverentiæ Sacramenti, ita multis citatis *La Croix n. 509. & seq.* ubi cum Lugo dicit peccare mortaliter, si prima calicis ablutio, in qua mixtæ sunt guttæ sanguinis, detur laico, quia id est contra consuetudinem & præceptum Ecclesiæ; ideòque in die nativitatis Dominicæ ejusmodi ablutio vel adhibenda pro aliis sacrificiis; vel guttæ purificatorio excipiendæ & exsiccandæ sunt.

12. III. Præceptum Divinum sub 19.
mortali obligat omnes usum rationis habentes ad sumendam communionem in articulo mortis per modum viatici. Est communis & certa contra paucos apud *Mendo. diff. 11. q. 1.*

colligitur ex Conc. Nicæno *Can. de iis.* & Inn. IV. *c. 4. de myst. Miss.* ubi dicit: *Necessariò sumendus est Agnus, ut à vastante angelo protegamur, neque exire possumus de Ægypto, nisi celebrando phasè, Agnum Paschalem edamus.* Testatur etiam *Trid. sess. 13. c. 6.* hoc præceptum in multis Conciliis inveniri, & vetustissimo Ecclesiæ more observari. Pro praxi accipe

20. *seqq.* 1. Hoc præceptum non tantùm obligat, quando mors ex morbo vel sententia judicis certò instat, sed quandocunque est probabile periculum mortis, sive ex prælio vel conflictu, sive ex periculosa navigatione, itinere, puerperio, nisi ante tres vel quatuor dies, vel etiam ipso die sanus communicâsset; hæc enim Communio ex praxi Ecclesiæ interpretativè habetur pro viatico, & reverà præparat ad fœlicem vitæ exitum, qui est finis viatici. *Suar. Henno. Budad. Illsung. Dicast. d. 10. Metzger.*

21. *d. 33. a. 1.* 2. Si æger sumpto viatico peccavit mortaliter, consultum quidem est, ut præter confessionem de novo communicet, (modò non fiat eodem die, id enim prohibet Ecclesia) ad hoc tamen non tenetur; quia præceptum non obligat nisi ad unum eodem morbo viaticum, *Henno.* Econtra si plenè morbum vel periculum evasit, & diu post iterum reincidat, denuò tenetur ad viaticum, quia distinctum & novum periculum requirit novum viaticum. 3. Qui prævidet se in mortis periculo viaticum susçipere non posse, tenetur prævenire, quia periculum proximè prævisum moraliter imminet. Econtra qui in periculo omisit communionem, non tenetur ex post supplere, quia viaticum est alligatum periculo. *Lugo. Metzg. l. c.*

4. Judex tenetur reo permittere spatium communicandi, nisi obstet periculum fugæ vel seditionis, tunc enim prævalet bonum commune. *Fagn. Fagund.* Dari potest reo eodem die vel post horam occidendo, aut etiam ægro statim morituro, præstat sacras species consumi in corpore mortuo, quàm hominem mori sine viatico, *Dicast. d. 9. n. 341.* 5. Ebrio non est dandum viaticum, si constet ebrietatem fuisse voluntariam, de quo si dubium sit, dandum est, modò absit periculum irreverentiæ, & inebriare se non sit solitus, tunc enim præsumitur ebrietas esse involuntaria, *Gobat. La Croix n. 609.*

22. 6. Non est licitum Sacerdoti consecrare extra Missam absque altari, vel

23. in fermentato, aut absque S. vestibus etiam pro dando viatico, quia quamvis præceptum de viatico sit divinum, tamen non obligat, nisi quando reverenter & cum principalibus Ecclesiæ cæremoniis observari potest, ut habet communis. Valde tamen probabile est, Sacerdotem non jejunum pro consecrando viatico celebrare posse, quia Ecclesia id faciliùs permittit, ùt dicam q. seq.

24. 7. Viaticum potest & debet peti ab excommunicato etiam non tolerato, si ab alio haberi non possit, quia pia mater Ecclesia præsumitur in tali necessitate hoc permittere, *Verj. t. 8. n. 16.*

*a. 16.* 8. In tali necessitate si alius non adsit, potest Sacerdos & diaconus se ipsum communicare; an autem id etiam possit laicus, dixi q. 1. 9. Viaticum nulli etiam excommunicato, publico peccatori vel consuetudinario negandum est, modò verè pœnituerit, *C. quod in te 11. de pœn. & remiss.* 10. Moribundus in Paschate negligens viaticum duplex mortale committit, quia utriusque præcepti distinctus est finis viatici, ut se muniat pro fœlici transitu ex hoc ad alteram vitam in Paschate, ùt cum tota Ecclesia faciat commemorationem ultimæ Cœnæ & passionis Dominicæ.

25. R. IV. Circa Communionem Paschalem tenenda sunt seqq. 1. Hoc præceptum habetur *C. omnis utriusque de pœn. & remiss. Trid. sess. 13. de Euch. c. 9.* Est quoad substantiam divinum, quoad determinationem temporis ecclesiasticum, obligatq; omnes fideles usum rationis habentes intra 15. dies à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè. Potest tamen hoc tempus non tantùm ordinarius sed & Parochus ex justa causa extendere, *d. c. omnis utriusque.* 2. Comunio Paschalis sumi debet in Parochia propria domicilii vel quasi domicilii, qui sine licentia parochi ordinarii vel Papæ alibi, v. g. in Ecclesia Regularium communicat, non satisfacit. *S. Congreg.* de 31. Jan. 1682. quæ etiam prohibet, ne Regulares ipsa die Paschatis in suis Ecclesiis Communionem distribuant; si tamen aliquis ad pedem Altaris Communionem petat, non facilè debet repelli, sed moneri, quòd per eam Communionem non satisfaciat præcepto; sic enim impletur finis prohibitionis, qui est, ut oves recognoscant suum Pastorem. Similiter non satisfit communicando in Ecclesia Cathedrali, neque ad hoc licentiam dare potest Archipresbyter, nisi ita habeat consuetudo, *Pignat. t. 7.* quia licèt Ecclesia Cathedralis sit superior, tamen singuli parochi & parochiæ habent sua jura, non minùs quàm singulæ diœceses. *Gobat* dicit, non peccare, qui semel servat Pascha extra Parochiam, si sæpiùs per annum soleat communicare, quia tunc parochus præsumitur consentire, sed non facilè præsumi debet consensus, si parochus adiri possit, si non possit adiri, ex se cessat obligatio. 3. Peregrini & vagi possunt communicare, ubi volunt, quia parochi censentur consentire, idque certum esse dicit *Tamb. c. 4. n. 4.* quia cùm alibi non acquirant quasi domicilium, non fiunt his parochis subditi. Nec obstat, quòd Eug. IV. peregrinis concesserit quasi incolatum in locis, ubi degunt, nam hoc est in gratiam eorum, qui suo privilegio uti non tenentur. *Dices:* Ergo qui instante Paschate exit è Parochia, non rediturus nisi post Pascha, non tenebitur in Parochia Communionem prævenire, neque licentiam petere alibi Pascha servandi, quia hoc ipso quòd alibi existat, est peregrinus, & potest servare Pascha ubi vult, atqui hoc est absurdum, ergo. R. *N. Min.* Id non est absurdum saltem

26.

si non exeatur in fraudem legis. Vid.
27. *Cas. 6. n. 15.* 4. Religiosi satisfaciunt in suis monasteriis communicando, idem famulis commensalibus mendicantium & participantium concessit Leo X. Bulla: *Dum intra. Henno q. 2.* Gobat & La Croix dicunt, studiosos Jesuitarum & Seminaristas saltem ex conniventia parochorum & Episcoporum satisfacere posse in eorum Ecclesiis. Si verò Parochi contradicant, mittendi sunt ad parochiam, in qua habent quasi domicilium. 5. Sacerdotes sæculares ex consuetudine satisfaciunt ubique celebrando; si tamen communicent ut laici, tenentur communicare in parochia ut laici. 6. Puerperæ necdum introductæ in ecclesiam debent communicare domi, vel cum consensu Parochi differre Comunionem post
28. Pascha. 7. Ecclesia præcipit Communionem *intra annum, idque circa festum Paschæ.* Unde præceptum est virtualiter duplex, unum communicandi in Paschate, & aliud non differendi ultra annum Communionem, ita tamen ut qui communicat in Paschate, satisfaciat utrique præcepto: qui prævidet se non posse in parochia communicare ultimâ hebdomade, debet prævenire in prima, quia tunc currit tempus præcepti: qui prævidet se non posse toto tempore Paschali, adhuc debet prævenire, si existat in Parochia, quia Communio non est annexa tempori Paschali, sicut obligatio orandi Horas est annexa dici, ut volunt *Steph. Henno, Dian.* Sed tempus Paschale statuitur ad urgendam, non ad terminandam obligationem, ut patet ex verbis præcepti: *Intra annum, idque circa festum Paschæ.* Et probatur à pari; nam si voveas jejunare, aut debeas solvere mutuum *intra annum, idque circa Pascha*, si non possis jejunare vel solvere in Paschate, debes proximiore tempore. Ergo similiter si neglexisti communicare in Paschate, teneris supplere ex post; idque certum est si toto anno non communicâsti, quia præceptum est virtualiter duplex, & nequidem satisfeciisti quoad tempus annuum,
*Carden. Metzger, Plat. a. n. 430.* 8. Non 29.
satisfieri præcepto per Communionem sacrilegam certum est ex Proposit. 25. damnata ab Innoc. XI. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Idque verum est, etsi Communio sit tantùm materialiter sacrilega; nam quamvis tunc communicans non peccaverit, tamen etiam fructum Communionis non percepit, quod præcipuè intendit Christus & Ecclesia; & licèt finis legis plerumque non cadat sub præcepto, ut habet commune axioma, cadere tamen potest, si à legislatore præcipiatur, & fiat materia legis, quod tunc fit, quando in ipso præcepto indicatur finis legis, uti hîc, ubi Sacramentum hoc dicitur esse cibus & vita animæ, qualis non est, si sit absque fructu, *Plat. n. 438.* 9. An 30.
censurâ, carcere, vel aliter à Communione Paschali impeditus teneatur procurare absolutionem vel liberationem, dixi *Cas. 6. n. 18.*

QUÆR. IV. Quid circa dispo- 31.
sitio-

sitionem requisitam ex parte animæ?

R. Seqq. 1. Tam in consecrante, quàm communicante requiritur status gratiæ, & si in mortali sit, requiritur sub mortali prævia confessio; nec sufficit conteri, nisi urgeat necessitas celebrandi vel communicandi, & non sit copia Confessarii, *Trid. sess. 13. c. 7.* Quod fundatur in Apostolo, dicente: *Probet autem se ipsum homo*, &c. An autem hoc præceptum sit Divinum, ut habet communior, vel Ecclesiasticum, parum
32. refert ad praxin. 2. Ut præceptum confessionis non obliget, duo requiruntur, nempe ut desit copia Confessarii, & quòd sit necessitas communicandi vel celebrandi; sufficit autem Confessarius quilibet approbatus, etsi non adsit tuus ordinarius, vel quem tu velles; si tamen attentâ viæ distantiâ, auræ inclementiâ, itineris difficultate, temporis brevitate, corporis debilitate, Confessarius absque gravi incommodo adiri non possit, habetur pro absente, *Vasq. Bonac. Spor. Castropalao punct. 12. n. 6.* Urgens autem necessitas tunc est, quandocunque Missa vel Communio absque gravi scandalo, ignominia, offensa & dicteriis populi in Sacerdote omitti non potest, *Scot. Vasq. d. 108. c. 1.* Ut si Pastor ex officio debeat dicere Missam die Dominico vel festo, aut stante funere, vel pro benedicendis nuptiis: item probabiliter excusat necessitas dandi viatici, *Valent. Coning, Suar. d. 66. sect. 4.* quia sicut Sacerdos non habens Confessarium posset præmissâ contritione sibi consecrare viaticum, sic & alteri. Probabiliùs tamen non sufficit obligatio communionis annuæ, vel si Sacerdos vel alius non possit audire Missam, nisi celebret, quia hæc præcepta non obligant, si non possint impleri convenienter juri Divino. Si quis ab aliis rogetur, ut legat, & sine suspicione peccati vel scandalo negare non posset, deberet legere. *Scotus in 4. d. 9. Gobat. n. 156.* Deinde non excusat onus Capellaniæ, voti, oblatio stipendii, aut paupertas Sacerdotis, nisi valdè gravis, quæ aliter sublevari non
posset. 3. Si Sacerdos sub sacrificio 33.
recordetur mortalis ante consecrationem, juxta *Steph. à S. Paulo Nav. Dian.* tenetur advocare Confessarium vel à sacrificio cessare, *Suar. sup.* quod verum est, si Confessarius sine nota infamiæ, vel suspicione gravis peccati advocari possit, ut in Missa solenni sub cantu vel concione; secus sufficiet elicere contritionem, quæ semper elicienda est in casu, quo in mortali constitutus confiteri non potest; si sub Sacro conteri non possis ob turbationem, quod vix contingere potest, vel recorderis te non esse jejunum, non simula deliquium, quia id facilè advertetur, neque fictè consecra, quia facis alios adorare merum panem, quod foret idololatria, sed elice quantum potes dolorem, & perge in nomine Domini. Idem tenet de laïco, qui in scamno communicantium recordatus mortalis absque infamia recedere non
potest. *Nav. Lug. n. 12.* 4. Si con- 34.
fessus es, sed inculpabiliter oblitus unius mortalis, teneris illud prævie con-

confiteri, aliàs celebras vel communicas conscius peccati mortalis non confessi, quod est contra præceptum, *Trid. Suar. Lug. Castropalao p. 12. n. 4.* oppositam *Moya* vocat improbabilem. Similiter si confessus es peccatum ut dubium, & postea cognoscas esse certum, probabiliter non teneris illud ante Communionem confiteri ut certum, quia ab illo directè es absolutus, V. *Cas. 97. n. 27.* ubi plura dicam de peccatis positivè vel negativè dubiis. 5. Si habeas peccatum confessario præsenti reservatum, juxta *Tolet. l. 6. c. 11.* potes in necessitate contritus celebrare. Sed communior cum *Coning, Castropalao l. c. Lugo s. 5.* docet, teneri confiteri saltem non reservata, ut sic indirectè absolvaris etiam à reservato. 6. Si non possis confiteri, nec commodè Sacrum omittere, ede vel bibe aliquid coram aliis, quasi inadvertenter, & excusa te ob defectum jejunii. 7. *Trid.* 35. *sess. 13. c. 0. 7.* sic habet: Quòd *si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur*; quòd autem hæc verba non contineant nudum consilium, sed præceptum, certum est ex Prop. 38. ab Alex. VII. damnata: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum*; ideòque obligantur sic sacrificantes *quamprimùm* confiteri, hoc est tertio saltem die post istam Missam, modò confessarium habeant, ut declaravit S. Congreg. idque sub mortali, quia materia est gravis & multum conducens ad reverentiam Sacramenti. Hoc præcepto non obligantur laici, neque Sacerdos in mortali communicans, quia *Trid.* solùm loquitur de Sacerdote sacrificante. 8. Sacerdos, qui 36. habet confessarium, & tamen sine confessione in mortali sacrificat, juxta plures apud *Moya, La Croix,* &c. probabiliter non tenetur præcepto statim confitendi, quia *Trid.* tantùm loquitur de eo, qui necessitate urgente celebrat in mortali, & odiosa non sunt extendenda; at probabiliùs est oppositum; quia *Trid.* non supposuit tantam fore malitiam Sacerdotis, quæ si adsit, intentio *Trid.* videtur esse, ut saltem statim post Missam confiteatur. 9. Si quis in 37. confessione oblitus est mortalis, cujus ante consecrationem recordatur, non tenetur elicere dolorem, quia peccatum jam indirectè remissum est per confessionem aliorum, tenetur tamen talis præcepto statim confitendi, quia reverà celebravit conscius peccati mortalis non confessi; idem est de eo, qui sub Missa mortaliter peccat, *Lug. n. 151.* cont. *Suar.* Econtra si quis primò post Missam recordetur peccati, valdè probabile est eum non teneri confiteri, quia non celebravit memor peccati. 10. Ut quis dignè celebret vel communicet, accipiatque effectum primarium Eucharistiæ, scilicet augmentum gratiæ & charitatis, non requiritur, ut pœnitentia à Confessario imposita jam sit impleta, neque requiritur devotio actualis aut immunitas ab omni

omni peccato veniali etiam actuali, *S. Thom. q. 79. a. 8. Soto, Vasq. Suar. d. 63. s. 3.* Ratio est, quia peccatum veniale neque gratiæ, neque ejus augmento repugnat; impedit tamen effectum secundarium, scilicet suavitatem & fervorem charitatis, & multa auxilia actualia, ideòque devotio actualis præsertim per actus fidei, spei &c. est longè utilissima, semperque meritò adhibenda cum retractatione saltem virtuali omnium venialium. 11. An liceat petere Communionem à ministro indigno, dixi *Cas. 88. q. 7.* An liceat dare indigno, *ibid. q. 9.*

QUÆR. V. Quid circa dispositionem corporis?

38. R. I. Nulla macula corporis per se impedit Communionem; neque pollutio involuntaria vel etiam voluntaria per pœnitentiam expiata; si tamen post se relinquat malignos effectus turpis commotionis, imaginationis, turbationis, torporis &c. consultum erit à Communione abstinere, nisi urgeat communicandi aut sacrificandi præceptum vel necessitas; idem dicendum de opere conjugali, præsertim ex mera voluptate exercito. *S. Thom. a. 7.* & communis *DD.*

39. R. II. Præcipua corporis dispositio hîc requisita est jejunium naturale præceptum à Conc. Carthag. III. Tolet. VII. can. 1. consistitque in abstinentia ab omni prorsus cibo & potu, ita *ut nihil convertibile in substantiam hominis, ab extrinseco demissum sit in stomachum actione comestivâ vel potativâ.* Unde

*Infer.* 1. Hoc jejunium frangi per rem minimam, non enim hîc datur parvitas materiæ. Ratio est, quia non prohibetur cibus & potus, sed prohibetur Communio post cibum & potum, quæ semper est quid grave; sic enim habet d. Conc. *Nullus post cibum vel potum quemlibet minimum Missas faciat.* 2. Si quis lavans os, casu deglutiat stillam aquæ vel vini, juxta rubricas non frangit jejunium, quia non sumitur per modum cibi, sed salivæ, cui inseparabiliter est annexa, ideòque plures apud *Avers. q. 8. s. 8. §. 5.* non improbabiliter dicunt, non frangi, etiamsi advertenter trajiciatur. 3. Res non convertibiles in substantiam hominis, ut capilli, fragmenta metalli, plumbi, vitri, fila serica, lana, lignum durum, &c. non obsunt huic jejunio. Econtra obsunt convertibilia, ut filum è lino paleæ, charta, corium, carbones, cera, creta, terra, pulveres ex ossibus vel lapidibus &c. quia experientia constat hæc per stomachum alterari. 4. Ut quid solvat jejunium, debet sumi ab extrinseco, ut si sanguis sugatur ex digito, & deglutiatur, non verò si sanguis, saliva vel humor defluat è cerebro, vel ex pustula in ore rupta, neque reliquiæ ciborum hærentes intra dentes, etsi meliùs exspuantur, si tamen studio glutiantur, probabiliter jejunium non solvunt, nisi essent notabiles, *Suar. Sporer, La Croix n. 567.* quia glutiuntur per modum salivæ, & non veniunt jam ab extrinseco, sed sunt pars cœnæ præcedentis.

Aliud est de eo, qui vespere saccarum, glycirrhizum &c. ori imponit, paulatim liquandum & deglutiendum; quia communi judicio censetur continuata comestio, ideòque si post duodecimam noctis aliquid deglutiatur, solvit jejunium. *Vasq. Coning, Suar. sup.* quod etiam verum est, si potus tibi per vim infundatur, quia adhuc eum trajicis actione vitali & potativâ; secùs si violenter per fistulam infunderetur, *Gob. n. 264.* 5. Debet quid sumi actione comestivâ, qualis non est, si per modum respirationis, vel aëris trajiciantur musceæ, vapores cibi, pulvis vel fumus tabaci, quod ultimum tamen multis videtur esse contra reverentiam, & juxta *Lezan.* frangit jejunium, maximè si tabacum masticetur & succus defluat, quamvis & tunc excusent *Lug. Sporer n. 467.* Faciliùs excusarem eos, qui tempore contagionis aroma præservans ore circumferunt, etiamsi fortè quid minimum salivæ mixtum præter intentionem defluat; si enim dum os lavatur, stilla casu defluens jejunio non obstat, cur obstet stilla aromatis? Et certò magis hîc de pio Matris Ecclesiæ consensu præsumi potest, quàm
40. in casu priore. 6. Jejunium hoc incipit per se à duodecima noctis, & probabiliùs à primo pulsu, quia tunc volvitur rota index temporis, si audito primo pulsu adhuc habeas cibos in ore, juxta *Gob. Sporer n. 472.* potes deglutire, tum quia sunt pars cœnæ præteritæ, sicut caro hærens intra dentes, quæ propterea post duodecimam deglutiri potest, tum quia bolus in ore consistens jam non sumitur ab extrinseco, nec videtur Ecclesia ad inurbanitatem exspuendi velle obligare. Hæc sententia est in praxi tuta etiam ex hoc, quòd probabile est per ultimum pulsum priùs finiri horam Ecclesiasticam; probabiliùs tamen est, quòd audito primo pulsu bolus debeat exspui, sicut exspui debet saccarum ante duodecimam ori impositum, ut pro certo habent omnes, aliàs non manebit jejunus. Si in urbe plura sint horologia communiter benè directa, potes sequi quod voles, quia quodlibet habet se ut doctor probabilis. Non tamen licet sequi simul duo contraria cum certa violatione alicujus legis, ut probavi *Cas. 3. n. 21. Si dicas:* Duo horologia discrepantia habent se sicut duo testes, qui de eodem facto testantur oppositа: atqui testimonia oppositа in quæstione facti non gignunt probabilitatem, sed purum dubium, adeóque tali tempore intermedio debet se homo gerere quasi nullum esset horologium. Ita *Oviedo.* 31. Quando uterque testis oppositus dicit rem à se visam, non gignunt probabilitatem, sed testimonium unius elidit alterius, & certum est unum loqui falsum, ùt si unus dicat se Petrum horâ primâ vidisse domi, alter dicat se eum vidisse in foro. Aliud est si dicta testium non sint directè oppositа, aut uterque testetur aliquid esse probabile uti hîc. 7. In dubio 41.
an aliquid sumpseris, habes jus communicandi, *Herinx, Bardi, Dicast. Bosco,*

*Bosco, Bernal d. 43. n. 12. Spor. n. 424. La Croix n. 576. Viva. op. 2. q. 4. a. ult.* Ratio est, quia ante illud dubium certus eras te nihil sumpsisse, ideóque habebas certum jus communicandi, quo privari non debes per superveniens dubium de comestione, sicut non debes privari agro possessò ob superveniens dubium de proprietate; nam libertas hîc possidet, & melior est conditio possidentis etiam extra materiam justitiæ, ùt probavi *Cas. 2. n. 5.* Deinde comestio est quid facti, quod in dubio non præsumitur, sicut in dubio non præsumitur ætas sufficiens ad Ordines. Si verò certus es te aliquid sumpsisse, sed dubitas an post duodecimam noctis, non licet communicare, quia sumptio est in possessione, & praxis Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres, est contraria; & certè quis dicet te habere jus communicandi, si evigilans nocte bibas nescius quâ horâ? Si tamen habeas rationem probabilem, quòd sumptio sit facta ante duodecimam, adhuc licebit communicare, juxta dicta *Cas. 3. n. 11. Dices:* In dubio an quid sumpseris, lex est in possessione; quia certum est quòd volens communicare obligetur jejunare; ergo tuum est probare quòd sis jejunus. 2. In dubio an satisfeceris voto vel debito, debes probare te satisfeciisse; ergo & hîc debes probare te esse jejunum. 3. In dubio an habeas ætatem requisitam ad Ordines, debes ab iis abstinere, ut habet communis; ergo & in dubio an sis jejunus, abstinere à Communione. R. *ad 1. N. Ass.* Jejunium est qualitas negativa consistens in non sumptione ullius cibi; qualitas autem negativa non est semper necessariò probanda, ut patet in legato dando virgini *honestæ & consanguineæ*, ubi probanda est consanguinitas utpotè conditio positiva, non verò honestas seu carentia delicti, sed hæc præsumitur, usque dum probetur contrarium. *Ad 2. N. C.* Nam votum & debitum est certum, ut suppono, solutio autem incerta, ideóque lex solvendi est in certa possessione. Econtra in dubio, an quid sumpserim, ipsum jejunium & per consequens jus communicandi est in possessione; ante dubium enim de facta comestione certus eram de jejunio, quæ certitudo per dubiam comestionem non eliditur. *Ad 3. N. C.* Ætas est qualitas positiva, quæ probari debet, non verò jejunium.

QUÆR. VI. Quæ sint causæ à jejunio excusantes?

R. Sunt præcipuè duæ: Integritas Sacrificii & necessitas. *Ratione integritatis* excusatur 1. Sacerdos, qui post unius vel utriusque speciei consecrationem recordatur se non esse jejunum, ideoque tunc debet pergere & complere Sacrificium. Si advertat ante consecrationem, & celebret in loco publico, similiter poterit pergere, si in loco privato, ubi sine scandalo & ignominia recedere potest. *D. Thom. q. 83. a. 6. ad 3.* consulit Missam abrumpere, idem dicendum de communicaturo, si in scamno communicantium recorde- 42.

tur se non esse jejunum. 2. Si Sacerdos post consecrationem deficiat, debet alius Sacerdos etiam non jejunus in defectu alterius Sacrificium complere, *Laym. hic c. 6. n. 22.* 3. Si in sumptione advertas loco vini aquam fuisse affusam, non licet aquam, quam in ore habes, exspuere, ne simul exspuas particulam hostiæ consecratæ, sed oportet eam deglutire, & reliquæ adhuc in calice existenti tantum vini affundere, ut certò sufficiat, & factâ oblatione de novo consecrare. Qualiter liceat sumere reliquias sui vel alterius Sacrificii post ablutionem, dixi sup. *n 8.* Item *n. 18.* dixi, licere laico etiam non jejuno in defectu Sacerdotis sumere hostiam vel S. Sanguinem aliàs per incurrentes hæreticos dehonorandum. *Ratione necessitatis* excusatur 1. Parochus, si die Dominico aut festo, vel stante funere, aut in benedictione nuptiarum &c. Sacrum omittere non possit sine obmurmuratione populi, sine dicteriis & suspicionibus in Sacerdotes, &c. tunc poterit celebrare, sive sit cum, sive sine sua culpa non jejunus, aut etiam jam Sacrum occultè legerit, *Suar. Sennyei q. 516. Tanner. d. 5. q. 8. n. 41.* quia tunc lex de vitando scandalo prævalet legi Ecclesiæ de jejunio. 2. Ægroto non valenti sine amissione virium jejunare, indies dari potest Communio, etiam vesperi, nec tenetur Sacerdos mediâ nocte surgere, ut infirmum inveniat jejunum, *Castropalao, Laym. Lugo d. 15. Gobat t. 4. n. 317.* Ratio est benignitas Ecclesiæ, & Sacramenti utilitas. 3. Si desit hostia pro viatico morituri, non licet Sacerdoti non jejuno consecrare, ùt habet communis cum *Lug. Dicast. Herinx, Henao d. 14.* quia consuetudo optima legum interpres id non permittit, sicut tunc non permittit consecrare in fermentato vel sine altari. Nihilominùs oppositum etiam est probabile, *Tamb. c. 2. §. 8. Barb. de pot. Paroch. c. 20. n. 4.* Quia alia præcepta Ecclesiastica in tali casu cessant per epekeiam, ut præceptum non celebrandi sine prævia confessione, sine ministris, non qualibet hora, non bis eodem die, non absolvendi à reservatis: ergo & hîc cessabit præceptum jejunii. Deinde æger non jejunus licitè sumit viaticum, ut omnes fatentur: ergo & Sacerdos non jejunus licitè conficit, sicut conficere potest non jejunus pro se post horam accidendo, neque satis constat contrariam consuetudinem hîc esse præceptivam.

CASUS

# CASUS XCIII.

## De Eucharistia ùt est Sacrificium.

*Fabius Theologus interrogatur:* 1. *An Missa sit verum Sacrificium, & in quo consistat.* 2. *Quis & quotuplex sit ejus fructus, an infinitus.* 3. *Pro quibus offerri possit.* 4. *An & quando applicari.* 5. *An sufficiat intentio habitualis, indeterminata, conditionata.* 6. *Quid si applicetur incapaci, vel de eo dubitetur.* 7. *Vel intentio mutetur, vel mandato Superioris sit contraria.* 8. *An fructus possint dividi.* 9. *Quid si applices alicui tanquam mortuo, qui adhuc vivit, vel contrà.* 10. *An per applicationem probabilem satisfiat.* 11. *Cui applicanda Missa in die animarum, vel impositæ neo-presbyteris.* 12. *An & quoties Parochus obligetur Missam suis applicare.* 13. *Quid circa onera Missarum recipienda vel reducenda.* 14. *An Ecclesia, collector stipendiorum, hæres vel Sacerdos alteri Missas committens aliquid de stipendiis retinere possit.* 15. *An & qualiter adhuc dum per Episcopos vel Generales Ordinum reductio Missarum vel anniversariorum fieri possit.* 16. *Quid si fundatio ex toto perierit.* 17. *Quid si à diversis accepta sint stipendia, qualiter tunc facienda applicatio.* 18. *Quid sit & quantum esse debeat stipendium.* 19. *An duplex stipendium exigi possit, quia applicatur fructus specialissimus vel meritum operantis, indulgentiæ, vel plures collectæ, &c.* 20. *Quid si stipendia sint nimis tenuia, vel pecunia adulterina.* 21. *An omittere unam Missam gratis promissam vel stipendiatam sit mortale: an omittens debeat stipendia restituere, vel possit Missas neglectas supplere.* 22. *An debeat legi talis Missa, qualis petitur.* 23. *Quid si non servetur locus vel tempus.* 24. *An obligatus indies possit aliquoties omittere.* 25. *An obligatus omni die Jovis & Sabbathi, teneatur repetere si omittat, & an teneatur hebdomade sanctâ.* 26. *An obligationes possint præveniri.* 27. *Quid de eo qui obligatur, quoties salvâ honestate & devotione potest; quid si ægrotet.* 28. *Quid si scias te ex fundatione obligatum, sed nescias quoties, aut ad quam intentionem.* 29. *Quid si Missæ in loco assignato commodè legi non possint.* 30. *An beneficiatus teneatur legere per se ipsum, saltem si beneficium requirat Sacerdotium & residentiam: & an sic obligatus teneatur Missas neglectas repetere.* 31. *An simplex Sacerdos teneatur aliquoties legere in anno, vel quando ipse aut populus Missam audire non potest.* Pro Resolutione

1. QUÆR. I. An & quale sacrificium sit Missa?

℟. 1. Missa est verum novæ legis Sacrificium. Est de fide, *Trid. sess. 22. c. 1. de sacrif.* 2. Essentia hujus Sacrificii non consistit in oblatione panis, quia panis non dicitur propriè sacrificari, sed Christus; neque consistit in sumptione seu communione, quia sumptio victimæ non est victimatio seu immolatio; sed in sola consecratione, *S. Thom. 3. p. q. 82. a. 4. ad 1.* Ratio est; quia per hanc solam vi verborum ponitur corpus sine sanguine, & econtra sanguis sine corpore, adeòque mysticè mactatur Christus, & repræsentatur perfectè immolatio crucis, quâ sanguis physicè separabatur à corpore. Unde sequitur, in die Veneris sancta non fieri Sacrificium, quia non fit consecratio. Congruentiam dat *S. Thom. q. 83.* quia eo die oblatus est Christus realiter & visibiliter, ideòque non congruit eo die illum offerri mysticè. 3. Principalis offerens & oblatum est Christus, nec differt Missa à sacrificio crucis nisi quoad modum offerendi, quorum unus est cruentus, alter mysticus; species secundùm multos sunt pars victimæ, quia victima per illas fit sensibilis. 4. Hoc Sacrificium continet eminentiori modo omnia sacrificia veteris Testamenti; nam quatenus offertur in laudem Dei, dicitur *Holocaustum seu Latreuticum*; quatenus in gratiarum actionem, dicitur *Eucharisticum*; quatenus ad obtinenda Dei beneficia, dicitur *Impetratorium* seu Hostia pacifica; quatenus satisfacit pro peccatis vivorum & mortuorum, *Satisfactorium*; quatenus tollit Dei indignationem, *Propitiatorium.* 5. Hoc Sacrificium etiam est Sacramentum, quia est signum sensibile practicum gratiæ. Item Testamentum, quia est authenticum instrumentum Divinæ voluntatis & repromissionis de danda vita æterna. 6. Consecratio utriusque speciei est de integritate Sacramenti, & præcepta à Christo Domino, ita ut quidem una species sine altera validè consecrari possit, non tamen licitè, nequidem ad dandum viaticum: nec in hoc dispensare potest Papa, ut habet *communis.* 7. Minister hujus Sacramenti est omnis & solus Sacerdos validè ordinatus, *Conc. Nic. I. c. 14. Trid. sess. 23. c. 1.*

QUÆR. II. Quis & quotuplex sit fructus hujus Sacrificii?

℟. 1. Fructus ex parte rei causatæ est quadruplex: *Meritorius*, consistens in augmento gratiæ sanctificantis, cujus capaces sunt soli in gratia constituti, quia augmentum vitæ spiritualis supponit vitam: *Impetratorius*, quo causantur beneficia naturalia & supernaturalia: *Propitiatorius*, quo dantur auxilia ad agendam pœnitentiam & tollendam Dei indignationem: *Satisfactorius*, quo satisfit pro pœnis peccatorum. Hic fructus non prodest existentibus in mortali, quia pœna non remittitur nisi remissâ culpâ. De cætero omnes hos fructus, modò ex parte nostra non sit obstaculum, causari 2.

in-

infallibiliter, contra plures docet *La Croix l.6. p.2.n.52.* idque secundùm mensuram à Christo determinandam. *Pasq. hic q.185.*

℣. 2. Fructus ex parte participantium est triplex: Generalis, specialis & specialissimus; *Fructus generalis* est, qui ex intentione Ecclesiæ simul offerentis participatur ab omnibus fidelibus vivis & defunctis, éstque semper idem, sive à multis participetur, sive à paucis, nec est in potestate Sacerdotis hunc fructum aliter applicare vel mutare, quia non provenit ex intentione Ministri, sed Ecclesiæ, etsi de hoc Sacerdos nil cogitet, peccarétque mortaliter, si ab hoc fructu aliquem vellet excludere. Est communis DD. *Specialis fructus* participatur ab iis, qui specialiter ad hoc officium concurrunt, assistendo, procurando, coofferendo, &c. qui plus concurrit, plus participat, nec multitudo concurrentium vel coofferentium hunc fructum minuit, aliàs meliùs esset interesse Sacro, in quo sunt pauci, quod nemo dicit; hinc ille valor est quoad audientes & cooperantes infinitus, quia quilibet ita audit & offert Sacrum, & cuilibet ita prodest ac si solus offerret; Missa verò prout à Sacerdote applicatur, habet se per modum unius actionis pluribus terminis applicatæ, ideóque fructum finitum & divisibilem communicantis, *communis* contra *Steph. Gonet d.11. a.5.* quia aliàs Ecclesia non rectè præciperet uni soli applicare cum damno aliorum, nec communis usus applicaret uni determinatè, ubi posset æqualiter prodesse pluribus. Ratio est voluntas Christi. Tertius fructus dicitur *specialissimus* & maximus, qui soli celebranti competit, nec potest alteri applicari, *Suar. d.79. Lug. d.21. s.2.*

QUÆR. III. Pro quibus offerri possit?

℣. *Potest* 1. Pro beatis ad impetrandam gloriam accidentalem, vel potiùs Deo in gratiarum actionem. 3. 2. Pro defunctis in purgatorio, quibus prodest infallibiliter quoad satisfactionem, *Diçast. Suar. s.10.* 3. Pro infantibus baptizatis, qui licèt non sint capaces satisfactionis, sunt tamen fructus impetrationis. 4. Pro adultis baptizatis justis & injustis. 5. Pro catechumenis, energumenis, quia nusquam reperiuntur excluſi. 6. Pro infidelibus, Turcis, Judæis, ut convertantur, *Suar. Sylv. Bellarm. Gonet, Salmant. Sporer n.274.* quia id nullibi legitur prohibitum, & pro his oblatum est sacrificium crucis, & est actus charitatis sic eorum salutem procurare, & in Lege Veteri Judæi obtulerunt Sacrificia pro Rege Dario gentili, *L.1. Esdræ c.6.* licétque offerre pro obtinenda pluvia, cur non pro conversione infidelium? 7. Non licet directè offerre pro excommunicatis non toleratis, quia Ecclesia prohibet cum his communicare præsertim in spiritualibus; aliud est de toleratis, cum quibus communicare permittit. 8. Pro damnatis non licet offerre sub mortali, quia id prohibetur *c. pro obeuntibus 21. caus.13. q.2.* & non potest iis prodesse. Idem vi-

de-

detur de infantibus mortuis sine Baptismo. Econtra licebit offerre pro occiso in flagranti vel in duello, aut etiam pro suicida, modò statim non obierint, & non constet certò eos esse damnatos.

QUÆR. IV. Quid circa applicationem Sacrificii?

4. R. Tenenda esse seqq. 1. Applicatio fieri debet per Sacerdotem, quia Christus non applicat, sed hoc reliquit Ministro; qui si studio nulli applicare velit, quod stultum foret, fructus manet in thesauro Ecclesiæ; si id fiat ex incuria vel oblivione, probabilissimè applicatur ipsi Sacerdoti, qui semper censetur habere tacitam voluntatem tali casu sibi applicandi, *Laym. hic c. 2. n. 11.* idque certum erit, si Sacerdos aliquando expressè decreverit, in defectu alterius applicationis sibi applicare. 2. Applicatio fieri debet ante consecrationem, & sufficit, si fiat ante consecrationem calicis, ut fatentur omnes, quia tunc completur Sacrificium, & confertur fructus: imò *Marchant. Lugo d. 8.* cum aliis docent, Sacrificium integrari, compleri & fructum causare primùm in sumptione, adeòque ante sumptionem adhuc validè applicari posse. 3. Ad
5. applicationem validam ex communissima sufficit intentio habitualis seu præterita, non revocata; at quia hoc incertum est, & probabiliter impugnatur *à Vasq. Granad. Merat.* in praxi adhibenda est actualis vel virtualis, ne fortè illi, cui debetur Missa, privetur ejus fructu. 4. Intentio applicantis debet ferri in personam determinatam, quamvis ignotam, v. g. offero pro eo qui dedit stipendium: pro quo jussit Superior: exigit fundatio: pro maximo peccatore: pro anima maximè desolata, &c. Econtrà non valet, si dicas: Applico illi cui Deus vel Christus vult applicari; sicut non valet consecratio, si velis ex multis hostiis illam consecrare quam determinat Deus. *Ratio* est; quia sicut Deus nullam hostiam determinat, sic nec Sacrificium ulli determinatè applicat, sed hoc relinquit Sacerdoti. 5. Valet applicatio sub conditione præterita vel præsente, v. g. offero pro Petro, si implevit promissum, si est mortuus vel infirmus. Econtrà non valet sub conditione futura, v. g. offero pro Petro, si hoc anno moriatur, si stipendium offeret, &c. *Ratio* est, quia ut applicatio sit valida, debet conditio existere, quando datur fructus Sacrificii; sed conditio futura tunc non existit, nec est in potestate Ministri effectum Sacrificii suspendere, cùm illum necessariò conferat dum actu offertur: Ergo. *At nunquid* valet, si dicas: Offero pro eo quem Deus scit primò moriturum, primò daturum stipendium? Affirmant *Vasq. Pasq.* quia conditio non est de objecto futuro, sed de scientia Dei actu existente; sed meliùs negant *Suar. Coning, Laym. l. c.* quia scientia visionis Dei dependet à futuris contingentibus, ideoque conditio reverà est de futuro & suspensiva fructus Sacrificii jam præteriti,

quod

quod fieri non posse jam dixi, essétque in potestate Petri cras percipere fructum hodierni Sacrificii, si daret stipendium, vel non percipere, si non daret, quod est ridiculum. 6. Si Sa-
6. crificium applicetur incapaci, utpote pro anima jam beata, vel damnata, vel in mortali existente, tunc fructus satisfactorius manet in thesauro Ecclesiæ. Igitur in dubio facienda est intentio conditionata, ut si nequeat prodesse cui volo, prosit mihi vel alteri, idque tutum est in Missis gratuitis; in Missis obligatoriis vel stipendiatis facienda est intentio, ut si non prosit cui debet, prosit ejus proximè conjunctis, vel quibus petens maximè est obligatus; hæc enim præsumitur esse illius intentio, ut si sibi prodesse non possit, prosit his,
7. *March. Trib. t. 2. q. 2. dub. 2.* 7. Si primò intendas applicare Paulo, ex pòst autem applices Petro, si id facis memor prioris intentionis, hoc ipso eam revocas, & valet secunda. Si applices alteri, immemor prioris, vide an sit specialis causa mutandi, v. g. repentina necessitas, datio stipendii, &c. si sic, prævalet secunda, secùs prima, in praxi certò satisfeciisti pro uno, hinc aliam offer pro eo, cui non est satisfactum, & utrique certò satisfacis. Qualiter applicatio fieri debeat, si stipendia collecta sint à diversis, dicam inf. *q. 7.* 8. Sacerdos jussus à Superiore Missam applicare Titio, si applicet Cajo, peccat contra obedientiam, valet tamen applicatio, quia applicare & consecrare sunt actus Ordinis, qui fieri possunt à solo Ministro; non potest tamen pro tali Missa accipi stipendium, quia dans fortè frustrabitur fructu, quia *Navar. Ledesm.* probabiliter negant ejusmodi applicationem valere. 9. In 8.
Missa gratuita potest Sacerdos fructus dividere, applicando v. g. fructum meritorium & satisfactorium justo, impetratorium peccatori, *Henriq. Dian. p. 9. t. 2. R. 8. Gobat de Sacrif. n 141.* Ratio est, quia nemini fit injuria, & illi fructus sæpè ex se sic dividuntur, quando scilicet uni omnes applicari non possunt, sicut peccatori solus impetratorius applicari potest, ergo etiam dividi poterunt à Sacerdote: Si tamen simpliciter alicui Missam etiam gratuitò promisisti, non limitando ad certum fructum, teneris ei omnes fructus, si capax sit, applicare, hoc enim intelligitur per promissionem absolutam; econtrà si ad certum finem promisisti, vel etiam vovisti Deo v. g. vel B. V. Sacrum in gratiarum actionem pro obtenta sanitate, potes fructum satisfactorium & impetratorium tibi, vel alteri, aut defunctis applicare. Idem est, si Superior tibi mandet Sacrificium ad certum finem, v. g. ad impetrandam pluviam, fertilitatem, &c. *Tamb. Gob. n. 157.* Econtrà si obligeris ex stipendio vel fundatione, debes danti vel fundatori totum fructum applicare, aut si his ex toto prodesse non possit, sub conditione offerre pro eorum consanguineis, vel iis, quibus maximè obligati sunt, quia hæc videtur esse eorum mens, ùt dixi suprà. 10. Si applices Missam 9.

pro aliquo tanquam mortuo, qui tamen adhuc vivit, vel econtrà, adhuc prodest applicatio secundùm fructum vivo vel mortuo applicabilem; quia Deus eum confert pro exigentia necessitatis juxtà interpretativam tuam intentionem, *Rayn. La Croix n.216.* 10. 11. Si applicatio sit incerta, aut tantùm probabiliter valida, non satisfacis, si Missa sit obligatoria, quia applicatio incerta non satisfacit pro obligatione certa, *Pasq. q. 187.* 11. 12. In Die Animarum consuetudo habet, ut Missa applicetur omnibus animabus purgantibus, & earum calamitas hoc postulat, sed non est obligatio, quia Missa potest omitti, ergo & non applicari. Missæ neo-presbyteris ab Episcopo imponi solitæ ad summum obligant sub levi, & juxta *Rubricas* applicatio est libera, exceptâ Missâ pro defunctis. Neomysta consecrans cum Episcopo, non potest pro ea accipere stipendium, quia applicatio est incerta, quia incertum est, an finiat cum Episcopo & verè consecret.

QUÆR. V. An & quoties Parochus obligetur pro suis Parochianis Missam applicare?

12. R. Magna quoad hoc olim inter DD. fuit controversia. *Barb. de off. Paroch. p.1. c.11. n.10.* cum aliis volebat, Parochos teneri aliquoties juxta boni viri arbitrium suis ovibus Missam applicare. *Suar. Nav. Vasq. Lugo, Laym. Metzg. Sannig. dist.5. q.8. n.3. Gob. de Sacrif. n.402.* dicebant, Parochum vi officii nunquam obligari Missam Parochianis applicare, sed satisfacere muneri suo, si Missam illis diebus, quibus populus audire tenetur, legat, etsi sibi vel alteri applicet accepto stipendio; ratio eorum erat, quòd consuetudo esset contraria vel maximè quoad Episcopos & Superiores Regularium, qui tamen verè sunt animarum curatores; & *Trid.* videtur tantùm loqui de fructu generali, non speciali. Sed his controversiis finem imposuerunt variæ *Declarationes Cardinalium*, & in specie de Anno 1681. 1692. 18. Novembr. 1702. & 31. Maji 1704. apud *Reiffenst. l.3. Decret. t.41. a.n.22. Schmaltzgruber ibid. a.n.104.* quibus declaratur: *Parochos teneri pro parochianis Sacrificium applicare, atque eâ cum distinctione, ut si reditus pingues sint, singulis diebus; si verò tenues, saltem festivis diebus*, ita ut ea nec sibi aut alteri applicare, nec pro iis stipendium valeant recipere. Ratio sumitur 1. ex Trid. *sess. 23. de refor. c.1.* ubi id supponit, dicens: *Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, & pro his Sacrificium offerre*, &c. NB. *Trid.* non ait, curatos teneri *coram illis*, ut Missam audiant, sed *pro illis offerre*, id est, applicare, non fructum generalem, quia hic debetur toti Ecclesiæ etiam à Sacerdote non curato, nec est in potestate Sacerdotis, ut sup. dixi: ergo fructum specialem. 2. Id videtur exigere justitia naturalis, cùm Parochus illum in finem à suis habeat sustentationem & salarium, & acceptando officium pastorale ad hoc se tacitè obligârit, ideóque *Reiffenst.* di-

dicit, id nunc planè esse certum, & contrarium facientes non esse tutos in conscientia. *Sed petes:* Quinam hîc dicantur reditus pingues aut tenues? R. *Pingues* censentur, si tales sint, ut ex iis honestè & facillimè Parochus sustentari possit, etiamsi non multum supersit; qualiter autem talis debeat indies Missam applicare Parochianis, statim explicabo. Reditus *tenues* sunt, ex quibus Parochus ægrè, difficulter vel insufficienter alitur, talis tantùm tenetur Missam suis applicare diebus Dominicis & festis; aliis diebus poterit recipere stipendium.

*Dices* 1. Tales Declarationes hîc non sunt promulgatæ. 2. De iis non constat in forma authentica. 3. Non sunt usu receptæ vel contrariâ consuetudine abrogatæ. 4. Nimis durum est Parochum habentem pingues reditus indies obligari applicare suis Sacrificium, tum quia non obligatur indies sacrificare, ergo nec suis indies applicare; tum quia sic non posset unquam applicare sibi, amicis, vel consanguineis, imò nec Missas vel anniversaria facere pro certis ex Parochia defunctis, quia his applicando fraudaret cæteros fructu. R. ad 1. Declarationes non important novam legem, sed declarant antiquam in *Trid.* contentam, ideóque sufficit hanc fuisse promulgatam, ut dixi *Cas. 5. n. 16. Ad* 2. Sufficit, quòd de iis moraliter certò constet ex fama vel libris. *Ad* 3. Est lex Divina, ùt expressè dicit *Trid. l. cit.* quam interpretes Trid. solùm explicant, sed lex Divina recipi debet, & consuetudine abrogari non potest, *c. fin. de consuet.* & pro certo habent omnes Theologi & Canonistæ. *Ad* 4. Illa lex non est ita rigidè accipienda, ut Parochus absolutè singulis diebus obligetur sacrificare & suis applicare; sed tunc quando commodè celebrare potest, & non est obligatus pro funere anniversario fundatoribus vel propinquis, ita ut si Parochus habens pingues reditus etiam ex devotione celebrare voluerit, non possit unquam accipere stipendium, sed ea relinquere Sacellanis aliísque Sacerdotibus liberis, *Reiffenst. Schmaltzgr. l. c.* Væ etiam Parochis opulentis, qui pro pauperibus jura solvere non potentibus nequidem Sacrum funebre facere volunt, aut si faciant, funeralia aliaque jura etiam ab egentissimis rigidè extorquent, quia *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam, Jac. 2.* Et illum in finem habent à communitate largiores reditus, ne opus sit gravare egenos.

QUÆR. VI. Quid circa onera Missarum recipienda vel reducenda?

R. I. Urban. VIII. 21. Jun. 1625. & Inn. XII. 23. Decemb. 1697. 13. districtè prohibent, *Ne Episcopi in Diœcesana Synodo aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum post Conc. Trid. aut in limine fundationis imposita, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur;* moderationes aliter factæ declarantur nullæ & inanes. *Insuper prohibetur, ne imposterum*

*onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſæculares quidem ſine Epiſcopi vel ejus generalis Vicarii, Regulares verò ſine Generalis vel Provincialis conſenſu & licentia in ſcriptis & gratis concedenda; alioquin ſæcularis, qui hujuſmodi prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo; Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda vocisque activæ & paſſivæ abſque alia declaratione incurrat.* Super qua Conſtitutione poſtmodum varia formata ſunt dubia, ſuper quibus *S. Congregatio* ſub eodem Urb. VIII. declaravit *ſeqq.* 1. *Si legatum* pro Miſſis *ſit adeò tenue., ut non ſit qui velit onus injunctum ſubire, & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam, totum aut ferè totum inſumetur pro expenſis.* Reſpondit adhuc eſſe recurrendum ad S. Sedem, quæ *abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe judicaverit; verumtamen ſi in ipſa beneficii erectione expreſsè cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, legem hanc eſſe validam & obſervandam.* 2. Si Monaſteria, Collegia, &c. pro pluribus Miſſis incongrua & exigua ſtipendia ſuſceperint, debent legere tot Miſſas, quot à dante ſtipendia præſcriptæ fuerint; quòd ſi hic numerum Miſſarum non præſcripſerit, tunc tot celebrari debent, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem Civitatis vel Provinciæ. 3. Si Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam, & Sacerdotes nihilominùs liberè acceptent minùs congruam, tenentur tot Miſſas legere, quot petiit dans eleemoſynam. 4. *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii ſeu Capellæ, legati aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſunt eâdem Miſſâ utrique obligationi ſatisfacere.* Excipe, niſi ex fundatione vel aliunde conſtet, quòd fundatores Capellanis aut beneficiatis reliquerint intentionem liberam, *Barb. Donatus, Schmalzg. n. 109.* Sed de hoc plura dicam q. 8. 5. Si teſtator relinquat, ut pro ejus anima celebrentur centum Miſſæ abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ, Epiſcopi erit eleemoſynam præſcribere, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum. 6. Declarat omnia privilegia de reducendis Miſſis eſſe revocata quoad reductionem Miſſarum poſt privilegium (in *Trid.* conceſſum) receptarum. 7. Eccleſiæ vel loca pia de 14.
eleemoſynis Miſſarum nihil retinere poſſunt titulo expenſarum, (id eſt, pro cereis, vino, paramentis, &c.) niſi pro his alios non habeant reditus, & nihilominùs tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynam; quod *Laym. Tamb. Sporer n. 371.* extendunt ad privatum collectorem ſtipendiorum, ut nihil ex iis retinere poſſit; nihilominùs valde probabiliter cum conſenſu Sacerdotum exiguum quid de qualibet Miſſa pro labore retinere poteſt, modò obinde non minuatur Miſſarum numerus, *Sot. Rodriq. Vaſq. Tamb. Dicaſt. Paſq. q. 977.* quia ille labor utilis eſt legentibus & petentibus

Miſ-

Missas, neque tenetur eum gratis subire; econtra hæres, cui à morituro committuntur v. g. 100. Imperiales pro Missis, nihil sibi ex iis retinere potest; si nullum stipendium à defuncto determinatum sit, debet dare non indignum defuncto: si Missas commisit Sacerdoti, quem credebat probum & fidelem, satisfecit, etsi ex pòst dubitet an lectæ sint, quia defunctus non censetur ad plus eum obligâsse, *Bardi, La Croix n. 149.* 8. Qui ratione beneficii obligatur celebrare, si per alium celebret, non tenetur dare stipendium juxta reditus beneficii, sed sufficit dare congruum ad morem patriæ. Super dubio nono nihil reperitur declaratum. 10. Sacerdos, qui accepit eleemosynam solito majorem, si alteri Missam committat, *debet dare absolutè integram, nec ullam illius partem sibi retinere potest:* coincidit Prop. 9. ab Alex. VII. damnata: *Potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.* Quare retinens partem stipendii, tenetur saltem ex lege Ecclesiæ ad restitutionem vel legenti Missas, vel danti stipendium, quia non est titulus retinendi. *Nec obstat*, quòd substitutus censeatur illam partem remittere, *quia* hoc communiter fit coactè ex metu, ne Missæ subtrahantur; si tamen ratione fundationis Missæ perpetuæ, vel ex peculiari affectu erga tuam personam tibi detur stipendium largius solitô, putà quia pauper, amicus vel consanguineus es, relictâ facultate etiam per alium æquè dignum legendi, (quod semper suppono) satis est dare consuetum, quia reliquum tibi datum est non intuitu Missæ, sed ratione fundationis, paupertatis vel amicitiæ, *Bonac. Lug. Tamb. l. c.* 11. Prohibentur recipi stipendia, pro quibus intra modicum tempus satisfieri non potest; nisi 12. Stipendium offerentes consentiant, &c. si ipsas declarationes & tenorem Decreti Urb. VIII. desideres, vide *Reiffenst. sup. a. n. 30. La Croix a. n. 63.*

15. 11. Circa præfatum decretum *Urb.* & *Declarationes Cardin.* tenenda sunt seqq. 1. Prohibetur sola reductio Missarum vel anniversariorum post Trid. vel in limine fundationis impositorum, ideóque Episcopi in Synodo Diœcesana, & Generales Ordinum in Capitulo Generali alia Missarum vel Anniversariorum onera adhuc reducere & moderari possunt, prout illis expressè concessit *Trid. Sess. 23. c. 4. de reform.* Modò ea, quæ eum in finem relicta sunt, sint insufficientia, & non perierint eorum culpâ, nec ab Episcopo aut Prælato cum scitu Capituli in alios usus sint conversa. In locis in quibus Synodi Diœcesanæ rarò celebrantur velut in Germania, Episcopos etiam extra Synodum Missas, Anniversaria & Præbendas ex causa minuere posse, cum *Monet. Nav. Barb. & Wiestner* affirmat *Schmalzg. n. 149.* & ita habere praxin testatur *Gob. tr. 3. a. n. 589.* 3. Si fiat reductio, potiùs Anniversaria in Missas, quàm Missæ in Anniversaria mutanda sunt, ut declaravit *S. Cong.* apud

*Fagn. in c. 12. de conſt. n. 34.* Et eorum benefactorum, quorum anniverſaria vel Miſſæ minuuntur vel conjunguntur, commemoratio facienda eſt, *Trid. l. c.* Plura in reductionibus obſervanda vide apud *Paſq. q. 1162. & ſeqq.* 4. Memorata decreta etſi ſanctè ſint obſervanda, poteſt tamen iis per contrariam conſuetudinem derogari, & reverà ubique integrè recepta non eſſe teſtatur *Garc. p. 7. de benef. c. 1. n. 136. Caſtropalao t. 22. d. un. p. 15. Wieſtner n. 591.* & in ſpecie de Germania teſtatur *Gobat* ſup. & ad derogandum hujuſmodi declarationibus ſicut & aliis legibus Eccleſiaſticis ſufficere decen-
16. nium, dixi *Caſ. 5. n. 14.* 5. Si certò conſtet, quòd ea, quæ pro celebratione Miſſarum vel Anniverſariorum relicta ſunt, abſque culpa Prælati, Eccleſiæ, vel Monaſterii perierint ex toto, ita ut illorum intuitu nihil percipiatur, Miſſæ & Anniverſaria abſque reductione omitti poſſunt, *Fraxinel. Riccius, Bordon. Pelliz. Donatus, Monacel. p. 2. tit. 13. forma 2.* ubi adducit Declarationes S. Congreg. de 7. Aug. 1687. & 8. Aug. 1705. quos citant & ſequuntur *Wieſtner. l. 3. t. 41. n. 70. Schmalzgr. ibid. n. 137. Leuren. l. 3. q. 977.* Ratio eſt, quia *dignus eſt operarius mercede ſua, Luc. 10.* & beneficium datur propter officium: ergo ceſſante beneficio etiam ceſſat officium.

QUÆR. VII. Quid circa Miſſas ſtipendiatas?

17. R. Circa hæc plura jam dixi Q. præced. quibus adde ſeqq. 1. Acceptans ſtipendium obligatur ex juſtitia Miſſam applicare ad intentionem dantis, quia intercedit pactum, *do ut facias.* Si plura à diverſis accepiſti ſtipendia, applica primò illi, qui majorem habet prærogativam juſtitiæ vel congruentiæ; certum eſt enim aliquem à parte rei ex juſtitia vel ſaltem ex congruentia eſſe præferendum, eò quòd fortè prius dederit, vel ſit in majori neceſſitate, &c. Difficilior eſt applicatio, ſi tertius v. g. Sacriſtanus à diverſis ſtipendia collegit, & pecuniam in unum confuſam diverſis diſtribuat Sacerdotibus; ſi enim omnes applicent primò ei qui habet præferentiam juſtitiæ, vel eſt in majori neceſſitate, hic accipiet ab omnibus integram Miſſam, cùm fortè unum tantùm dedit ſtipendium. Si quamlibet Miſſam æqualiter applicent omnibus, à quibus ſtipendia collecta ſunt, fiet injuria illi qui plura dedit ſtipendia, quia non plus participat quàm qui ſolùm dedit unum; ſi ſimul applicent omnibus, ſed pro rata collatæ à ſingulis pecuniæ, fiet injuria illi, cui ob jus præferentiæ prima Miſſa debetur integra, & per ejuſmodi applicationem non ſatisfieri docent plures cum *Paſq. n. 95.* ideóque ſaltem eſt incerta, etiam ex eo quia non omnes petunt ad eundem finem. Si *dicas:* Debent applicare eo modo, quo id ex juſtitia optimè fieri poteſt & debet. *Contrà* eſt, quòd ſic in poſito caſu nulli applicari poſſit; vel enim applicaretur omnibus, vel alicui determinatè; neutrum autem juſtè fieri poſſe probatum eſt, neque validè applicatur uni indeterminatè; quia

ſicut

ſicut ex multis hoſtiis non poteſt una indeterminatè conſecrari, ut fatentur omnes, ſic nec uni ex multis indeterminatè applicari Sacrificium. Igitur in praxi collector debet curare, ut ſtipendia non confundantur, & quilibet Sacerdos legat determinatè pro iis, quorum ſtipendia accepit; ſi pecuniæ jam mixtæ ſunt, debet collector determinare, pro quibus quilibet Sacerdos legere debeat, dicendo v. g. Sacerdos A. legat pro decem primam prærogativam habentibus. Sacerdos B. legat pro ſubſequentibus
18. decem, & ſic deinceps. 2. Per ſtipendium hîc intelligitur aliquid temporale, quod datur pro totali vel partiali ſuſtentatione Sacerdotis; nec refert, quòd aliunde habeat media ſufficientia vivendi; nam etiam ex hac actione ei debetur ſuſtentatio, juxta illud 1 ad Corinth. 9. *Qui Altari ſerviunt, de Altari participent.* Ratio à priori eſt, quòd populus jure naturæ obligetur DEO tanquam ſupremo Domino offerre Sacrificium; cùm ergo hoc per ſe ipſum non poſſit, tenetur illum in finem alere Sacerdotes. Dico, pro ſuſtentatione. Nam dare temporale pro Miſſa tanquam pretium ſeu æquivalens rei ſpirituali, eſt ſimonia; ſi adjunctus ſit labor extraordinarius, v.g. Sacerdos, debet maturiùs ſurgere, longiùs ire, diutiùs canere, poſſet plus peti, quia talis labor eſt extrinſecus & pretio æſtimabilis; & quamvis pro ſtipendio tantum acceptari poſſit, quantum pia fidelium liberalitas obtulerit, tamen plus exigi non poteſt nec debet, quàm conſuetudo aut ordinatio Epiſcopi pro more civitatis vel provinciæ permiſerit, *Nav. Bonac. Gobat n. 557.* Nec obſtat, quòd Sacerdos indigeat, & victualia ſint cara; nam etiam pecunia tunc eſt pretioſior, inquit *Spor. n. 359.* 3. Alex. VII. damnavit hanc 19.
8. Prop. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem.* Ratio damnationis eſt, quòd hic fructus probabiliùs alteri applicari non poſſit, ideóque fit injuria ſtipendium offerenti; nec poteſt Sacerdos duplex ſtipendium accipere ex eo, quòd uni applicet fructum ex opere operato, alteri ex opere operantis; uni Miſſam, alteri indulgentias v.g. Altaris privilegiati; quia dans ſtipendium petit ſibi applicari utrumque fructum, & petens legi in Altari privilegiato, etiam petit applicari indulgentias, *Tamb. Steph. t. 5. d. 5. n. 65.* Neque licet diſtincta ſtipendia accipere, quia uni applicatur fructus ſatisfactorius, alteri ſatisfactorius, quia totus fructus debetur pro quolibet ſtipendio, niſi dantes expreſsè conſentiant; tunc enim etiam aliquid accipi poſſet pro adhibenda majori devotione vel pluribus collectis, *Spor. n. 264.* In praxi tamen id non conſulerem ob notam turpis avaritiæ. 4. An Eccleſia vel 20.
Sacerdos alteri Miſſas committens aliquid de ſtipendio retinere poſſit, dixi ſup. *n. 14.* 5. Idem Alex. damnavit Prop. 10. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere,*

*pere, & unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Quòd si stipendia sint minora solitò, debes vel ea non acceptâre, vel post acceptationem tot legere Missas, quot petuntur, quia acceptando te ad hoc obligas, ut certum est ex declaratione Cardinal. supr. Si tamen tibi ignoranti vel per fraudem stipendium incomperens vel pecunia adulterina data fuerit, non teneris nisi pro rata stipendii; reliquum fructum tibi vel alteri applicare poteris, *Suar. Tann. Dian. p. 2. t. 14. R. 7.* 6. Omittere
21. unam vel plures Missas gratuitò promissas per se tantùm peccat venialiter, *Cajet. Suar. Sanch. l. 1. de mat. d. 5. n. 25. Dian. p. 2. t. 17. misc. R. 9.* Ratio est, quia obligatur ex sola fidelitate, cujus violatio ex se tantùm est culpa venialis, ut dixi *Cas. 51. n 2.* Per accidens tamen potest esse obligatio gravis ex justitia, ut si quis se ita obligare velit, aut promissionem vestiat juramento, adhibitione testium, &c. 7. Omittere unicam Missam stipendiatam probabiliùs tantùm videtur veniale, nisi stipendium, quod injustè retines, sit materia gravis furti. Ita multi contra multos. Ratio est, quòd Sacerdos non censeatur se graviùs velle obligare, quàm hîc & nunc tenetur se obligare vi contractûs; sed vi hujus non tenetur se plus obligare quàm sub veniali, quia justitia non exigit nisi æqualem obligationem in utroque contrahente; cùm ergo promittens stipendium non obligetur nisi sub veniali, etiam Sacerdos plus non obligabitur. Nec obstat, quòd una Missa sit materia gravis; nam nec vult, nec tenetur se ad eam obligare graviter; hinc à potiori non peccat graviter, qui Missam plus æquo differt; attendendæ tamen sunt circumstantiæ, nam parum differri debent Missæ defunctorum, adhuc minùs Missæ pro præsenti necessitate, v. g. pro periclitante ex partu vel infirmitate, *Gobat n. 597. Steph. n. 69.* Qui omisit Missas stipendiatas, vel plures assumpsit quàm legere possit, debet reddere stipendia, vel per alios legere; si stipendia consumpsit, nec habeat unde restituat, debet Missas petere gratis, si habere possit, debet offerre pro iis bona opera, jejunia, Orationes & Missas quotidianas, quantum sine præjudicio aliorum fieri potest: si cesset finis Missæ neglectæ, v. g. ægrotus, pro quo legere debebas, jam mortuus est, non potes ex pòst supplere, nisi dans stipendium consentiat, ut ad alium finem legas, sed debes stipendium reddere.

QUÆR. VIII. Quid de legenda certa Missa in certo loco & tempore per se ipsum?

R. 1. Si patiantur Rubricæ, sub ve- 22.
niali legenda est Missa quæ petitur, v. g. de requiem, quia magis prodest defunctis ob Orationes speciales, *Pasq. q. 287.* Si per Rubricas non sit licitum legere talem Missam, qualis petita est, legi debet à Rubricis præscripta, per quam obtinetur omnis indulgentia, quæ obtinetur per Missam de requiem in Altari v. g. privilegia-

legiato, ut statuerunt *Alex. VII.* 5. Aug. 1661. *Clem. IX.* 23. Sept. 1669. ut sic nulla esset causa rationabilis mutandi ritum ab Ecclesia præscriptum. 2. Qui accepit stipen-
23. dium, ut legat certo loco & tempore, ita ut locus & tempus per se intendantur, v. g. petit quis Missam in Altari privilegiato propter indulgentias, ad statuam miraculosam, die Jovis in honorem Ven. Sacramenti, in Sacello, ut populus habeat Missam, &c. non potest retineri stipendium, nisi legatur tempore & loco præscripto, & petens aliter non intendit à se abdicare dominium stipendii. *Neque obstat*, quòd Missa alibi facta applicetur petenti; *nam* hoc fit contra ejus voluntatem; & sicut contra meam voluntatem in horto meo laboranti non debetur merces, ita nec hîc stipendium. 3. In anno sexies & juxta *Pasq.* vigesies mutare locum aut tempus, non est mortale, nisi cedat in grave damnum vel incommodum, ut si Missæ pro defunctis non fierent in Altari privilegiato, vel populus non haberet Missam. Causa rationabilis mutandi locum aut tempus secluso alio incommodo est, si inveniat Altare occupatum; si desit aliquod requisitum ad Missam, deberétque nimis diu expectare; si velit adesse primitiis, visitare amicum, *Lugo, Less. La Croix L. 4. n. 824.* De indulgentiis Altaris privilegiati dicam *Cas. 102. q. 8.* 4. Qui ex fundatio-
24. ne obligatur legere omni die, potest semel in septimana ex reverentia abstinere, quia fundator non præsumitur tam strictè obligare, *Sanch. Sannig. d. 9. q. 8. n. 5. Dian. p. 5. t. 6. R. 15. Tamb. de Sacrif. l. 2. c. 3.* Si tamen legat, non potest accipere stipendium, neque sibi vel alteri gratis applicare, nisi fortè quinquies in anno, juxta *Gobat*, quia plus præsumi non potest permittere fundator. 5. Qui obligatur 25.
omni die Jovis & Sabbathi in honorem v. g. Ven. Sacramenti & B. M. V. Si omittat, non tenetur alio die supplere, quia Missæ annexæ sunt diei, *Lugo d. 21. n. 43. Dicast. t. 5. d. 9.* Item talis non obligabitur in hebdomade sancta, quia potest se accommodare consuetudini Ecclesiæ; si tamen legat, debet applicare fundationi. 5. Obli- 26.
gatus omni mense legere 15. Sacra, satisfacit pro mense sequente, si modò legat 30. nisi ex speciali motivo intendantur singulis mensibus, v. g. ut populus diu non careat Missâ, vel ut Missæ prosint morituris &c. *Bey. Gob. n. 602. 6.* Si fundatio jubeat cele- 27.
brare, quoties salvâ honestate cum debita devotione fieri potest, probabiliter excusatur, qui in gravi passione iræ, tristitiæ, tædii, &c. animum componere non potest, aut patitur capitis dolores, cruditates stomachi; imò *Nav. Sannig. l. c.* docent, obligatum aliquoties in septimana, si unâ alterâve septimanâ, vel ut volunt *Lug. & Laym.* etiam per mensem infirmetur, non teneri ex post compensare, rario est voluntas præsumpta fundatorum, eò quòd & domini temporales ob brevem infirmitatem non soleant aliquid subtrahere de mercede famuli. 7. Si scias te obligari, sed 28.

ignores quoties, eò quòd litteræ fundationis sint amissæ, vel id non exprimant, vide quid antecessores fecerint, vel quæ sit consuetudo, aut quid faciant alii simile beneficium habentes, & idem fac; si nec sic rescire possis, tot sunt legendæ, quot Ordinarius pro more civitatis vel provinciæ præscripserit, ita declaravit *S. Congreg.* apud *Matthæuc. de off. Eccl. c. 10. n. 13.* 8. Si fundatio habeat, ut Sacellanus vel beneficiatus tot legat Missas in tali loco in honorem Sancti ad commoditatem populi, non exprimendo, ad quam intentionem, *Schmalzgr. n. 113.* cum multis dicit, applicationem esse liberam; sed contrarium declaravit *S. Congreg.* apud *Pign. t. 1. cons. 139. Matthæucc. sup.* quòd scilicet applicari debeat fundatori, quando non exprimit se intentionem relinquere liberam, quia fundatores ordinariè volunt, sibi, vel suis applicari, ideóque id etiam in dubio præsumitur, sicut si quis det stipendium, ut legatur in isto loco, ut populus, vel Moniales Missam audiant; hoc ipso censetur etiam sibi velle applicari fructum, & legens non potest pro tali Missa aliud stipendium accipere, ut declaravit S. Congreg. apud
29. *Gob. n. 549.* 9. Si plurimæ Missæ fiant in ara, in qua est corpus Sancti, ita ut Missæ in ea fundatæ difficulter legi queant, possunt legi in Altari vicino cum imagine ejus Sancti, *Pign. t. 9. cons. 80.* quia idem est fructus Missæ, & cultus Sancti, qui est finis fundationis, sic potiùs augetur, quàm minuitur, & fit interpretatio, non mutatio fundationis. Idem dicit *Pign.* de eo, qui acceptâ eleemosynâ obligatur in Altari privilegiato, quia eleemosyna acceptata est sub tacita conditione: Si in loco petito commodè legi possint. 10. Si fundatio 30.
non exprimat, an Missæ legi debeant per se ipsum, an per alium, satisfacit, si legat per alium; quia *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum, Reg. 68. & 72. Juris in 6.* In dubio attendi debent circumstantiæ & observatio temporis præteriti, *Luca d. 58. n. 8.* Et quamvis fundatio in beneficiato requirat *Sacerdotium & personalem residentiam*, adhuc non tenetur celebrare per se ipsum, quia ista verba plus non significant quàm desiderium fundatoris, ut beneficiatus aptus sit celebrare per se ipsum. Et ita resolvit *S. Cong.* apud *Lugo d. 6. n. 10.* 11. Qui obligatur legere *per se ipsum*, si legitimè impediatur, non tenetur supplere per alium, secùs si obligetur per se vel per alium, quia tunc ex præsumpta fundatoris voluntate obligatio per impedimentum non extinguitur, *Castropalao, La Croix n. 820.* 12. *Si in fundatione cautum sit, ut Capellanus per se ipsum celebret Missas, simplici adhuc conferri potest Clerico in ea ætate constituto, ut intra annum ad Sacerdotium promoveri queat, S. Congreg. Leur. p. 2. q. 162. n. 3.* 13. Simplex Sacerdos vi Ordinis tenetur aliquoties in anno celebrare, *S. Thom. 3. p. q. 82. a. 10. Sannig. Henao d. 80. n. 9.* Ratio est communis Ecclesiæ sensus. Et *Trid. sess. 27. c. 1.* dicit, Christum Apostolis & Sacerdotibus eorum successoribus id

id præcepisse per verba: *Hoc facite*, &c. probabile tamen est cum *S. Bonav. Cajet.* hoc præceptum datum esse communitati Sacerdotum, non autem singulis. Deinde simplex Sacerdos tenetur celebrare, quando ipse vel populus die obligato aliter Missam audire non potest; hoc enim requirit ejus officium, *Sennyei q. 54.*

## CASUS XCIV.

### De tempore & loco, & cæteris ad Missam requisitis.

GAbius Sacerdos dubitat: 1. *Quâ horâ manè Missam inchoare possit.* 2. *An in nocte Nativitatis possit legere omnes tres.* 3. *An post meridiem, an in hoc cum suis dispensare possint Superiores Regularium.* 4. *An Matutinæ præmittendæ.* 5. *An liceat legere die Jovis, Veneris & Sabbatho S.* 6. *An sæpiùs eodem die, & ex quibus causis.* 7. *An & quando liceat Missam ab-vel interrumpere.* 8. *Quando liceat legere extra Ecclesiam.* 9. *An in cubiculo infirmi.* 10. *Quid hîc possint Episcopi vel Regulares.* 11. *Quid de Ecclesia execrata vel polluta.* 12. *An casus polluentes debeant esse publici, an polluant Oratoria.* 13. *An pollutâ vel execratâ Ecclesiâ polluatur Altare & cœmiterium, an reconcilietur per celebrationem Missæ.* 14. *Quid agendum de lignis vel lapidibus Ecclesiæ destructæ.* 15. *Cujus sit Ecclesias consecrare, benedicere, reconciliare.* 16. *An Episcopi dare possint licentiam celebrandi in privatis Oratoriis.* 17. *Quid de Oratoriis Regularium.* 18. 19. 20. 21. 22. *Sæcularium.* 23. *Quid circa Altaris formam.* 24. *Consecrationem.* 25. *Execrationem.* 26. 27. *Quid circa materiam, consecrationem, attactum, execrationem patenæ, calicis, ciborii, Monstrantiæ.* 28. *Quid circa benedictionem & execrationem paramentorum.* 29. *An aliquando sine iis celebrare liceat.* 30. *Quid de eorum colore.* 31. *Quid de mappa, antipendio, Cruce.* 32. *Lumine, Missali, Ministro.* 33. *An liceat celebrare nudis pedibus, tecto capite, vel cum parucca.* 34. *Quid de campanis.* 35. *Qualis Missa legi debeat, de quo Sancto.* 36. *Quid de Missis votivis & de requiem.* 37. *Quale peccatum sit hic aliquid omittere vel mutare.* 38. *Accelerare, nimis submissè vel altè recitare.* Pro Resolutione

QUÆR. 1. Quâ horâ celebrandum?

Ꝛ. 1. Tempus licitè celebrandi juxta Rubricas incipit ab aurora usque ad meridiem. Aurora autem hîc non sumitur mathematicè, sed moraliter pro sesqui hora ante Solis ortum: imò Missam regulariter duabus horis ante ortum Solis inchoari posse docent *Rodriq. Suar. d. 80. s. 6. Tamb. de Sacrif. l. 1. c. 6.* Unde cùm teste *Rodriq. qq. reg. q. 33.* Religiosi habeant privilegium, ut unâ horâ tempus 1.

ordinarium prævenire & sequi possint, his licitum erit tribus horis ante ortum Solis Missam inchoare, ita ut si Sol in æstate oriatur horâ quartâ, legere possint primâ noctis. 2. Etiam alii Sacerdotes auroram *ex justa causa* prævenire possunt, ut si consecrandum sit pro morituro viaticum, die festo itinerandum, nec seriùs commodè legi possit, si in magna solemnitate aliàs non possent dici omnes Missæ, item ut famuli, opifices in hyeme ante laborem Missam audiant, & ita in civitatibus Germaniæ habere consuetudinem testatur *Laym. hic c. 4. n. 3.* 3. Etsi communis cum *Pign. t. 7. cons. 25.* teneat, & *S. Congregatio* 2. sæpè declaraverit, quòd in Nativitate Domini omnes tres Missæ non debeant dici de nocte, nec distribui Communio; contrarium tamen habet consuetudo, quæ cum *Gavanto* non videtur improbanda, si ob numerum Sacerdotum alioquin omnes Missæ commodè dici non possent. 4. *Sotus, Nav. Dicast. Gobat t. 3. n. 202.* 3. dicunt, Missam saltem ex causa rationabili, putà itineris, festi, Jubilæi, accursus populi, vel ut Princeps Missam audiat, incipi posse ante tertiam pomeridianam, quia olim legebatur vesperi, & contraria consuetudo non est inducta ut obligativa, sed ad majorem commoditatem Sacerdotum & fidelium. *Pius V.* tantùm prohibuit Missas vespertinas, vesper incipit prius horâ tertiâ. Juxta *Sennyei* & communem licet inchoare ante primam pomeridianam, intellige ubi hoc specialiter non est prohibitum, utì graviter prohibitum est in Diœcesi Colonienſi Missam incipere post duodecimam, non autem finire, 5. Possunt Superiores Regularium cum suis dispensare, ut ex rationabili causa tempus celebrandi anticipent vel postponant, quia possunt cum suis, quod Episcopi cum sæcularibus, *Pasq. La Croix n. 225.* 6. Missale præ- 4. scribit, ut Missa non legatur nisi persoluto Matutino cum Laudibus; at non est obligatio saltem gravis, imò nec levis, si adsit aliqualis causa, major v. g. commoditas itineris, studii, &c. Est nunc communis cum *Soto, March. Suar. l. c. Illsung t. 5. n. 36.* quia nullibi reperitur præceptum, & rubricæ hîc tantùm sunt directivæ, vel ad summum obligant sub veniali, nec est specialis connexio vel dependentia Missæ à Matutino.

QUÆR. II. Quibus diebus & quoties liceat celebrare?

℟. I. Per se licet omnibus diebus. 5. Difficultas est de tribus ultimis diebus Quadragesimæ, & quidem 1. Die Jovis S. laudabilis habet consuetudo, ut unus tantùm Superior celebret, & reliqui omnes etiam Sacerdotes more laicorum communicent, ad imitationem Christi & Apostolorum; licitum tamen est etiam aliis celebrare de feria, præsertim accedente aliquâ causâ, ut v. g. populus manè Missam audiat, nulla enim id lege prohibetur, & ita habet consuetudo in Germania, testibus *Tann. Laym. c. 5. n. 9. Dicast. d. 4. n. 28.* & si quod est decretum S. Congreg. in contrarium, id non esse legitimè pro-

promulgatum docet *Lug. d. 10. n. 14. Sennyei* monet, eo die non esse celebrandum post Missam solemnem. Si quis habeat duas parochias, debet sepulchrum erigere in principaliori, vel si in utraque erexit, officium facere in sola principaliori, & alteram hostiam reponere in sacrario. Si utraque Parochia sit populosa & distans, debet uno anno hîc, altero ibi officium facere, *Amicus* apud *Pign. t. 9. conf. 79. n. 15.* 2. Die Veneris sub mortali prohibetur Sacrificium Missæ, quia illo die Ecclesia recolit Sacrificium cruentum in Cruce, *c. Sabbathi, de consec. d. 3.* Neque licet dare Communionem nisi infirmo, *Barb. Dian. p. 4. t. 4. R. 237.* Si Parochus die Jovis non reposuit hostiam pro die Veneris, utatur parvâ consecratâ, si habeat; si non habeat, faciat duas hostias privatim consecrari per alium Sacerdotem, si Sacerdos non adsit, & timeatur grave scandalum, quod aliter evitari non possit, juxta *Gobat, Sporer n. 452.* Ipse Parochus potest manè de Passione vel Cruce privatim consecrare duas majores hostias, reservando unam pro Officio; quamvis enim tunc agat contra duplex præceptum Ecclesiæ de non consecrando & non communicando bis, prævalet tamen præceptum naturale de evitando scandalo. 3. Die Sabbathi una Missa solemnis permittitur, non verò privata nequidem de requiem stante funere, quia *Alex. VII.* 5. Aug. 1662. & *Clem. XI.* 30. Aug. 1706. prohibent Missam de requiem dici in duplici, multò ergo magis die Jovis vel Sabbatho S. quibus etiam triplicia cedunt, ideóque tunc exequiæ differendæ sunt post Octavam Paschæ.

§. II. Olim licebat toties eadem die Missam legere, quoties placebat; nunc solùm unicam legere licet, *c. consuluisti de celeb. Miss.* Excipe 1. diem Nativitatis Domini, in quo permittitur cuilibet Sacerdoti ter consecrare, *c. sufficit, de consec. dist. 1.* Ad hoc tamen nemo tenetur, sicut nemo tenetur tres Missas audire; si quis ex permissione Episcopi soleat consecrare in duabus parochiis, poterit in die Nativitatis facere sex Sacra, *Gobat n. 188.* & qui in uno loco, ubi est novum Calendarium, in Natali Domini celebravit tres, poterit in alio loco, ubi est Calendarium vetus, iterum tres Missas celebrare, utendo privilegio loci; qui tamen semel in Natali celebravit, non potest postea communicare, quia sola pluralitas Sacrificii permittitur. 2. Ordinatus die Nativitatis in Sacerdotem potest duas postea Missas legere, quia non communicavit more laico, sed cum Episcopo. Ordinatus in ultima Missa adhuc potest dicere priores duas, quia ordo ille non ita est necessarius, ut ex rationabili causa mutari non possit. 3. Si unus vel alter pastor vicinus sit ægrotus vel absens, potest alius bis vel ter, si opus fuerit, consecrare, nec requiritur major causa pro tertia, quàm pro secunda Missa; idem alii permittunt die feriali in accursu populi, adventu Magnatis, aut Principis; sed attendenda est con- 6.

suetudo & ordinatio Episcopi; Religiosis sufficit licentia suorum Superiorum, *Pasq. q. 392.* Si ad Superiorem recurri non possit, prudens quisque potest de causa judicare. 4. Si desit hostia pro viatico moribundi, licebit Sacerdoti etiam non jejuno secundò celebrare, communissima apud *Tamb. l. 4. c. 6. §. 8. Leand. hic n. 447.* Si monearis sub primo Sacro, reserva particulam de hostia majore, si hostiam jam sumpseras, sume etiam Sanguinem, & omissâ Purificatione perage reliqua, & de novo incipe Sacrum, si periculum sit, ne ægrotus interim moriatur, intermisso Sacro vade ad eum absolvendum & inungendum, nequaquam licebit consecrare, ut vocant, compendiosè, hoc est, extra Missam, vel unam tantùm speciem; id enim Ecclesia nunquam permittit, *Chapeav. c. 4. q. 20.* 5. Obligatio dicendi Missam conventualem non est ratio sufficiens iterandi, nisi forsan ob periculum scandali die festo; nec sufficit benedictio nuptiarum, quia potest differri vel fieri sine Sacro, neque paupertas Sacerdotis aut Ecclesiæ, *c. sufficit de consec. dist. 1.*

QUÆR. III. Quid de ab- vel interrumpenda Missa?

7. R. Abrumpere Missam cæptam sine causa, est mortale, quia est gravis irreverentia, ideóque abrumpens incurrit suspensionem à Corpore & Sanguine Christi, *c. nullus de consec. dist. 1.* Dixi, *sine causa*; nam justa causa abrumpendi etiam post consecrationem est 1. *Periculum mortis* ex incursu hostium, expedit tunc speciem consecratam sumere, ne inhonoretur, & abire. 2. *Morbus*; si Sacerdos deficiat post unam speciem consecratam, debet alius Sacerdos, etiam non jejunus, si adsit, Sacrificium complere: id enim exigit integritas Sacrificii; si deficiat sumpto sacro Corpore, poterit Calix sumi à Sacerdote, vel reponi in sacrario cras sumendus cum aliis speciebus de novo consecrandis. 3. Si polluatur Ecclesia per notoriam sanguinis effusionem, & Missa adhuc sit ante consecrationem, debet abrumpi; idem est, si Sacerdos recordetur se esse excommunicatum vel suspensum, aut locum esse interdictum, *rubr. §. 8. n. 5.* Si ex abruptione timeatur infamia vel scandalum, ut plerumque timeri potest, si celebretur publicè, semper licet prosequi, *Sennyei, Pasq. q. 194.* Quid agendum illi, qui sub Missa recordatur mortalis, dixi *Cas. 92. n. 33. & 42.* 4. Posse Missam ante oblationem abrumpi, & novam inchoari, ut Cardinalis, Episcopus, Marchio vel Comes superveniens Missam die festo audiat, probabiliter affirmant *Laym. Dicast.* modò non adsit alius Sacerdos, qui Missam legere possit; si enim ex simili causa, juxta plures, liceat iterare Missam, cur non abrumpere? At rectiùs *Sennyei, Pasq. q. 199. Ills. hic n. 108.* dicunt, expedire, ut nihil repetatur; quia ipsa inconvenientia repetitionis satis excusat ab auditione illius partis; multò minùs reperi poterit post Offertorium. 5. Similiter ex justa causa potest Missa *interrumpi* v. g. interponendo ordinationem, concionem,

nem, imò pro dando viatico vel unctione moribundo intra Ecclesiam vel in vicinia potest interrumpi post consecrationem, retentis sacris vestibus, multò magis id licet ad dandam absolutionem etiam remotè extra Ecclesiam, quia necessitas excusat ab omni irreverentia: interim sacræ species vel sunt reponendæ intra sacrarium, vel constituendus qui eas custodiat. *Senn. La Croix n. 248.* dicunt, in posito câsu posse dimidiari confessionem, quod non probo, quia illa brevis mora in audienda integra confessione tantùm prolongat interruptionem jam inchoatam; ergo sicut non licet dimidiare confessionem ob magnum concursum pœnitentium, ut certum est ex Prop. 59. ab *Inn. XI.* damnata, ita minùs hîc.

QUÆR. IV. Quo loco celebrandum?

8. R. Seclusâ necessitate & privilegio, sub mortali celebrandum est in Ecclesia consecrata vel benedicta, non execrata neque polluta, *c. 1. 11. 12. 14. de consec. dist. 1. Trid. sess. 22.*

*Dicitur primò:* Seclusâ necessitate; nam si urgeat necessitas, licet celebrare in alio loco decenti in Altari portatili: Ut 1. si alicubi non sit Ecclesia vel Oratorium ab Ordinario approbatum, vel sint diruta aut combusta, *c. 30. de consec. dist. 1.* 2. Si tempore pestis, belli, vel persecutionum in Ecclesia sine periculo legi non possit, potest legi in privatis domibus, carceribus, vel cryptis subterraneis, uti factum testatur *Baron. ad annum Christi 303. n. 39.* 3. Si templum non capiat populum, potest erigi Altare ante templum, *Laym. Schmalzgrub. l. 3. tit. 40. n. 8.* 4. In bello & castris diebus festis pro militibus, festis & profestis pro Officialibus, *Lugo, Pasq. Dian. p. 9. t. 1. R. 44.* 5. In longa navigatione in littore, aut quieto mari, etiam in navi, modò alius Sacerdos vel Diaconus calicem teneat, ne labatur, quod *Suar. Schmalzgrub.* meritò extendunt etiam ad peregrinationem terrestrem per loca deserta vel infidelium; neque in his casibus opus esse licentiâ Episcopi; sed ipso jure & consuetudine eam concedi docet *Reiffenst. l. 3. t. 41. n. 13.* intellige, si necessitas sit evidens, & non sit facilis ad Episcopum recursus. 6. An verò diuturna infirmitas sit causa sufficiens, ut saltem 9.
Episcopus dispensare possit, ut legatur in privatis ædibus in portatili pro solamine infirmi, post decretum *Clem. XI.* (de quo statim) est valdè incertum, quo statuitur, quòd nec ipsi Episcopi possint in domibus laicorum Missam legere; aut alteri Episcopo id in sua diœcesi permittere, multò ergò minus hoc Episcopus permittere poterit laico; at quia decretum non loquitur de casu necessitatis aut infirmitatis, adhuc probabiliter id concedere poterit Episcopus in tali casu, & ita habet consuetudo & praxis in his partibus.

*Dicitur 2. Seclusso omni privilegio,* 10.
quale olim ex *Can. Missarum de consec. dist. 1.* habebant Episcopi, & Prælati Episcopo majores in quovis loco etiam in domibus laicorum & extra

diœ-

diœcesin erigendi Altare portatile, in eóque legendi; idem potuerunt Franciscani, Prædicatores, & alii cum iis communicantes: & quamvis plurimi apud *Pign. Gobat, Sporer. n.440. Schmalzgr. l.c.* docuerint, hæc privilegia, præsertim Episcoporum, eò quòd sint clausa in Corpore Juris, per *Conc. Trid.* non fuisse revocata, nunc tamen ea, etsi in Corpore Juris clausa, tam pro Episcopis, quàm pro Regularibus esse revocata, certum est ex novissima declaratione *Clem. XI.* die 15. Decemb. 1705. cujus tenorem exhibent *La Croix l.6.p.2. post num. 258. Reiffenst. n.5.* qui *à n.9.* testatur, hoc Decretum in pluribus Germaniæ Episcopatibus, nominatim in Salisburgensi, esse publicatum & receptum.

11. *Dicitur 3.* In Ecclesia non consecrata, neque polluta; nam in his sacrificare, sepelire, vel Officium Divinum facere, est mortale, quia graviter prohibetur per jura cit. Ecclesia execratur, seu amittit consecrationem, quando muri ex majore parte corruerunt, vel ab incendio interiùs majori ex parte sunt devastati, & abrasi, non verò si parietes dealbentur, vel tectum corruat; quia consecratio adhæret parietibus, è contra benedictio adhæret fundamento, ideòque Ecclesia non amittit benedictionem, nisi destruatur authoritate Superioris, & sine spe reædificandi, *Engel. l.3. decret. t.40. Reiffenst. ibid. n.12. Schmalzgr. n.23.* Ecclesia dicitur *pollui*, si in ea fiat actio, propter quam putatur indecens exercere Officium Divinum, quod de jure fieri potest quinque modis: 1. Per effusionem sanguinis humani graviter injuriosam, *c. fin. de consec.* Unde non polluuntur, si effusio fiat ab amente, ebrio, furioso, vel ad justam defensionem, aut non in Ecclesia, sed in porticu, turri, vel subtus in spelunca. 2. Per homicidium culpabiliter vel per sententiam judicis illatum, *c. si motum de consec. dist.1.* non verò per suspendium ad muros Ecclesiæ. 3. Per illicitam effusionem seminis humani, *c. uni de consec. in 6.* 4. Per sepulturam excommunicati denunciati, seu vitandi, quales in Germania non sunt hæretici. 5. Per sepulturam hominis non baptizati; excipitur tamen probabiliter catechumenus, infans parentis Christiani, vel dubiè, vel omninò non baptizati, *Engel. §.2. Pasq. Schmalzg. n.74.* quia tales in odiosis non censentur infideles, & Ecclesia in dubio non censetur polluta. Casus prædicti, ut inducant Ecclesiæ pollutionem, debent esse publici, *Sylvest. Barb. Engel. Reiffenst. l.c. Pirrh. ibid. n.12.* Ratio est, quia quamdiu factum non est publicum, Ecclesia retinet bonam famam suam, ideóque non censetur violata; per prædicta polluitur sola Ecclesia propriè talis, hoc est, locus communis ab Episcopo consecratus vel benedictus, non autem Oratoria privata, quæ in odiosis non censentur Ecclesia, *Suar. Lugo D.20.n.59.* Pollutâ Ecclesiâ polluitur Altare fixum, non portatile; item polluitur cæmiterium contiguum, non è contrà,

12.

13.

*c. un-*

*c. un. de consec. in 6.* Execratâ tamen Ecclesiâ non execratur Altare, quia in hoc unum non est accessorium alterius, *Barb. Schmalzg. n 64.* Ecclesia polluta non reconciliatur per hoc, quòd in ea Missa celebretur, ut contra *Sà* habet communis, sed debet reconciliari ritualiter per Episcopum. In necessitate, ut populus v.g Missam audiat, posset Episcopus dispensare, ut legatur in Ecclesia nondum reconciliata, *Barb. Dian. Delbene*, & plures apud *Leuren. t. 3. q. 954. n. 4.* Si Ecclesia destruatur vel corruat, ligna & lapides converti nequeunt ad privatos laicorum usus; potest tamen ex hujusmodi lignis construi alia Ecclesia, Sacellum vel Capitulum Religiosum, vel etiam ligna in coquina Religiosorum combuti, *Gloss. ad c. quæ semel.* Lapides cum licentia Episcopi vendi possunt ad usus profanos, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, *c. quæ semel 194. 1. Engel. l. 3. t. 48. n 9.* Corpora sepulta in Ecclesia profanata transferri debent ad alium locum benedictum. 14.

15. QUÆR. V. Cujus sit Ecclesias consecrare, benedicere, pollutas reconciliare? &c.

℟. 1. Consecrare Ecclesias de jure est solius Episcopi, *l. nemo. c. nullus de consec. dist. 1.* 2. Abbates & Superiores Regulares, etsi non possint consecrare, possunt tamen vi privilegii à *Leone X.* Fratribus Minoribus, & per communicationem aliis concessi *solemni benedictione benedicere* omnes & singulas *ejusdem Ordinis Ecclesias, cœmiteria, Capitula, & Oratoria ubicunque existentia, Rodriq. t. 1. q. 19. n. 2. Barb. Reiffenst. n. 9. Leuren. n. 5. Schmalzg. n. 16.* & hoc privilegium nullibi esse revocatum cum aliis restatur *Pellizz. to. 2. t. 8. c. 5. n. 67.* 3. Ecclesias pollutas, si prævie fuerint consecratæ, de jure reconciliari possunt à solo Episcopo, *Barb. Pirrh. tit. 40. n. 20.* At vi privilegii memorati possunt Fratres Minores & cum iis communicantes (inter quos sunt Præmonstratenses, ut dixi *Cas. 71. n. 5.*) Ecclesias sibi subjectas quomodocunque violatas etiam priùs consecratas reconciliare, & quidem aqua per ipsosmet benedicta, quando Episcopus distat duabus diætis; (una diæta continet 20. milliaria Italica, seu 4. vel 5. Germanica) si verò duabus diætis non distat, aquâ per Episcopum benedictâ, quâ opus non esse apud *Reiffenst.* docent *Rodriq. Barb.* si Episcopus absit, aut interveniente morte, renunciatione, vel dispositione non existat. 4. Si polluitur Ecclesia, quæ priùs non fuit solemniter consecrata, sed solùm benedicta, vel authoritate Episcopi, vel alterius ad cultum Divinum deputata, tunc potest à quovis Sacerdote non petitâ ab Episcopo licentiâ per aspersionem solius aquæ lustralis ordinariæ denuò reconciliari. Communis & certa, *c. fin. de consec. Leuren. n. 4. 5.* Cœmiteria polluta ab iisdem reconciliantur, à quibus Ecclesiæ, *Sylvest. Pirrh. n. 30.*

QUÆR. VI. Quid circa Oratoria?

16. ℟. 1. Oratorium est locus in privatis ædibus ad cultum Divinum de-

putatus non habens campanam, nec ingressum in via publica, quem si habet, dicitur Sacellum publicum, secùs privatum, quod ad nutum domini redire potest ad usus privatos, *Gobat n. 251.* Potest Episcopus sæcularibus licentiam dare, ut constanter celebretur in publico, non verò in privato, nisi in casibus necessitatis suprà memoratis ob decretum Trid. Clem. XI. quod tamen quoad hanc partem ab Episcopis Germaniæ ubique non est receptum, vel decennali consuetudine in contrarium (quod etiam cum mala fide fieri posse dixi *Cas. 5. n. 14.*) abrogatum, ita ut teste *Gobat t. 3. n. 244.* & *La Croix n. 263.* praxis doceat, quòd Episcopi in Germania habeant potestatem concedendi privata Oratoria ex justa causa

17. ad dies vitæ. 2. Non obstante decreto Clem. adhuc possunt Regulares vi suorum privilegiorum erigere privata Oratoria & Capellas domesticas in Monasteriis, in cameris, ac cellis infirmorum, in grangiis & villis, ubi Religiosi residen, legere in Altari viatico seu portatili, *Dian. Lezan. Pelliz. Azor. cum Reiffenst. n. 19.* quia his privilegiis non derogavit Trid. quod solùm loquitur de domibus privatis, seu locis profanis, quo nomine non veniunt domus Religiosorum, & post Conc. Trid. hujusmodi privilegium de novo concesserunt Greg. XIII. Societati JEsu, & Pius IV. Anno 1565. Canonicis Regularibus, & per communicationem aliis Religiosis, *D. D. c. c.* Neque his privilegiis præjudicat sæpè fatum decretum Clem. utpotè quod solùm declarat, quæ privilegia à Conc. Trid. sint revocata, nec afficit privilegia post Concilium concessa: neque Regularium Oratoria indigent Episcopi designatione vel approbatione, possuntque in illis legi eodem die plures Missæ etiam à Sacerdote sæculari, quia privilegium illorum non est personale tantùm, sed & locale, seu redundat in ipsum locum, ideòque gaudent immunitate, *Lezana, Dian.* apud *La Croix n. 257.* atque etiam sæculares in iis satisfaciunt præcepto Missæ, *Quart. Tamb. l. 1. c. 4. Illsung. t. 5. n. 169. Reiffenst. n. 21.* 3. Laici, qui 18.
per falsa narrata impetrârunt privilegium celebrandi Missam in Oratorio privato, non possunt eâ licentiâ uti, quia est subreptitia & nulla, ideóque tenor concessionis esse solet: *Tibi, qui, ut asseris, ex nobili genere procreatus existis, qui in actuali morbo vel senio constitutus es, &c.* Si morbus vel nobilitas falsò allegetur, non valet concessio; sufficit tamen nobilitas ex una tantùm parte matris vel patris, quia favores latè accipiendi sunt, *Pign. 6. consec. 98.* 4. Hoc privilegium 19.
datum à Papa durat ad mortem privilegiati, nec finitur morte Papæ, qui concessit, vel Episcopi, qui designavit locum, quia est gratia; si mutatur locus, debet iterum approbari, nisi anteà fuerit Oratorium, ut contra Pasq. excipit Quintanav. Neque amittitur, si mutet domicilium in aliam diœcesin, quia privilegium est personale; requiritur tamen inspectio loci, & approbatio novi Episcopi,

*Syl-*

*Sylveſ. Averſa, Dian. p.9. t.1. R.7.* Neque opus eſt, ut claudatur quatuor muris, ſed poteſt ex una parte claudi telâ, vel tapete; locus de cætero debet eſſe mundus, nec in ea poni lectus, in eo edere vel bibere una vel altera vice eſt tantùm veniale, quia talis actio non eſt mortale ne quidem in Eccleſia conſecrata; ſi comeſtio fiat conſtanter, utendo illo loco velut alio profano, eſt mortale, 20. quia gravis irreverentia. 5. In privilegio exprimi ſolet, ut una tantùm Miſſa unoquóque die celebretur, legere tunc ſecundam eſt mortale, quia eſt ac ſi legeretur extra loca deputata, idque de novo prohibet Clem. XI. præcipiens, ut celebraturus ſe diligenter informet, an indulta Miſſa jam lecta fuerit. Poteſt tamen & hîc prævalere conſuetudo contraria, quæ in dubio non præſumitur, ſed probari debet, quia eſt quid facti. 6. Bulla & Clem. XI. prohibent ibi legere die Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis ac aliis ſolennioribus feſtis; per feſta ſolemniora S. Congregatio apud *Gavant. p. 1. t. 20.* intelligit feſtum Epiphaniæ, Annunciationis, Aſſumptionis B. M. V. feſta SS. Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, quod alii putant non habere vim legis, maximè ubi conſuetudo eſt contraria, *Paſq. q. 659.* Si privilegium conceſſum eſt propter infirmitatem, nulli dies feſti excipi ſolent, *Gavant.* 7. Extranei 21. non ſatisfaciunt præcepto Miſſæ in Oratorio privato, imò nec domeſtici, qui tunc pro ſervitiis Domini non ſunt neceſſarii; & ut Sacerdos extraneus ibi legere poſſit, qui non eſt Sacellanus, debet adeſſe aliquis de familia, quia ſic habet tenor Bullæ & decretum *Clem. XI. de Anno 1703.* nomine autem familiæ veniunt Herus, uxor, proles, famuli commenſales, quod Pelliz. extendit ad fratres vel filias nuptas in eadem domo habitantes, etſi non habeant eandem menſam: addi ſolet nec non in hoſpitum ſuorum nobilium præſentia, qui etiam ſatisfaciunt, etſi ſint ex eadem civitate vel parochia, quia favores ſunt ampliandi, *Tamb.* 8. Hæc omnia 22. præcipiuntur fieri ſine jurium parochialium præjudicio; hinc ſine parochi licentia non licet ibi miniſtrare Sacramenta, concionari, catechizare, &c. præſumi tamen poteſt parochus non eſſe invitus, ut ibi denuncientur feſta, & diſtribuatur Communio extra tempus Paſchale, niſi poſitivè contradicat; neque videtur eſſe contra jus Parochi Miſſam ibi ſolenniter cantare, ob rei tamen novitatem fieri non debet abſque licentia Ordinarii.

QUÆR. VII. Quid circa formam, conſecrationem & execrationem Altarium?

81. Tenenda eſſe ſequentia: 1. Al- 23. tare aliud eſt fixum, ſeu loco immobiliter inhærens, aliud viaticum ſeu portatile, quod ab uno loco portari ſolet ad alium, utrumque debet habere ſepulchrum, ſeu cavitatem, in quo reponantur reliquiæ, ſi certæ haberi poſſint, item eſſe quadratum, & ex ſuperiori parte lapideum, *can. Altaria 31. de conſec. diſt. 1.* Portatile

constare potest duobus lapidibus connexis, qui claudi & ante consecrationem aperiri possint instar libri.

24. 2. Utrumque debet esse consecratum ab Episcopo, vel ex privilegio Papæ à simplici Sacerdote. Tale privilegium Pius IV. in Bullar. novo to. 2. concessit Abbatibus Cassinensibus, Greg. XIV. omnibus Abbatibus Cistercien sibus, teste *Rodriq. t. 1 q. 28 a. 2.* Paulus III. Societati JEsu in remotissimis partibus, ubi Episcopus Catholicus facilè inveniri non potest, *Schmaltzgr. n. 38.* Honorius III. & Adrianus VI. Provincialibus Fratrum Minorum, & Fratribus, quibus ipsi commiserint pro Indiis, in casu necessitatis Episcopis in Provinciis non existentibus, *Rodriq.* 3. Celebrare sine Altari, vel in non consecrato, est graviter prohibitum, *c. 19. c. 30. de consec. dist. 1.* Si consecrata sint, potest quilibet Sacerdos intra Ecclesiam consecrare in utroque, in fixo potest consecrare ubique; cùm enim erigatur authoritate Episcopi, censetur ipse locus ab Episcopo destinatus ad cultum Divinum, *Pasq. q. 705. Sennyei q. 389.* In portatili non potest legi extra locum benedictum, nisi ab illis qui habent privilegium, de quibus Q. 6. Non opus est, ut Sacerdos alibi consecrans exploret, an Altare sit consecratum, vel integrum,

25. sufficit esse expositum. 4. Altare fixum execratur, seu amittit consecrationem, si mensa seu superior lapis à basi, cui innititur, removeatur, *c. 1. & 2. de consec.* Non item si lapides inferiores mensam immediatè non tangentes removeantur, & alii substituantur, aut pars superior & inferior simul integrè transferantur ad aliam templi partem, vel superior tabula non sit ita affixa inferiori, quin unà cum sepulchro commodè transferri possit, quia tunc induit naturam Altaris portatilis, *Gobat, Sylvest. v. Altare q. 10. Barb. in c. 1. de consec. n. 2.* 5. Fixum & portatile execrantur, si enormiter sint fracta, ita ut tertia pars sit destructa; item si frangatur aut removeatur sepulchrum seu locus reliquiarum, quod *Soto, Suar. Pirrh. n. 26.* probabiliter non admittunt, quia reliquiæ nunc sæpè non imponuntur, eò quòd approbatæ vix haberi possint. 6. Si lapis consecratus frangatur in duas partes, quarum quælibet apta sit sustentare hostiam & calicem, utraque pars juxta communem apud *Henao & La Croix n. 31.* potest servire pro duplici ara, quia totus lapis erat consecratus; & sicut partes divisæ non amittunt usum & finem, sic nec consecrationem: neque consecratio amittitur per hoc, quòd Altare frangatur in quatuor cornubus, in quibus fit unctio, neque si tantùm lapis sit scissus, modò partes nec ab invicem, nec ab inferiori structura separentur, quia scissura non tollit formam, nec facit aliud Altare, *Pasq. La Croix n. 303.* In dubio an fractura sit enormis, consulendus est Episcopus, *Castropalao, Reiffenst. n. 37.*

QUÆR. VIII. Quid circa calicem, patenam, ciborium, Monstrantiam? &c.

26. §. 1. Ad Missam requiritur patena, & calix ex auro, argento vel stanno quoad cupam, pes esse poterit ex ære, ferro, vel alia materia, *Laym. n. 12.* Idem dic de ciborio & Monstrantiâ. 2. Calix & patena non benedicuntur per usum, ut volunt *Pasq. Dian.* sed debent esse consecrata ab Episcopo, vel habente privilegium, quale habent Abbates & Prælati gaudentes usu mitræ & baculi, idque non tantùm pro suis, sed & pro aliis Ecclesiis, teste praxi, *Pasq. Engel. l. 3. tit. 40. n. 9.* Declarationes in contrarium non sunt usu receptæ, vel de iis non constat authenticè. 3. Ciborium non consecratur, quia in Rituali nulla fit mentio chrismatis vel unctionis; probabiliùs tamen debet benedici, quia pro eo habetur specialis benedictio in Rituali; possúntque benedicere Superiores Mendicantium, uti & reliqua paramenta, in quibus nulla intervenit unctio. *Suar. Bonac. Sot. Pasq. q. 778. Sporer n. 401.* dicunt, benedictionem ciborii tantùm esse de congruentia, quod certum videtur de monstrantia, quia nulla pro hac habetur benedictio in Rituali; deceret lunulam, in qua ponitur hostia, benedicere benedictione pixidis, nullo tamen id jure præcipitur. 4. Si quis præter Sacer-
27. dotem aut Diaconum calicem, patenam, corporale, ciborium, in quibus actu est Corpus Christi, tangat, peccat mortaliter, communis, *arg. can. 40. & 42. de consec. dist. 1.* Si vacua sit, erit veniale ea tangere absque causa; aliàs nullum. Acolythi & minoribus initiati licitè vacua tangunt, *c. non liceat d. 23.* uti & Regulares Sacristæ, etsi laici ex privilegio concesso Mendicantibus omnia S. vasa, corporalia, &c. reverenter tangere & lavare possunt, *Laym. Sporer l. c.* 5. Patena & calix consecrationem amittunt per notabilem fractionem, ut si pes à cupa abrumpatur, nisi calix sit tornatilis, & cupa ex arte absque fractione possit separari, *Pasq. 768. Engel n. 6.* Non amittitur consecratio per ictus à fabro, & probabiliter nec per deaurationem, *Coning, Pellizz. Reiffenst. n. 46.* quia major pars sacra cupæ trahit ad se minorem, & ecclesia non execratur, si de novo dealbetur, ergo nec calix, si deauretur; deinde execratio est odiosa, quæ in dubio induci non debet, nisi ex textu claro.

QUÆR. IX. Quid circa paramenta aliáque ad Missam requisita?

28. §. 1. S. vestes & præcipua paramenta ad Missam pertinentia, velut Casula, Stola, Manipulus, Alba, Cingulum, Amictus, Corporale lineum, aut ex cannabe vel gossipio, Purificatorium, Palla, debent esse benedicta; probabiliùs autem non benedicuntur per usum, ut docent *Jordan. Dian. p. 5. t. 13. R. 60.* sed benedici debent ab Episcopo vel Superiore Regularium, id enim concessit Innoc. VIII. Prioribus Ordinis S. Hieronymi & Vicariis in absentia Prioris, & per communicationem aliis, ut possint benedicere Corporalia, vestimenta, cæteráque ornamenta Ecclesiastica ad cultum Divinum pertinentia *tam sui Monasterii, quàm etiam undecunque*

*sint, Pelliz. Miranda, Rodriq. q.19. a.2. Defranch. in controv. p.2.q.28. n.3. Si dicas:* S. Congreg. apud Gavant. Lezana, Defranch. declaravit, quòd tantùm id possint pro suis Monasteriis. R. S. Congregatio solùm vult, quòd privilegium in genere datum ad benedicendum omnia paramenta intelligendum sit tantùm de paramentis suæ Ecclesiæ, non autem si in specie exprimat, quòd Regulares possint benedicere omnia paramenta tam sui Monasterii, quàm NB. *undecunque sint*, sicut hîc; neque enim S. Congreg. revocat, sed tantùm explicat sensum privilegii in genere dati, præsens autem non indiget explicatione, *Defranch. l.2. Reiffenst. n.52.* atque ita habet praxis. 2. Prædicta paramenta amittunt benedictionem, si ita immutentur, ut sint inepta ad usum, ad quem fuerunt benedicta, ut si ex Stola fiat Manipulus, ex Corporali Purificatorium, ex Casula Stola, vel ex Alba abscindatur manica; si planè sint attrita, non debent adhiberi ad usum profanum, sed potiùs exusi, & cineres mitti in Sacrarium, *c. ligna, de consec.* Non amittunt benedictionem per novam suffulturam, *Gobat t.3.n.300.* neque si adhibeantur ad usum profanum, attamen sic usurpantes peccant contra reverentiam, adeò ut utens ad comœdias profanas vix vacet culpâ mortali, *Suarez disp.81. s.8.* 3. Sine omnibus sacris vestibus
29. Missam dicere vix unquam licet, ne quidem ad dandum viaticum, vel ut populus Missam audiat, aut ut satisfiat fundationi vel stipendio, sicut non licet consecrare extra Missam, quia præceptum de viatico vel audienda Missa non obligat, nisi quando celebrari potest reverenter. An id liceat ad vitandam mortem comminatam, dixi *Cas. 83. n. 29.* Omittere unam è majoribus, Casulam, Albam, Stolam, vel Corporale, est mortale. In necessitate, ut cùm dandum est viaticum, vel die festo sine gravi scandalo aut murmure populi Missa omitti non posset, licebit legere sine Stola vel Manipulo, non autem præcisè ut satisfiat præcepto Ecclesiæ, quod tunc obligare cessat, *Laym. Dian. p.3. t.2. R.57.* Si oblitus es Stolam, debes ante consecrationem adhuc curare adferri, si possis absque turbatione, murmure & scandalo; dare Communionem sine Stola est solùm veniale, *La Croix n. 335.* Si Parochus non habeat Albam benedictam, posset die festo celebrare in non benedicta, *Gob. n. 323.* 4. Omittere Manipulum, Cingulum vel Humerale, Pallam, est tantùm leve, ideòque excusaris, si sit aliqualis necessitas, v. g. ut tu vel alius satisfaciat præcepto, fundationi, vel lucretur indulgentias, & manipulus haberi non possit. Si desit Velum, potest consecrari sine eo, in defectu Purificatorii potest adhiberi strophiolum mundum, quia non requirit benedictionem; tunc tamen non potest ampliùs adhiberi ad usum profanum, debetque Purificatorium primâ vice lavari à persona sacra. Velum, bursa, manutergium, pulvillus pro libro requiruntur ex decentia, *Gavant. Sporer. n.400.* Uti paramentis sordidis plerumque

30. que est tantùm veniale. 5. Rubrica quoad colorem paramentorum juxta *Suar.* est merè directiva, & vix potest hîc peccari mortaliter, nisi forsan ob scandalum, ut si quis in Paschate publicè legeret in nigris. Quoad colorem quivis Sacerdos potest, imò & in diœcesi Colon. ex mandato Archi-Episcopi, debet se accommodare officio illius Ecclesiæ, in qua celebrat, quamvis ab officio suo discordet; ita, ut si in Ecclesia illa utantur paramentis albis, tu debeas uti eisdem, etsi Missam legas de martyribus vel de feria. 6. Sufficit Mappa duplex tegens totum Altare, vel una duplicata
31. aut triplicata ea parte, ubi ponitur patena cum calice, debet esse è lino, cannabe vel gossipio, & ab Episcopo vel habente potestatem benedicta, adhibere nullam est mortale, adhibere unicam veniale; in necessitate posset adhiberi linteum profanum, profanis usibus restituendum, *Sennyei*, *Pasq. Suar. Laym. c. 6. n. 11.* Ratio est, quòd nullo jure major hîc rigor præcipiatur. 7. Antipendium potest esse ex asseribus vel alia materia colorata, quia adhibetur solùm ad ornatum. 8. Requiritur crux sub veniali, si Venerabile sit expositum, non opus est cruce, melius tamen est ex devotione celebrare sine cruce, quàm Missam omit-
32. tere, *D.D.c.c.* 9. Requiritur lumen duplex, unum omittere videtur solùm veniale, omittere utrumque juxta communem est mortale; si utrumque ante consecrationem extinguatur, sine spe habendi brevi aliud, *Fagn. Lohner. Tamb. l. 1. c. 5. §. 4.* dicunt, Missam esse abrumpendam; sed probabiliùs potest continuari, quia continuatio Missæ est decentia intrinseca, lumen extrinseca, *Leander. Pasq. Sennyei*; si unum extinguatur, mone ministrum, & perge. Juxta Rub. requiruntur candelæ cereæ, in necessitate possent adhiberi ex sevo; *Gobat n. 292.* mallet has adhibere, quàm Sacrum omittere; distribuere Communionem sine lumine, juxta *Suar.* est veniale, juxta *Sporer.* nullum. 10. Requiritur Missale; in necessitate posset legi Missa in charta descripta, vel etiam memoriter, modò absit periculum errandi, *Laym. Sporer. l. c.* Quilibet potest se accommodare Missali Romano, vel suæ diœcesis: Sacerdos ritûs Romani utens Missali Regularium, juxta *La Croix n. 367.* peccat graviter, intellige, si legat Missam propriam soli isti Ordini concessam, aliàs non video obligationem gravem; si enim in defectu Missalis posset legi ex charta, ut ipse fatetur, cur non ex alieno Missali? Modò Missa & ritus non notabiliter discrepent. 12. Ex gravi præcepto requi- 33.
ritur Minister, qui respondeat, & necessaria ministret, in necessitate, ut populus Missam audiat, vel conficiatur Viaticum pro morituro, licet legere sine Ministro, *Navar. Bonac. Tamb. l. 1. c. 7. §. 5.* si non possit haberi Minister, qui respondeat, debet saltem adhiberi, qui ministret necessaria, & cum tali licet celebrare, etiam ex sola devotione, si alius non adsit, *Laym. c. 4. n. 13. Sporer. n. 390.* Fœmina prohibetur ministrare, *c. inhibendum de cohab. Cler. & mul.* ità ùt

plu-

plures dicant satiùs esse absque omni ministro celebrare, quàm adhibere fœminam; posset tamen tolerari consuetudo, ut in defectu masculi fœmina vel monialis respondeat à choro, collocutorio, vel fenestella ad latus extra conspectum Sacerdotis, ita ut reliqua sibi ipsi Sacerdos ministret. 13. Rubrica requirit, ut Sacerdos Missam legens sit calceatus, excusat tamen quævis rationabilis causa; deinde legi debet nudato capite: si quis ex denudatione pateretur grave incommodum, posset se privatim tegere usque ad consecrationem, & rursus post Communionem peractam, *Navar. Gobat, La Croix n. 400.* Innoc. XI. prohibuit, ne celebretur in capillitio ficto seu perruca absque speciali licentia S. Sedis, idque publicatum est Coloniæ 21. Martii 1689. Nihilominùs videmus Clericos sæculares passim contentos esse judicio unius alteriusve prudentis medici, & Regulares judicio Superiorum. 14. Ad *Sanctus* & elevationem (nisi 34. sit concio) datur signum parvâ campanulâ, quæ non benedicitur: campanæ majores, quibus convocantur fideles ad ecclesiam, consecrantur ab Episcopo, vel per Abbates Pontificalia exercentes, quos habere hanc facultatem etiam pro ecclesiis extraneis, sicut & pro consecrandis Altaribus, calicibus, &c. testatur Aversa *q. 11. s. 3. § 6.* Campanæ suspendi non possunt in Oratoriis privatis, sed solùm publicis, *c. patentibus 10. de privil. Abbas, Barb.* Esse autem licitum uti campanis benedictis ad monendum populum de re profana, v. g. orto incendio, de educendo reo, adventu militum &c. dum aliter moneri non possunt, docet *Schmalzgr. n. 57.* & quotidiana praxis.

QUÆR. X. Qualis Missa legi debeat?

R. 1. Debet legi talis, qualis à Ru- 55.
bricis præscribitur; qui legit contra Rubricas, v. g. in duplici de requiem vel votivam, seclusо contemptu & scandalo peccat solùm venialiter, *Suar. Dian. Sennyei, Tamb. Sporer l. c.* Votum vel promissio de legenda Missa contra Rubricas non obligat, quia est de re illicita, vel minùs laudabili. 2. Potest legi de quovis canonizato, etsi necdum relato in Martyrologium; de beatificato legi potest tantùm in die assignato, non autem extra diem, vel per annum votiva, nec in alia Missa de eo addere commemorationem, uti nec horas legere, neque eorum imagines in Ecclesiis vel Oratoriis publicis exponere sine speciali licentia S. Sedis, ut declaravit S. Cong. 27. Sept. 1659. 3. Missæ certis Religiosis concessæ non possunt legi ab aliis, qui ejus Religionis non sunt; excipe Sacellanos monialium etiam sæculares, qui possunt Missas Monialibus propias, v. g. de Beato Ordinis dicere, sed ex Missali Romano de communi, ut declaratum est Romæ 9. Junii 1668. quamvis Introitus, Graduale & Offertorium discordent à choro. 4. Missæ votivæ (seclusâ causâ publi- 36.
câ) non possunt dici in Dominicis vel duplicibus, nisi duplicia sint ad libi-

libitum, nec infra Octavas Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, Corporis Christi, die Cinerum, Hebdomade S. in vigilia Nativitatis & Pentecostes, in vigilia Epiphaniæ; in votiva ordinariè omittitur *Gloria, Credo*, nisi sit de Angelis vel B. V. in Sabbatho, vel solennis; memoratis diebus etiam nequit legi *de Requiem*, & pro diebus duplicibus sub gravibus pœnis prohibuit Alex. VII. & Clem. XI. 30. Aug. 1706. nisi stante funere; pro die anniversaria, tertia, septima, trigesima, ne quidem permittitur Missa solemnis *de Requiem* in duplici præcepto, ut declaravit S. Cong. 1. Sept. 1607. & 20. Junii 1626. sed differenda est ad diem non impeditum, vel potiùs anticipanda; in Altari privilegiato festo duplici legenda est Missa concordans Breviario, & eædem Indulgentiæ obtinentur, quæ per Missam *de Requiem*, ut dixi *Casu præc. n. 22.* De numero Collectarum, ritibus, ceremoniis per annum observandis v. Rubricas Missalis.

QUÆR. XI. Quale peccatum sit hîc aliquid omittere?

37. R. 1. Omittere lotionem ante Missam ad summum est veniale, si manus sint sordidæ; omittere post Missam nullum, quia rubricæ hîc sunt directivæ. 2. Orationes præparatoriæ vel etiam gratiarum actoriæ dicendæ sunt pro opportunitate Sacerdotis, ideóque non obligant, posúntque mutari in alias preces; idem die de Orationibus inter lavandum & induendum, *Tamb. l. 1. c. 7.* 3. Omittere partem Missæ substantialem, v.g. oblationem, consecrationem, sumptionem unius vel utriusque speciei, juxta omnes est peccatum mortale & gravissimum sacrilegium; idem videtur, si omittatur pars ordinaria notabilis, quæ semper dici solet; ut si omittatur Epistola, Evangelium, pars Canonis cum mutatione sensûs; secùs si tantùm aliqua nomina Sanctorum omittantur. Item juxta *Pasq. q. 208.* si post Communionem omittatur purificatio calicis & patenæ; omittere partem non ordinariam, quæ in omni Missa dici non solet, ut *Gloria, hymnus, Credo*, &c. vel omittere partem non notabilem, secluso scandalo est solùm veniale, ut si omittatur *Judica, Kyrieleison*, una vel altera Collecta, *Tractus, Alleluja*, aliquæ benedictiones & cruces, Evangelium S. Joannis in fine, quod magis tenet, si illa non omittantur, sed permutentur, ut si loco specialis Collectæ, Evangelii, Præfationis aut Communionis, legatur de communi; idem est, si dicatur *Gloria, Credo, Sequentia*, &c. quando sunt omittenda, *Lugo, Tamb. Pasq. Gobat l. c.* 4. Qui potest omnia peragere præter elevationem Hostiæ & Calicis, potest his omissis privatim celebrare, imò & publicè, modò populus moneatur, ne murmuret, aut scandalizetur, *Gobat n. 743.* quia ille defectus non est tantus, ut privet jure acquisito ad celebrandum. 5. Accelerare Missam per se est tantùm veniale, nisi syllabæ ita absorbeantur, ut sensus notabilitér mutetur, vel adsit scandalum; absurdum est operi 38.

divinissimo ad mediam horam nolle immorari, idque præcepit Synodus Colonienſis Anno 1662. Notabilem partem ita recitare intra dentes, ut ſecluſo omni impedimento ſe ipſum audire non poſſit, juxta *Paſq. La Croix n. 438.* eſt mortale, quia præcipitur oratio vocalis; vox autem eſt ſonus, ſonus eſſentialiter eſt audibilis, cùm ſit objectum auditûs. Nihilominùs probabiliùs eſt non peccari, quia ad orationem vocalem ſufficit, quòd verba formentur per motum oris & linguæ; talis enim oratio non eſt merè mentalis, ergo vocalis; & ſicut res colorata manet obtutum visûs hoc ipſo, quòd maneat colorata, etſi dividatur in partes adeò exiguas, ut non ſit proximè apta videri, ſic & vox aut ſonus manet verè talis, etſi ſit ita tenuis, ut audiri non poſſit. V. *Caſ. 73. n. 12.* 7. Qui verba ſecretò dicenda altè recitat, plerumque peccat venialiter, niſi tam altè in præſentia plurium exprimat præſertim verba conſecrationis, ut circumſtantes ea clarè intelligere, addiſcere, & ad profana abuti poſſint; tunc enim & non aliàs peccatur graviter contra finem præcepti. De diſtracto ſub Canone vel conſecratione dixi *Caſ. 91. n. 13. Caſ. 92. n. 7.*

# CASUS XCV.

## De obligatione Miſſam audiendi & abſtinendi à ſervilibus.

HAdrius *ſcrupulatur*: 1. *An ſit obligatio ad Miſſam in feſto indicto à Rege vel Epiſcopo, an in die Cinerum, Hebdomade S. Feſto S. Marci, in die animarum, & quid in dubio.* 2. *An obligentur pueri, Sacerdotes, ſurdi, caci & muti, peregrini.* 3. *Qualis requiratur attentio, intentio.* 4. *An ſatisfaciat, qui Miſſam audit immemor præcepti, aut nolens ſatisfacere.* 5. *Aut ſi ex intentione mala, curioſitate, &c.* 6. *Quid de ebrio, dormiente, diſtracto, vel non advertente Miſſam jam eſſe cœptam.* 7. *Quid de iis qui ſub Miſſa colloquuntur, libros profanos legunt, pingunt, conſitentur, confeſſionem audiunt, Horas vel librum ſpiritualem legunt, communicant, &c. quid de muſicis, organedis, miniſtris.* 8. 9. *Quid ſi pars Miſſæ negligatur, Epiſtola, Evangelium, conſecratio, oblatio, Communio.* 10. *An veniens ante vel poſt conſecrationem teneatur reliquam partem audire.* 11. *An audire per partes.* 12. *An ſufficiat audire Miſſam Græcam vel excommunicati.* 13. *An debeat audiri in Parochia, quid de Oratorio Epiſcopi, Regularium,* 14. *Sæcularium, an in eo audire obligetur, qui alibi non poteſt, vel conducere Sacerdotem pro ſtipendio.* 15. *An ſatisfaciat, qui audit in caſtris, in mari,* 16. *In Sacriſtia, in ambitu, è domo vicina, tecto, feneſtra.* 17. *An excuſentur infirmi, & quid in dubio, an exiſtentes in locis in-*

*fide-*

*fidelium, an pater vel superior possit subditum includere cum neglectu Missæ.* 18. *Qualiter excusetimpotentia moralis.* 19. *Spes lucri, excommunicatio.* 20. *Charitas, consuetudo.* 21. *An impediti teneantur ad alium Dei cultum; an quis possit exire è loco ubi est festum, vel ponere impedimentum Missæ.* 22. *An & quæ opera prohibeantur die festo.* 23. *Qui actus forenses.* 24. *Qualiter mercatus.* 25. *An uxor vel famuli jussi laborare teneantur obedire.* 26. *Quæ hîc sit materia gravis & levis: quid si quis intendat singulis festis laborare per duas horas.* 27. *An liceat laborem imponere hæretico, amenti, infideli.* 28. *Quid si herus sex famulis mandet, ut singuli laborent per horam.* 29. *Qualiter à feriis excusetdispensatio.* 30. *Necessitas.* 31. *Charitas.* 32. *Consuetudo.* Pro resolutione

QUÆR. I. An, quando, & à quibus Missa sit audienda?

1. R. I. Certum est, dari præceptum audiendi Missam, *c. si quis, c. omnes fideles, c. Missas de consec. dist. 1.* Obligat sub mortali, quia est de re gravi.

R. II. Hoc præceptum obligat omni die Dominico, & festo; dies autem festus non potest institui à Principe sæculari, neque ab Episcopo, nisi cum consensu Cleri, & populi, *c. conquestus ult. de feriis*, idque tantùm festum unicum proprium diœcesis, v.g. festum patroni tutelaris, ad quod servandum etiam tenentur religiosi exempti, *Trid. sess. 25. de Regul.* Die Jovis, Veneris, & Sabbatho sancto, in festo S. Marci, festo animarum, aut Coloniæ in festo Theophoriæ, & in die cinerum non est obligatio ad Missam, *La Croix l. 3. p. 1. n. 620.* Meritò monet *Gobat in exp. t. 5. n. 12.* hac ætate, ubi invaluit multitudo festorum, non sine ingenti mœchanicorum incommodo, potiùs cogitandum esse de modo festa abrogandi, quàm nova instituendi: die Nativitatis Domini non est obligatio nisi ad unicam Missam; in dubio an sit festum, est obligatio inquirendi, si adhibitâ mediocri diligentiâ maneat dubium, non est obligatio ad Missam, quia libertas est in possessione.

R. III. Hoc præceptum obligat 2.
omnes fideles ratione utentes, ut claret ex juribus cit. Unde 1. Obligantur pueri, postquam adepti sunt plenum rationis usum ad peccandum mortaliter; tunc enim apti sunt apprehendere obligationem legis, quod plerumque contingit circa annum septimum, in aliquibus citiùs, in aliis seriùs, ideóque ad Missam maturè assuefaciendi sunt. 2. Sacerdos, si non possit vel non velit in die festo Missam audire, tenetur legere, & si sit in mortali peccato, confiteri; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium ordinarium, quale est confessio mortalis, *Steph. t. 5. d. 4. n. 95.* Si verò non habeat copiam Confessarii, debet Missam omittere, quia eam legere non potest sine violatione præcepti divini de præmittenda confessione, nisi fortè omitti non possit sine scandalo vel gravi infamia. 3. Surdus, cœcus simul & mutus non obligatur, quia nullo sensu Missam percipere potest, idem dicit *Castropalao pun. 16. n. 4.* de surdo simul & mu-

to, secùs si surdus tantùm sit vel cœcus, vel surdus simul & mutus, non autem cœcus, quia talis potest percipere quæ fiunt. 4. An obligentur peregrini, dixi *Cas. 6. n. 7.*

3. QUÆR. II. Qualis præsentia, intentio & attentio ad Missam requiratur?

℟. I. Non sufficit præsentia merè corporalis & physica, sed requiritur humana & religiosa, quâ quis adsit non ut brutum, vel ut res inanimata, sed ut homo ratione præditus cum attentione ad mysterium quod peragitur, & cum intentione colendi Deum; Unde

℟. II. Requiri aliquam intentionem vel *internam*, quâ quis actu advertat & animum applicet ad ea, quæ in Altari geruntur; vel ad minus *externam*, consistentem in hoc, quòd non ponat aliquam actionem externam cum attentione interna incompossibilem, ut latiùs explicavi *Cas. 73. n. 2.* ubi dixi probabiliùs requiri attentionem internam, etsi probabiliter etiam sufficiat sola externa, *Less. Henriq. Laym. Tamb. Lugo d. 22. s. 2. n. 27.*

℟. III. Requiritur intentio per Missam colendi Deum, *Suar. Sporer l. c. La Croix n. 631.* quia Ecclesia per Missam præcipit Dei cultum; sufficit tamen intentio implicita, qua quis vult interesse Missæ tanquam rei sacræ, vel vult facere quod alii Christiani, quod præcipit Ecclesia, &c. Imò talis intentio semper præsumitur, nisi quis sciat se habuisse contrariam. Ex dictis

*Deduces* seqq. 1. Satisfacit, qui audit Missam ex consuetudine, vel ex devotione, non recordatus diei festi, nec tenetur audire aliam; quod verum est, etiamsi noluerit per illam Missam satisfacere præcepto, sed adhuc audire aliam, *Pasq. n. 131.* quia jam posuit rem præceptam, nec requiritur animus satisfaciendi, ut dixi *Cas. 6. n. 19.* 2. Si præter intentionem audiendi Missam adsit intentio prava, v. g. furandi, videndi amasiam, adhuc satisfit præcepto, quia intentio prava non excludit intentionem debitam, & talis assistit moraliter, attendit enim ad Missam, & eam vult audire ut rem sacram, & actus quoad substantiam est bonus, etsi voluntas conjuncta sit mala. 3. Non satisfacit, qui solùm interest ex curiositate, ut irrideat, ut loquatur amico, ut comitetur dominum, ut honoret pompam funebrem, &c. quia non adest ex intentione colendi Deum, seu audiendi Missam. 4. Ebrius, dormiens, in ectasin raptus, non audit Missam, quia ebrietas, somnus, ectasis tollunt humanam & moralem assistentiam; quod etiam verum est de distractione ita intensa, ut hominem reddat quasi abreptum & nullo modo attendentem, sive distractio sit voluntaria, sive involuntaria, *Pasq. Coning, La Croix n. 659.* quia de tali distractione idem est quod de somno; si tamen distractio, ut plerumque contingit, non impediat omnimodam attentionem, satisfiet præcepto, etiamsi sit voluntaria. 5. Si existas in Ecclesia animo audiendi Missam

4. 5. 6.

quam-

quamcunque primò inchoandam, si legatur in aliquo Altari, & primùm advertas ad signum campanulæ ad *Sanctus*, putat *Gobat* te hanc partem audivisse; sed verius est oppositum, quia & hic videtur defuisse præsentia moralis sicut in casu priore. 6. Non
7. satisfaciunt, qui per notabilem Missæ partem de rebus seriis colloquuntur, disputant, picturas contemplantur, libros profanos vel gazettas legunt, scribunt, pingunt, &c. quia hi vel non assistunt religiosè, vel exercent actionem externam cum attentione interna incompatibilem; idem videtur dicendum de eo, qui per magnam partem Missæ confitetur, quia confessio non videtur compatibilis cum attentione interna ad Missam; aliud est de audiente confessionem, qui faciliùs attendere potest. Dixi, qui per notabilem, id est, mediam vel tertiam partem Missæ talia exercent; nam si illa fiant interruptim, & non tollant attentionem internam, quamvis illam minuant, erunt tantùm veniale; imò probabile est confitentem sub Missa satisfacere, quia religiosè assistit, & vult per Missam Deum colere, *Castropalao n. 4. Gobat n. 258.* Quod servire potest pro scrupulosis & servis, quibus alio tempore confiteri sæpè non permittitur. 7. Satisfacit, qui sub Missa legit Horas Canonicas, librum spiritualem, exsolvit pœnitentiam, audit concionem, communicat, præparat se ad Communionem vel confessionem; item Musici, Chelistæ, Organedi, modò simul attendant ad illud quod in ara agitur; idem est de iis qui Sacrificio inserviunt, etsi interim candelas per Ecclesiam accendant, trahant campanam, currant ad Sacristiam pro apportandis necessariis; ratio est, quia hi omnes assistunt religiosè, & non intercurrit ullus actus cum attentione interna incompossibilis.

QUÆR. III. An Missa integrè audienda?

8. Affirm. Adeò ut omnium consensu peccet mortaliter, qui omittit 8.
partem notabilem, secùs venialiter. Unde

*Deduces* seqq. 1. Peccat solùm leviter, qui negligit Evangelium usque ad Epistolam inclusivè, vel illam partem quæ sequitur Communionem, quia talis pars censetur exigua; secùs si negligatur initium cum Evangelio inclusivè, quia communiter reputatur pars notabilis, quamvis & hoc durum videatur, *Suar. Nav. Dian. Laym. c. 3. n. 3. Gobat n. 135.* modò perseveretur usque ad ultimum Evangelium, per quod probabiliter videtur compensari primum neglectum; multi tamen peccant mortaliter, quamvis per accidens satis maturè veniant, eò quòd Missa solito seriùs cæpta fuerit, quia voluntariè se exposuerunt periculo notabilem partem negligendi; spectat autem ad parrem-familias curare, ut domestici ad Missam (idem est de concione & catechesi) maturè accurrant. 2. Qui 9.
exit tempore consecrationis, non satisfacit, quia Sacrificio non fuit præsens, cujus substantia seu essentia consistit in consecratione; etiam pec-

cat mortaliter, qui negligit oblationem & sumptionem, secùs si tantùm unam ex his duabus, quia quamvis pertineant ad integritatem, tamen una sola, etsi sit pars notabilis respectu sacrificantis, non tamen est respectu audientis, & mortale astrui non debet sine ratione convincente.

10. 3. Qui venit sub Canone ante consecrationem, juxta *J. Sanch.* non tenetur reliquam partem audire, quia voluntariè serò veniens jam peccavit mortaliter, & per reliquam partem non videtur satisfacere; at rectiùs oppositum tenent *Lugo*, *Dian. p. 3. t. 6. R. 69.* quia tunc pars principalis & primariò per præceptum intenta, adhuc audiri potest, ergo ad hoc est obligatio; econtra qui venit post consecrationem, non obligatur ad assistendum parti reliquæ, quia non potest satisfacere quoad partem sub-

11. stantialem. 4. Inn. XI. damnavit hanc 53. Prop. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Ratio damnationis est, quòd Missa sit aliquid successivum, hinc ejus partes simul audiri nequeunt; an autem adhuc audiri possint sub diversis celebrantibus per partes successivas, ita ùt unam audias à consecratione ad finem, & aliam ab initio usque ad consecrationem, est incertum, & de hoc non loquitur Propositio damnata, & olim docuerunt plerique cum *Nav. Tolet. Bonac. Coninq, Laym.* & adhuc esse probabile asserunt *Carden. in 2. Crisi. diss. 32. La Croix n. 611.* Nihilominùs tenendum est, Missam non posse audiri per partes sub diversis celebrantibus, quia istæ partes diversorum celebrantium non possunt extra casum extremæ necessitatis, quâ Sacerdos post consecrationem deficeret, uniri in unum adæquatum Sacrificium Missæ, ergo illas audiens non audit unam & adæquatam Missam, quod tamen ab Ecclesia præcipitur.

QUÆR. IV. Qualis Missa & quo loco audienda?

R. I. Præcepto satisfit audiendo 12.
Missam quamcunque, sive privatam, sive solemnem, sive Romano, sive Græco ritu aut idiomate celebratam, quia quoad substantiam est eadem: si audiatur Missa Sacerdotis excommunicati non tolerati, satisfit quidem præcepto, quia ponitur materia præcepta, seu auditur vera Missa; peccatur tamen graviter contra præceptum Ecclesiæ, de non communicando cum non tolerato, ideòque si die festo alia Missa audiri nequeat, potiùs omittenda est, *c. vestra de cohabit. Cleric. c. præter dist. 32. Dices*, ut satisfiat Legi, debet poni materia præcepta, atque hic non ponitur materia præcepta, sed prohibita, ergo. R. *Dist.* ponitur materia prohibita secundùm se N. quoad circumstantiam legentis C.

R. II. Quoad *locum* tenenda sunt 13.
seqq. 1. Non est obligatio audiendi Missam in Parochia, sed in qualibet Ecclesia vel Sacello publico satisfieri potest, teste consuetudine, *Suar. d. 88. s. 2. Barb. alleg. 24. n. 17.* 2. Satisfit præcepto per Missam auditam in Oratorio

rio erecto in palatio Episcopi, aut in Conventu Regularium, vel in loco ad Divinum cultum perpetuò destinato, aut à Missionariis privilegiatis
14. constituto. V. *Cas. præc. n. 17.* 3. Difficultas est de Oratoriis privatis seu ex privilegio erectis in domo vel arce privati hominis, in quibus satisfieri præcepto Missæ non tantùm à domesticis, pro quibus privilegium concessum est, sed etiam à quovis extraneo, docuerunt plurimi, etiamsi concessio habeat clausulam: *Volumus autem, ut alii, qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia.* Rationem dant, quia hæc verba adduntur ex stilo antiquo Curiæ, quando adhuc erat obligatio audiendi Missam in parochia, hac obligatione jam cessante clausula nihil operatur, & illa verba alio sensu non sunt recepta; at tenendum est non satisfieri nisi ab iis, qui sunt de familia, tum quia sic habet tenor concessionis, tum maximè quia id 15. Decemb. 1703. novissimè declaravit Clem. XI. tum denique quia lex est certa, & interpretatio opposita incerta, nisi certò constaret de consuetudine post constitutionem Clem. legitimè introducta & continuata. V. *Cas. præc. a. n. 20.* ubi etiam dixi, quinam censeantur esse de familia privilegiati. At teneturne privilegiatus in suo Oratorio die festo audire Missam, si alibi non possit? Negant *Suar. s. 6. Sporer l. c.* quia nemo tenetur uti suo privilegio: sed dico teneri, quia facili medio potest implere præceptum, ergo ad hoc tenetur; similiter valde mihi probabile est, (etsi oppositum doceatur communiùs, & sit in praxi tutum) quòd talis teneatur conducere Sacerdotem pro stipendio, si die festo aliter Missam habere non possit, quia nec hoc medium est valdè difficile saltem respectu divitis, etsi non sit ita ordinarium; & si fœmina illustris teneatur modico stipendio conducere pedissequam, si eam non deceat ire solam, ut plerique fatentur, cur non teneatur dives modico stipendio conducere Sacerdotem? 4. In 15.
alio quocunque loco profano quilibet Missam licitè audiendo satisfacit, v. g. in castris, in littore, quando legitur pro navigantibus, etsi non sit miles, vel de comitatu navigantium, *Pelliz. Marchant. Barb. Burghab. cent. 3. cas. 60.* quia verè auditur Missa, & restrictio, quæ est de Oratoriis privatis, nullibi extenditur ad hæc loca, neque extat lex audiendi in Ecclesia vel Sacello publico, ut asserunt aliqui, sed non
probant. 5. Satisfaciunt & verè Mis- 16.
sam audiunt, qui stant in angulo, Sacristia, vel camera Ecclesiæ annexa, in ambitu, aut qui præ multitudine hominum Ecclesiam intrare non possunt, & generaliter omnes, qui aliis ita sunt conjuncti, ut censeantur esse de cœtu audientium, quamvis Sacerdotem nec audiant, nec videant, quod etiam extenditur ad sedentes in tectis, in fenestris sive Ecclesiæ, sive domûs vicinæ, modò ob vicinitatem vel multitudinem cum reliquis faciant unum cœtum.

QUÆR. V. Quæ sint causæ ab au- 17.
ditione Missæ excusantes?

R. Sunt

R. *Sunt tres :* Impotentia, charitas, consuetudo. *Ratione Impotentiæ* excusantur ? 1. Qui ex gravi morbo decumbunt, ita ut ad alia negotia magni momenti exire non possint; si quis dubitet, an sine gravi nocumento sanitatis egredi queat, standum est judicio Medici vel alterius periti ; si talis non possit consuli, nec dubium resolvi, juxta plures petenda est dispensatio, vel audienda Missa, quia Lex est certa, excusatio verò dubia; sed contra est, nam quamvis ipsum nocumentum, quod timetur, sit incertum, periculum tamen nocumenti, in quo consistit ratio excusans, est certum, V. dicta *Cas. 72. n. 18.* 2. Excusantur, qui in carcere, mari vel tali loco versantur, ubi nulla est occasio Sacrum audiendi; excipe illos, qui absque gravi & rationabili causa iverunt ad loca infidelium vel hæreticorum, in quibus Missam audire non possunt, secus si iverint ex justa causa, v. g. ad tractandas causas Reip. ad conservanda bona temporalia, ad acquirenda familiæ necessaria, quæ alibi obtineri non possunt, pro mercatura justa & rationabili Reip. necessaria vel utili; excusari etiam possunt juvenes opifices, ex consuetudine peregrinandi, maximè si apud Catholicos non possint æquè benè proficere, modò non exponantur periculo perversionis, meritò iis tunc inculcandum illud Christi : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur ?* Matt. 16.

18. 3. Ob impotentiam moralem generaliter excusantur omnes, qui sine gravi damno vel incommodo Missam audire non possunt, ut si via ob distantiam, pluviam, grandinem, nives, debilitatem corporis sit multum difficilis, aut etiam ob insidias hostium vel latronum periculosa. *Suar. Dian. Castropalao pun. ult. n. 4. Gobat n. 486.* docent, homines mediocriter valentes etiam abstrahendo ab aëris intemperie universaliter excusari, si ab Ecclesia distent ter mille passus, seu unam bonam horam vel quinque quadrantes, idque pro una alteráve vice admittit *Reiffenst.* At pro homine robusto & vegeto id non admitto, nisi concurrat aliud incommodum auræ, tempestatis, nivis, viarum, &c. Item excusatur, qui audiendo Missam ducem vel comitem itineris valde utilem aut commodam navigandi occasionem amissurus esset, *Sporer. Tamb. §. 3. Burghab. cent. 3. cas. 1.* Si mulier ob auditionem Missæ timeat graves cum marito discordias, aut si necessè habet secum portare infantem inquietum, & alios in devotione turbantem, quem præstat cum matre manere domi, *Gobat tr. 5. n. 318.* Item si reus maneat domi, ne comprehendatur; si quis ob periculum furum, latronum, &c. domum periculosè deserat, aut deputatus sit ad custodiam domûs vel pecorum; pudor quoque si gravis sit, ut si mulier honesta cum gravi dedecore sui statûs malè vestita sit, vel aliqua cæteroquin bonæ existimationis ex delicto prægnans appareat. Ratio horum est, quòd pia Mater Ecclesia non censeatur suos cum tanta difficultate vel onere 19.
obligare velle; sola tamen spes lucri
non

non videtur causa sufficiens negligendi Missam, vel laborandi die festo, nisi lucrum foret extraordinarium, cujus occasio non facilè recurreret, quod respectu pauperis posset esse unus vel duo ducati, quia amittere tale lucrum reputatur grave damnum, ad quod non videtur velle obligare Ecclesia. Excommunicatus excusatur, si per ipsum non stet, quò minùs absolvatur, tenetur tamen
20. petere absolutionem, ut dixi *Cas. 6. n. 18.* 4. Ob *Charitatem* excusatur, qui assistit graviter infirmo, qui sine periculo vel gravi incommodo solus relinqui non potest, item fœmina, quæ ad vitandum peecatum alienum aut viri zelotypiam domi se continet, quia præceptum charitatis tunc prævalet præcepto Ecclesiæ. 5. *Consuetudo* aliquibus locis excusat viduas tempore luctus, puerperas usque dum à Sacerdote benedicantur, puellas nubiles tempore sponsaliorum, aut quando proclamantur ad matrimonium; neque statim damnandæ sunt mortalis, si etiam seclusâ consuetudine emaneant, ne rideantur, verecundentur, modò in alio templo
21. Missam audire non possint. 6. *March. Sporer. n. 30.* docent, omnes à Missa impeditos, etsi non teneantur ad Missam, teneri tamen ex præcepto naturali diebus festivis Deum speciali cultu in - vel externo colere; & quamvis plerique id non admittant, cùm non satis constet de tali præcepto, meritò tamen id impeditis est seriò inculcandum. An liceat exire è loco, ubi est festum, ad locum, ubi non est festum; item an liceat ponere impedimentum Missæ, dixi *Cas. 6. a. n. 12.*

QUÆR. VI. Quid circa obligationem abstinendi à servilibus?

R. Hoc præcepto obligantur omnes 22.
Christiani diebus Dominicis & festis, *c. omnes de feriis*, juxta explicationes seqq. 1. Opus servile dicitur, quod præcipuè commoditatibus corporis inservit, seu quod magis usu corporis quàm intellectus perficitur, solétque exerceri à servis & famulis, ut opera rustica & mechanica, v.g. arare, serere, metere, vineta colere, triturare, sepem ponere, in sylvis scirpare, ferrum cudere, sutrinam exercere, naves, currus vel equos onustos ducere, &c. 2. Opera liberalia non cadunt sub hoc præcepto, sunt autem ea, quæ ad excolendum vel oblectandum animum præcipuè assumuntur & digna homine libero reputantur, velut scribere, transcribere, organum pulsare, docere, canere, concionari, pingere, notas musicas formare, delineare opus faciendum, & juxta plures litteras in typographiis collocare, distillare, & similia, quæ nullam vel exiguam corporis agitationem requirunt; lineas seriò & per se ducere pro notis musicis non permittunt *Tamb.* & *La Croix*, sed Germani meritò non anguntur istis scrupulis Italicis, *Sporer n. 44.* Nec interest, an hæc lucri an recreationis causâ fiant; nam ratio lucri non mutat substantiam actûs, nec facit servilem; aliàs enim artium Professores, advocati, medici, peccarent, si in con-

scribendis lectionibus, probationibus, consiliis, die festo se occuparent, quod est contra communem; at libros imprimere, colores terere, asseres tingere, pannos colorare, horologia conficere, auro cælare, in ligno, cera vel gypso sculpere, portare lecticam, &c. communiter reputantur illiberalia & illicita, nisi excuset consuetudo, quia fiunt cum notabili corporis agitatione; quoad opera, de quibus non satis constat, an sint vel non sint liberalia & permissa, attendenda est consuetudo, quæ optimè
23. legem interpretatur. 3. In die festo etiam prohibentur actus forenses, ut citare reum, producere testes, exigere juramentum judiciale, ferre aut exequi sententiam, quæ si feratur, est irrita, nisi *necessitas urgeat*, vel *pietas aliud suadeat*, *c. ult. de feriis*; unde excipiuntur causæ pauperum, viduarum, & personarum miserabilium, quæ sine dilatione vel majoribus expensis diebus profanis tractari non possunt, *Pirrh. Engel. Reiffenst. l. 2. decret. tit. 9.* Etiam licitum est die festo excommunicare, dispensare, judicem privatim informare, advocatum consulere, testamentum condere, filium adoptare, litem sine strepitu forensi componere, beneficia conferre, permutare, resignare, eligere, &c. quia hæc non requirunt figuram judicialem, neque sunt actus jurisdictionis
24. contentiosæ. 4. Prohibetur mercatus seu nundinatio, *c. 1. de feriis*. Nunc tamen consuetudo permittit non tantùm mercatum privatum, quo clausâ officinâ die festo quævis licitè venduntur, emuntur, servi conducuntur, contractus etiam coram Notario privatim ineuntur; sed etiam quandoque nundinas publicas, v. g. in festo dedicationis, vel Patroni; quod tamen meritò ita moderandum est, ut negotiationes ante rem Divinam peractam non instituantur, *Engel. n. 11.*
5. Famuli, & à potiori proles vel
25. uxor, si jubeantur ab hero, patre vel marito die festo laborare, præsertim ad exiguum tempus, si timeant verbera, rixas, vel aliud incommodum, nec possint sine damno servitium deserere, licitè obediunt, nisi jubeantur id facere in contemptum religionis. *De cætero* vacare operi servili per
26. unam vel etiam duas horas, communiter reputatur materia levis, secùs per tres vel quatuor horas, *Sanch. Dian. Tamb. l. c. Sporer n. 38.* Ratio est, quòd una alteráve hora non videatur esse pars notabilis totius diei, qualis tamen saltem ad finem præcepti videtur esse tempus trium vel quatuor horarum. Si singulis festis per integrum annum intendas laborare, aut etiam labores per unam vel duas horas, non peccas mortaliter, quia illi labores non uniuntur, nec constituunt unam notabilem profanationem unius diei festi. 6. Hoc præcepto
27. obligantur hæretici, quia sunt subditi Ecclesiæ, ideo non licet eis die festo imponere opera servilia; plures tamen docent ea licitè imponi perpetuò amentibus, item catechumenis & infidelibus, quia hi ex defectu Baptismi, illi ex perpetuo defectu rationis non subsunt præceptis Ecclesiæ

cleſiæ, idque pro certo habet *Illſung t. 5. à n. 166.* ſed immeritò; nam imponens amenti vel infideli laborem cenſetur ipſe laborare per infidelem tanquam per inſtrumentum, ſicut ſi laboraret per ſuum jumentum. *Dices* 1. Qui puero ante uſum rationis mandat comedere carnes, non audire Miſſam, non peccat, quia puer iſte non eſt ſubjectus legi Eccleſiæ, atque etiam infidelis non eſt huic legi ſubjectus: ergo. 2. Qui jubet diſpenſatum laborare, non peccat: ergo nec peccat, qui jubet laborare non ſubjectum legi. 3. Qui die feſto facit à vento vel equis circumagi molam, non peccat: ergo nec hic. R. *ad* 1. *N. C.* Mandans non cenſetur per alium comedere, ſicut cenſetur per alium laborare tanquam per inſtrumentum. *Ad* 2. Pro diſpenſato eſt poſitiva conceſſio Eccleſiæ, quæ facit ejus laborem non eſſe inhonorativum diei feſti, qualis conceſſio non eſt pro hero, ut per ſervum infidelem laborare poſſit. *Ad* 3. *omiſ. Ant. N. C.* Ventus, equi, & alia irrationabilia non ſunt de ſe apta ſanctificare vel profanare diem feſtum; ſi enim ventus die feſto excutiat ex arboribus plurima ligna, nemo dicet profanari
28. feſtum, ſecùs ſi id faciat homo. 7. Si herus ſex famulis mandet, ut ſinguli unâ horâ laborent, ſi mandet, ut laborent ſimul, non videtur peccare mortaliter; ſecùs ſi jubeat laborare ſucceſſivè per ſex horas, quia tunc eſt cauſa, quòd notabilis pars diei profanetur; & ſicut indubiè peccaret mortaliter, ſi in propria perſona ſex horis laboraret, ſic & ſi laboret per alios tanquam per inſtrumenta. *Dices:* Qui ſex hominibus perſuadet die jejunii leve quid comedere, peccat ſolùm venialiter, ergo & mandans exigui temporis laborem. *Conf.* Ipſi famuli tantùm venialiter peccant laborando, ergo & herus mandando. R. *N. C.* Herus imponens laborem cenſetur ipſe laborare per famulos ut inſtrumenta, ſuadens autem comedere per alios non comedit, & per omnes comeſtiones ſimul ſumptas non fit ulla gravis transgreſſio præcepti, quia nullus plenè ſecundò reficitur; labor autem ſucceſſivè per ſex horas eſt notabilis profanatio diei feſti, cùm ſex horæ ſint magna pars diei, & totus iſte labor attribuitur mandanti. Sicut ſi octo ſervis mandaret, ut ſinguli auferrent ſolidum, ſinguli peccarent ſolùm venialiter, ipſe verò mortaliter, quia damnum reſpectu mandantis unitur & ei totum imputatur, unde patet ad *Confirm.*

QUÆR. VII. Quæ ſint cauſæ excuſantes à feriis?

R. Sunt quatuor: Diſpenſatio, neceſſitas, charitas, conſuetudo.

1. *Diſpenſare* in feriis ſpectat ad 29.
Papam pro omnibus, ad Epiſcopum pro ſua diœceſi, ad Parochum pro ſua Parochia, Superior pro ſuis Religioſis, non tamen pro famulis ſæcularibus, quia hi non ſunt ſub eorum jurisdictione ſpirituali, niſi habeant jus Parochiæ. Si cauſa eſt manifeſta, non eſt opus petere diſpenſationem, niſi ad cavendum ſcandalum, quod oriretur, ſi publicè laboraretur.

30. 2. *Necessitas excusat, quando sine gravi damno vel incommodo, sive publico, sive privato, à labore abstineri non potest, &c. licet de feriis*, ut si reficiendi sint pontes, aggeres fluminum, imminente hoste reparandi muri, valla, &c. si paranda aliqua ad communem festivitatem populi, vel adventum Principis, quæ ad alium diem præveniri vel differri non possunt, si agricolæ ob pluviam continuam timeant grave damnum, nisi messem die festo colligant, fœnum secent, &c. item aurigæ, nautæ, vitriarii, salinarii, quorum opus semel cæptum absque damno interrumpi non potest; Medici, chyrurgi, farmacopæi laborantes pro infirmis, fabri qui reficiunt rhedas, currus, vel calceant equos itinerantium, barbitonsores si tondeant tantùm unum vel alterum, aut eos, qui aliis diebus accedere non possunt, ut rustici, viatores, opifices, &c. sartores post mediam noctem laborantes, si vestes lugubres aliasque necessarias aliis diebus perficere non potuerent, *Dian. p. 2. t. 15. R. 34. Laym. c. 4. n. 2.* famuli & famulæ reficientes vestes, si aliis diebus non vacet; an verò excuset solum periculum amittendi lucrum, dixi *sup. n. 19.*

31. 3. *Charitas* excusat, si extremè vel graviter indigenti aliter quàm per tuum laborem in die festo exercitum succurrere non possis; sicut enim tunc ipse egenus laborare posset, sic & tu pro ipso; item licitum est die festo fodere sepulchrum pro tunc sepeliendo, ornare Altaria, erigere sepulchrum vel præsepe Christi, aras aut artificiosas molas ad exponendum *Venerabile*; si tamen priori die hæc facilè fieri potuissent, est veniale ea ad diem festum differre, *Dian. Sporer. n. 52. Illsf. n. 165.* qui etiam permittunt laborem ad solum otium vitandum; si enim liceat ad vitandum damnum temporale, cur non ad damnum spirituale, quale est otium? Sed meritò contradicunt *Stephan. La Croix. n. 586.* quia hoc prætextu omnes opifices laborare possent, & otium per alias occupationes spirituales vel liberales vitari potest.

32. 4. Ex *Consuetudine* excusantur famuli saltem post Sacra sub vesperum apparantes instrumenta vel materiam sequentibus diebus laborandam, *March. Laym. l. c.* in aliquibus locis per consuetudinem licet molere; non tamen advehere frumenta, vel farinam avehere; item tum ex consuetudine, tum ex necessitate licent ea opera, quæ commodè non possunt vel non solent in alium diem differri aut anticipari, ut parare cibos eo die comedi solitos, in furno tortas & placentas coquere, mundare domos, vestimenta detergere, corpori aptare, etiamsi aliquid assuendum sit, idque approbat *Conc. Aurelian. III. sub Vigilio Papa*; opera verò alia, etsi ad usum quotidianum sint necessaria, si commodè differri vel præveniri possint, consuetudo die festo non permittit, ut vestes vel calceos consuere, farcimina facere, panes pinsere, braxare, aquas comportare, &c. Denique ex consuetudine licent actio-

actiones, quæ nec propriè liberales sunt, nec serviles, sed communes tam liberis quàm servis, ut currere, ludere, digladiari, saltare, navi vel curru vehi, pedibus vel equo itinerari, venari, piscari, &c. modò hæc ultima fiant sine gravi labore in comportandis vel trahendis retibus aliisque instrumentis, & absit scandalum.

# De Sacramento Pœnitentiæ.

## CASUS XCVI.

### De ejus necessitate, materia proxima, dolore & proposito.

*JAbinus in examine Synodali interrogatus:* 1. *Quid sit virtus pœnitentiæ, quodnam ejus objectum materiale formale?* 2. *Quid Sacramentum?* 3. *An virtus pœnitentiæ sit necessaria necessitate medii?* 4. *An præcepti, & quando.* 5. *An & quando Sacramentum.* 6. *Quid sit detestatio, dolor, propositum, & qualiter requirantur ad Sacramentum.* 7. *Quid sit contritio perfecta, an appretiativè summa.* 8. *An statim justificet, an requirat certam intensionem, vel durationem.* 9. *Quid attritio, an sufficiat cognita, vel falsò existimata.* 10. *An ex solo metu gehennæ sit honesta.* 11. *Supernaturalis.* 12. *Efficax.* 13. *Quid de dolore ex metu pœnarum temporalium.* 14. *An dolor debeat esse universalis.* 15. *An etiam respectu venialium.* 16. *An sensibilis.* 17. *An elicitus ex intentione confitendi.* 18. *An præcedere absolutionem, an confessionem.* 19. *An perseverare moraliter.* 20. *Qualiter revocetur.* 21. *An idem dolor sufficiat pro pluribus confessionibus.* 22. *An repeti debeat confessio probabiliter invalida.* Pro Resol.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit pœnitentia? 1.

℟. I. Pœnitentia dicta est *à pœna*, quasi *pœnæ tenentia*, quia non solùm includit resipiscentiam seu propositum non peccandi deinceps, ut volunt hæretici, sed & dolorem animi seipsum affligentis ob malè commissa vel omissa; nam S. Script. & SS. Patres dum de pœnitentia loquuntur, semper doloris, afflictionis vel pœnæ mentionem faciunt. *Job. ult. Idcircò meipsum reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere. Joël 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra*, &c. Et clarissimè S. Aug. lib. 50. Homiliarum Homil. ult. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat DEO per pœnitentiæ dolorem. per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium*, &c.

R. II. Pœnitentia dupliciter accipitur: *Primò*, ut virtus. *Secundò*, ut Sacramentum. Ut *Virtus* est habitus inclinans ad detestandum & vindicandum peccatum proprium; ejus præcipuus actus seu pœnitentia actualis est contritio, quæ genericè sumpta est *Detestatio ac dolor animi de peccato, quatenus est offensa & injuria Dei, intentione eam delendi ac vindicandi, seu compensandi*, S. Th. *q. 85. a. 3. & a. 1. ad 3.* Objectum materiale est peccatum proprium, formale honestas compensationis sita in hoc, quòd ipse homo operetur ad compensandam & puniendam in se offensam & injuriam Deo illatam; peccatum verò dicitur offensa Dei, quatenus causat displicentiam, indignationem, iram & aversionem, & hæc offensa apud homines potest esse sine injuria: ut si amico absque causa neges librum, quo ipse valde indiget, & tu non uteris, utique amicum offendis, eique das causam displicentiæ & aversionis, non tamen facis ei injuriam, quia jus ad librum non habet; nam injuria est *læsio alieni juris ipso rationabiliter invito:* ideoque requirit restitutionem, seu redintegrationem juris læsi, quantum fieri potest. Offensa requirit satisfactionem per petitionem veniæ, per obsequia specialia; & quamvis Deo pro peccati injuria nihil possimus restituere, seu dare aliquid ex nostris, quod antè Dei non fuerit, nihilominùs æquissimum est, ut quæ contra sanctissimam ejus voluntatem, jus ac leges iniquè egimus, per pœnitentiam in nobismet ipsis vindicemus; pœnitentia prout reparat offensam seu pacem læsam, pertinet ad virtutem pacis, quatenus satisfacit pro injuria, reducitur ad justitiam; ejusdem enim virtutis est amare bonum, & avertere malum oppositum. Plura de objecto, fine & qualitate virtutis pœnitentiæ, si placet, vide apud Scholasticos, mihi non vacat, quia ad praxin parum sunt utilia. Pœnitentia ut Sacramentum *est absolutio hominis verè contriti & confessi à peccatis post Baptismum commissis*; est institutum à Christo Domino post resurrectionem, præcipuè dum *Joan. 20.* Apostolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Trid. *sess. 14. c. 1.* 2.

QUÆR. II. Qualiter pœnitentia sit necessaria? 3.

R. 1. Virtus pœnitentiæ homini in peccato mortali constituto omni tempore fuit necessaria necessitate medii, adeo ut sine aliquo ejus actu attritione vel contritione nullum mortale cognitum in hac providentia remittatur, est de fide, Trid. *l. c.* & Luc. 3. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Ratio est, quia homo per peccatum se voluntariè avertit à Deo; ergo per pœnitentiam se iterum ad DEUM convertere debet. 2. Etiam datur præceptum conterendi vel dolendi non quidem statim post admissum peccatum, vel quamprimùm peccati memoria recurrit, ut contra *S. Ant. Sylvest. Palud. Cajet. Sot. &c.* docet communissima totius Ecclesiæ praxi approbata sen- 4.

ten-

tentia: sed ad non differendum nimis diu, certè non ultra annum, ut vult Laym. aut ultra aliquas septimanas, spectatis circumstantiis personæ, tentationum, occasionum, periculorum, &c. juxta illud Eccl. 5. *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Ratio est, qui tamdiu manet voluntariè in Dei inimicitia, censetur de novo contemnere amicitiam Dei, & exponit se periculo graviùs relabendi, faciúque jacturam bonorum spiritualium vix numerabilium. 3. De articulo vel periculo mortis omnes admittunt obligationem contritionis perfectæ, saltem si Sacramentum suscipi non possit: imò quamvis suscipi possit, adhuc probabiliùs est obligatio ad contritionem perfectam, tum quia si unquam, certè in tali articulo, à quo pendet felix vel infelix æternitas, agendum est tutiùs, & locum habere debent verba S. S. Amb. & August. *c. si quis de pœnit. Tene certum, & dimitte incertum;* & nemo satis certus est, quòd per attritionem solam cum Sacramento sit salvandus, quia posset non esse baptizatus, ideóque incapax Sacramenti pœnitentiæ, posset Sacerdos carere validâ ordinatione, intentione, errâsse in forma, &c. tum quia tunc obligat præceptum charitatis in Deum, ut dixi *Cas. 16. n. 5.* Sed non potest quis Deum perfectè diligere, quin memor peccatorum ex eodem motivo doleat, & conteratur de peccatis: Ergo. Deinde qui negligit contritionem, non videtur facere quod est in se, ad quod videtur omninò obligari in tali articulo, aliàs nec satis confidere poterit Deum etiam ex sua parte non defuturum. Quare agonizantes ad ejusmodi actus præmissâ fide & spe studiosè sunt disponendi. 4. Per accidens contritio necessaria est, quando aliter tentatio vinci, aut imminens & publica Dei pœna, v.g. inundatio, irruptio hostium, &c. averti, vel aliud præceptum obligans, v.g. Communio sine pœnitentia impleri non potest.

℟. II. Sacramentum pœnitentiæ post Baptismum relapsis est necessarium necessitate medii in re vel in voto susceptum, quia est medium ex sui institutione justificativum, sine quo in re vel in voto susceptum nullum post Baptismum remittitur peccatum: suscipitur autem in voto vel proposito per actum contritionis seu charitatis perfectæ; nam qui perfectè conteritur aut diligit, est paratus servare omnia præcepta, adeóque implicitè etiam præceptum confessionis, quando obligabit, de quo dicam *Cas. seq. q. 8.* 5.

QUÆR. III. Quid sit contritio, dolor, propositum, & qualiter requiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ? 6.

℟. I. Contritio in genere *est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, Trid. c. 4.* Dicitur contritio, quia per eam cor hominis præ dolore quasi comminuitur, liquefit vel conteritur. Idque Spiritus S. in anima operatur ferè

ferè hoc ordine: Primò immittit agnitionem peccati, quâ agnoscit se Deum offendisse, cœlum amisisse, infernum meruisse, &c. 2. Succedit cogitatio de placando Deo per pœnitentiam. 3. Incipit voluntas peccatum execrari, detestari, dicendo v. g. *Utinam Deum meum non offendissem, tale scelus non admisissem!* Igitur *formalis detestatio* est fuga, horror, & aversio, qua voluntas, quantum est in se, vellet peccatum nunquam fuisse commissum. 4. Detestationi se infallibiliter consociat *formalis dolor*; id est tristitia, anxietas, lucta & inquietudo mentis conantis repellere malum peccati præsens, soletque exprimi his vel similibus verbis: Heu me miserum! quid feci? Quo me vertam? &c. Cùmque tristitia invalescit, non sistit in sola parte rationali, seu voluntate, sed & partem sensitivam occupat; hinc gemitus, singultus, lacrymæ, deliquia, &c. hic sensibilis dolor, etsi salubris sit, non tamen requiritur, neque ejus defectus est sufficiens signum defuisse dolorem rationalem efficacem. 5. Sequitur propositum efficax nunquam peccandi in futurum, petitio veniæ, voluntas satisfaciendi, & peccata in seipso puniendi per opera pœnitentiæ, &c. Igitur ad quamcunque contritionem sufficientem ad Sacramentum pœnitentiæ sive perfectam sive imperfectam ex mente Trid. requiruntur tria: 1. *Formalis detestatio*; quæ excludit peccatum ut præteritum, vellétque illud nunquam fuisse. 2. *Formalis dolor*, id est inquietudo, tristitia animi de peccato, apprehenso ut præsente: nec sufficit solus amor, quia Trid. explicitè requirit dolorem: Si tamen quis bonâ fide cum amore Dei ad Sacramentum accessisset, potest præsumere se etiam habuisse dolorem, etsi ejus non recordetur, quia non potest moraliter existere amor Dei perfectus; quin in homine peccatorum memore actu causet dolorem; qui enim actu summè amat & æstimat Dei amicitiam, non potest non odisse, & dolere inimicitiam, & offensam amici cognitam: similiter qui dolet se dolere non posse, per se loquendo, non habet dolorem sufficientem, quia hic dolor non est de ipso peccato, sed de carentia doloris; in homine tamen timorato ordinariè conjungitur cum dolore de ipso peccato, hinc qui cum tali dolore ad Sacramentum accessit, non tenetur confessionem repetere. 3. Propositum non peccandi de cætero: & quamvis probabiliùs sufficiat propositum virtuale inclusum in dolore universali, ut docet communis cum *Diana, Dicast. Gorm. p. 1. n. 468. Mezger. d. 44. a. 2.* quia si quis verè doleat, & non cogitet de proposito, neque de peccando in futurum, eò quòd v. g. dolore sit abreptus vel statim decapitandus, talis cum Sacramento videtur satis dispositus ad justificationem; in praxi tamen adhibendum est propositum formale, quo voluntas explicitè & seriò dicat: *Nolo peccare in futurum*; quia agitur de valore Sacramenti, & est incertum, an propo-

positum virtuale sufficiat; nam *Conc. Florent.* & *Trid.* non minùs expressam mentionem faciunt propositi, quàm doloris; & si sufficeret propositum implicitum, præter dolorem non requireretur propositum, quia dolor ipse est propositum implicitum.

7. §. II. Contritio est duplex, perfecta & imperfecta; perfecta concipitur ex motivo charitatis, doletque de peccato, quatenus est offensa Dei Summi Boni super omnia dilecti; vi hujus doloris homo appretiat & æstimat Deum super omne bonum creatum, & peccatum super omne malum; ita ut si opus esset, paratus sit potiùs amittere & perire omnia bona, etiam se ipsum, quàm Deum, & sustinere omnia mala physica, mortem, annihilationem, pœnas inferni, quàm rursus peccare, & hoc sensu contritio debet esse amor prædominans: ejusmodi tamen comparationes facere in praxi est periculosum, homini præsertim scrupuloso & imperfecto; cùm enim mala pœnæ utpote sensibilia naturaliter magis moveant, quàm mala culpæ, homo facilè incidet in nova peccata, scrupula vel desperationem; quare caveat Confessarius, ejusmodi comparationes proponere imperfectis, & si spontè pœnitenti incidant, v. g. *Quid faceres, si jam deberes cremari vivus, vel fornicari? Gratiam tui principis perdere vel committere hanc injustitiam?* &c. Non tenetur aliquid horum eligere, sed potest omnia respuere tanquam impertinentia & periculosa, satis est, quòd amore DEI offensi de facto seriò doleat & proponat non peccare deinceps, non attendendo, quid facturus esset in hac vel illa hypothesi pos-vel impossibili. 8. 2. Contritio est actus perfectæ charitatis in Deum, includitque votum Sacramenti Pœnitentiæ, hoc ipso quòd includat voluntatem servandi omnia Dei præcepta, & justificat extra Sacramentum, *Trid. c. 4. & Prop 71. Baij* damnata: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjuncta, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* 3. Contritio justificat, quamprimùm existit, neque ad hoc requiritur mora temporis, aut certa intensio, ut contra Adrian. & paucos Lovanienses apud Platel. p. 5. n. 550. (qui contritionem ab attritione distinguunt per solam majorem intensionem) docet communis & certa cum *S. Th. Bonav. Suar. hîc d. 4. s. 4. n. 7. Lug. d. 5. s. 8. n. 19.* Quia S. Scriptura, Trid. & SS. PP. loquentes de contritione justificante, nullibi mentionem faciunt certæ durationis, vel intensionis; sed solùm requirunt, ut sit charitate perfecta, atque talis est hoc ipso, quòd procedat ex motivo charitatis, & detestetur peccatum, quia Deo summo bono malum est: Ergo. Et specialiter quoad intensionem docet Synod. *Agathensis* apud Gorm. *p. 1. n. 445.* his verbis: *Sat est ad veram contritionem detestatio super omnia, licèt dolor non sit ita intensus ut alicujus mali temporalis.* Similiter S. Th. *in Suppl. q. 5. a. 3. Quælibet*

*libet contritio est gratiâ gratum faciente informata*; ergo quantumcunque sit parva, delet omnem culpam: idem docet de duratione *1.2.q.113.a.7.in Corp.* ubi ait, motum liberi arbitrii, per quem causatur justificatio, posse esse *instantaneum*. Ratio à priori est, quòd substantia & dignitas contritionis consistat in appretiatione DEI super omne bonum, & peccati super omne malum; quòd autem magis vel minùs sit intensa, plus minusve duret, est illi accidentale, vis autem justificationis in substantia contritionis, non in accidente ponenda est. 4. Certum est, ad Sacramentum pœnitentiæ non requiri contritionem, charitate perfectam; aliàs enim non per ipsum Sacramentum, sed semper prævie causaretur peccatorum remissio, & Sacramentum pœnitentiæ non magis dici posset causativum primæ gratiæ, quàm Sacramenta vivorum, quod apertè falsum est.

9. R. III. Contritio imperfecta, quæ proprio nomine vocatur *Attritio*, est *animi dolor, & detestatio peccati cum proposito non peccandi de cætero concepta ex motivo aliquo inferiore à charitate perfecta distincto*, v. g. ex spe præmii, timore judicii Divini, gehennæ & pœnarum, ex turpitudine peccati, quatenus est contra cultum, reverentiam, obedientiam DEO debitam; vel spoliat animam gratiâ, pulchritudine, jure ad gloriam, &c. Attritio à contritione perfecta solùm distinguitur ex parte motivi; perfecta enim procedit ex motivo charitatis seu amoris, amicitiæ & benevolentiæ, attritio procedit ex amore concupiscentiæ, quo vel volumus nobis bonum, scilicet veniam peccatorum, gratiam & gloriam, &c. vel volumus avertere à nobis malum gehennæ, purgatorii, iram Dei &c. ideóque omnis attritio salutaris ultimatè est actus spei Theologicæ vel timoris Dei. Certum videtur, quòd explicata attritio cum Sacramento pœnitentiæ sufficiat ad justificandum peccatorem; de ea enim Trid. *c.4.* habet sequentia: *Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Sufficiet itaque attritio etiam cognita, quia per hoc, quòd cognoscatur, non amittit vim suam; & quamvis Confessarius optimè faciat pœnitentem disponendo ad contritionem, si tamen advertat eum ad illam non pertingere, sed sistere in sola attritione, tenetur eum absolvere, quia est ritè dispositus; è contra, qui putat requiri contritionem, peccat mortaliter, si scienter accedat cum sola attritione, quia quantum est in se, Sacramentum reddit nullum. Neque sufficit attritio falsò existimata, quia existimatio non potest supplere defectum partis essentialis.

R. IV. Ut attritio & dolor ex præmemoratis motivis conceptus, sufficiens sit ad Sacramentum pœnitentiæ, debet habere conditiones seqq. 1. Dolor debet esse honestus 10.
& bonus, qualis etiam esse potest conceptus ex solo metu gehennæ,

vel

vel spe præmii, est de fide *ex Trid. c. 4. & 5.* ubi docet, ejusmodi attritionem esse *donum Dei, & Spiritûs S. impulsum.* Et, *quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*; sed actus, qui est impulsus Spiritûs S. qui viam ad justitiam parat, est honestus, imò & supernaturalis, ergo. Unde Alex. VIII. meritò damnavit prop. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 16. *Attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ, non est bonus motus ac supernaturalis.* 11. 2. Dolor debet esse supernaturalis, uti nunc certum est ex Prop. 57. ab Innoc. XI. damnata: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Ratio est, quia dispositio & medium debet esse proportionatum fini suo; sed finis, ad quem disponit attritio, est quid supernaturale, scilicet ipsa gratia sanctificans, ergo: in facto autem dolor erit supernaturalis, si ejus motivum proponatur per fidem, & specialiter respiciat Deum tanquam in se bonum, aut tanquam præmiatorem bonorum, vindicem malorum, tanquam primam regulam omnis honesti, &c. tunc enim si simul adsit spes veniæ, nihil deerit, quò minùs in talem dolorem influat principium aliquod supernaturale, refundens supernaturalitatem. Unde non sufficit, sed vanus & inutilis est omnis dolor ex motivo naturali, ut si doleas de peccato ob contractam inde infamiam, morbum, paupertatem, supplicium, &c. 12. 3. Dolor & propositum debent esse efficacia, hoc est, excludere omnem affectum etiam conditionatum ad peccatum; inde non valet dolor ex timore *serviliter servili*, quo quis dolet & detestatur peccata propter pœnam, v. g. gehennæ, cum ea animi comparatione, ut si non esset gehenna, non vellet dolere, sed peccare; quæ comparatio involvit affectum peccandi conditionatum, si abesset pœna. Si timor pœnæ sit absque tali comparatione animi, dicitur *servilis* sine servilitate; & talem dari posse, probat *S. Th. 2. 2. q. 9. a. 4.* nam potest quis nunc seriò nolle peccare, quia peccatum causat infernum, præscindendo an peccaturus esset, si motivum illud non occurreret; & sicut qui dicit, nolo furari, quia furtum causat patibulum, non ideò dicit se furaturum, si furtum non causaret patibulum, sed ab hoc præscindit, attamen vi hujus actus absolutè vult non furtum; item sicut actus, quo dico: Nolo hodie peccare, est honestus, neque ideo dico me velle cras peccare, sed ab hoc præscindo, ita attritus ex metu gehennæ; & Trid. dicit attritionem *ex metu gehennæ* conceptam disponere cum Sacramento ad justificationem, *si voluntatem peccandi excludat*, ergo manifestè supponit eam excludere posse: & certè si possit in homine dari metus mali corporalis efficax, id est determinans ad adhibenda omnia media necessaria pro evitando illo medio corporali, cur non possit dari metus efficax inferni, qui voluntatem determinet ad adhibenda media necessaria pro

evitando inferno, atque tale medium est vitare omnem affectum peccati mortalis, ergo. Hinc plerique
13. dicunt, id in praxi esse certum & tutum: dolor verò conceptus ex metu pœnarum temporalium hujus vitæ, ut à Deo infligendarum, etsi speculativè videatur sufficere, si per fidem proponatur, quia tunc potest esse honestus, supernaturalis & efficax modo explicato, & *hoc timore salubriter concussi Ninivitæ plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à DEO impetrârunt, Trid. l. c.* quia tamen id Canus, Hurt. Vasq. *q. 92. a. 1.* probabiliter negant, in praxi adhibendus est dolor certò sufficiens, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Si quis tamen cum tali dolore bonâ fide confessus est, non tenetur confessionem repetere; quia dolor ille probabilissimè est sufficiens, *Tamb. Lugo d. 5. n. 150. Sporer n. 242. La Croix n. 884.* 4. Dolor (idem est de proposito) debet
14. esse universalis, hoc est, se extendere ad omnia mortalia etiam ignorata saltem implicitè ratione motivi omnibus mortalibus universaliter oppositi, ut si doleas ob Deum offensum, cœlum amissum, infernum promeritum, &c. *S. Th. Pallav. Gorm. à n. 149. Stotz. hic n. 76.* Ratio est, quia unum mortale non remittitur sine alio, & nullum remittitur sine dolore; si ergo unum non remittatur, eò quòd ad illud se non extendat dolor, etiam reliqua non remittentur; hinc si habeas peccatum dubium, vel aliud, quod ex justa causa nunc confiteri non teneris, debes de eo dolere, aliàs confessio est nulla & sacrilega. Dixi, *saltem implicitè*, quia opus non est, ut de singulis explicitè & distinctè doleas; neque opus est omnia distinctè cognoscere nisi in ordine ad confessionem, *S. Th. q. 28. de verit. a. 5. ad 3. Suar. d. 4. s. 6. Dian. p. 3. t. 5. n. 118. Spor. à n. 88.* Ratio est; quia quando adest vera contritio vel attritio cum Sacramento, etiamsi quis explicitè non cogitet de omnibus mortalibus à se commissis, ut per se patet, & testantur S. Paginæ plures, v. g. S. Mariam Magdalenam, bonum Latronem, S. Paulum, &c. repentè fuisse justificatos absque hoc, quòd tempus haberent peccata singula recogitandi; an verò Sacramentum pœnitentiæ defectu doloris universalis possit esse validum & informe, Scholasticis relinquo, quia plus habet difficultatis, quàm utilitatis. Dolor respectu venialium etiam suo 15.
modo debet esse efficax & universalis, aliàs non remittuntur omnia; sed tantùm ea, de quibus doletur efficaciter cum serio proposito ea deinceps non committendi. Si confitens mera venialia de nullo haberet dolorem & propositum efficax, certò peccaret mortaliter, quia redderet Sacramentum nullum defectu materiæ proximæ; non tamen videtur mortale, si confitens doleat de aliquibus, & non de omnibus; cùm enim venialia sint materia libera, sufficit ad valorem Sacramenti efficaciter dolere de aliquibus.

*Suar.*

*Suar. Lug. d. 14. ſ. 8. Mezger. d. 46. a. 4. n. 11.*

Dices, qui Sacerdoti inter plures hoſtias apponit unam non conſecrabilem, v. g. hordeaceam, peccat mortaliter: ergo etiam qui ponit unum peccatum, in quod cadere non poteſt abſolutio; deinde quoad illud peccatum, de quo non doletur, falſificatur forma: *Ego te abſolvo*, quod videtur gravis irreverentia. R. N. C. Forma conſecrationis eſt demonſtrativa, & de ſingulis hoſtiis dicit: *Hoc eſt Corpus meum*, quod falſificatur in hoſtia hordeacea, & exponitur merus panis adorandus, quod eſt idololatria; at forma remiſſionis non dicit de ſingulis peccatis quòd remittantur, ſed tantùm: *Ego te abſolvo*, hoc eſt, do gratiam remiſſivam omnium peccatorum, quod manet verum, etiamſi unum vel alterum veniale non remittatur, vel etiam ſubjiciatur mortale ſemel ritè confeſſum, vel antecedenter remiſſum per con-
16. tritionem. 5. Dolor debet eſſe ſenſibilis, non eo ſenſu, quòd debeat elici ab appetitu ſenſitivo, ſed quòd debeat ſigno aliquo externo manifeſtari, quod ſit per ipſam confeſſionem, tunſionem pectoris, petitionem Confeſſarii, &c. Ratio eſt, quòd confeſſio debeat eſſe dolorosa, & ut talis cognoſci à Confeſſario, atque hoc fieri non poteſt, niſi dolor ſigno aliquo externo ma-
17. nifeſtetur: ergo. 6. Dolor debet elici ex intentione confitendi, *Bonac. Dicaſt. La Croix n. 687. cont. Lug. Raſter, Tamb. Sporer, Mezger.* Ratio eſt, quia aliàs dolor non eſt actio Sacramentalis, nec cenſebitur ſubjici formæ, tanquam pars materialis & determinanda, ſicut ablutio facta ſine intentione baptizandi, quamvis ex pòſt referretur ad Baptiſmum, & adderetur forma, non eſſet pars Baptiſmi. Si dicas, ablutio eſt actio miniſtri, qui agit nomine Chriſti, ideóque ſpecialiter debet poni ex intentione Sacramenti; dolor verò eſt actus ſuſcipientis Sacramentum. *Contrà eſt:* Etiam actio ſuſcipientis debet poni ex intentione Sacramenti; ſi enim ordinandus poneret contactum materiarum ſine intentione Sacramenti, non ordinaretur validè, neque validè abſolvitur, qui non confitetur ex intentione Sacramenti; ſi enim ipſa ſatisfactio, quæ ſolùm eſt pars integralis, debeat poni cum ordine ad Sacramentum, ut dicam ſuo loco, multò magis dolor, qui eſt pars eſſentialis. *Dices:* Trid. nullam facit mentionem de dolore eliciendo ex intentione confeſſionis. 2. Dolor de peccatis ante Baptiſmum non neceſſariò refertur ad Baptiſmum, ergo nec dolor ad confeſſionem. 3. Dolor & propoſitum efficax includunt voluntatem ſervandi omnia præcepta, ergo & voluntatem confitendi implicitam, quæ ſufficit. R. *ad* 1. Tridentinum requirit dolorem, qui ſit pars & materia proxima Sacramenti, qualis non eſt, niſi eliciatur ex intentione confiten-

di. *Ad 2. N. C.* Dolor est pars Sacramenti pœnitentiæ, non verò Baptismi, hinc non indiget per intentionem referri ad Baptismum. *Ad 3. N. C.* Sæpè elicitur dolor de peccatis, de quibus confitendis non est præceptum, qualia sunt venialia aut mortalia semel ritè confessa, adeòque dolor secundùm se est quid indifferens ad confessionem. Deinde dolor debet magis referri ad confessionem quàm ad alia præcepta, v.g. de jejunio, de audienda Missa, est enim pars Sacramenti, & pars debet referri ad compartem; sed per voluntatem implicitam servandi omnia præcepta, dolor non magis refertur ad confessionem, quàm alia præcepta; ergo requiritur alia relatio, scilicet ut eliciatur ex intentione explicita suscipiendi Sacramentum, neque de hoc in praxi potest esse dubium, quia agitur de valore Sa-
18. cramenti. 7. Dolor & propositum debent præcedere absolutionem, vel saltem ante ejus finem esse præsentia, ut certum est; nam sine dolore & proposito pœnitens non est dispositus, & absolutio non potest ferri super indispositum. Dubium est, an dolor debeat præcedere confessionem? Affirmant *Suar. Con. Dicast. Laym.* quia confessio non videtur esse Sacramentalis & dolorosa, nisi procedat ex prævio dolore tanquam causa, & dolor subsequens per confessionem non potest fieri sensibilis, nihilominùs dolorem posse subsequi confessionem docet communis, & probat praxis confessariorum & pœnitentium, qui contenti sunt, si dolor eliciatur ante absolutionem; confessio est Sacramentalis & dolorosa ex hoc, quòd fiat ex intentione Sacramenti & eliciendi dolorem ante absolutionem, unde & dolor per eam tanquam per causam fit sensibilis; quia tamen sententia opposita non videtur improbabilis, in praxi eliciendus est dolor ante confessionem, vel post dolorem accusatio in genere repetenda, dicendo: De his omnibus *doleo & me accuso, &c.* 8. Dolor 19.
debet tempore absolutionis perseverare moraliter, ita ut vi istius doloris adhuc censeatur pœnitere, quod tunc fiet, si dolor adhuc existat in se, vel in aliquo suo effectu; hinc communiter dicunt, hodie validè absolvi, qui heri ex intentione confitendi elicuit dolorem, & ex illo proposito absque novo dolore confitetur; in dubio an dolor desierit, sub mortali renovandus est, ne Sacramentum exponatur periculo 20.
nullitatis. 9. Dolor non debet esse revocatus, revocatur autem per novam complacentiam vel consensum in idem peccatum, de quo quis doluit, vel per quodcunque mortale, unde qui ante doluit de mortalibus; & post iterum peccat mortaliter, debet de novo dolere, quia per priorem dolorem non est ampliùs dispositus ad Sacramentum, & cessavit efficax propositum non peccandi hoc ipso, quòd de novo peccet. Sed quid si quis sub eodem motivo universali, v. g. ob bonitatem Dei offensi simul doluit de mortalibus & venialibus;

an

an ex post peccando venialiter non tantùm revocet dolorem quoad venialia, sed etiam quoad mortalia, ita ut sine novo dolore de mortalibus non possit ad Sacramentum accedere? Negant *Gorm. Gobat, Spor. n. 290. Stotz. l. 1. p. 2. n. 72.* quia ille dolor quidem sub eodem motivo tendit in omnia mortalia & venialia, sed inæqualiter; magis quippe detestatur mortalia, quàm venialia, magis graviora, quàm minora, quia hæc magis opponuntur suo motivo bonitatis Dei, quàm illa. Ergo quamvis per novum peccatum veniale revocetur dolor quoad venialia similia, non tamen quoad mortalia; hæc sententia est probabilissima: at quia agitur de valore Sacramenti, non videtur mihi satis tuta, ideòque dolor de mortalibus breviter erit renovandus. Ratio est: quia ille dolor universalis est unus physicè actus, indivisibiliter tendens in mortalia & venialia; ergo hoc ipso, quòd desinat quoad venialia, etiam desinit quoad mortalia. *Respondent:* Desinere actum physicè, manere autem moraliter, quia voluntas manet habitualiter aversa à mortalibus: hoc quidem probabilissimum est, sed non satis certum. At quid si post dolorem recorderis peccati mortalis, ante non cogniti, an opus est novo dolore? R. Si doluisti de solis venialibus, vel etiam de mortali ex dolore particulari, v.g. de ebrietate ob specialem ejus turpitudinem, opus est novo dolore; quia prior se non extendit ad mortale oblitum, secùs si doluisti de mortalibus ex motivo universali, v. g. quòd gratiâ Dei excideris, infernum merueris; quia talis dolor etiam opponitur mortali oblito. 10. Quæstio est inter DD. an idem dolor physicè præteritus sufficiat pro pluribus confessionibus? Affirmant *Henriq. Dicast. Sporer n. 298. Mezger a. 4. n. 7.* saltem si quis statim redeat, & iterum confiteatur peccatum, quod erat oblitus; quia sicut eadem materia potest successivè constituere plura composita, sic & idem dolor moraliter perseverans plura Sacramenta; econtra negant *Vasq. Jo. Sanch. Bernal.* quia duplex successiva ablutio non potest servire pro duplici Baptismo, ergo nec idem dolor pro duplici Sacramento; & certè si sufficiat dolor physicè præteritus non revocatus, poterit quis indies confiteri, etsi ante annum doluerit, quod videtur absurdum. Utraque sententia est probabilis, ideo in praxi dolor iterum erit renovandus, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Dixi, dolorem physicè præteritum; nam si idem dolor physicè perseveret saltem tenuiter seu virtualiter, & ordinetur ad novam confessionem, certò sufficiet, quia est quasi renovatus; communiter autem fit, ut dolor ille tenuiter permaneat, si pœnitens statim recurrat, & confiteatur peccatum bonâ fide omissum. 11. Hîc generaliter notandum est, quòd non sit obligatio repetendi confessionem, quandocunque est probabiliter valida, quia tunc probabile est illa peccata semel esse legitimè confessa, & in

21.

22.

& in dubio ſtandum eſt pro valore actûs, neque ulla lex obligat ad bis confitendum idem peccatum, neque Sacramentum exponitur periculo nullitatis; nam quamvis fortè prior confeſſio ſit nulla, priora tamen peccata certò remittentur indirectè per confeſſionem ſubſequentem; modò dolor ſit univerſalis etiam ad priora mortalia ſe extendens.

## CASUS XCVII.

### De materia remota & integritate confeſſionis.

KArinus dubitat: 1. *Quæ ſit materia proxima & remota pœnitentiæ.* 2. *An etiam peccata ante Baptiſmum commiſſa, an venialia, mortalia ſemel confeſſa.* 3. *Qualiter confeſſio debeat eſſe integra.* 4. *Quid integritas materialis & formalis.* 5. *Quale requiratur examen.* 6. *Quid de peccatis indirectè remiſſis.* 7. *Quid de confitente peccatum in genere.* 8. *Quid de eo, qui dicit: Feci circiter toties.* 9. *Qualiter ſe explicare debeant conſuetudinarii, & quid ſi ex poſt peccatorum diſtinctiùs recordentur.* 10. *An teneantur fateri conſuetudinem.* 11. *Qualiter explicandus numerus.* 12. *Quid ſi unum individuum dicatur præ alio.* 13. *Quid de actu externo ejúſque effectu.* 14. *An explicandum medium & finis.* 15. *An peccatum & ejus periculum.* 16. *An malitia, quam peccans apprehendebat vel ignorabat.* 17. *An liceat quærere Confeſſarium ſuæ opinioni faventem.* 18. 19. 20. *Quid de circumſtantiis aggravantibus.* 21. *Quid in dubio poſitivo an peccâris mortaliter.* 22. *An confeſſus.* 23. *Quid in dubio negativo.* 24. *Quid de ſcrupuloſis.* 25. *Aut iis, qui ſolent vel non ſolent ſic peccare.* 26. *Quid de eo qui confeſſus eſt dubium ut certum, vel majorem numerum præ minore.* 27. *Vel certum ut dubium.* 28. *Quid ſi dixit totum peccatum, ſed neſcit, an ſit mortale, vel veniale.* 29. *An ab integritate excuſentur mutus, vel culpabiliter oblitus peccatorum, naufragi, milites in conflictu.* 30. *An moribundus, qui non ſcitur dediſſe ſignum, vel dedit dubium, vel in abſentia Sacerdotis, quid ſi ſit confeſſus in duello vel adulterio.* 31. *An excuſet periculum contrahendæ peſtis vel peccati.* 32. *An poſſit vel debeat dici peccatum cum manifeſtatione complicis.* 33. *An excuſet infamia vel confuſio propria, vel magnus accurſus populi.* 34. *Quid ſi pœnitens confiteatur Superiori unum reſervatum, & alterum non reſervatum.* 35. *An de peccato omiſſo vel oblito debeat quis dolere, & ex poſt confiteri.* 36. *Quid ſi pœnitens in confeſſione mentiatur.* 37. *An debeat dicere peccatum eſſe vel non eſſe confeſſum, quid ſi dicat non confeſſum eſſe confeſſum.* 38. *Aut dicat apud unum mortalia, apud alium venialia, vel volens generaliter confiteri aliqua omittat.*

39.

39. *An aliquando debeat vel possit confessio fieri publicè, vel per interpretem.* 40. *An mutus debeat confiteri per nutus, &c. An debeant peccata scribi, ut non excidant.* 41. *An puella verecunda, agrotus, surdaster, possit peccata Confessario dare in scriptis.* 42. *Quid si confessio fiat ex fine inhonesto.* 43. *Quid si Confessarius dormitans aliqua peccata non intellexit, & nescias quæ.* 44. *Quid si aliquæ confessiones sint invalidæ cum vel sine tua culpa.* 45. *Sed nescias quæ.* 46. *Quid si pœnitens dicat: A multis annis sum malè confessus.* 47. *An dimittendus.* 48. *An confessio jure Divino obliget per se in periculo vitæ, & sæpiùs in vita, quando per accidens.* 49. *An obliget omni anno, an hæreticos, pueros.* 50. *An habentem sola venialia; an per confessionem venialium satisfiat præcepto.* 51. *An satisfecit confessus invalidè, vel ille, cui injustè negata est absolutio.* 52. *An tempus annuæ confessionis currat à prima Januarii, vel à Paschate ad Pascha.* 53. *An confessio sit annexa tempori Paschali.* 54. *Quot peccata committat diu eam differens.* 55. *An teneatur prævenire, qui ex post prævidet se impediendum.* 56. *Qui hoc anno non est confessus, an teneatur supplere anno sequente.* 57. *An per talem confessionem satisfaciat pro annis præteritis & præsente.* 58. *An oblitus mortale teneatur illud confiteri eodem anno, & quæ sit pœna negligentis confessionem annuam?* Pro Resolut.

1. QUÆR. I. Quæ sit materia Sacramenti pœnitentiæ?

82. *Materia ex qua & proxima* sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, satisfactio. *Florent. Trid. sess. 14. c. 3. & 4.* Ratio est, quia per hos actus materia remota seu peccatum proximi applicatur clavibus, & fit aptum absolvi. De contritione egi *Casu præced.* De satisfactione dicam *Cas. 101.* de confessione in præsenti. *Materia ex qua seu remota sunt* peccata post Baptismum commissa: Unde 1. solæ imperfectiones v. g. quòd quis non responderit Divinis inspirationibus, non fecerit bona, quæ potuit, infregerit propositum vel regulam sub peccato non obligantem, de se non sunt materia sufficiens absolutionis; ordinariè tamen habent adjunctum peccatum levis negligentiæ, otiositatis, &c. adeóque Confessario utiliter exponuntur; addi tamen debet materia certa, v. g. veniale ex præteritis confessionibus, aut si materia certa haberi non possit, absolutio solùm danda est sub conditione. 2. Non sufficit peccatum existimatum, sed requiritur verè commissum; unde B. V. quia ab omni peccato immunis fuit, non fuit capax absolutionis. 3. Peccatum originale & actualia ante Baptismum commissa non sunt materia apta absolutionis, *Trid. sess. 14. c. 1. 2. 4. 5.* quia non sunt peccata hominis subditi Ecclesiæ, & remitti debent per Baptismum; ideóque pœnitentia dicitur secunda post naufragium tabula, ut si quis post Baptismum denuò peccato naufragus fuerit, per Sacramentum pœnitentiæ salvari possit. 4. Peccata venialia & mortalia semel ritè confessa sunt materia *sufficiens, sed libera*, ideóque

2.

que sine culpa omitti possunt, quia non pugnant cum gratia; omne verò mortale nunquam ritè confessum est *materia necessaria*, seu ex præcepto Divino confitenda, etsi sit occultum & forsan contritione expiatum. Colliguntur hæc ex *Florent.* & *Trid. l.c.*

3. QUÆR. II. Quid circa integritatem confessionis?

℟. 1. Confessio debet esse integra, ita ut exprimantur omnia & singula mortalia etiam merè interna post Baptismum commissa quoad numerum & speciem, ac circumstantias speciem mutantes. Est de fide ex Trid. *sess. 14. c. 5. can. 7. Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, &c. anathema sit.* 2. Integritas alia est materialis, alia formalis. *Confessio materialiter integra* est, quâ exprimuntur omnia mortalia nunquam confessa; formaliter integra est, in qua exprimuntur mortalia aliqua, & alia ex invincibili oblivione, vel alia justa causa omittuntur; hæc est de necessitate Sacramenti, ita ut si quis invincibiliter omitteret omnia, aut confiteretur solos defectus naturales, confessio esset nulla defectu materiæ remotæ. Integritas materialis est tantùm de necessitate præcepti Divini, à quo præcepto excusamur per inculpabilem oblivionem, vel per justam causam aliquid reticendi. 3. Confessioni sub mortali præmittendum est diligens examen circa numerum & speciem; qui enim tenetur ad finem, scilicet confessionem integram, etiam tenetur ad media ordinaria & necessaria, quale est diligens discussio conscientiæ, non tamen requiritur diligentia summa; hoc enim humanæ infirmitati foret intolerabile, & Sacramentum redderet odiosum; sed sufficit diligentia mediocris, qualem prudens adhibet in negotio gravis momenti, v. g. in disquisitione debiti pecuniarii, *Scot. Suar. Laym. c. 8. n. 5.* qui sæpiùs confitentur, pro examine indigent minori tempore; rudes & imperiti non tenentur ad tam exactam discussionem, sicut docti, & juvati debent à Confessario: sed quid si quis adhibitâ mediocri diligentiâ speret fore, ut sibi occurrant plura mortalia, si majorem & extraordinariam diligentiam adhibuerit? ℟. Ad extraordinariam diligentiam non teneri; talis enim homo nunquam foret quietus, & adigeretur ad diligentiam summam contra supra dicta. Si quis omittat diligentiam mediocrem, peccat mortaliter, neque tunc sufficit peccatum omissum repetere, sed repetenda sunt omnia mortalia, nisi Confessarius illorum adhuc reminiscatur, quia confessio fuit sacrilega & invalida. Sed *dices:* Unde scio negligentiam in excutienda conscientia fuisse graviter culpabilem? ℟. Si negligenter te habuisti, & advertens ad obligationem ul-

4.

5.

ulteriùs inquirendi, non inquisivisti, vel advertere noluisti. 4. Ut con-
6. fessio sit integra, debent exprimi omnia mortalia directè nunquam remissa; illa autem dicuntur directè remissa, quæ fuerunt manifestata Sacerdoti habenti in ea jurisdictionem; peccata verò bonâ fide omissa vel reservata remittuntur indirectè, quia omissa Confessarius non cognovit, in reservata etsi confessa non habuit jurisdictionem. Ratio est, quia cùm unum mortale non remittatur sine alio, necessè est, ut si remittantur peccata ritè confessa, etiam remittantur peccata bonâ fide omissa vel reservata; hinc peccata indirectè remissa dicuntur remitti ratione aliorum, cætera ratione sui: per consequens indirectè remissa vel inculpabiliter omissa vel oblita debent de novo subjici Clavibus, ut remittantur directè; patet ex Prop. 11. ab Alex. VII. damnata: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.* 5. Est obligatio confitendi
7. speciem infimam mortalium, unde non sufficit explicare genus peccati vel speciem subalternam, dicendo: Peccavi graviter contra Religionem; sed dicere debes: Semel blasphemavi, falsò juravi, tale votum infregi, &c. Similiter non sufficit dicere: Exposui me vel alium periculo peccandi graviter; sed debes explicare species peccati mortalis, cujus te periculo exposuisti: qui scit se mortale admisisse, v. g. affectui pravo consensisse, sed non potest reminisci in qua specie, tenetur illud exprimere, prout cognoscit, nec opus est addere aliquod veniale, quia illud mortale genericum est materia sufficiens & necessaria, *S. Th. Navar. Suar. d. 23. s. 1.* Si homo rudis in genere tantùm dicat, se esse miserum peccatorem, vel se peccâsse cogitatione, verbo & opere, nec aliud nequidem veniale extorquere possit, extra mortis periculum non est absolvendus, & ita habere praxin testatur *Laym. c. 8. n. 7.* Ratio est; quia nemo censetur tam rudis, ut non possit aliquod peccatum saltem veniale in specie confiteri, v. g. verbum otiosum, mendacium, distractionem, &c. & fortè talis nullum in se peccatum agnoscit, sed ideò se solùm dicit peccatorem, quia audivit omnes homines esse peccatores. 6. Qualiter 8.
peccata distinguantur specie, dixi *Cas. 7.* qualiter numero, *Cas. 8.* quæ necessariò hîc sunt recolenda, debet autem exprimi numerus certus, si sciri possit, qui scit se feciisse octies, & dicit: Feci *fortè*, vel *circiter* octies, *plus minus*, &c. peccat mortaliter, nisi excusat ignorantia, bona fides, scrupulositas, &c. quare Confessarius non debet passim istas phrases admittere, præsertim ab iis, qui ante breve tempus confessi sunt, & adferunt peccata satis palpabilia, quia non edicere certum numerum in his, arguit defectum examinis. Qui certum numerum scire non potest, satisfacit dicendo verosimilem, addendo *circiter* vel *plus minus*, v. g. *circiter*

*decies*; nam si tum reperias, te feciſſe undecies vel duodecies, non teneris hoc de novo confiteri, cùm unum vel duo ſufficienter cenſeantur includi & exprimi in TÒ *circiter*, reſpectu decem, ſi confitearis *circiter vigeſies*, in TÒ *circiter* includentur tria; reſpectu centum includentur octo, novem vel etiam decem. *Tann.* putat eum ſatisfeciſſe, qui dixit circiter vicies, & ex poſt reperit fuiſſe tricies; *Vivald.* liberat eum, qui dixit: Feci circiter centies, etſi ex pòſt meminerit contigiſſe ducenties; at uterque nimiùm laxè, ideòque communiter rejiciuntur; & Ratio horum eſt, quia numerus, qui exprimitur in TÒ *circiter*, debet eſſe vel abſolutè parvus in ſe, vel parvus reſpectu numeri adjuncti, ita ut parvus exceſſus cenſeatur quaſi abſorberi in numero majori expreſſo, ut unum reſpectu quatuor, duo reſpectu decem, tria reſpectu viginti, quatuor reſpectu quadraginta, novem vel decem reſpectu centum, & ſic proportionaliter, *Nav. Lug. Dian. p. 3. t. 4. R. 194.* Si quis dixit, feci decies, non addendo circiter, & ex pòſt comperiat certò contigiſſe undecies, vel de hoc dubitat, debet in proxima Confeſſione dicere, ſemel blaſphemavi, vel de hoc dubito, quia hanc vicem non expreſſit, communis DD. 9. 7. Qui habet conſuetudinem deliberatè blaſphemandi, pejerandi, fornicandi, ſi nec probabilem numerum peccatorum inire poſſit, debet ſaltem exprimere, quoties credat ſe in die, ſeptimana vel menſe peccâſſe, aut ſi nec ſic probabilem numerum dicere poſſit, ſatis erit exprimere tempus conſuetudinis, ſic meretrix ſatisfaciet, dicendo: Tanto tempore admiſi quoſvis; enormiora tamen, quæ rariùs fiunt, debet exprimere, dicendo, quoties v. g. peccârit contra naturam, vel cum conſanguineis, maritatis, voto aſtrictis, &c. hæc enim facilè obſervari poſſunt: idem tenet de fure conſuetudinario, qui ſi non poſſit dicere numerum omnium furtorum, ſaltem explicare poterit ſacrilegia, rapinas, &c. concubinarius ſatisfaciet dicendo: Tanto tempore uſus fui concubinâ velut uxore, *Lugo d. 16. n. 557. At quid?* Si iſti ſic confusè confeſſi, poſtea magis diſtinctè recordentur de numero & ſpeciebus peccatorum commiſſorum, annon erit obligatio (de conſilio nemo dubitat) eadem poſtea diſtinctiùs confitendi? R. Negativè cum *Vaſq. q. 91. a. 1. Lugo n. 563. Sporer n. 454. La Croix l. 6. p. 2. n. 934.* Ratio eſt: quia per illam confuſam narrationem peccata ſatis intellecta ſunt à Confeſſario, ut potuerit de iis formare morale judicium, & ab iis abſolvere. Generaliter hîc advertat Confeſſarius, ne ſuos pœnitentes nimiùm cruciet, & Sacramentum odioſum reddat, diſtrictiùs ab iis exigendo certum peccatorum numerum; ſed magis ſatagat eis horrorem peccati incutere, & ad veram contritionem diſponere. 8. Tenebitúr- 10.
ne conſuetudinarius ſpontè fateri pravam ſuam conſuetudinem? R. Si conſuetudo ſit cauſa vel occaſio

proxi-

proxima actuum objectivè malorum, v. g. perjuriorum, blaſphemiarum, etiamſi hi actus fortè propter inadvertentiam non ſint peccata, tamen eſt ſub mortali obligatio emendandi ejuſmodi conſuetudinem, aliàs illæ blaſphemiæ & perjuria fiunt voluntaria in cauſa; & ſi cauſa ſeu conſuetudo, ut poteſt, non emendetur, tenetur ſe ſpontè accuſare de hac negligentia, *Suar. Laym. Dicaſt. a. 9. Diana p. 3. t. 5. R. 62.* Similiter qui per frequentatos actus advertit ſe contrahere conſuetudinem cum periculo in futurum relabendi, peccat dupliciter, nempe ipſo actuali peccato, v. g. blaſphemiæ, deinde etiam contrahendo conſuetudinem, quæ erit cauſa proxima futurarum blaſphemiarum, ideóque confitens dicere debet: Toties blaſphemavi, & blaſphemando advertenter induxi vel auxi conſuetudinem blaſphemandi, *D. D. c. c.* Deinde etiam eſt obligatio aperiendi conſuetudinem, ſi Confeſſarius de ea interroget, utì certum eſt ex Prop. 58. ab Innoc. XI. damnata: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Ratio eſt, quia Confeſſarius quà judex & medicus habet jus de ea interrogandi, ut ſciat an pœnitens verè proponat, an ſit in occaſione proxima relabendi, an & quibus præſervativis indigeat: quòd ſi Confeſſarius de conſuetudine non interroget, neque ea de novo ſit voluntaria, probabile eſt quòd pœnitens eam non teneatur ſpontè aperire, *Lug. n. 202. Sporer n. 455. La Croix n. 968.* quia nemo per ſe loquendo tenetur bis aperire idem peccatum, ſed præter peccatum de novo admiſſum fateri priorem conſuetudinem eſt confiteri eadem peccata bis: ergo. 9. Qui uno actu tribus detraxit, tres numero malitias admittit in confeſſione explicandas, non tamen debet dicere: Ter uni detraxi, hoc enim falſum eſt; ſed dicere debet: Uno actu detraxi tribus. Econtrà qui per tres actus furatus eſt eidem tres ducatos, malè dicit: Furatus ſum tres ducatos, quia tres actus faciunt tria numero peccata; qui verò uno actu furatur tres ducatos, ſatisfacit, dicendo: Semel furatus ſum ducatos tres, niſi quilibet ducatus pertinuerit ad diſtinctum hominem; hoc enim exprimi deberet, quia tunc ſunt tria numero diſtincta peccata, cùm lædantur tria diſtincta jura: ſimiliter plura erunt peccata, ſi quis eodem actu plures intendat occidere, pluribus detrahere, ſæpiùs fornicari, ideóque dicere debet: Tot volui occidere, tot detrahere, toties fornicari; item toties multiplicatur numerus peccati, quoties voluntas peccandi retractatur & reaſſumitur, ut explicavi *Caſ. 8.* ubi etiam dixi, qualiter ſe explicare debeat, qui plures ſcandalizavit, qui uno impetu iræ eidem plura inflixit vulnera, aut contumelias, imprecatus eſt diſtincta mala, plures falſitates eodem, vel eandem falſitatem pluribus perjuriis confirmavit, plures in ſtatu diſgratiæ abſolvit, plures hoſtias conſecravit vel diſtribuit, plures articulos

11.

fidei eodem actu negavit, in distinctis materiis blasphemavit, &c. De speciebus luxuriæ V. *Cas. 11. à n. 3.* de pravis affectibus, desideriis, cogitationibus, *Cas. 9.* 12. 10. Dicere unum individuum physicum pro alio, non obstat integritati, ut si dicas te occidisse Petrum, cùm occideris Paulum, te fornicatum in Junio, cùm factum sit in Majo, quia manet idem peccatum moraliter, nisi ratione diversitatis physicæ accederet alia species malitiæ, v. g. Si Paulus occisus fuisset clericus, non autem Petrus. 13. 11. In Confessione etiam explicari debet actus externus, qui complet volitionem internam, seu pendet ab actuali libero influxu malæ voluntatis, eóque influxu cessante statim cessat, ut verbum contumelioſum, furtum, fornicatio, percussio, explosio sclopeti, &c. ut primùm enim voluntas mandat, cessat locutio, furtum, &c. *Sporer n. 380. Platel. hic n. 774.* Ratio est: quia tales actus externi sunt pars peccati consummati; cùm ergo totum peccatum sit exprimendum, etiam talis actus externus exprimi debet; hinc non sufficit dicere: Volui contumeliari, furari, fornicari, sed dici debet: Sum contumeliatus, furatus, fornicatus: aliud est de effectu ex tali actione directè vel indirectè intento & secuto, qui in suo fieri & esse non ampliùs dependet ab actuali influxu voluntatis, velut mors secuta ex tua explosione vel exhibito veneno, abortus ex pharmaco, ebrietas ex potu; talis effectus per se non est explicandus, *Lug. d. 16. s. 9. Dian. p. 1. t. 7. R. 6. Gob. cas. 14. n. 351.* Ratio est: quia talis effectus non est pars peccati, nec ampliùs pendet à tua voluntate, sed positâ liberâ & peccaminosâ explosione, & datione veneni, homo moritur, sive velis, sive nolis; & dum mors sequitur, non ampliùs peccas, aliàs posses peccare in somno, vel in cœlo constitutus, si post explosionem indormiscerès, vel pœnitens morereris, ideòque tunc, per se loquendo, satis erit dicere: Ex intentione occidendi explosi, venenum præbui, consilium vel remedium dedi ad abortum, bibi animo me inebriandi, indormivi turpibus cogitationibus, cum periculo prævisо pollutionis, projeci Breviarium, prævidens me tanto tempore non posse orare Horas, tacendo an mors, abortus, ebrietas, pollutio, &c. secuta sint, nec ne. *Dixi, per se loquendo*, quia omnes fatentur utilissimum esse & subinde necessarium exprimere ipsum effectum, putà homicidium, abortum, pollutionem secutam, tum ut Confessarius sciat, an subsit obligatio restitutionis, irregularitas, censura, reservatio, &c. Similiter explicari debet effectus secutus, quando adhuc est status libertatis, ut si quis per tactus vel turpes amplexus liberè in se causet pollutionem. 14. 12. Si medium habeat distinctam malitiam à fine, utraque explicanda est; hinc si furatus es, ut forniceris, non sufficit dicere, sum furatus, sed sum furatus animo fornicandi, etiamsi fornicatio non sit sub-

subsecuta, quæ si sit secuta, etiam explicanda est, dicendo: Sum furatus ex intentione fornicandi secutâ fornicatione. 13. Qui se exposuit
15. periculo v.g. fornicationis, si fornicatio statim sequatur, satisfacit, dicendo: Semel sum fornicatus, quia periculum tunc non habet distinctam malitiam ab ipso peccato, etsi periculum causatum sit per oscula vel tactus turpes; si peccatum sequatur in alia occasione, debes dicere: Semel per tactus turpes exposui me periculo fornicandi, & semel fornicatus
16. sum. 14. Peccata confitenda sunt, sicut erant in conscientia tunc, quando committebantur, unde si tum invincibiliter ignorabas, vel non advertebas ad malitiam actûs, illam non contraxisti, quia nihil est volitum, nisi sit prægnitum. Econtra si apprehendas malitiam in actu, vel de ea dubitas, eam contrahis, etsi reverà non insit, hinc si putabas in die Jovis S. esse audiendam Missam, & non audias, peccas, & non satisfacis, dicendo: Die Jovis S. non audivi Missam, sed addere debes: Putans esse obligationem audiendi non audivi. Similiter si bonâ fide putabas te peccare cum persona libera, quam postea audis esse conjugatam, malè confiteris, dicendo: Peccavi cum conjugata, quia Confessarius putabit te admisisse formale adulterium; sed debes dicere: Peccavi cum conjugata bonâ fide credens esse liberam. Econtra si putabas vel dubitabas, an esset conjugata, in animo verum admisisti adulterium, etsi ex pòst rescias fuisse liberam, ideoque non satisfacis, si dicas: Peccavi cum persona libera, sed addere debes: Quam putabam, vel de qua dubitabam an esset conjugata. 15. Quærere Confessarium opinioni suæ faventem per se malum non est, 17.
modò ducaris opinione verè probabili, & non agatur de valore Sacramenti. Ratio est, quia tunc verè es dispositus, & habes jus percipiendæ absolutionis à quocunque Confessario approbato; quærere autem Confessarium surdastrum vel minùs doctum, est signum animi non satis dispositi; & si fiat ideo, quia times examinari quoad numerum & speciem, vel occasionem proximam, quam nolles vel difficillimè velles deserere, aut quia aliunde timeres tibi negandam esse absolutionem, confessio esset nulla & sacrilega, quia non es paratus præstare, ad quod justè es obligandus.

QUÆR. III. Quid de circum- 18.
stantiis aggravantibus?

℟. seqq. 1. Circumstantia in genere est accidens, quod peccato jam in certa specie constituto advenit; aliæ mutant speciem peccati, hoc est, addunt novam speciem peccati distinctam ab ea, quam actus habet ex objecto, seu facit actum opponi novæ virtuti, vel eidem distincto modo, prout explicavi *Cas. 7.* Sic furtum ex objecto opponitur soli justitiæ, ex circumstantia loci vel rei sacræ fit sacrilegium oppositum religioni, & quidem diversimodè; ex circumstantia violentiæ fit rapina novo modo

op-

opposita justitiæ; has circumstantias necessariò esse confitendas certum est ex *Trid. cit.* modò superaddat malitiam gravem; secùs si tantùm levem, ut si occasione gravis furti alium induxisti in leve mendacium, iracundiam, levem contumeliam, &c. *Circumstantiæ aggravantes* appellantur eæ, quæ malitiam actûs ex objecto desumptam, intra eandem speciem peccati aggravant seu majorem reddunt, non autem superaddunt novam malitiam specie distinctam ab ea, quam habet actus ex objecto, ut quòd furtum sit parvum vel magnum; ex his aliæ sunt *notabiliter aggravantes*, quæ videlicet multum augent malitiam, ut furtum mille floren. aliæ non notabiliter aggravant, ut furtum duorum vel trium florenorum, major vel minor vehementia, & intensio actûs, passio, metus, &c. has non necessariò esse exprimendas ex communi resolvit *Dian. p. 1. t. 7. R. 8.* & quasvis parvas circumstantias exprimere foret onus intolerabile, & seges infinitorum

19. scrupulorum. 2. Circumstantias notabiliter aggravantes non necessariò exprimendas esse docet *S. Th. in 4. dist. 16. q. 3. a. 1. Scotus ibid. Bonav. D. Anton. Nav. Less. Vasq.* ac novissimè Gobat *Cas. 15. Reiffenst. t. 14. dist. 7. n. 49. Mezger. d. 4. 7. a. 4.* & propè innumeri apud *Bonac. d. 5. s. 2.* quamvis ipse sentiat contrarium. Ratio est 1. Non debet major obligatio pœnitentibus imponi, quàm imposuit *Trid. Can. 7.* ubi ex professo agit de materia necessaria confessionis, & solùm exprimit *Circumstantias, quæ speciem peccati mutant*, additque, *nihil aliud exigi à pœnitentibus:* Ergo. Et hoc ipso quòd circumstantias aggravantes non annumeret materiæ necessariæ, censetur eas habere pro materia libera, sicut hoc ipso quòd solùm dicat, *omnia & singula mortalia* esse necessariò exprimenda, intelliguntur venialia esse excepta. Et certè *Trid.* non processisset doctrinaliter, sed mancè, dum enumerans omnia requisita omisisset circumstantias aggravantes. 2. Difficillimum & vix possibile est judicare, quænam circumstantiæ notabiliter vel non notabiliter aggravent, cùm in hoc nec docti consentiant, an v. g. tres, sex vel decem floreni furtum notabiliter aggravent: ergo credi non potest, quòd Deus id fidelibus, præsertim rudibus, imposuerit; neque obstat, quòd circumstantia aggravans, v. g. furtum mille florenorum, sæpè notabiliter mutet judicium Confessarii in ordine ad ferendam pœnitentiam, nam non mutat in ordine ad cognoscendum numerum & speciem, neque omnia exprimenda sunt, quæ majorem vel minorem pœnitentiam merentur, aliàs exprimenda foret actûs intensio, duratio, &c. Item an mortalia fuerint vel non fuerint per contritionem vel confessionem remissa; imò omnes circumstantiæ minuentes, ut passio, metus, &c. quia certum est obinde augeri vel minui posse pœnitentiam. 3. Circumstantiæ tenentes se ex parte actûs, v. g. quàm intensus aut vehemens

actus

actus fuerit, quamdiu duraverit, non sunt necessariò explicandæ, ut fatentur pleriqúe, quia sunt cognitu difficillimæ: ergo nec circumstantiæ tenentes se ex parte objecti, v. g. an furtum sit decem vel mille aureorum; quia sicut furtum mille aureorum æquivalet mille furtis unius aurei, sic odium Dei continuatum per horam æquivalet pluribus odiis intra eandem horam repetitis. 4. Alioquin etiam erit obligatio explicandi, an actus sit factus ex metu, passione; an persona, cui detraxisti, fuerit valde honorata; an ille, à quo furatus es duos aureos, fuerit dives, vel pauper; hæc autem sunt intolerabilia & contra sensum communem. 5. Ex dictis planum est de hac lege non satis constare; in dubio autem an existat lex, non obligat, ut cum communi dixi *Cas. 5. n. 17.* Neque lex hæc est sufficienter promulgata, cùm eam
20. negent doctissimi. 3. Econtrà circumstantias notabiliter aggravantes necessariò esse explicandas docent *Cajet. Nav. Sylvest. Sot. Salas, Laym,* & plurimi apud *Sanch. l. 1. Sum. c. 10. Bonac. l. cit. Dian. Arriaga. d. 32. La Croix n. 977.* quoad circumstantias tenentes se ex parte objecti consentiunt *Esparsa. Marchant. Sporer n. 409.* etsi rationes æqualiter probent de omnibus. Ratio est 1. quia Sacramentum pœnitentiæ habet se per modum judicii, in quo pœnitens est accusator & reus, Confessarius judex & medicus: ergo pœnitens debet fateri ea, quæ Confessarius, ut judex & medicus, scire debet, & quæ notabiliter ejus judicium mutant, cùm aliàs *fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet imponere*, inquit *Trid. c. 5.* Atque circumstantiæ multum aggravantes notabiliter mutant judicium Confessarii, & longè alia pœnitentia debetur ei, qui mille ducatos furatus est, quàm qui unum, & qui per horam continuavit odium Dei vel oblectationem turpem, quàm qui per momentum: ergo. 2. Catechismus Romanus jussu Pii V. ad decretum Trid. editus, qui utique mentem Trid. optimè erit assecutus, clarè id asserit *de Pœn. c. 9. Neque verò solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa, quæ peccatum circumstant, & gravitatem valde augent, vel minuunt.* Et quòd loquatur de circumstantiis aggravantibus, patet, quia id exemplificat in furto centum & ducentorum aureorum. 3. Pœnitens debet spontè fateri id, quod mutat peccati speciem moraliter, sive in æstimatione prudentum, ut colligitur ex Trid. sed id faciunt circumstantiæ notabiliter aggravantes: ergo. Prob. Min. Nam species peccati est quasi facies & apparentia, secundùm quam æstimari debet à prudentibus; sed circumstantiæ notabiliter aggravantes mutant apparentiam & æstimationem, quam de peccato concipere debent viri prudentes. Prob. min. Furtum unius medii floreni & unius ducati notabiliter mutant apparentiam & æstimationem, cùm unum æstimari debeat veniale, aliud mortale, ut suppono: ergo multò

magis apparentiam istam mutant furtum unius ducati, & furtum mille ducatorum, cùm sit major dissimilitudo inter unum & mille ducatos, quàm inter ducatum & medium florenum. 4. Magis mutat judicium & æstimationem prudentum furari unum, & furari mille, quàm furari unum in loco profano, & alterum in loco sacro; atque hæc mutant æstimationem, quia juxta omnes distinguuntur specie: ergo & priora. 5. Circumstantia speciem mutans ideo est exprimenda, quia affert aliam & novam notabiliter malitiam; si enim nullam affert malitiam, reticeri potest, ut certum est apud omnes; ergo si accedat nova notabilis malitia, etsi non sit formaliter alia species, erit obligatio confitendi. 6. Odium continuatum per horam æquivalet multis odiis completis numero distinctis, item furtum mille ducatorum æquivalet multis unius ducati; sicut ergo multa odia vel furta formaliter numero distincta, necessariò sunt explicanda, sic & odia vel furta numero æquivalenter distincta. 7. Materia necessaria confessionis necessariò debet exprimi; sed circumstantia aggravans est materia necessaria: ergo. Prob. Min. Si non esset materia necessaria, ergo qui furatus est mille, non confiteretur invalidè, si dicat se esse furatum unum aureum, quia furatus est unum, & quod reticet, juxta adversarios non est materia necessaria; imò quamvis mentiatur, & dicat, se esse furatum tantùm unum aureum, adhuc non invalidabitur Sacramentum, quia mendacium est tantùm circa materiam liberam: consequens autem est absurdum: ergo. Hæc sententia videtur probabilior saltem quoad circumstantias facilè dignoscibiles, & multum aggravantes; si eas non dignoscas, per accidens excusaberis. Quòd Trid. clarè non expresserit circumstantias aggravantes, inde est, quia noluit definire sententiam inter Authores controversam; nihilominùs sententia opposita est verè probabilis, & in praxi tuta, eámque sequens non exponit Sacramentum periculo nullitatis, sicut non exponit, qui ex justa causa vel oblivione peccati speciem omittit; certum enim est sufficere confessionem formaliter integram, etsi non sit integra materialiter. An sit obligatio fatendi circumstantiam consuetudinis, dixi sup. *n. 10.*

QUÆR. IV. Quid de peccatis dubiis? 11.

R. Quandoque est, quandoque non est obligatio ea confitendi, juxta explicationes sequentes: 1. Dubium vel potest esse de ipso peccato, an illud admiseris, vel an admissum sit mortale vel veniale, vel an illud sis confessus; circa hæc omnia potest in utramque partem esse dubium positivum, vel negativum; est positivum, si pro utraque parte sit motivum grave, seu probabile; est negativum, si pro neutra parte sit motivum grave, sed nullum, vel leve & insufficiens ad prudentum assensum; si pro una solùm parte sit motivum grave, hæc sola erit positivè du-

dubia. 2. Si dubites positivè, an peccaveris mortaliter, vel an peccatum admissum sit mortale vel veniale, an consenseris plenè vel semiplenè, ita ut habeas grave motivum pro & contra; juxta communem non teneris confiteri, etsi contra te sit gravius motivum, quia potes hîc sequi sententiam minùs probabilem relictâ probabiliore, juxta dicta *Cas. 3. n. 11.* & libertas est in possessione contra legem, quia ante illud dubium certò eras liber à lege confitendi, contra quam certitudinem superveniens dubium prævalere non potest, sicut contra legitimum possessorem agri non prævalet superveniens dubium de agri proprietate, & axioma juris: *Melior est conditio possidentis*, etiam extra materiam justitiæ locum habet, ut probavi *Cas. 2.*
22. *n. 5.* 2. Si certus es, te admisisse mortale, sed positivè dubites, an sis vel non sis confessus, *Pallav. Stoz. n. 156. Mezger a. 3. Plat.* hîc *n. 791.* & plures apud *La Croix n. 602.* adhuc dicunt, te non teneri confiteri, quia potes prudenter judicare te satisfeciisse; sed probabiliùs est oppositum, quia lex confitendi est in possessione, & legi certæ non satisfit per solutionem incertam, ut probavi *Cas. 5. n. 18.* & ipse *Plat.* meritò suadet in hujusmodi dubiis confiteri, quia non rarò postea nascuntur anxietates animi, an adfuerint rationes verè probabiles an non. 3. Si habes grave motivum judicandi, quòd admiseris mortale, non autem contra, obligaris confiteri, quia non potes prudenter judicare te innocentem, nisi forsan certus sis, quòd non soleas ejusmodi peccata admittere.
4. Si negativè dubites, an mortale 23.
admiseris, ita ut non habeas grave motivum pro existentia peccati, neque contra, te non teneri confiteri docent *Caramuel, Marchan. Rosseller, Coninq. d. 7. dub. 8. Stoz à n. 165.* quibus favet *Laym. l. 5. t. 1. c. 1.* Ratio est 1. Quia in dubio *nemo præsumitur deliquisse, L. meritò ff. pro suo*, & in dubio reus est absolvendus, vel maximè, si crimen ne quidem semiprobari possit. 2. In dubio melior est conditio possidentis, etiam extra materiam justitiæ, ut ostendi *Cas. 2. n. 5.* atque negativè dubitans, an peccârit, est in possessione innocentiæ; si enim innocentia & libertas certò possidet, si pro & contra admissionem mortalis sit motivum probabile, ut habet communissima, cur non hîc ubi pro existentia peccati nequidem est probabilitas, & *libertas omnibus rebus favorabilior est*, *Reg. Jur. 122.* 3. In dubio, an existat lex vel votum, non obligant; in dubio, an hoc vel illud comprehendatur sub lege, censetur non comprehendi, ut habet communis; atque hîc est dubium, an sit lex, & an mortalia negativè dubia sub lege comprehendantur, ergo. 4. Illa sola mortalia confitenda sunt, quorum quis conscientiam, id est, cordis scientiam habet; sed de peccato negativè dubio non est conscientia, imò nec probabilis conjectura, ergo. Et si Trid. sub conscientia & memoria comprehenderet memoriam dubiam de peccatis, etiam erit obligatio confitendi peccata positivè dubia, quod est contra communem. 5. Ne-

que piorum consuetudo peccata dubia confitentium legem facit, quia etiam consueverunt confiteri venialia, & aliàs confessa, & consuetudo non facit legem, nisi inducta cum animo obligandi, de quo hîc non constat. 6. Antiqui dum obligationem confitendi astruunt, vel non distinguunt inter mortalia positivè vel negativè dubia, vel æqualiter loquuntur de utrisque, aut ex eo probant, quòd in dubiis tutior pars sit eligenda, quæ regula non semper obligat, ut probavi *Cas. 2. n. 4.* sed potiùs *semper in dubiis benigniora sequenda sunt, Reg. jur. 1. 56.* Neque obstat, quòd in dubio de homicidio quis censeatur irregularis, nam id expressè statuitur *c. ad audientiam de homic.* & in aliis dubiis non incurritur irregularitas, quia nullibi exprimitur. Ex dictis patet, hanc sententiam à Gormatz & aliis immeritò dici improbabilem. Nihilominùs peccata negativè dubia necessariò esse explicanda, docent alii ferè omnes, præsertim antiquiores, *S. Th. Bonav. Scotus, Nav. Suar. Sanch. Lugo, Bardi d. c. 11. p. 4.* Ratio est 1. quia id asserit Catechismus Romanus *de Pœn. c. 9.* 2. Sic à tempore Apostolorum habet praxis, & communis persuasio fidelium, & solùm nuper ab uno vel altero Authore hæc res in controversiam vocata est. 3. Omnia mortalia recenseri debent, quorum quis conscientiam habet, *Trid. c. 5.* Atque peccata dubia sunt in conscientia ut dubia: ergo ut talia explicari debent. Conf. quia Trid. solùm excludit venialia, ergo includit mortalia dubia, quia exclusio unius est alterius inclusio, inquiunt Juristæ. 4. Confitens debet de peccatis duobus dolere, aliàs exponit Sacramentum periculo nullitatis, ergo & confiteri. Nec obstat, quòd delictum in dubio non præsumatur, quia peccata dubia non sunt confitenda ex eo, quòd facta præsumantur, sed quia forsan facta sunt. 5. Lex confitendi negativè dubia non est incerta, ut volunt adversarii, quia eam asserit Catechismus Rom. & DD. antiquissimi, quibus in re pendente à sola voluntate Christi plus credendum est, quàm paucis recentioribus. 5. Scrupulosi non tenentur confiteri 24
peccata dubia, sed solùm ea, de quibus constat quòd sint mortalia nunquam validè confessa, *communis*; quia eorum dubia plerumque sunt inanes apprehensiones, & obligatio confitendi dubia induceret eos in gravissimas molestias. 6. Qui non solet 25.
deliberatè in tale mortale consentire, in dubio potest prudenter præsumere, se non consensisse; item qui solet accuratè confiteri, aut qui semel confessionem generalem diligenter instituit, in dubio an aliquid omiserit, non tenetur se examinare, sed potest judicare se nihil omisisse, quia ex communiter contingentibus, prudens est præsumptio; solet autem communiter contingere, quòd tales nihil omittant: ergo. Nec obstat, quòd talis sciat se peccatum admisisse, & non meminerit se esse confessum, vel esse confessum cum numero

mero & circumstantiis: quia cùm solitus sit accuratè confiteri, præsumptio est pro ipso, quæ per solam non reminiscentiam non eliditur, cùm sæpè non recordemur eorum quæ heri fecimus: è contrà si quis soleat facilè peccare in tali materia, vel consuevit se negligenter examinare in dubio peccati, aut non factæ confessionis, debet se resolvere pro lege & obligatione confitendi: unde meritò notant DD. rarò hîc dari dubium merè negativum; vel enim quis solet accuratè confiteri, & hoc ipso habet motivum probabile judicandi pro se, vel non solet, & tunc habet grave motivum judicandi contra se; nisi fortè quis ignoret statum suum, vel dubitet, an sollicitè sua facere solitus sit. Hoc etiam hîc not. quòd peccato dubio semper addi debeat materia certa saltem venialis, de qua quis certò doleat, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis defectu materiæ; quòd si materia certa haberi non possit, absolutio danda est sub
26. conditione. 7. Qui bonâ fide confessus est mortale dubium, tanquam certum, aut numerum majorem præ minore, si postea comperiat peccatum tantùm fuisse dubium, aut numerum esse minorem, non tenetur de dubio aut numero minore se iterum accusare, quia peccatum dubium sufficienter includitur in peccato certo, & numerus minor in majore. Econtrà si confessus es numerum minorem, & non addidisti *circiter*, teneris confiteri numerum omissum, quia aliàs confessio non est integra. 8. Si mortale confessus 27.
es ut dubium, & postea invenias esse certum, te iterum teneri confiteri ut certum docent plerique, ita ut *Dicast. d. 9. n. 141.* dicat, contrarium in Ecclesia Dei esse inauditum, sed malè, quia illud absolutè docet *Leand. Caramuel, Escob. Bosco d. 7. s. 8.* idque probabilissimum judico cum *Herinx, Coton. Verricelli, Tamb. exp. conf. l. 1 c. 1. §. 4. Sporer. n. 397.* Ratio est 1. Quia qui confessus est peccatum ut dubium, jam confessus est peccatum totum, prout tunc erat in conscientia quoad species, numerum & circumstantias, & ab eo est directè absolutus; ergo quamvis superveniat certitudo, propterea non erit de novo confitendum: quia certitudo non tenet se ex parte peccati, quod solùm explicari debet, sed ex parte intellectûs. 2. Absolutus de voto vel censura dubia non tenetur iterum absolvi, quamvis ex post cognoscat votum & censuram esse certam, item in judicio forensi absolutus à crimine dubio non potest denuò vocari in judicium, etsi crimen ex post agnoscatur certum, ut habet communis cum *Covar. Sanch. Tamb. l. 2. c. 1. n. 25.* Ergo à pari hîc. 3. Et præcipuè qui dubitat de numero, & ideo dicit: Feci *circiter* decies, si ex pòst certò cognoscat se feciſse undecies, non tenetur confiteri hanc undecimam vicem, atque hanc sub dubio tantùm est confessus, quia idem est dicere: Feci circiter decies, quàm, feci forsan decies: Ergo. *Lugo, Dicast. Gob.* fatentur, hîc non posse

dari disparitatem, & verè solida dari non potest. 4. Obligatio confitendi hîc est incerta, ut patet ex adductis rationibus, & onus confessionis de se est satis grave: ergo in dubio favendum est pœnitenti, ne Sacramen-
28. tum fiat odiosum. 9. Si confessus es peccatum integrè, prout erat in conscientia, dicendo: Semel osculatus sum virginem, quod peccatum jam nescis, vel dubitas, an sit veniale, vel mortale, non teneris iterum confiteri, licèt postea tu vel Confessarius agnoscat fuisse mortale, *Stotz. n. 170. La Croix n. 619.*

29. QUÆR. V. Quæ causæ excusent ab integritate materiali, seu à dicendis omnibus mortalibus?

R. I. Excusat impotentia physica, vel moralis. Impotentia physica est, quando quis simpliciter non potest omnia peccata exprimere; ut 1. si quis sit alterius idiomatis, vel mutus, qui satisfacit manifestando se per nutus; nisi mutus possit se explicare scripto, tunc enim ad hoc tenebitur, ut dicam *n. 49.* 2. Absolvi potest, qui peccatorum omnium nunc recordari nequit, quamvis id fiat ex culpa antecedente, quia v. g. confessionem ultra annum distulit, modò de hac culpa doleat, & exprimat mortalia, quorum post diligens examen reminiscitur. 3. Tempore naufragii vel imminentis prælii plures simul absolvi possunt, dicto saltem
30. uno veniali vel mortali minùs infamante. 4. Moribundus sensibus destitutus si Confessarium petierit, aut signa pœnitentiæ, sive absente, sive præsente Sacerdote, in ordine ad absolutionem dederit, absolvi potest & debet saltem sub conditione, si signa sint dubia, ut tonsio pectoris, invocatio alicujus Sancti, elevatio oculorum in cœlum, &c. idque videtur certum ex Concil. Arausi. *Can. 12.* Carthag. IV. *c. 76.* his verbis: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam.* Idem declaravit S. Leo Papa *c. his qui. caus. 26. q. 6.* & Paulus V. in Rituali Romano: *Ægrotus, si desiderium confitendi, sive per se, sive per alios, ostenderit, absolvendus est.* Neque obstat decretum Clem. VIII. (de quo *Cas. seq. n. 8.*) damnantis *Confessionem factam Sacerdoti absenti*; nam in hoc casu confessio aliquatenus fit Sacerdoti præsenti per alios tanquam per testes & interpretes; ac ipse Clem. An. 1613. 16. April. coram Cardinale Bellarm. & Archi-Ep. Armachano declaravit absolutionem hoc casu fore validam, ac Decreto suo non esse comprehensam. Et Ratio est: quia talis prudenter præsumitur esse dispositus; ergo charitas exigit, ut absolvatur. Si certum esset, quòd ægrotus nullum dedisset signum externum doloris, absolutio dari non deberet, quia nulla adesset confessio, neque dolor sensibilis, quæ sunt de essentia Sacramenti. At quia semper incertum est, an non signum aliquod doloris datum, adeòque aliqua sufficiens

ficiens confessio facta sit, quamvis fortè nullus signum perceperit, hinc probabile est, quòd in praxi sub conditione absolvi possit, imò ex charitate debeat moribundus Catholicus, etiamsi non sciatur ullum signum dedisse, *Barb. in collect. ad Trid. sess. 14. c. 5.* & plures apud ipsum. *Quarti, Mezger a. 6. n. 8. Gormatz n. 262.* & plures apud *La Croix n. 1162. Marchant. Pont. Herinx d. 3. n. 77. Bosco d. 7. s. 9. Sporer n. 648.* & communis Scotistarum teste *Reiffenst. t. 14. dist. 7. n. 70.* Ratio sumitur non ex eo, quasi sola vita christianè acta sit sufficiens Confessio, sed quòd ex tali vita prudenter præsumatur nunc dedisse, & adhuc dare aliqua signa per se sensibilia doloris, ut sunt suspiria, gemitus, apertio oculorum, fixus intuitus, &c. per quæ de facto forsan intendit significare dolorem de peccatis, & desiderium absolutionis, etsi nemo id intelligat: & certè plerique dant hujusmodi signa, & sani sunt ita dispositi, ut in tali necessitate dare velint, ergo morituri prudenter præsumuntur dedisse, ergo ex charitate sunt absolvendi; hinc *Gorm. Carden. Stotz. n. 97.* dicunt, Christianum in duello vel adulterio confossum, si aliquamdiu supervivat, vix dimittendum esse absque absolutione, quia fortè prodest, nunquam nocet, & necessitas excusat ab irreverentia.

31. N. II. Excusat impotentia moralis, quæ tunc est, quando quis non potest omnia mortalia enumerare, sine valde gravi incommodo sibi vel alteri inferendo; unde excusatur 1. Parochus, si tempore pestis non possit integras & prolixas Confessiones audire absque certo infectionis periculo, vel maximè, si in casu infectionis non possit habere successorem. 2. Excusatur, qui ex Confessione timet sui vel alterius ruinam spiritualem, ut fœmina si ex peccato turpi prudenter timeat à Confessario suspectæ famæ sollicitari, potest illud peccatum omittere; si alium Confessarium habere non possit, & Confessio esset nimis diu differenda; item qui experientiâ novit, se labi in turpem consensum, si diu immoretur examini turpium, potest obiter examinatus confiteri, etsi aliqua forent omittenda; similiter ab exactiori examine excusatur scrupulosus, ad arbitrium tamen Confessarii, *Laym. Spor. à n. 467.*

32. 3. Si non possis tuum peccatum, v. g. incestum cum sorore, vel sodomiam cum uxore explicare, nisi manifestando complicem, debes adire Confessarium ignotum, si commodè possis, aliàs sine causa infamas proximum; sæpè tamen excusantur uxores & matres, si peccata maritorum & filiorum indirectè tangant, quia id plerumque faciunt bonâ fide ad leniendum justum dolorem, & continuò adire novos Confessarios, illis foret nimis durum; meritò tamen ab hoc suaviter sunt dehortandæ, *Steph. La Croix n. 1145.* Si Confessarium ignotum commodè adire vel exspectare non possis, potes & debes confiteri integrè, etsi infamandus sit com-

complex, *S. Th. Bonav. Palud. Caj. Vasq. Suar. d. 34. s. 4. Sannig. dist. 16. q. 6. Metzger a. 5. n. 7. Reiffenst. n. 57.* Ratio est, quia complex non habet majus jus ad suam famam, quàm pœnitens ad suam; sed pœnitens tenetur suum peccatum confiteri cum propria infamia: ergo. Et complex peccando cum eo, quem scit debere confiteri, censetur hoc ipso resignâsse juri suo. Deinde si juxta *D. Th. 2. 2. q. 73. a. 2.* liceat peccatum alterius aperire consilii vel auxilii causâ, cur id non possit, aut debeat fieri ad servandam integritatem confessionis jure Divino præceptam? Conf. Reus & testes legitimè à judice interrogati tenentur crimen fateri, tametsi socius criminis reveletur: Atque Confessarius est judex, & pœnitens est reus & testis: ergo. Similiter potest Confessarius pœnitentem interrogare circa species peccatorum, & occasiones proximas, etsi per accidens deveniat in cognitionem complicis; imò potest cogere Confessarius pœnitentem ad peccatum complicis, vel cujuscunque alterius manifestandum illi, ad quem spectat scire, & emendare, modò id necessarium sit ad præcavendum relapsum, aut damnum innocentis vel Reip. tunc enim pœnitens ex lege charitatis ad hoc tenetur. Non autem expediet, ut Confessarius se offerat ad faciendam talem manifestationem, ne confessio fiat odiosa saltem apud alios; oppositum tamen, quòd pœnitens non teneatur fateri crimen cum infamatione complicis, est probabile, vel maximè tunc, si Confessarius sit superior, dominus vel patronus, à quo complici alia mala timenda sunt, *Laym. Palao pun. 11. n. 6. Sporer n. 470.*

4. Sufficiens causa aliquod mortale omittendi non est infamia, aut confusio, quam subiturus est pœnitens apud Confessarium; nam hæc sunt confessioni intrinseca, & per se semper adjuncta, neque excusat concursus magnus pœnitentium; nam Innoc. XI. damnavit hanc 59. Prop. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè confessos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, vel indulgentiæ.* Nec obstat, quòd aliqui prævideantur non facilè redituri, vel occasionem confessionis habituri; nam tunc teneretur quidem Confessarius hos præ aliis audire, & examinare, non tamen esset necessitas physica vel moralis dimidiandi confessionem, nisi forsan Confessarius ob fatigationem non posset tales ampliùs examinare. 35.

5. Si pœnitens confiteatur suo Superiori, unum reservatum, aliud non reservatum, Superior tenetur ab utroque directè absolvere, quia pœnitens est ritè dispositus, & habet jus, ut ab utroque directè absolvatur, *Suar. Vasq. Palao pun. 15. §. 5.* Posset tamen Superior reservationem tollere absque absolutione, etiam extra Sacramentum, dando jurisdictionem Confessario ordinario. 34.

6. Qui instante periculo in genere est absolutus, vel ex justa causa vel oblivione aliquod peccatum omisit, tenetur de eo peccato, 35.

cato, sive dubium sit, sive certum, ante absolutionem sub mortali dolere. Ratio est, quia unum mortale non remittitur sine alio, & mortalia omissa vel dubia non remittuntur, nisi ad ea se extendat dolor, & propositum: ergo etiam cætera non remittentur, adeóque Sacramentum carebit suo effectu. Deinde qui bonâ fide peccatum vel ejus speciem omisit, vel oblitus est, tenetur hoc supplere in confessione sequente. Patet ex Prop. 11. damnata, quam retuli *sup. n. 6.* Hinc si furatus es, ut fornicareris, & ex oblivione solùm dixisti: Semel sum furatus, debes in subsequente confessione dicere: Habui intentionem fornicandi; imò si species omissa non possit exprimi, quin exprimatur totum peccatum, ad hoc teneris, v. g. ne manifestares complicem, dixisti solam fornicationem, tacendo de incestu, debes apud ignotum Confessarium, si habere possis, dicere: Commisi incestum.

36. QUÆR. VI. Qualis esse debeat confessio?

Ꝛ. I. Debet esse *fidelis & sincera*, sine deceptione & mendacio, juxta explicationes sequentes: 1. Mendacium in ipsa confessione simul est sacrilegium contra reverentiam Sacramenti, mortale vel veniale, pro qualitate materiæ; qui mentitur circa materiam non necessariam confessionis, ut circa venialia, vel mortalia ritè confessa, aut quæ quis confiteri non tenetur, ea falsò negando vel affirmando, peccat solùm venialiter: Est *communis*; quia non impedit Confessarium, quominùs rectè judicare possit circa substantialia, nisi veniale, quod falsò dicit se admisisse, sit tota materia confessionis, tunc enim Sacramentum foret nullum defectu materiæ. 2. Qui mentitur circa materiam necessariam seu mortalia directè nunquam remissa, vel scienter & malâ fide confitetur mortale dubium tanquam certum, vel certum tanquam dubium, vel numerum determinatum pro indeterminato, aut è contrà, aut plura mortalia, quàm reipsa putat esse, peccat mortaliter, quia non confitetur integrè, vel saltem decipit Confessarium in re gravi spectante ad substantiam judicii, *communis DD.* Multi tamen excusantur per simplicitatem, & bonam fidem, qui malunt plus dicere, quàm minus; at si Confessarius hoc advertat, monere debet, ut nec plus, nec minus dicant, quàm sit in conscientia. 3. Pœnitens non tenetur exprimere, an mortalia, quæ de facto confitetur, sit vel non sit antehac confessus, sed ab utroque potest præscindere. Ita contra plures *Suar. Tamb. l. 1. c. 1. Bosco à n. 173. Dicast. d. 9. n. 294. Sporer n. 370.* Unde in confessione generali potest miscere confessa non confessis; & si dubitet an aliqua fuerint confessa, non tenetur dicere se dubitare. Ratio est, quòd juxta *Trid.* sufficiat exprimere speciem & numerum peccatorum; ad hoc autem nil facit, quòd peccata antehac fuerint, vel non fuerint per confessionem remissa, nec opus est de hoc judicare 37.

Confessarium, sicut opus non est judicare, an peccata antecedenter fuerint remissa per contritionem, ut fatentur omnes; excipe, si inter nunquam confessa esset aliquod reservatum huic Confessario, vel Confessarius non perciperet speciem peccati, ut si putaret peccatum v. g. luxuriæ esse commissum ante votum, vel matrimonium, cùm tamen commissum sit ex pòst. Econtrà qui dicit mortale non confessum fuisse antehac confessum, peccat mortaliter, quia valde pervertit judicium Confessarii, ut putet materiam esse liberam, quæ est necessaria, sicut si diceret veniale esse mortale, *Bosco, Castropalao punct. 10.*
38. *n. 8. Moya d. 1. q. 3. §. 2.* 4. Confiteri apud ignotum mortalia, & ex pòst ad conservandam bonam æstimationem apud Confessarium ordinarium sola venialia, per se malum non est, modò adsit verus dolor & propositum cum animo deserendi occasionem proximam, si quæ adsit, quia talis utitur jure suo, *Suar. Mezger. Gorm. n. 151.* 5. Si quis dicat, se velle confiteri generaliter peccata totius vitæ, si aliqua aliàs confessa omittat, non peccat, quia potest mutare voluntatem; si verò, cùm hoc diceret, habebat animum aliqua omittendi, fuit mentitus, sed in re levi & materia libera.

39. R. II. Confessio ordinariè debet esse *secreta*; potest tamen ex justa causa, v. g. ad aliorum ædificationem, in conflictu, naufragio, &c. esse publica, *Trid. sess. 14. c. 5.* Ad hoc tamen non est obligatio, nisi fortè peccatum sit publicum, vel veniale non infamans. Item potest fieri per interpretem; ad hoc tamen non est obligatio, nequidem semel in anno, ut habet *communis DD.* quia non constat de tali obligatione, & Trid. obligat tantùm confiteri *secretò apud solum Sacerdotem*; in articulo mortis plerique obligant ad confitendum per interpretem saltem unum veniale minùs infamans, ut sic à cæteris absolvatur indirectè, vel maximè si quis non sit satis securus de contritione perfecta.

40. R. III. Confessio, nisi excusat necessitas, debet esse *vocalis*, quia *Concil. Florent. & extrav. Bened. XI. inter cunctas de privil.* requirunt Confessionem oris. Unde deduces sequentia: 1. Mutus nutibus vel scripto confiteri potest, & tenetur, quoties obligat præceptum confitendi: quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media non nimis difficilia, atque tale medium est scribere, & periculum evulgationis caveri potest statim exurendo scripturam; nemo tamen tenetur scribere peccata, ne memoriâ excidant, *Tajet. Suar. Sot. Tann. d. 6. q. 7. n. 27. La Croix n. 1193.* tum quia confessio debet esse secreta, scriptura verò ex se est quid publicum vel publicabile; tum quia non teneor nisi moralem adhibere diligentiam, ne peccata excidant, sed eam adhibere possum absque hoc, quòd peccata scribam, ergo. 2. Si 41.
puellæ supra modum verecundæ difficillimum foret peccata exprimere ore, posset Confessarius ejus confessionem

sionem in scripto admittere & legere, modò puella post confessionem dicat: *Accuso me & doleo de istis peccatis*, quod semper fieri debet in tali casu, *Suar. Vasq. Sa. Laym. c. 6. n. 3. Sporer n. 490.* idem à potiori tenet de eo, qui gutture laborat, & non potest nisi ægrè peccata proferre. 3. Si Confessarius sit surdaster, & non possit verba intelligere, nisi ita altè proferantur, ut audientes intelligere possint, posset confessio tradi in scriptis; idem est, si ipse pœnitens surdaster nimis altè legat; modò se ex post voce accuset. Cæterùm qui absque rationabili causa nutu vel scripto confitetur, ad minus peccat venialiter, juxta alios mortaliter, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ in re gravi.

42. ℟. IV. Confessio debet fieri ex fine honesto, quòd si fiat ex fine mortaliter malo, erit sacrilega, & nulla defectu doloris & propositi efficacis, quæ stare non possunt cum actuali peccato. Si Confessio fiat ex fine venialiter malo, putà ex respectu humano, vana gloria, &c. ordinariè erit valida, nisi (quod rarissimè contingit) intentio venialiter mala determinet ad dolorem eodem instanti infallibiliter ponendum; tunc enim dolor non haberet libertatem & moralitatem distinctam ab actu imperante, adeòque cùm actus imperans sit naturalis & inhonestus, etiam dolor talis erit, & per consequens non sufficiet ad valorem Sacramenti.

43. QUÆR. VII. Quid de repetitione confessionis invalidæ?

℟. Seqq. 1. Confessio potest esse invalida, vel *defectu Confessarii*, si hic ob censuram vel aliter careat jurisdictione, si nullum peccatum intellexerit, si non adhibuerit debitam formam, intentionem, &c. vel *defectu pœnitentis*, ut si hic accesserit sine debito dolore vel proposito, si purè historicè & non sacramentaliter fuerit confessus, si ex malitia, verecundia vel gravi negligentia omiserit mortale, si sit mentitus circa materiam necessariam, &c. 2. Si aliqua peccata omisit ex justa causa vel invincibili ignorantia, vel Confessarius surdaster, dormitans, vel distractus aliqua non intellexit, absolutio quoad reliqua fuit valida, nisi studio & malâ fide talem Confessarium quæsiverit; ideòque sufficit tunc repetere peccata, quæ bonâ fide omisit, vel oblitus fuit, vel scit Confessarium non intellexisse. At quid si pœnitens advertat, Confessarium aliqua peccata ob somnum non intellexisse, sed nesciat, quæ? 44. ℟. Per se debet omnia repetere, quia de singulis dubitat, & repetere non est moraliter impossibile. 3. Si quis advertat suam confessionem undecunque fuisse invalidam, tenetur omnia ejus mortalia repetere, quia ab illis nunquam fuit directè absolutus; si tamen Confessarius peccatorum adhuc in confuso meminerit, sufficit si apud eundem dicas: Accuso me de peccatis antecedenter confessis; satis autem eorum Confessarius in confuso reminiscitur, si in tantum meminerit, ut possit imponere

proportionatam pœnitentiam, etsi omnium in particulari non recordetur, *communis DD.* Si invaliditas tibi fuerit voluntaria, eò quòd accesseris absque debito examine cum affectu ad mortale, vel ex verecundia mortale aliquod omiseris, teneris non tantùm omnia mortalia repetere, sed & explicare, quoties sic accesseris, quia toties novum admisisti sacrilegium. 4. Si scias aliquas confessiones esse invalidas, sed nescias quas, teneris per se loquendo instituere confessionem generalem saltem circa peccata, de quibus dubitas, an sis validè confessus. Ratio est, quia ab illis peccatis nunquam fuisti directè absolutus, ergo teneris illa iterum confiteri, instituendo confessionem generalem, si aliter non possis; nam ab hac obligatione nemo excusatur, nisi per impossibilitatem moralem, qualem ordinariè non importat confessio generalis. 45. 5. Si pœnitens dicat: Hactenus non rectè confessus sum, habeo peccatum è juventute, quod hactenus confiteri erubui, &c. non statim judica omnes confessiones esse invalidas, aliàs te & ipsum sæpè inutiliter torquebis; sed ante omnia interroga, an tunc, quando illud factum committebat, sciverit vel putaverit esse peccatum, vel an postea priùs cognoverit, & sæpissimè audies: *Mi Domine, adhuc puer vel juvenis fui, non putavi, non intellexi, nuper primùm in confessione, Catechismo, vel discursu audivi.* Jam salva res est, quia nulla confessio est invalida, aut repetenda, nisi ab illo tempore, quo 46. scivit, vel erroneè putavit aliquid esse peccatum, tamen confiteri erubuit, vel malitiosè neglexit. Si fateatur se jam sciviſse vel putâsse esse peccatum, interrogandus erit, quoties memor hujus peccati illud in confessione omiserit, & an omittere, & tali peccato omisso communicare sciverit, vel saltem dubitaverit esse grave sacrilegium; si affirmet, numerum confessionum & Communionum exprimere ac confessiones istas repetere debet, quia quot Communiones & confessiones fecit, tot commisit sacrilegia; quando autem bonâ fide confessus fuit immemor istius peccati, ac ita comparatus, ut illud confiteri voluisset, si memor fuisset, vel bonâ fide credidit, quòd omittere non sit peccatum mortale, tenetur solum peccatum omissum confiteri, quia de aliis fuit validè & directè absolutus; at quid si pœnitens sciverit quidem, quòd reticere peccatum esset malum, sed in confuso non cogitando vel suspicando an mortale vel leve, ut contingit quandoque in rudibus, rusticis, plebeis, pueris, &c. potes judicare tantùm peccâsse venialiter, juxta dicta *Casu 1. n. 11.* ideoque nec tunc erit obligatio repetendi; si tamen pœnitens fateatur, se ante vel post confessionem & Communionem valde fuisse anxium ob peccatum non confessum, ut communiter fit, signum est ipsum apprehendisse malitiam gravem, & per consequens confessiones esse invalidas & repetendas. 47. 6. Si advertas, pœnitentem à 10.

20. 30. aut pluribus annis sacrilegè confessum, per se loquendo teneris eum absque absolutione remittere, ad se examinandum & præparandum pro confessione generali tot annorum, quia moraliter est impossibile tam brevi tempore tot annorum peccata, quoad numerum & speciem, reminisci; per accidens tamen vix unquam dimittendi sunt, nisi ex teneritudine conscientiæ vel aliis indiciis omninò credas, eos ad te vel ad alium Confessarium pro confessione generali redituros; plerique enim vel non satis intelligunt obligationem repetendi omnia peccata, sed putant sufficere, si repetant sola omissa, vel sunt ita rudes, ut se pro confessione generali examinare non possint, vel saltem videtur hoc iis adeò difficile, ut semel dimissi non redeant, sed pergant diminutè & sacrilegè confiteri, ideo ne præda hæc elabatur, Confessarius talibus ante omnia ob oculos ponat enormitatem tot sacrilegiorum, præsentissimum animæ periculum, excitet ad serium & efficacem dolorem, ac propositum ad fiduciam in Divina misericordia; adjuvet in examine per Præcepta Decalogi, attentis circumstantiis conditionis, negotiorum, occasionum, &c. Deinde si ita conveniens videatur, & conditio pœnitentis patiatur, dimittat eum, ut se per horam vel mediam ulteriùs examinet, ante Communionem rediturus pro obtinenda absolutione; quia tamen nec sic possibile est, ut omnes species & numeri peccatorum enumerentur integrè, absolvat cum ea monitione, ut si postea adhuc aliqua incidant mortalia solùm sacrilegè confessa, ea denuò clavibus subjiciat.

QUÆR. VIII. An & quando sit obligatio confitendi? 48.

R. 1. Dari præceptum Divinum confitendi peccata mortalia, est de fide contra modernos hæreticos. *Trid. sess. 14. Can. 6.* Hoc præcepto obligantur omnes post Baptismum in mortale lapsi per se in articulo vel periculo mortis, sive hoc sit ex morbo, sive ex imminente conflictu, navigatione, vel partu periculoso, sive extremo supplicio; quia finis præcepti est, ut homo reconcilietur Deo, & sit extra periculum damnationis, quod maximè urget in mortis periculo; hinc si quis post confessionem in eodem periculo iterum peccet mortaliter, tenetur iterum confiteri, etsi non teneatur iterum communicare; neque teneatur statim confiteri post periculum, si tunc neglexit, quia solùm tenebatur ratione periculi, ergo hoc cessante cessat obligatio. 2. Hoc præceptum etiam obligat sæpiùs in vita, *Nav. Metzger D. 47. a. 1. La Croix n. 2020.* cont. *Sot. Lugo, Sporer.* Ratio est, quia Christus confessionem instituit, ut homines per eam deterrerentur & præservarentur à recidiva: Atqui hoc fieri non potest, si peccatores non confiteantur sæpiùs in vita: ergo. Conf. Qui aliquid præcipit, & non determinat tempus, vult non differri nimis diu, nec expectari tempus extremum, & confessio in lege gratiæ succedit in

locum contritionis; ergo sicut hæc aliàs obligabat sæpiùs per vitam, sic & nunc confessio; deinde Ecclesia non tulit legem confessionis, imò fortè nec ferre potuit ob nimiam ejus difficultatem, sed solùm determinavit tempus obligationis à Christo impositæ; at hoc dici non posset, si lex Christi se solùm extenderet ad articulum mortis, quia tunc per se erat obligatio absque determinatione Ecclesiæ: ergo. 3. Per accidens obligat hoc præceptum illum, qui est in mortali, & vult vel debet communicare vel sacrificare, quia tunc non suffecit elicere contritionem, ut dixi *Cas. 92. n. 31.* etsi contritio sufficiat ad alia Sacramenta, teste Clem. VIII. *in Rit. Rom.* & communissima T. T. quia de hoc nullum extat præceptum. Item per accidens obligat eum, qui aliter quàm per frequentes confessiones consuetudinem mortaliter malam, v. g. pollutionis, vincere non potest. Item si confessio requiratur tanquam conditio ad dispensationem voti vel impedimenti in contracto matrimonio, &c.

49. §. II. Etsi Christus ipse præceperit confessionem, quoties tamen fieri debeat, determinandum reliquit Ecclesiæ, quæ præcepit, ut fiat singulis annis, *Trid. c. 5. Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur Sacerdoti proprio.* Ubi nomine Sacerdotis proprii venit Parochus, Episcopus, Papa, & habentes privilegium, velut Regulares Mendicantes, & cum iis communicantes, ut constat ex Bulla 22. *Leon. X. dum inter mentis arcana, extrav. Joan. XXII. Vas electionis.* Neque Parochus prohibere potest, ne sui etiam in Paschate Mendicantibus confiteantur. Ex dictis pro praxi deduces sequentia: 1. Hoc præceptum obligat hæreticos utpote subjectos Ecclesiæ; item pueros in mortali constitutos; hoc ipso enim quòd peccârint mortaliter, habent sufficientem discretionem, ut prævia sufficiente instructione circa substantialia Sacramenti, confiteri teneantur. 2. Hoc præceptum non obligat eos, 50.
qui habent sola venialia, *Trid. l. c.* quia finis præcepti est, ut recuperetur gratia per peccatum amissa: sed per venialia non amittitur gratia: ergo; meritò tamen urgent Parochi, ut quivis adultus semel in anno confiteatur, etiamsi dicat se non habere mortalia, tum quia hoc est incertum, & alii fortè scandalizantur, tum quia sic habet timoratorum consuetudo, & datur majot gratia, & mortale, si quod fortè incognitum adsit, remittitur indirectè. 3. Neque satisfit huic præcepto, confitendo sola venialia, quia de his non est præceptum, hinc qui tempore Paschali vel toto tempore confessus est sola venialia, si ultimo die anni incidat in mortale, obligatur adhuc confiteri, quia præcepto annuæ confessionis nondum satisfecit, & adhuc satisfacere potest, *Lugo d. 15. s. 7. Dian. p. 4. t. 4. a. 206.* 4. Huic præcepto non satis- 51.
fit per confessionem, sive cum sive absque culpa invalidam, quia confes-

fio

sio invalida non est confessio, neque per eam obtinetur finis præcepti, unde Alex. VII. benè damnavit Prop. 14. *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*: neque excusatur à nova confessione ille, cui justè vel injustè negata fuit absolutio, quia hîc præcipitur Confessio, quæ sit Sacramentum, qualis non est nisi se-
52. cutâ absolutione. 5. Tempus annuæ Confessionis *Sot. Nav. Suar. Tann. Laym. Sporer n. 533.* computant à Paschate ad Pascha, & ita habet fidelium usus. Econtra *Lugo. Nugn. Bosco. Dian. p. 3. t. 4. R. 81.* computant illud à prima Januarii ad ultimam Decembris, & juxta hos confessus primâ Januarii 1724. licitè differt confessionem usque ad ultimam Decembris 1725. ita ut duo integri anni sine confessione transeant, dempto unico die, hoc displicet *Sporer l. c.* Sed idem dicere debet, etiamsi annum confessionis numeret ab uno Pascha ad aliud; nam confessus in Paschate anno 1724. non tenetur sequente Paschate confiteri, nisi fortè propter Communionem, sed potest exspectare finem anni; quia obligatio confitendi non est annexa tempori Paschali, ut jam dicam, sed satisfieri potest per totum annum, per consequens current duo ferè anni sine confessione, unde alii numerant hunc annum ab ultima confessione, vel à primo peccato mortali, sed rectè con-
53. futantur à *Lugo d. 15. n. 154.* 6. Præceptum annuæ confessionis est distinctum à præcepto Communionis, quia distinctam habet materiam, utilitatem & finem, ut per se patet; & obligatio confitendi non est annexa tempori Paschali, sicut Communio; sed est pro toto anno; nam *Conc. Later. & Trid.* dicunt, Communionem debere fieri in Paschate, confessionem verò saltem *semel in anno. Sot. Sà. Tann. Sporer. La Croix l. c.* Ratio est, quia confessio præcipitur ad delendam culpam mortalem, quæ cùm possit admitti quovis anni tempore, congruum fuit, confessionem certo tempori non alligari; hinc legitimè impeditus à sumenda per annum, vel in Paschate, Eucharistia, non ideo deobligatur à facienda confessione; item, qui in Paschate sine confessione communicavit, eò quòd nullam haberet gravioris peccati conscientiam, si postea peccet mortaliter, tenetur confiteri;ècontrà qui in initio anni confessus est mortale, non tenetur iterum confiteri eodem anno, etsi de novo peccet. 7. Quò diutiùs differtur ultra annum confessio, eò peccatur gra- 54.
viùs; *Suar. Vasq. Bonac.* dicunt, te tot peccata admittere, quot habes occasiones confitendi: id negant alii; in praxi satisfacis, dicendo: Tanto tempore non sum confessus; nisi voluntas non confitendi aliquoties fuerit revocata & reassumpta, toties enim peccata multiplicantur numero, ut dixi *Cas. 8. n. 2.* 8. Qui prævidet se
55. postea non posse confiteri mortalia, vel reservata habenti potestatem, tenetur prævenire, sicut, qui non potest audire Missam serò, debet audire maturè; qui non potest orare Horas à prandio, tenetur manè, quia tum adest tempus præcepti, & impleri potest: ergo debet.

9. Qui

56. 9. Qui hoc anno non est confessus mortalia, tenetur ab initio anni sequentis: ita multi contra multos; ratio est, quia annus positus est ad urgendam confessionem, ne nimiùm differatur, non autem ad terminandam obligationem, ut à pari patet in mutuo ad certum tempus, & in Communione Paschali, de qua vide *Cas. 92. n. 28. Dices*, qui hodiè non oravit Horas, vel non audivit Missam, non tenetur cras, quia obligatio est alligata diei; sed obligatio confitendi etiam est alligata anno: ergo. ℟. *N. Min.* Disparitas est, quòd anno elapso non cesset finis præcepti confessionis, qui est reconciliatio cum Deo; econtra lapso die cessat finis orandi Horas, qui erat sancta occupatio Clerici pro ista die; item cessat finis sanctificandi istum
57. diem per Missam. 10. Qui multis annis non est confessus, hodie confitendo satisfacit pro omnibus annis præteritis, quia per unam illam confessionem obtinet finem præcepti, qui est gratia & remissio omnium mortalium; si tamen ante finem hujus anni adhuc peccet mortaliter, tenetur pro hoc anno confiteri, quia prior confessio est pro anno præcedente; sicut si in initio hujus anni solvas pensionem pro anno elapso, non liberaris à pensione anni præsentis, quia annus non est ad finiendam, sed urgendam solutionem.
11. Si hoc anno confessus, vel bonâ 58.
fide oblitus es, vel etiam sciens ex justa causa mortale omisisti, non teneris illud peccatum iterùm hoc anno confiteri, aliàs si decies recordareris peccati, obligareris uno anno confiteri decies, & per primam confessionem jam obtinuisti finem præcepti. Excipe, nisi confessus fuisses sola venialia, quia hæc non cadunt sub præcepto, vel cum venialibus sola reservata apud non habentem potestatem, tunc teneris iterum confiteri, quia nundum es confessus mortalia, vel non es confessus Sacerdoti proprio, id est, habenti potestatem absolvendi. 12. Qui sponte negligit confessionem vel Communionem, vivus arcetur ab ingressu Ecclesiæ, mortuus privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, *c. omnis utriusque sexus, de pœnit.* intellige post sententiam Superioris Ecclesiastici.

CASUS

# CASUS XCVIII.

## De forma Absolutionis ejúsque Miniſtro.

LIvius Paſtor 1. *In forma abſolutionis omittit aliquando preces adjunctas*, TÒ *Ego & tò tuis.* 2. *Vel utitur ſolùm his: Abſolvo te, vel: Abſolvo veſtram dominationem.* 3. *Putat formam verificari non poſſe de peccatis ſemel remiſſis.* 4. *Abſolvit ſub conditione.* 5. *Repetit abſolutionem, quoties pœnitens quid novi affert.* 6. *Abſolvit non abſolutum à cenſuris, vel inſcium ſuæ excommunicationis.* 7. *Abſolvit complicem.* 8. *Dubitat, an poſſit abſolvere abſentem, vel eum qui miſit peccata in ſcriptis.* 9. *An eum, qui diſtractus ſine abſolutione recedit, & adhuc eſt in Eccleſia, vel obviat in platea; an ægrotum ante ædes.* 10. *Quid ſi Confeſſarius non ſit plenè ordinatus, vel in peccato.* 11. *Quæ ſcientia requiratur in Confeſſario.* 12. *Quid ſi dubitet de ſua habilitate.* 13. 14. *Quid obſervandum Confeſſario circa rudes.* 15. *Adoleſcentes.* 16. *Ebrioſos.* 17. *An poſſit negare vel differre abſolutionem.* 18. *Quid ſi pœnitens ſit in occaſione peccandi.* 19. *Quid de conſuetudinario.* 20. *Quid de molli emendationem deſperante.* 21. *Quid de fornicario privato & publico.* 22. *Quid ſi Confeſſarius erravit, dicendo, contractum, votum, matrimonium eſſe invalidum, cùm tamen ſint valida, vel contrà; an errans circa obligationem reſtitutionis teneatur ipſe reſtituere; quid ſi ſit Religioſus?* Pro Reſolut.

QUÆR. I. Quid circa formam Sacramenti pœnitentiæ ejúſque ſenſu? 1.

℟. Seqq. 1. Forma eſt ipſa abſolutio, quam dat Sacerdos pœnitenti, conſiſtit integraliter, & prout uſurpatur ab Eccleſia, in his verbis: *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, &c.* præmittitur *Miſereatur*; deinde elevatâ manu ad pœnitentem dicitur: *Indulgentiam*, &c. ſubjungitur: *Paſſio Domini*, &c. Hæc verba, utì & antecedentia, ſolùm ſunt de conſilio; omittere in forma TÒ *Ego*, vel TÒ *tuis*, vel *in nomine Patris*, &c. ad ſummum eſt veniale, quia *Ego* ſatis exprimitur in abſolvo, & TÒ *tuis* in particula *te*, & invocatio ſanctiſſimæ Trinitatis & ſignum Crucis additur ſolùm ex conſuetudine Eccleſiæ, *Laym. c. 3.* & *Rituale Rom.* pro forma in neceſſitate aſſignat ſola verba: *Abſolvo te ab omnibus cenſuris & peccatis*, ubi TÒ *omnibus* non eſt de præcepto; imò juxta aliquos omitti debet, quia ſæpè non remittuntur omnia venialia.

℟. 2. Forma eſſentialis juxta *D. Th. p. 3. q. 84. a. 3. Scot. in 4. d. 14. q. 4.* & communiorem T. T. conſiſtit in ſolis verbis: *Abſolvo te*; tum quia ea ſola exprimit Conc. Florent. & Trident. 2.

*Sess. 14. c. 3.* Tum, quia hæc verba se solis exprimunt personam judicis, personam rei, & ejus bsolutionem; & circumstantia personæ confitentis peccata sua satis determinat & significat absolutionem Sacerdotis cadere super peccata illius, licèt id verba *Absolvo te* per se non exprimant. Plures hanc sententiam dicunt esse certam, sed immeritò; nam ad essentiam formæ requiri hæc quatuor: *Absolvo te à peccatis*, valde probabiliter docent *Paludan. Sot. Wiggers, Bosco, Gormatz.* & alii apud *La Croix n.633.* Ratio est, quia Christus *Joan. 20.* instituens hoc Sacramentum expressam fecit mentionem peccatorum, *quorum remiseritis*; ergo sicut ex hoc, quòd Christus instituens Baptismum expressam mentionem fecerit baptizantis & baptizati, item DEI unius & trini, omnes docent hæc determinatè significari debere per formam Baptismi, & non solùm per circumstantias; ita in forma pœnitentiæ exprimi debet *absolutio à peccatis*, idque innuunt *Flor. & Trid.* per TÒ *&c.* cùm dicunt, formam consistere in *Absolvo te &c. Conf.* Forma pœnitentiæ debet significare remissionem peccatorum; sed TÒ *Absolvo te* non significat remissionem peccatorum, quia illa verba sunt indifferentia ad significandam remissionem vel censuræ tantùm, vel peccati tantùm; sicut TÒ *comedo* est indifferens ut significet comestionem piscis vel carnis; si dicas, verba determinari per circumstantiam factæ confessionis & intentionem Ministri; contrà est: Christus non assumpsit circumstantias, sed verba ad significandum effectum Sacramentalem; & forma Extremæ Unctionis essentialiter exprimit peccata, dicit enim: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccâsti, &c.* Ergo multò magis requiretur hoc *ad formam pœnitentiæ*, quæ directè ad remissionem peccatorum instituta est. Deinde si sufficiat peccata significari per circumstantias: ergo etiam sufficiet sic significari personam absolvendi; ideoque si confessus dicat Confessario: Nunquid me absolvis? Et Confessarius respondeat: Ita, TÒ *ita* sufficiet, quia in circumstantiis & ex intentione proferentis significat idem quod *Absolvo te à peccatis.* Ex dictis patet, TÒ *à peccatis* sine peccato mortali omitti non posse, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Idem videtur, si omittatur TÒ *te*, & dicatur: *Absolvo à peccatis tuis*, vel adhibeatur forma, quæ non habeat vim sententiæ judicialis, vel saltem est dubia, ut: *Mundo te à peccatis*, vel dicatur in optativo: *Absolvat te Deus, absolvat te Christus, &c.* vel deprecativè: *O Jesu! absolve hunc, &c.* Econtrà valet absolutio, si dicas: Absolvo vestram dominationem, excellentiam, majestatem; item: Remitto tibi tua peccata, quæ verba sunt æquivalentia. 3. Sensus formæ: *Ego absolvo te à peccatis*, est hic: Ego authoritate mihi à Deo data, quantum est in me, tibi remitto tua peccata, vel, do gratiam de se peccatorum remissivam; unde patet, formam manere veram, etsi cadat super peccatis 3.

catis per contritionem vel aliam confessionem remissis. 4. Absolutio re-
4. gulariter debet esse absoluta; hinc illicita & invalida est, si detur sub conditione de futuro, v.g. *Absolvo te, si restitues, si intra tot dies concubinam dimittes*; ratio est, quia non est in potestate Ministri post applicatam materiam & formam suspendere valorem Sacramenti. Vid. *Cas. 88. n. 17.* Valet tamen sub conditione de præsenti & Sacramento intrinseca, v.g. *Absolvo te, si verè doleas, si vis restituere, offensam remittere, occasiones fugere*, &c. imò quandoque ob reverentiam Sacramenti sub conditione dari debet, v.g. dum Confessarius prudenter dubitat, an pœnitens sit dispositus, an habeat materiam sufficientem, an adhuc vivat, &c. Sufficit autem talem conditionem apponere in mente, etsi consultum sit eam etiam exprimere voce, maximè si forma aliis audientibus proferatur. 5. In eadem con-
5. fessione super eadem peccata sine causa repetere absolutionem per se est mortale, quia secunda absolutio est irrita defectu novæ materiæ; plures tamen excusantur saltem à mortali ob inadvertentiam, perplexitatem, aut scrupulos, *Tamb. l. 1. c. 1. §. 3.* Si pœnitens post absolutionem statim redeat, & afferat de novo sola venialia, vel circumstantiam liberam, vel numerum in TÒ *circiter* satis expressum, v.g. dicit: Circitet quinquies perjeravi, & rediens dicat: Reverà pejeravi sexies, non debet inordinatè repeti absolutio, quia jam legitimè confessus & absolutus est; si afferat numerum vel circumstantiam necessariam, vel mortale dubium, v.g. dicit: *Fui oblitus unius fornicationis; fui oblitus, quòd una fornicatio facta sit cum conjugata*, debet repeti absolutio, & imponi eadem vel nova pœnitentia, ut Sacramentum sit integrum; an verò etiam dolor renovari debeat, dixi *Cas. 96. n. 21.*
6. Peccat Confessarius mortaliter, 6.
si excommunicatum absolvat à peccatis, non præmissâ absolutione à censura; quia Ecclesia huic graviter prohibet usum omnis Sacramenti etiam pœnitentiæ; aliud est de suspenso & interdicto, nisi forsan interdicti causam dederit. V. dicenda *Cas. 116.* Si pœnitens accedat scienter cum excommunicatione, à qua scit Confessarium absolvere non posse, peccat mortaliter, & confessio est nulla; si verò ignarus vel oblitus suæ excommunicationis bonâ fide accedat, absolutio erit valida; aliàs enim contingere posset, ut quis per totam vitam suam bonâ fide absolveretur, & nunquam acciperet gratiam, nisi fortè perfectè contritus, quod præsumi non potest de pia matre Ecclesia, quæ pœnas suas non vult esse *in destructionem, sed ædificationem. Nav. Suar. Lugo d. 16. s. 15. Dian. p. 2. t. 4. R. 78.* Si Confessarius potens absolvere à censuris, oblitum vel ignarum suæ excommunicationis absolvat formâ consuetâ: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis & interdicti, in quantum possum*, &c. non tantùm à peccatis, sed etiam excommunicatione liberat, ita ut pœnitens postea re-

cordatus censuræ non indigeat novâ absolutione, *Lugo l.c. Tamb. l.2. c.10. §. 3.* quia Confessarius intendit absolvere, quantum potest & debet; atqui potest, ut supponitur, & etiam debet priùs absolvere à censura, antequam peccatis: ergo. 7. Absolutio per se loquendo dari potest complici; ordinariè tamen fieri non expedit, maximè in materia carnis, in qua confessiones propterea sæpè sunt sacrilegæ, & novis tentationibus obnoxiæ; ideo in Diœcesi Colonienſi omne peccatum mortale carnis externum Confessario complici est reservatum, ut dicam *Cas. seq. n. 17.*

7.

8. QUÆR. II. Quid circa absolutionem absentis?

R. 1. Absolutio validè dari non potest absenti, quia Clem. VIII. anno 1602. damnavit: *Licere absenti Sacerdoti per litteras vel per nuntium peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem accipere*, prohibétque ejus praxin pro omni casu; atqui si talis confessio vel absolutio esset valida, non potuisset prohiberi pro omni casu; imò jure naturali & Divino obligâsset pro casu necessitatis extremæ tanquam medium necessarium salutis & à Deo institutum, & Pontifex nihil prohibere potest contra jus naturale & divinum: ergo. Unde relata propositio non solùm damnata est copulativè, ut voluit *Suar.* sed & divisivè, id est, quoad utramque partem, ita ut nec valeat absolutio absenti facta, quod extra dubium est, nec confessio facta absenti, v.g. in scripto, nisi in præsentia repetatur, idque declaravit ipse Clem. ex post in duobus Consistoriis, teste *Metzger a.8. Lugo d.17.n.64.* Nec obstat, quòd absolvi possit moribundus sensibus destitutus, qui absente Sacerdote petiit Confessarium, vel dedit signa doloris, ut dixi *Cas. præc. n. 30.* nam talis adhuc confitetur Sacerdoti præsenti per alios velut interpretes, coram quibus dedit signa doloris, vel petiit Confessarium; similiter validè absolvitur, qui Sacerdoti absenti misit peccata sua in scriptis, & ex pòst de iisdem se coram præsente saltem in genere accusat. 2. Difficultas est, qualiter præsens esse debeat, ut quis validè absolvi possit; nam certum est, non sufficere, quòd quis possit videri vel audiri; nam audiri & videri possunt simpliciter & longissimè absentia, ut stellæ cœli, sonus tormenti bellici, &c. Dico igitur cum *Tamb. Sporer n. 610.* sufficere præsentiam moralem, intra quam homines communi modo colloqui solent; quod plures extendunt ad 20. & plures passus, & admitto in casu necessitatis, dum propior accessus ad captivum, occidendum, peste infectum, &c. non conceditur. 3. Si pœnitens factâ confessione ex simplicitate vel distractione abeat ante perceptam absolutionem, aut Confessarius distractus eam dare oblitus sit, recordetur autem, dum pœnitens dicto modo adhuc est præsens, etsi abire cœperit, validè eundem recedentem absolvit, quia est moraliter præsens, & habet jus ad absolutionem, quam petiit, & adhuc

9.

pe-

peteret, si sciret se eam non percepisse, si talis pœnitens absque rubore, infamia vel alio incommodo revocari posset, id foret consultissimum; si jam longiùs abiit, vel nescias, quantum distet, recommenda rem Domino DEO; si ex pòst petat à te Communionem, & recorderis non datæ absolutionis, eum ante Communionem secretò absolve; quod etiam locum habet, si post breve tempus in Ecclesia vel platea, antequam credatur dolorem revocâsse, tibi obviet, quia habet jus ad absolutionem, & adhuc præsumitur dispositus; sed quid si Confessarius vocetur ad moriturum, an validè eum absolvit ante ædes constitutus intra 20. passus, etsi eum nec videre nec audire possit? R. Nequaquam, quia eidem nondum est moraliter & humano modo præsens. *D. D. cit.*

10. QUÆR. III. Quid de obligatione Confessarii in genere?

R. Seq. 1. Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos completè ordinatus habens jurisdictionem. Est de fide ex *Flor. & Trid.* Dico, *completè*; nam si quis tantùm ordinatus sit per traditionem patenæ & calicis, accipit quidem potestatem in *Corpus Christi verum* consecrandum, non tamen in *Corpus Christi mysticum* seu fideles absolvendos; quòd si Episcopus imposuisset ei manus prætermissâ traditione calicis, ordinatio foret invalida, quia potestas absolvendi necessariò supponit potestatem consecrandi. 2. In Ministro requiritur status gratiæ, aliàs tot peccata admittit, quot pœnitentes absolvit, tot enim distincta conficit Sacramenta; probabile tamen est, absolventem in necessitate vel casu repentini obitus etiam seclusâ perplexitate non peccare mortaliter, si prævièe non conteratur, imò nec venialiter, si pio motu se convertat ad Deum, & proponat opportunè confiteri. V. *Cas. 88. n. 19.* 3. Requiritur *Jurisdictio*, de qua *Cas. seq.* Deinde *congrua scientia*, 11. ut possit esse Minister Sacramenti, Judex, Medicus, & Doctor, in his quatuor officiis fundatur omnis Confessarii obligatio, ad quæ si se sciat ineptum, ex defectu scientiæ morum vel aliunde non potest Confessionale, multò minùs parochiam admittere; aut si admisit, tenetur se intra breve tempus qualificare, vel officium dimittere; idem dic de eo, qui antecedenter fuit capax, sed ex pòst est oblitus suorum principiorum. Ratio est, quia aliàs sæpè faciet injuriam Sacramento & pœnitentibus. 4. Confessarius ut *Minister Christi* debet sollicitè, fideliter, reverenter & dignis Sacramentum ministrare; procurare, ut fiat integrè, juvando, si opus est, pœnitentes in examine, disponendo ad serium dolorem, propositum, &c. *Ut Judex* debet discernere posse inter mortalia & venialia, inter numerum & speciem; proportionatam imponere pœnitentiam, satisfactionem, restitutionem, reconciliationem, &c. *Ut Medicus* debet dare posse pœnitentias medicinales, suggerere media opportuna pro evitandis peccatis eorúm-

rúmque periculis, &c. *Ut Doctor* debet nôsse Casus, à quibus possit vel non possit absolvere, debet posse instruere in rebus fidei & ad salutem aut Sacramentum necessariis, resolvere dubia circa restitutionem, contractus, valorem matrimonii, aliasque obligationes, &c. Si dubites
12. de sufficientia tuæ scientiæ vel habilitatis, & Superior nihilominùs jubeat confessiones audire, debes obedire, quia in dubio est præsumptio pro Superiore existente in possessione potestatis præceptivæ; similiter si ab ordinariis examinatoribus debitè & sine fraude sis approbatus, potes te judicare capacem, modò principiorum tuorum non obliviscaris, ac in difficilioribus libros aut viros doctos consulas; neque enim requiritur scientia summa, sed sufficit mediocris, quæ studio ac lectione conservetur augeatúrque.

13. QUÆR. IV. Quid observandum Confessario circa rudes, pueros, ebriosos, &c.

℟. Observari debent seqq. 1. Ingressurus confessionale faciat intentionem absolvendi pœnitentes, prout eorum dispositio exigit. 2. Moneat opportunè pœnitentem, si numerum vel speciem omittat, vel alterius peccatum manifestet. 3. Caveat omnem somnolentiam vel distractionem, ne confessio fiat pœnitenti gravis & odiosa, eò quòd teneatur peccata secundò repetere. 4. Sit patiens & mitis, maximè circa scrupulosos & rudes: duros & obstinatos suaviter terreat, propositâ severitate Divini judicii, rigore pœnarum, &c. Quòd si occurrat peccatum valde enorme, non det signa admirationis vel indignationis, ne circumstantes suspicentur dici peccatum gravius, & sic frangatur sigillum. 5. Ignaros & rudes instruat circa motiva fidei, spei, contritionis, juxta formulam *Cas. 13. n. 13.* exhibitam, vel similem, doceat modum se examinandi juxta præcepta Decalogi & Ecclesiæ, juvet, si opus, in examine juxta cujuslibet statum & conditionem, interrogando primùm de minoribus, v.g. de turpi colloquio, de osculis, deinde de tactibus, desideriis, & sic consequenter; si pœnitens memoriter confiteatur, non turbet ordinem, interrogando speciem vel numerum, nisi fortè uno verbo, quando est periculum oblivionis, & statim reducat ad ordinem narrandi, ubi ultimò cessavit; in examinando numero vel circumstantiis non sit importunus vel curiosus, præsertim in materia luxuriæ, ne multa interrogando doceat, quæ pœnitens ignorabat, sicque occasionem præbeat ulteriùs investigandi, Confessionem traducendi; & si leviora, v.g. verba turpia vel cogitationes neget, opus non est interrogare de factis; satiùs est circumstantiam omitti, quàm nimiâ investigatione se aut pœnitentem exponere periculo turpis consensus. 6. Sit discretus & prudens dirigendo pœnitentem, non semper secundùm opinionem rigidiorem, neque semper secundùm benigniorem, sed prout in Domino judicaverit pœnitenti magis expedire

nunc

nunc secundùm hanc, nunc secundùm illam, modò utraque verè sit probabilis & in praxi tuta; ideòque oportet Confessarium scire, quænam sententiæ
14. verè sint tales. 7. Habeat specialem modum dirigendi pueros, de quibus sæpissimè dubium est, an sufficienter sint instructi, an habeant fidem & dolorem supernaturalem, an verè peccârint, &c. quòd si puer levissima quædam afferat, & dubites de sufficiente dispositione vel capacitate, eò quòd rosario suo ludat, huc illucque respiciat, &c. eum cum sola cruce dimitte: quòd si afferat graviora, aut ea, de quibus dubitas, an sint mortalia, eum ad fidem & dolorem dispone, v. g. quærendo, quare confiteatur? Si respondeat, ideò, quòd confitentes veniant ad cœlum, non confitentes ad infernum; quære ulteriùs, unde id sciat, & an putet esse cœlum? An credat, quòd peccatoribus infligatur ignis infernalis & quare? &c. Si dicat, ideò, quia Deus hoc dixit; interroga, an Deus non possit errare aut mentiri? Si respondeat benè, confirmandus est in fide, & cætera mysteria ei sunt proponenda; deinde interrogandus, quare doleat & proponat non ampliùs peccare? An possit sustinere perpetuum ignem, vel saltem tenere unum digitum in candela? &c. Item ei describi debet turpitudo peccati, quæ faciat deformem instar dæmonis; ècontrà gratia Dei faciat pulchrum instar Angeli, inculcanda beneficia Divina, scilicet quòd nos creârit, redemerit proprio sanguine, quòd paratus sit dare gaudia æterna, quòd sit pulcherrimus, amabilissimus, dignissimus amari, &c. Quoad examen puerorum, poterit hoc fieri circa distractiones, garrulitates sub Missa, mendacia, inobedientiam, rixas, cognomina, furta, illusiones senum, &c. 8. Pleraque hæc etiam serviunt in confessione adolescentum & juvenum, quibus ulteriùs suadenda est frequens confessio & fidelis primarum tentationum manifestatio; hæc enim sunt remedia efficacissima hanc ætatem ad quævis vitia pronam continendi in timore Domini; etiam monendi sunt, ut se solo addant numerum & speciem, eumque in finem se diligenter examinent, nec ex pudore aliquod grave omittant, aliàs committi mortale sacrilegium. 9. Hæc omnia ferè etiam tenent de rusticis aliisque rudibus, qui quandoque magis sunt ignorantes quàm pueri, adeoque hoc vel simili modo ad dolorem disponi possunt, v. g. dicendo: Quid si offendisses Principem, qui tibi vestes, alimenta & omnia daret, qui etiam te vellet hæredem instituere, &c. econtrà vellet gravissimis pœnis afficere, ad rogum condemnare, casu quo in animo eum offendendi perseverares, nunquid doleres te ejusmodi Principem offendisse, vellesque eum posthac non offendere, sed amare? &c. Ejusmodi & major Princeps est Deus, &c. Examen autem horum potest esse circa detractiones, contumelias, furta, blasphemias Sacramentales, perjuria advertenter facta, ebrietates, superstitiones, neglectas Missas, luxurias, &c.
15. 10. Confessarius ebriosorum debet
16. eos

eos obligare ad evitandas occasiones potationum, imò quandoque pro pœnitentia imponere abstinentiam à tali potu, maximè istis diebus & locis, quibus solet esse occasio ebrietatis; quòd si nulla via potus ob præsentiam necessariorum hospitum evitari posset, poterunt adhiberi media naturalia contra ebrietatem, quorum usus sine justa causa est veniale contra temperantiam.

17. 11. Confessarius quandoque tenetur negare absolutionem, ut si pœnitens nolit ea facere, ad quæ sub mortali obligatur, v. g. famam aut pecuniam restituere, offensam remittere, impedire peccata aliena, quando commodè potest, negotiationes illicitas omittere, actiones scandalosas evitare, occasiones proximas tollere; econtrà si pœnitens verè est dispositus, non potest sine gravi peccato absolutio negari, quia habet jus ad illam; potest tamen ex rationabili causa differri, v. g. in confessione generali per aliquot dies continuanda, ut exploret, an pœnitens interim faciat, quod jussus hactenus neglexit, v. g. an ablata restituat, inimico se reconciliet, conatum emendandi adhibeat, &c.

18. QUÆR. V. Quid de constituto in periculo vel occasione peccandi?

R. Seqq. 1. Per periculum & occasionem peccandi hîc intelligitur aliquid inclinans vel disponens ad peccatum; quòd si adeò vehementer inclinet, ut quis consideratâ suâ infirmitate & dispositione frequenter vel communiter cadat, dicitur respectu istius periculum proximum, v. g. si decies eas ad domum Cajæ, & cadas octies vel septies, domus Cajæ erit tibi periculum proximum & quidem moraliter certum; si cadas ter, quater vel quinquies, erit periculum probabile; si cadas semel vel rarò, & quasi casualiter, erit periculum leve & occasio remota, quam non obligaris fugere, quia ubique reperitur, & eam fugere est ferè impossibile, alioquin, ut ait Apost. deberemus ex hoc mundo exire. 2. Periculum proximum & probabile teneris fugere non tantùm cum gravi tuo incommodo, utì jam certum est, sed etiam cum jactura omnium temporalium & periculo vitæ, utì cum Cardena tenent plerique, qui scripserunt post Propositiones ab *Innoc. XI.* damnatas, 61. quæ sic habet: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere; quinimò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* 62. Quæ sic habet: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* Item 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Huc etiam pertinet Propositio 41. damnata ab Alex. VII. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo, & deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis*

*nimis difficilè inveniretur.* Ratio est, quia qui amat periculum, peribit in illo, & censetur eo ipso etiam amare peccatum; hæc tamen intelligenda sunt de periculo peccandi formaliter, hoc est, consentiendi in ipsum peccatum, non autem de periculo habendi tentationes ad consensum; sic chyrurgus potest causâ medendi attingere verenda alterius, quamvis ille tactus foret occasio proxima motuum aut tentationum, dumodo non adsit periculum proximum consentiendi his motibus, utì ordinariè tum non adest ob specialem Dei gratiam, si talis se præmuniat per orationem, fortia proposita, &c.

19. QUÆR. VI. Quid de consuetudinario?

℟. Seqq. 1. Si seriò doleat & proponat, paratus occasiones proximas removere, primâ vice potest absolvi, imò & sæpiùs, si remedia à te præscripta adhibuerit, vel extraordinaria det signa doloris, vel sollicitè requirat nova remedia, aut paratus sit priora studiosiùs applicare. Si ter quatuorve redeat cum iisdem peccatis, cum eodem vel majori numero, vehemens est suspicio & justa præsumptio, quòd nullus vel exiguus resistendi conatus adhibitus fuerit, ac defuerit verus dolor & propositum, adeóque tunc ad tempus sine absolutione erit dimittendus, cum magna tamen discretione & prudentia, ne aut severitate avertatur à regressu, aut lenitate seducatur, sicque peccet, ac Confessarius cum illo. Notanda hîc etiam est Propositio 60. ab Inn. XI. damnata: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, modò ore proferat se dolere & proponere emendationem.* 2. Quoad consuetudinem mollitiei, cujus occasio semper sit præsens, vix efficacius remedium est quàm frequentissima confessio, v. g. bis vel ter qualibet septimana, quamvis aliquando absolutio sit differenda, ut Confessarius videat, num aliquem conatum adhibuerit; etiam adjuvabit quàm maximè ei suadere, ut manè & vespere coram Crucifixo genuflexus toto corde dicat: *Domine DEUS! qui flammas æternas luxuriosis præparâsti, promitto & voveo amore JESU pro me crucifixi, vel talis Sancti N. hac die, hac nocte*, abstinere ab omni tactu turpi. Si pœnitens desperet de emendatione, non poterit efficaciter proponere emendationem, quam sibi persuadet nunquam futuram, ideóque nec absolvi; nisi prævie eum erigas ad spem & fiduciam, qua confidat per auxilia Divina se tentationes superaturum; si tu ipse de ipsius emendatione desperes, de facto tamen eum putes habere sincerum dolorem & propositum, potes eum absolvere. 3. Si advertas pœnitentem esse in occasione proxima extrinseca, coge ut eam deserat, vel si sine gravissimo damno eam deserere non possit, faciat ex occasione proxima remotam, muniendo se per quotidianas preces, proposita, confessiones, &c. Quòd si etiam his non ob-

20.

21.

obstantibus maneat idem periculum relabendi, utì ordinatiè manet in fornicario, qui in propria domo habet concubinam, &c. tenetur eam tollere etiam cum periculo famæ & vitæ, aliàs absolvi non potest, *Laym. La Croix l. 5. à n. 252. Sporer n. 328.* ubi benè notat, concubinarium publicum vix unquam absolvi posse, nisi ejectâ priùs infami pellice, quia eâ non ejectâ continuat scandalum; econtra concubinarium occultum in aliquo sed rarissimo casu absolvi posse concubinâ nondum dimissâ, si scilicet pro nunc non habeat affectum ad eam, & in gravi morbo non posset habere aliam, quæ ei inserviat, aut nunc dimissa certò credatur ejus occultas turpitudines evulgatura, vel aliud damnum gravissimum illatura, tunc si credat non esse periculum lapsus, assecurétque quòd eam proximè non obstante quocunque incommodo velit dimittere, poterit Confessarius prudenter condescendere. Sed quid si filia habeat turpem consuetudinem cum famulo, quem nec potest dimittere, nec scelus sine infamia aperire, neque fugere sine gravissimis incommodis? ℟. Debet ex occasione proxima facere remotam, se indies muniendo per proposita, cavendo ejus alloquium vel consortium, servum monendo, ut dimissionem petat, vel minando sceleris manifestationem; si hæc non juvent, debet potiùs per se vel per alium crimen patri aperire, fugam vel mortem eligere, matrimonium inire, quàm cum proximo periculo relabendi servo commanere. Idem est de filio-familias habente consuetudinem cum famula. Ulteriùs hìc notandum, quòd consuetudinario se jam emendare volenti suadenda sit confessio generalis; prudenter enim timeri potest, ne ejus confessiones persæpè fuerint sacrilegæ defectu efficacis propositi, quod si semper habuisset, non tam diu in prava consuetudine perstitisset.

QUÆR. VII. Quid si Confessarius in suo officio erraverit? 22.

℟. Si Confessarius in confessione admisit defectum, v. g. invalidè absolvendo, dando principia falsa, dicendo, contractum, votum, aut matrimonium esse invalidum, cùm tamen sint valida, vel econtra; aut dixit esse licitum, quod est illicitum, &c. tenetur, si absque scandalo fieri potest, etiam post confessionem petitâ veniâ monere pœnitentem: imò si in materia restitutionis non moneat eum, quem suo consilio falso obligavit vel deobligavit, tenebitur ipse ad restitutionem, quia per suum consilium fuit injusta causa damni pœnitenti vel alteri illati: hæc tamen intellige de consilio dato ex malitia vel ignorantia culpabili; nam si datum sit bonâ fide, erit quidem obligatio pœnitentem monendi, non tamen restituendi, si monueris; utì dum casu incendis alterius ædes, teneris quidem ex justitia restinguere, quantum potes, si tamen non obstante tuâ industriâ exurantur, ad nihil teneris. V. *Cas. 37. n. 16. Cas. 42. n. 3.* Unum hìc

hîc adde, quòd etiam Confessarius Religiosus teneatur dictis casibus restituere, quantum sine infamia potest; poterit autem sine infamia, si ex suo peculio vel à suo Superiore petat aliquid ad necessarium & pium usum; imò oportebit emittere votum restituendi, si sic sub titulo pii voti Superior sit faciliùs concessurus licentiam; Ratio horum est, quòd lex naturalis restituendi obliget omnes, qui per ordinaria media satisfacere possunt; sed prædicta media respectu Religiosi sunt ordinaria, & per ea satisfacere potest, ut supponitur: ergo.

## CASUS XCIX.

### De jurisdictione & approbatione Confessarii.

MAro Theologus interrogatur: 1. *An in Confessario requiratur jurisdictio, & à quo detur, & an quivis Sacerdos illam habeat in venialia.* 2. *Quid de articulo vel periculo mortis.* 3. *An sufficiat licentia dolo vel metu extorta, præsumpta, ratihabita.* 4. *An absolvere vel absolvi possit excommunicatus.* 5. *An error communis det jurisdictionem.* 6. *Quid de jurisdictione probabili.* 7. *Quid sit reservatio, & à quo fieri possit.* 8. *An se extendat ad merè interna vel venialia, & quid hîc intelligatur per lapsum carnis, homicidium, &c.* 9. *An de peccato dubio; quid si post confessionem cognoscatur esse certò reservatum.* 10. *Quid si ignoret suo peccato reservationem esse annexam.* 11. *Quid si confessus habenti potestatem in reservata, oblitus sit unius reservati.* 12. *Quid de casibus Papæ reservatis injure communi; quid circa hæc possint Regulares.* 13. *Quid de casibus Bullæ Cœnæ.* 14. *An incurrat reservationem Papalem, qui ignorat vel non recordatur annexam esse excommunicationem.* 15. *Quid de periculo mortis.* 16. *Quid de iis qui Romam ire non possunt.* 17. *Quid de reservatis in Diœcesi Colonienſi.* 18. *An reservatio Episcopi extendat se extra Diœcesin, & qui absolvere possint.* 19. *Quid de casibus reservatis Regularium.* 20. *An requiratur approbatio, & qui eam dare possint.* 21. *An exspiret per mortem dantis.* 22. *Quid de Confessario Regularium.* 23. *An Regularis approbatus validè & licitè absolvat contra voluntatem Superiorum.* 24. *Quid de Confessario Monialium.* 25. *An approbatus pro una Diœcesi sit approbatus pro altera; & quid de Religioso peregrinante.* 26. *An Parochus suos valeat absolvere in aliena Diœcesi, vel alienos Parochianos.* 27. *An desinens esse Parochus desinat esse approbatus.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid circa jurisdictionem Confessarii? 1.

RE. Seqq. 1. Ut Sacerdos validè absolvat, præter ordinem Sacerdotii

requiritur jurisdictio. Est de fide, ex *Conc. Later. Florent. Trid. sess. 14. c. 6. & 7.* ubi dat rationem, quòd sententia non possit ferri nisi in subditos, subditos autem accipit per jurisdictionem. *Dices*: Ergo Papa à nemine poterit absolvi, quia nemini est subditus. R. N. seq. Papa eligendo Confessarium hoc ipso dat ipsi jurisdictionem in se, non quà Pontificem, sed quà hominem peccatorem. 2. Jurisdictio alia est ordinaria, alia delegata. *Ordinaria* dicitur, quæ competit ratione officii habentis annexam curam animarum, utì habet Papa pro tota Ecclesia, Nuntius Apostolicus pro sua provincia, Episcopus & ejus Vicarius pro tota Diœcesi, Parochus pro sua Parochia, Prælatus regularis pro suo monasterio. *Delegata* est, quæ purè competit ex commissione alterius, aliquando cum, aliquando sine potestate subdelegandi, prout voluit delegans. Delegatam pro tota Ecclesia ex privilegio habent Regulares, suppositâ tamen approbatione Episcopi localis. Omnes Sacerdotes etiam non approbati jurisdictionem habent in venialia ex consuetudine & consensu tacito S. Pontificis, *Lug. disp. 18. 1. 3.* eâ tamen uti non licet ob decretum Innocentii XI. editi Anno 1679. 12. Febr. teste Henno de pœnitentia *disp. 8. q. 4. conclus. 3.*

2. 3. In articulo mortis, hoc est, quando mors moraliter certa proximè instat, undecunque hoc proveniat, quilibet Sacerdos etiam non approbatus, irregularis, excommunicatus, hæreticus, apostata, degradatus habet jurisdictionem absolvendi, si alius approbatus non adsit, qui absolvere possit & velit. Est communis & certa: quia potestas absolvendi data est ad salutem hominum, ergo, quando hæc salus maximè periclitatur, limitanda non est; imò *Syl. Suar. Nav. Carden. in 2. Crisi dis. 2. n. 424. Sporer n. 724.* id probabiliùs extendunt ad quodcunque probabile periculum, quale est v. g. periculosum iter, aut navigatio, difficilis partus, instans prælium, &c. Ratio est: quòd in jure pro eodem sumantur articulus & periculum mortis, colligitur ex *c. si quis suadente 17. q. 4. &c. eos qui de sent. excomm. in 6.* 4. Ad validè 3. absolvendum probabiliùs sufficit jurisdictio metu extorta, quia datur simpliciter voluntariè: è contra non valet licentia per dolum obtenta, si dolus versetur circa substantiam vel principale motivum concedendi; neque acquiritur jurisdictio absolvendi per consuetudinem, nisi accedat consensus saltem tacitus Superioris, ut constat ex *c. si Episcopus de pœn. & remiss. & c. Romana de sent. in 6.* Nec sufficit licentia interpretativa vel prudenter præsumpta, id est, quam daret Superior, aut certò creditur daturus, si rogetur; nec sufficit subsecuta ratihabitio, sed requiritur consensus de præsenti existens, & aliquo signo manifestatus, tunc, quando confertur Sacramentum, qualis est juxta communem, si Superior videat & sciat simplicem Sacerdotem audire confessiones, & non prohibeat, cùm facilè possit, *Suar. Dicast. d. 10. n. 166.*

5. Ex-

4. 5. Extrà articulum mortis invalidè absolvit excommunicatus non toleratus, id est, publicè denuntiatus, vel notorius percussor Clerici, quia Ecclesia à tali sustulit omnem jurisdictionem; ècontra validè absolvit excommunicatus toleratus, sed illicitè, nisi requisitus sit, & contritus, ut dicam *Cas. 114. q. 3.* An verò excommunicatus absolvi possit à peccatis, dixi *Cas. præced. n. 6.*

5. QUÆR. II. An error communis det jurisdictionem?

Rz. 1. *Error communis* est, quando quis à plerisque ibi existentibus existimatur habere jurisdictionem, quam tamen non habet; hic error aliquando conjunctus est cum titulo colorato, aliquando non. *Titulus coloratus*, seu non verus, sed apparens & putativus, est collatio jurisdictionis, vel officii habentis annexam jurisdictionem, quamvis hæc collatio ob latentem aliquem defectum sit nulla, ut si tibi à vero collatore conferatur pastoratus simoniacè, habes titulum coloratum, & si communiter à Parochianis habearis pro vero Parocho, accedit error communis.

Rz. 2. Error communis cum titulo colorato dat jurisdictionem. Est ferè omnium & practicè certa. Ratio est: quia tunc ob utilitatem publicam & gravissima incommoda certò præsumitur Ecclesia supplere jurisdictionem, *ex l. Barbarius, ff. de off. præt. & c. infamis 3. q. 7.* Unde validè absolvit Parochus occultè simoniacus, excommunicatus, suspensus, aut cujus approbatio occultè est revocata, vel expiravit.

Rz. 3. Solus error sine titulo colorato non sufficit; nam quamvis Innoc. Ostiens. Felin. &c. probabiliter dicant, Ecclesiam tunc supplere, quia hîc æquè militat bonum commune, id tamen in praxi tutum non est, quia agitur de valore Sacramenti. Lex *Barbarius* (quæ videtur esse fundamentum hujus doctrinæ) loquitur de errore communi conjuncto cum titulo colorato; ergo si non adsit talis titulus, non est certum, quòd Ecclesia suppleat; neque est periculum tot incommodorum; nam rarò contingit, quòd error communis non sit conjunctus cum titulo officii, beneficii, approbationis, expositionis, privilegii ad confessiones audiendas, &c. *Carden. crisi 2. diss. 2. c. 6. n. 151. La Croix l. 6. p. 1. n. 115. Metzg. l. 49. ar. 1. n. 24.*

6. QUÆR. III. An extra necessitatem sufficiat jurisdictio probabilis, hoc est, fundata in opinione verè probabili, quòd v. g. absit impedimentum, quòd solus error communis det jurisdictionem? &c. Affirmant *Sanch. Pont. Less. Bonac. Raster. Reding. Salma. t. 6. de pœn. c. 11. p. 5. Card. Metz. l. 1.* 1. Quia certum est, quòd consuetudo sciente & non improbante Superiore det jurisdictionem, *c. cùm contingat, de foro compet. c. Romana eod. in 6.* Sed etiam certum est, quòd sit consuetudo absolvendi cum jurisdictione probabili, ut testatur *Suar. Arriag. Lug. d. 27. n. 32.* & ipsa experientia: ergo. 2. Error com-

munis cum titulo colorato certò dat jurisdictionem, ut supra dictum est; atqui si hîc erretur, est error communis, & plerumque adest titulus, ergo & si Ecclesia hîc non suppleat, sequuntur eadem incommoda, quæ ex errore communi, ergo hæc sententia est probabilissima, at non planè certa: tum quia probabiliter contradicunt *Suar. Vasq. Koning, Garcias. Oviedo, Salust. Pallav. Taberna, Marchant.* & alii, quos citat & sequitur *Gob. Cas. 3. n. 114.* tum quia consuetudo non est universalis, & Ecclesia videtur eam improbare, *c. si Episcopus 2. de pœn. & remiss. in 6. Nullâ quoque potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit ligare.*

QUÆR. IV. Quid circa reservationem in genere? 7.

R. Sequentia: 1. *Reservatio* est ablatio jurisdictionis respectu aliquorum peccatorum: potest autem hæc reservatio fieri ab omni eo, qui habet jurisdictionem ordinariam, qualem habet Papa pro tota Ecclesia, Episcopus pro sua diœcesi, Superior regularis pro suis Religiosis; non tamen Parochus pro suis Parochianis; cùm enim ipse sit immediatus Pastor suarum ovium, utique non reservabit sibi ipsi; in casu tamen, quo alium ab Episcopo approbatum delegaret, posset sibi peccatum reservare. 2. Quamvis peccata etiam merè interna reservari possint, cùm ad hæc se extendat jurisdictio Sacramentalis, quam concedit & per consequens etiam limitare potest Ecclesia: attamen de facto non reservantur, nisi mortalia externa, & 8.
quidem graviora; si peccatum internum sit grave, externum leve, v. g. vulnerâsti leviter cum animo occidendi, furatus es stuferum cum animo furandi materiam gravem; non incurris reservationem, quamvis furtum & percussio cæteroquin forent casus reservati, *Suar. Bonac. Lug. d. 20. n. 15.* Ratio est, quòd reservatio (utpote restringens potestatem absolvendi) sit odiosa, ideòque restringenda; ex eodem capite, si reservetur lapsus carnis, homicidium, id tantùm intelligitur de actu consummato, v. g. de lapsu carnis per effusionem seminis in vas naturale, item de homicidio reverà secuto, non autem de lethali vulnere, nisi reservans aliter mentem suam declaraverit. 3. In dubio an hoc vel illud 9.
peccatum sit reservatum, hoc ipso non reservatur, sive dubium sit positivum, sive negativum, sive sit juris, ut cùm dubitas, an reverà sit lex reservans ejusmodi actum, sive cùm sit dubium facti, ut cùm scitur, homicidium, procurationem abortûs, adulterium, &c. esse reservata, sed dubitas, an mors vel abortus sit secutus, an plenè, deliberatè, an ex actione à te posita, an persona sit uxorata, &c. idque tenet, etiamsi præsumptio fori externi sit contra te, v. g. protulisti verba hæretica, sed dubitas an animo hæretico. Est communis *cum Sanch. Tamb. Metzg. Lug. n. 18. Dian. p. 4. t. 3. R. 4.* Ratio data est,

est, quòd reservatio, utpote odiosa, non debeat extendi ad casus dubios, sed ad certos & perspicuos; imò *Gobat*, *Sporer n. 734.* extendunt hoc probabiliter ad casum, quo bonâ fide confessus es non habenti facultatem in peccatum dubiè reservatum, etiamsi pòst certò cognoscas esse reservatum; sed quoad hoc oppositum videtur probabilius, quia hoc ipso, quòd tibi certò constet, peccatum esse reservatum, pariter constat, Confessarium ordinarium ab illo non potuisse directè absolvere, ergo teneris illud de novo confiteri apud habentem facultatem in reservatum.

10. 4. Idem *Sporer n. seq.* dicit, posse absolvi pœnitentem, si ignoret suo peccato esse annexam reservationem; sed nec hoc videtur admitti posse, maximè si reservatio non sit merè pœnalis, sed simul medicinalis, qualis semper esse præsumitur; & praxis est contraria; ignorantia enim pœnitentis non facit, ut Confessarius accipiat jurisdictionem in peccatum, in quod aliàs non habebat, & certò si hæc sententia teneret, sola peccata Theologorum essent reservata, cùm hi soli sciant casus in specie re-

11. servatos. 5. Communis est sententia, non ampliùs reservari peccatum, quod oblitus es, dum confitebaris habenti potestatem in reservata, quia quamvis tunc non directè absolvaris à peccato omisso; attamen tollitur ejus reservatio, quia Confessarius saltem implicitè voluit facere, quantum potuit; potuit autem tollere reservationem, cùm hæc per se loquendo non requirat confessionem, ergo. Idem tenet, si talis confessio fuisset invalida defectu veri doloris, ita ut peccata tunc à quocunque approbato absolvi possint.

QUÆR. V. Quid circa casus re- 12.
servatos Papæ?

℟. Sequentia: 1. Satis multi reservantur in jure communi, ut percussio clerici, duellum, simonia, &c. sed opus non est, ut in his Regularis approbatus & expositus multum divexet memoriam, quia Mendicantes, & omnes cum iis participantes, ideòque & Præmonstratenses habent privilegium ab his omnibus pro foro conscientiæ absolvendi, ut dicam *Casu 116. q. 3.* de absolutione à percussione clerici dicam *Casu 115. q. 3.* ab hæresi *ibid. 97.* de absolutione seu dispensatione à votis *Casu 71.* 2. Alii 13.
casus à Papa reservantur specialiter, & arctiùs *in Bulla Cœnæ*, sic dicta, quòd omni anno in Cœna Domini hæc Bulla de novo promulgetur, utpotè: *Hæresis, lectio, retentio, impressio librorum hæreticorum, appellare ad futurum Concilium, pyraticam exercere in mari Romano, bona naufragorum eripere, sine potestate imponere novas gabellas, falsificare litteras Apostolicas, personas Ecclesiasticas trahere ad tribunalia secularia, imponere onera Ecclesiasticis*, & alia plura, quæ in his partibus rariùs contingunt. Vide *Castrop. de cens. dis. 3.* ubi 20. Casus Bullæ Cœnæ fusè exponit; ipsam verò Bullam Cœnæ habes apud *La Croix l. 6. p. 2. n. 2054.*

3. Omnibus casibus Papalibus, sive 14.
in sive extra Bullam Cœnæ reservatis,

an-

annexa est excommunicatio latæ sententiæ Papæ reservata, ita ut qui non incurrit excommunicationem, etiam non incurrat reservationem. Est communis Doctorum. Ab excommunicatione autem excusantur, qui ignorant eam delicto suo esse annexam, etiamsi ignorantia sit mortaliter culpabilis, modò non sit omninò crassa & supina, ut dicam *Casu 113.* Quod diligenter notandum maximè pro sæcularibus in his partibus, qui rarò sciunt vel recordantur his casibus excommunicationem esse, ideóque communiter à quolibet Confessario absolvi possunt. 4. In articulo mortis
15. vel ejus periculo si non adsit potestatem habens, potest quivis Sacerdos etiam excommunicatus, hæreticus, degradatus absolvere à quibusvis casibus reservatis, etiam Bullæ Cœnæ, *Trid. Sess. 14. c. 7.* Sed quid si haberi possit Regularis habens potestatem in reservata? R. Adhuc probabiliter eligi potest quivis approbatus, quia Tridentinum indistinctè dicit: *In articulo mortis nullam esse reservationem, Tamb. Herinx d. 6. q. 2.* Et de Parocho non esse dubitandum docet *Less. Gobat Cas. 3. n. 130.* cum hoc tamen onere, ut non absolvantur nisi præstito juramento, quòd sublato impedimento comparituri sint coram Superiore, ejúsque mandato obtemperaturi, *c. ex tenore, c. ea, de sent. excomm.* Quod *Avila, Bonac. Tamb. l. 3. c. 6. n. 4.* extendunt ad solos percussores Clerici, quia de his tantùm loquuntur Canones; imò *Sporer* tantùm putat habere locum, quando res deducta est ad forum contentiosum; deinde debet præstari cautio de satisfaciendo parti læsæ, vel potiùs ipsa satisfactio, si possit, ante absolutionem: qui promissa non præstat, in excommunicationem reincidit, *c. eos qui c. quamvis de sent. excom.* ab hac tamen absolvere possunt Episcopi & Mendicantes; hoc certum est, quòd absolutio valeat, etsi Confessarius præfatam pœnam non imponat. Vid. dicenda *Cas. 116.* necessariò hîc recolenda.

5. Casus Papales etiam Bullæ Cœnæ 16.
fiunt Episcopales, seu possunt absolvi ab Episcopo, quando est impedimentum perpetuum, vel diuturnum, quò minùs pœnitens personaliter Papam adire possit, quia v. g. est impubes, senex, pauper, valetudinarius, & universim, qui sine magna difficultate Romam ire non possunt, *c. mulieres, c. quamvis, c. de cætero, de sent. excom.* Eadem potestas etiam competit Regularibus, *Dicastil. Gobat Cas. 8. n. 368. Sporer n. 751.* Neque opus est, ut absolutus ab Episcopo vel Regulari privilegiato postea compareat coram Papa, quia jam absolutus est ex potestate Apostolica delegata; si Episcopus vel Regularis privilegiatus adiri non possit, potest absolvere quilibet approbatus, & quidem ab aliis peccatis directè, à reservatis indirectè, cum onere petendi ab habente potestatem absolutionem directam à reservato. Idem tenet de eo, qui die festo sine gravi incommodo aut scandalo confessionem & Missam differre non potest, & non habet, qui à reservatis ab-

absolvere possit, tunc poterit confiteri Confessario ordinario cum onere jam explicato, *Sot. Sylv. Suar. Laym. c. 12.*

17. QUÆR. VI. Quid circa reservationes Episcoporum?

Rs. 1. Casus Papales etiam occulti sunt reservati, ut jam certum est ex Propositione 3. & 4. ab Alexandro VIII. damnata; Casus tamen Episcopales plerumque non reservantur, nisi sint publici, ut videri potest ex propria eorum Agenda vel Synodo; in Agenda Colonienſi edita anno 1720. de Sacramento Pœnitentiæ n. 51. reservantur sequentia: *Homicidium voluntarium, sacrilegium, incendium Ecclesiæ deliberatâ voluntate procuratum, sodomia, raptus virginum, incestus cum consanguineis aut affinibus in primo aut secundo gradu, aut cum Sanctimonialibus, adulterium manifestum, injectio manuum violenta in parentes cum læsione, sortilegia, veneficia, ligatura & omne maleficium, quo impeditur actus maritalis in conjugibus, perjurium manifestum, violatio fidei & votorum, simonia, hæresis, apostasia, blasphemia magna serióque prolata.* De peccato complicis Agenda pag. 52. habet sequentia: *Casibus reservatis adjicitur crimen complicis, quo verbo intelligitur illa persona, quæ carnaliter cum Confessario peccavit, qualis pœnitens ab eodem Confessario complice ab illo ipso carnali peccato externo de se mortaliter peccaminoso (licèt copula non intervenerit) Sacramentaliter extra mortis periculum absolvi non poterit.* Unde patet, in hac Diœcesi reservari omnes Venereos tactus, oscula, amplexus, pollutiones, &c. complicis, cùm hîc non detur parvitas materiæ, ut dixi *Cas. 11. n. 3.* Omnes præfati casus, *excepto adulterio & perjurio, quantumlibet occulti, reservationi subjacent.* Agenda *l. cit.* In his tamen retinendis non est crucianda memoria; nam in formula approbationis solet dari potestas absolvendi ab omnibus, excepto tantùm uno vel altero, ideóque sufficiat hæc solùm memoriter tenere. 2. Reservatio tantùm habet vim in Diœcesi reservantis; hinc si pœnitens habens reservatum peregrinetur in aliena Diœcesi, in qua non est reservatum, ibi potest absolvi, saltem si iverit illuc in fraudem legis; econtrà si peccatum in sua Diœcesi non sit reservatum, sit autem reservatum in aliena, in qua quis confitetur, etiam absolvi potest, quia absolvitur ex vi jurisdictionis delegatæ à suo Episcopo, quæ se extendit ad tale peccatum. 3. A reservatis Episcopo absolvere possunt Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus expositi, non tamen Mendicantes alii ad hoc non specialiter approbati, ut certum est ex Propositione 12. ab Alex. VII. damnata: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.* 18.

QUÆR. VII. Quid de casibus reservatis apud Religiosos? 19

Rs. De his videri debent cujuslibet Ordinis Statuta. Clem. VIII. anno 1593. statuit undecim tantùm casus, ultra quos Superiores Regularium sibi plures vel alios nisi cum

consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, vel Provincialis pro provincia, reservare non possunt; sunt autem: 1. *Apostasia à Religione etiam habitu retento.* 2. *Nocturna & furtiva è Monasterio egressio.* 3. *Veneficia, incantationes, sortilegia.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.* 5. *Furtum notabile mortale de rebus Monasterii.* 6. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 7. *Juramentum falsum in legitimo judicio.* 8. *Procuratio, consilium vel auxilium ad abortum fœtus animati etiam effectu non secuto.* (Hoc enim secuto incurritur reservata excommunicatio & irregularitas *ex delicto* homicidii voluntarii.) 9. *Falsificatio manus vel sigilli Officialium Monasterii.* 10. *Occisio seu vulneratio, seu gravis alicujus personæ percussio.* 11. *Malitiosum impedimentum, retardatio vel apertio litterarum Superiorum ad inferiores, vel è contrà.* Unde infertur cum March. & communi, Prælatum non posse præter prædictos casus alia peccata præcipere sub excommunicatione sibi reservata, quia Pontifex simpliciter excludere voluit omnes alias reservationes.

20. QUÆR. VIII. Quid de approbatione?

Rz. 1. Præter jurisdictionem requiritur ad validè absolvendum approbatio Ordinarii, quæ est authenticum testimonium Superioris de aptitudine ad absolvendum Sacramentaliter. 2. Approbare possunt Nuntius Apostolicus pro sua Nuntiatura, Episcopus & ejus Vicarius pro sua Diœcesi; idem dicendum de Abbate habente jurisdictionem quasi Episcopalem in Diœcesin nulli Episcopo subjectam, communis Doctorum; imò jus approbandi simpliciter ad audiendos sæculares & Moniales ab inferiori Prælato probabiliter præscribi posse, sicut & alia jura, dixi *Casu 78. n. 13.* 3. Potest approbatio dari vel restrictè ad certum tempus & personas, vel illimitatè; illimitata non expirat per mortem dantis, (idem dic de jurisdictione) sed per solam revocationem, ut habet communis, & certum est ex praxi. 4. Regulares etsi jurisdictionem immediatè accipiant à Papa, tamen indigent approbatione Ordinarii, ut validè absolvant sæculares, quod addo, quia ut audiant Regulares, ad valorem requiritur & sufficit licentia Superioris. Nam 5. si Religiosus contra voluntatem Superiorum procuret sibi approbationem Episcopi, & confessiones sæcularium audiat, peccat quidem contra obedientiam morraliter vel leviter, prout Superior scitur esse graviter vel leviter invitus; validè tamen absolvit, quia & jurisdictionem & approbationem habet in subditos Episcopi, *Laym. Tamb. l. 5. c. 5. §. 2.* 6. Ad audiendas Moniales etiam exemptas requiritur approbatio specialis Episcopi, in qua expressè fiat mentio Monialium, ita ut si approbatio fiat pro uno tantùm Monasterio, vel pro una tantùm vice, non valeat pro aliis, ut constat ex Bulla Greg. XV. *Inscrutabili Dei providentia,* & Clem. X. *Superna magni Patris-*

21. 22. 23. 24.

*Patris-familias*, quæ prodiit anno 1670. quæ ad longum refertur in Synodo Colonienti ultimâ, & per consequens in hac utì & in Diœcesi Paderbornensi & Monasterienſi est recepta; hæ tamen Bullæ non loquuntur de Monialibus extra Monasterium degentibus, ideóque has à quolibet approbato absolvi posse, docet *La Croix n.* 1526. ubi exhi-
25. bet prædictam Bullam Clem. X. 7. Approbatus pro una Diœcesi non est approbatus pro omni, prout nunc quoad Regulares certum est ex Clementina cit. Hinc Religiosus approbatus v. g. in Diœcesi Colonienſi non potest in Diœcesi Leodienſi existens validè audire confessiones sæcularium Colonienſium. Dico, *sæcularium*; nam suum socium & quosvis Religiosos de licentia, quorum interest, ubique audire potest, quia Superiores Regularium habent privilegium sibi & suis eligendi quemcunque Sacerdotem etiam non approbatum ab Episcopo. Sed quid si Regularis cum licentia Superioris peregrinetur, an possit eligere Sacerdotem non approbatum etiam sæcularem, si non adsit Regularis? R. Probabiliter affirmant *Suar. Tamb. sup. Sporer n.* 865. quia Religiosi habent privilegium eligendi Confessarium non approbatum, si consentiant Superiores; atqui præsumuntur consentire, quamdiu non constat de dissensu vel contrario statuto: ergo multò magis poterit talis Religiosus confiteri suo sæcio Sacerdoti simplici.

8 Quoad Parochum manet probabile, quòd suos subditos, saltem si cum eis peregrinetur, in aliena Diœcesi eos ibidem possit absolvere, quia hoc nullibi prohibet Ecclesia, *Illsung, Lug. n.* 42. ubi *n.* 14. dicit, Parochum approbatum pro sua Parochia eo ipso etiam esse approbatum pro tota Diœcesi, quod confirmat praxis Germaniæ, teste *Gobat sup. n.* 45. ita ut alienos Parochianos cum tacita saltem licentia proprii Parochi licitè & validè audire possit, nisi aliud declaret loci Ordinarius, utì modò in Diœcesi Colonienſi. 26.

9. Si quis desinat esse Parochus, etiam desinit ejus approbatio, ut habet communis, nisi fuisset approbatus independenter à beneficio parochiali; desinente tamen approbatione Parochi non desinit approbatio Sacellani, vel Vicarii approbati in subsidium Parochi, quia principaliter approbantur ratione loci vel Communitatis, non ratione Parochi. 27.

# CASUS C.

## De obligatione Sigilli Sacramentalis.

NErius angitur: 1. *An sigillum frangat, si dicat: Titium non animo pœnitendi, sed confabulandi, Confessarium convitiandi, vel ad crimen inducendi, &c. Confessionale accessisse.* 2. *An Confessarius fictus, interpres, astantes, consultus, legens confessionem scriptam, &c.* 3. *An sigillum obliget omni casu.* 4. *Quale sit peccatum sigillum infringere.* 5. *An liceat uti scientia confessionis; an de ea loqui sine expressa licentia; quid si id faciat ipse pœnitens.* 6. *Quid si in genere dicat, se in tali urbe vel Monasterio audivisse talia peccata.* 7. *Quid si dicat, Titium sibi peccatum publicum esse confessum, vel unum veniale, aut aliunde habeas peccati notitiam.* 8. *Quid de defectu naturali, vel re indifferente ex confessione cognita.* 9. *Quid si dicat se imposuisse magnam pœnitentiam, vel sine absolutione dimisisse; quid si neget schedam.* 10. *Quid si unus complex neget, alter fateatur delictum.* 11. *An Confessarius possit uti scientiâ confessionis cum suspicione complicum.* 12. *An circa personam pœnitentis negando votum.* 13. *Removendo occasiones peccandi vel nocendi.* 14. *Quid si Confessarius ex confessione sciat, se à pœnitente sollicitandum.* 15. *Quid si Confessarius super delicto interrogetur?* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit sigillum, & qualiter obliget? 1.

R. 1. *Sigillum Sacramentale est obligatio servandi secretò omnia ea, quæ in ordine ad Confessionem Sacramentalem sunt manifestata, eámque redderent odiosam, sive quis ea sciat immediatè per se, vel per alium, aut quomodocunque.* Est regula communis & certa. Illa autem manifestantur in ordine ad confessionem Sacramentalem, quæ vel aperiuntur in ipsa confessione animo percipiendi absolutionem, vel aperiuntur cuicunque etiam Laico in ordine ad habendum consilium pro facienda confessione, quamvis fortè absolutio vel confessio non sequatur, sive ea, quæ aperiuntur, sint peccata propria, sive aliena cum suis connexa, sive vota aut defectus naturales, quorum revelatio confessionem redderet odiosam. Quòd si quis sine seria intentione recipiendi Sacramentum, v.g. animo confabulandi cum Confessario, vel eum convitiandi, ad malum sollicitandi, vel furandi, aut beneficium impetrandi, vel pœnam effugiendi confiteatur, vel delictũ aperiat, quamvis aperiens dicat se illud committere sub sigillo Sacramentali, & alter dicat, se illud sic suscipere, tamen non obligat nisi sub sigillo naturali, quod ex justis causis sæpè manifestari potest & de-

& debet, ut dixi *Casu 36. à n. 19.* Hinc
2. sigillo per se primò obligatur Confessarius etiam fictus, interpres, Superior pro licentia absolvendi requisitus, consultus super peccato vel statu pœnitentis in ordine ad confessionem, legens confessionem scriptam sive casu sive studio, adstantes, sive casu, sive ex industria aliquid audientes, item ii, quibus Confessarius aliquid sine licentia pœnitentis revelat, nisi pœnitens aliquem nolit obligari, sola enim & unica causa à sigillo excusans est consensus pœnitentis. *Dices:* Qui percutit Clericum etiam consentientem, peccat & incurrit excommunicationem, quia talis percussio non tantùm prohibita est in favorem Clerici, sed etiam in reverentiam totius Statûs clericalis: atqui revelare peccata confessa etiam prohibitum est non tantùm in favorem pœnitentis, sed & in reverentiam Sacramenti: ergo ejusmodi revelatio nequidem licita erit cum licentia pœnitentis. R. N. consequentiam, sicut sigillum epistolarum quamvis sit in bonum communitatis, & de jure gentium à scribente potest remitti, quia hoc ipso, quòd dat licentiam, non ampliùs manet sigillum, seu res secretò commissa, sic & sigillum Sacramentale non manet post datam licentiam; Clericus autem manet clericus, etsi in percussionem consentiat, ideòque non obstante ipsius consensu
3. fit injuria statui clericali. 2. Obligatio sigilli est strictissima, & oritur tum ex jure naturæ, tum ex voluntate Christi volentis, ut nullo casu etiam pro salvando toto mundo sigillum infringere liceat, quia semper urget reverentia Sacramenti, quod valde fieret odiosum, si vel in uno casu dicta confessionis revelare liceret, & pœnitens meritò timeret, ne fortè hîc & nunc adesset causa revelandi, itaque in casu necessitatis, quando revelatio criminis necessaria est ad avertenda damna seditionis, persecutionis, cædium, &c. ipse pœnitens urgendus est, ut, si adhuc possit, per se vel per alium imminens periculum avertat, aut Confessario loquendi facultatem concedat, quia ad hoc ex charitate obligatur, alioquin indignus est absolutione. 3. Fractio
4. sigilli duplicem habet malitiam, unam contra reverentiam Sacramenti, & hæc semper est mortalis, etiamsi reveletur solum peccatum veniale, quia Sacramentum redditur per hoc valde odiosum, quæ est gravissima irreverentia in ejus authorem: deinde habet malitiam injustitiæ contra tacitum pactum, quod est inter Confessarium & pœnitentem, qui peccata sua detegit sub tacita conditione, ea nullo casu revelandi; hæc malitia potest esse gravis vel levis, prout gravis vel levis infamia, vel aliud grave vel leve incommodum ex fracto sigillo pœnitenti oriri potest, *Laym. Lug. d. 13. n. 117. Dian. p. 7. l. 5. R. 8.*

QUÆR. II. Quid de usu scientiæ
5. confessionalis & aliis pro praxi hinc resolvendis?

R. Tenenda esse sequentia: 1. Nullo casu, in quo confessio fieret meritò odiosa, licet uti scientia confessionis, aut quidquam revelare directè vel indirectè, dando scilicet occasionem,

tale quid de pœnitente prudenter suspicandi, imò nequidem cum ipso pœnitenti licet extra confessionem de confessis loqui sine expressa ejus licentia. Dico, *extra confessionem*; nam intra confessionem potest probabiliùs Confessarius loqui de iis, quæ faciunt ad necessariam ejus directionem, sicque habet communis praxis; & certè cur suademus pœnitenti eundem servare Confessarium, si respectivè ad ipsum Confessarius non posset uti scientiâ priorum confessionum? Multò magis potest loqui ipse pœnitens de iis, quæ dixit ipse vel audivit à Confessario, quia sigilli obligatio est in favorem pœnitentis, cui potest ipse renuntiare; nisi fortè dicta Confessarii cederent in ejus derisionem, tunc enim jure naturæ tenetur ea tacere. 2. Sacerdos in genere dicens, 6. se in confessione audivisse hæc vel illa crimina, v. g. proditionem, seditionem, eáque foveri in hac civitate, &c. per se loquendo non frangit sigillum, nisi ex circumstantiis fiat occasio tale peccatum prudenter suspicandi de determinata persona, quod quia quandoque fieri potest, ejusmodi locutiones ordinariè erunt periculosæ & scandalosæ, si quis verò de parva aliqua Communitate, v. g. de Monasterio dicat, ibi committi multa reservata, vel peccata carnis, frangit sigillum, & Monasterio gravissimè detrahit, reddítque confessionem 7. odiosam. 3. Quamvis sit publicum, Titium esse proditorem, si tamen dicas, Titium proditorem tibi esse confessum, peccas contra sigillum; idem est, si dicas, Titium tibi esse confessum multa mortalia, vel multa venialia, vel unum determinatè veniale, v. g. mendacium, non autem si dicas in genere, tibi esse confessum, vel confessum esse venialia; ratio est, quia aliunde constat necessarium esse saltem confiteri aliqua venialia, non autem necessarium est hoc determinatum veniale vel mortale, ideóque hæc cadunt sub sigillo. 4. Si habeas aliunde notitiam peccati, potes quidem ex hac notitia de alterius peccato loqui, sed cave, ne des scandalum, vel rem ob scientiam confessionis confidentiùs affirmes. 5. Si ex con- 8. fessione intelligas, pœnitentem esse spurium, ignobilem, natum ex parentibus Judæis, esse stupidum, esse Religiosum, militem, uxoratum, aut voto astrictum, &c. teneris in his omnibus sigillo, nisi aliunde ita essent publica, ut certum videatur, pœnitentem non ægrè laturum eorum revelationem; ratio est, quia aliàs eorum revelatio redderet Sacramentum odiosum. 6. Peccat, qui dicit, 9. se pœnitenti gravem pœnitentiam injunxisse, quia æquivalenter dicit, eum fuisse reum gravis culpæ; item peccat contra sigillum, qui dicit, se Titium Sacramentaliter confessum dimisisse sine absolutione, quia facit eum suspectum de indispositione. Sed quid si pœnitens sine absolutione dimissus in Paschate petat testimonium confessionis? *vz. Cont. Bonac. Lug. Sporer n. 840.* probabiliùs non posse negari, maximè si petat publicè, v. g. in confessionali, quia ejusmodi testi-

testimonium aliis dare & ipsi negare est exercitè dicere, ipsum non esse absolutum ob indispositionem, ideóque frangeretur sigillum; nec mentitur Confessarius, quia non testatur eum esse absolutum, sed confessum saltem inchoativè, quod verum est.

10. 7. Si complex fateatur delictum, alter autem neget, negans juxta *Tamb.* est absolvendus; sed si certò credatur indispositus, datâ Cruce dimittatur, vel cautè moneatur de integritate confessionis, ita tamen ut suspicari non possit, Confessarium uti scientiâ haustâ ex confessione alterius complicis, sic enim frangeretur sigillum, ut habet communis. Sed quid,

11. si Cajus confiteatur, se cum Titio & aliis constituisse res Confessarii furari, vel eum de nocte occidere, an possit Confessarius sine licentia pœnitentis (qui eam utique sub mortali dare tenetur) res suas abscondere, fugere, aut aliter sibi præcavere, non obstante quòd Caji complices rationabiliter suspicentur eum uti notitiâ confessionis? Affirmant probabiliter *Coning*, *Bonac.* sed magis consequenter negat *Scotus*, *Suar.* & *alii.* Ratio est, quia dans aliis occasionem prudenter suspicandi determinatè peccatum confessum est frangere sigillum, & facto revelare alterius peccatum; sed talis occasio suspicionis hîc datur, ut supponitur:

12. ergo. 8. Nunc certum videtur *ob Decretum Clem. VIII. de anno 1593. 26. Maji*, aliorúmque Pontificum, Confessarium non posse uti scientia confessionis etiam circa personam pœnitentis in iis, quæ cedunt in ejus incommodum, ideóque redderent confessionem meritò odiosam, quamvis nec pœnitens nec ullus alius advertat, hoc fieri ex scientia confessionis, ut si Confessarius ob peccata confessa vellet pœnitenti studiosiùs invigilare, ut in peccato deprehendatur, suffragium in electione denegare, ab officio vel loco, in quo peccavit, amovere, se illi ostendere severiorem, ei ut anteà non succurrere, domo expellere, Communionem negare, nolle ejus matrimonio assistere, &c. *Lug. Dian. Stotz n. 251.* Si verò pœnitenti nullum inde oriatur incommodum, non frangitur sigillum, quia tunc nec revelatur peccatum, nec confessio fit odiosa, *Steph. à S. Paulo hîc n. 219.* Hinc si Confessarius ex confessione novit, in aliqua Congregatione esse periculum seductionis, aut strui insidias Principi, potest *juxta D. Thom.* & alios Superiorem Congregationis & Principem monere, ut diligenter invigilent, ita tamen ut nec pœnitenti nec alteri fiat rationabilis suspicio, quòd hæc fiant ex scientia confessionis. Dixi, *circa personam pœnitentis*, nam *Tamb. Sporer n. 873.* & plures alii non improbabiliter dicunt, Confessarium posse uti scientiâ confessionis circa gubernationem sui, seu circa res suas & vitam meliùs custodiendam, v. g. claudere fenestram, per quam pœnitens vult furari, cavere viam, in qua struuntur insidiæ, effundere vinum veneno infectum, negare gladium, qui petitur ad se occidendum; rationem dant,

13.

quòd

quòd nec peccatum nec confessio peccati ulli manifestetur, sed tantùm permittatur, ut pœnitens, qui anteà utrumque scivit, de usu scientiæ confessionalis suspicetur, nec propterea confessio sit odiosa, quia tantùm removetur occasio peccati, quod potiùs beneficium censeri debet quàm incommodum; oppositum tamen est probabilius cum *Scoto dist. 21. q. 3. ar. 2. Quia scitum ex confessione est quasi nescitum*, inquit *D. Thom. in Suppl. q. 11. art. 1. ad 1.* ideóque scientiâ confessionis nunquam licet uti in odium confessionis & gravamen pœnitentis; claudere autem cistam volenti furári est in odium confessionis & pœnitentis gravamen; si enim occultè votum negare pœnitenti indigno est in ejus gravamen, ideóque illicitum, (quamvis ille nec alius advertat hoc fieri ex scientia confessionis) ut certum est ex declaratione Pontificum, cur non claudere cistam vel januam pœnitenti advertenti hoc fieri occasione factæ confessionis? Accedit, quòd nequidem cum ipso pœnitente sine ejus licentia extra confessionem de peccatis confessis loqui liceat; ergo nec poterunt dari signa notitiæ Sacramentalis, claudendo cistam, quia hoc est loqui in facto. 9. Quid si Confessarius aliquoties à Titia fuerit sollicitatus ad peccatum, an iterum ad eam sub prætextu morbi vocatus teneatur eam accedere? R. Non teneri; quia si pœnitens in confessione sollicitavit, confessio non fuit Sacramentalis, ut dixi *n. 1.* ideóque obligationem sigilli non inducit; si verò seriò confessa tibi malam voluntatem aperuit, debes confisus gratiæ Divinæ eam accedere, aliàs alii de pœnitente malè suspicarentur. 10. Confessarius interrogatus de pœnitentis delicto, potest & debet, si ita opus est, illud negare etiam cum juramento, quia hoc non est mentiri aut falsò jurare, sed dicere se non scire alterius delictum scientia humana & communicabili, quod est verum. Pœna Confessarii frangentis sigillum est ex *c. omnis utriusque sexus, de pœn.* depositio à Sacerdotio, & detrusio in arctum Monasterium; quæ tamen pœna non est latæ, sed ferendæ sententiæ. 14. 15.

CASUS

# CASUS CI.

## De Satisfactione Sacramentali.

*Nesius Confessarius* 1. *quandoque imponit pœnitentibus opera aliàs debita.* 2. *Aliquando nihil.* 3. *Quandoque pœnitentiam publicam, perpetuam, improportionatam.* 4. *Quam pœnitentes vel non acceptant, vel ex parte omittunt.* 5. *Vel persolvunt per alium absque reflexione ad Sacramentum.* 6. *Vel diu differunt, non implent die statuto.* 7. *Vel ejus obliviscuntur.* 8. *Vel permutant, aut mutari faciunt à Confessario.* Pro Resolut.

QUÆR. Quid circa satisfactionem Sacramentalem? 1.

R. Seqq. 1. Per satisfactionem hîc intelligitur passiva seu pœnitentia à Confessario injuncta, quæ debet esse opus *pium*, *laboriosum*, *pœnale & medicinale*, præservans à relapsu; & quamvis per se imponi possit opus ex alio præcepto debitum, v.g. Missa die festo; id tamen sine causa fieri non debet, ne pœnitentiæ vilipendantur; effectus pœnitentiæ est remissio pœnæ temporalis ex opere operato, est ejusmodi satisfactio pars integralis Sacramenti, in vim cujus operatur, ideoque plus valet modica pœnitentia à Confessario imposita, quàm magna spontè assumpta, *Palud. Laym. c. 15. n. 14.* 2. Confessarius per se loquendo obligatur sub mortali imponere pœnitentiam, eámque pœnalem & medicinalem pro qualitate pœnitentis ejúsque criminum, *Trid. sess. 14. de pœnit. c. 8.* Ratio est, quòd Confessarius vi officii sit Judex & Medicus; ergo tenetur malefacta vindicare, & morbis animæ obviare, quod fit per pœnitentiam congruam. Dixi, *per se loquendo*; nam si pœnitens ob angustias mortis vel aliter nullam pœnitentiam implere posset, eam quis frustrà imponeret; in dubio injungendum est minimum quid, v.g. ut corde vel voce exprimat nomen JESU, aut internè suspiret ad DEUM, offerat dolores infirmitatis, &c. Aliqui dicunt, non opus esse pœnitentia, si pœnitens lucretur Indulgentias plenarias, vel Jubilæum, aut sit perfectè contritus; sed oppositum est tenendum: nam præterquam quòd incertum sit, an plenè quis lucretur Indulgentias, vel habeat contritionem sufficientem ad delendas omnes pœnas temporales; Sacramentum sine pœnitentia non erit integrum, cùm satisfactio sit ejus pars integralis ex institutione Christi requisita. 3. Pœnitentia debet esse proportionata peccatis, & pœnitenti non nimis gravis, ne pœnitens desperet, neque nimiùm levis, ne contemnat, & gravitatem suorum scelerum non agnoscat. Trid. his formalibus 2. 3.

libus l. cit. *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggessit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, nisi forte peccatis conniveant, & indulgentias cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro commiſſis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur; habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam in peccatorum præteritorum vindictam & caſtigationem*; attamen cæteris paribus ſatiùs eſt excedere in miſericordia quàm ſeveritate; non debet imponi pœnitentia publica, niſi fortè aliter publicum ſcandalum reparari non poſſit, neque pœnitentia perpetua, quamvis levis, v.g. indies tria Pater & Ave, quia per talem nunquam obtinebitur integritas Sacramenti, nec tenebitur pœnitens eam acceptare utpote irrationabilem; optimum erit pœnitenti imponere, ut in ea materia abſtineat à licitis, in qua perpetravit illicita, v.g. divitibus, avaris, injuſtis optima ſatisfactio eſt eleemoſina, quia pecunia talibus eſt cauſa pravorum affectuum; caveat tamen Confeſſarius, ne ſibi aut ſuis eleemoſinam applicari velit, aliàs ſeipſum de avaritia ſuſpectum reddet; contra peccata carnis valent macerationes corporis, jejunia, cilicia, vigiliæ, &c. contra iracundiam, odium, invidiam, &c. proderunt humiliationes, petitiones veniæ, actus charitatis erga proximos; contra acediam & omne vitium juvat frequens confeſſio & Communio, examen veſpertinum & diurnum, quotidiana & ſæpè repetita propoſita cum dolore.

4. Pœnitens tenetur, per ſe loquendo, ſuſcipere & perſolvere pœnitentiam à Confeſſario rationabiliter impoſitam; ratio eſt, quia Confeſſarius eam ut judex juſtè imponit, & Sacramentum ſine ejus perſolutione non eſt completum; ergo pœnitens tenetur eam perſolvere, adeò ut omittens gravem materiam pro mortalibus impoſitam, v.g. confeſſionem, Communionem, ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, Roſarium, jejunium, Officium B. Virginis, &c. peccet mortaliter, niſi fortè ſimul decem vel plures Communiones aut Roſaria imponerentur; tunc enim unum omittere probabiliter eſt tantùm veniale, quia unum reſpectu decem videtur pars exigua; quòd ſi quis omittat pœnitentiam levem impoſitam pro mortalibus, vel etiam gravem impoſitam pro venialibus aut mortalibus ritè confeſſis, peccat tantùm venialiter, eſt communis; & ratio primæ partis eſt, quòd materia levis ex communi ſententia non ſit capax gravis obligationis. Secunda pars inde probatur, quòd judex debeat pœnam commenſurare delicto; ſi ergo delicta ſint venialia, etiam obligatio ad pœnitentiam debet eſſe venialis. 4.

5. Pœnitens per ſe loquendo debet pœnitentiam perſolvere in propria perſona, & quidem cum intentione ſatisfaciendi, ſeu cum aliqua reflexione ad Sacramentum & impoſitionem Confeſſarii, ex communi ta- 5.

tamen non requiritur ſtatus gratiæ; prima pars patet ex Propoſitione 15. ab Alex. VII. damnata: *Pœnitens propriâ authoritate ſibi ſubſtituere poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam impleat.* Dixi, *per ſe loquendo*; nam ſi Confeſſarius conſentiat, aut opus ab alio factum cenſeatur fieri ab ipſo pœnitente, ut eleemoſina data per ſervum, pœnitentia per alium impleri poteſt. Secunda pars probatur, quia ſatisfactio eſt pars integralis Sacramenti: ergo debet fieri cum reflexione ſaltem virtuali ad Sacramentum. Tertia pars conſtat ex uſu timoratorum, qui nullam ſibi conſcientiam faciunt ex hoc, quòd pœnitentiam perſolvant in mortali, nec aſſignari poteſt ulla
6. lex in contrarium. 6. Si Confeſſarius nullum tempus determinavit, debet pœnitentia impleri primâ occaſione, quâ commodè poteſt. Differre pœnitentiam medicinalem ſine cauſa ad medium annum, juxta communem eſt mortale; purè pœnalis ſeu vindicativa ſaltem ad menſem differri poteſt ſine mortali, quia non videtur Confeſſarius ad hanc adeò ſtrictè velle obligare; quòd ſi pœnitentia imponatur cum determinatione diei, v. g. jejunium in vigilia alicujus Sancti, exſpirante die non exſpirat obligatio, niſi Confeſſarius ſubſtituerit aliud opus faciendum caſu, quo primum tempore præfixo non perſolveretur, quia præſumi non poteſt, quòd Confeſſarius velit Sacramentum manere incompletum, quod fieret, ſi deſineret obligatio omnis pœnitentiæ. 7. Qui oblitus 7.
eſt pœnitentiæ, debet, ſi poteſt, interrogare Confeſſarium, ſi non poſſit, non tenetur de novo confiteri eadem peccata, quia ab iis eſt directè abſolutus, & talis obligatio ſufficienter probari non poteſt, ſed ſatis eſt confiteri negligentiam, ſi
quæ intercurrit. 8. Pœnitens non 8.
poteſt ſpontè pœnitentiam mutare, ſicut reus non poteſt mutare pœnam à judice impoſitam, nec ſubditus mutare præceptum Superioris; aliàs enim die feſto loco Miſſæ poſſem jejunare, ſed pœnitens eſt reus & ſubditus in judicio Sacramentali: ergo neque hoc poteſt ſecundus Confeſſarius, niſi de iiſdem peccatis pœnitentem audiat, quia judex non poteſt agere ſuper cauſa ſibi incognita, & ad judicium ſuum non perlata; poteſt tamen id Confeſſarius primus, modò peccatorum (pro quibus pœnitentiam impoſuit) adhuc meminerit in confuſo, quia judex, qui pœnam impoſuit, poteſt agere de ejus impletione vel mutatione.

# CASUS CII.

## De Satisfactione per Indulgentias & Jubilæum.

PAmphilus Theologus interrogatur: 1. *Quid & quotuplex sit indulgentia.* 2. *Quid requiratur ad eas lucrandas.* 3. *An Jubilæum cesset mortuo Papa.* 4. *Quid de eo qui volens lucrari Jubilæum, absolutus est à censuris, vel accepit votorum commutationem, & non implet opera.* 5. *Quid si absolutus reincidat in reservata.* 6. *A quibus reservatis tunc absolvi possit, an etiam ab irregularitatibus.* 7. *Quid si confessio sit invalida.* 8. *Quid de potestate commutandi vota.* 9. *Eligendi Confessarium.* 10. *An plures indulgentiæ simul possint obtineri.* 11. *Quid fieri possit post tempus Jubilæi.* 12. *Quid de Indulgentiis Altaris privilegiati.* 13. *Quid de Indulgentiis revocatis.* 14. *Et Religiosis de novo concessis.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit Indulgentia? I.

Rſp. 1. *Indulgentia* est gratia, qua præstito certo opere à concedente præscripto remittitur ex toto, vel ex parte, pœna temporalis peccatis non præcisè in purgatorio, sed ex præscripto antiquorum Canonum debita per applicationem meritorum Christi; hæc autem remissio fit subditis Ecclesiæ per modum absolutionis, non subditis v. g. defunctis, Catechumenis, &c. per modum nudæ solutionis. 2. Indulgentia secundùm majus & minus dividitur in partialem, plenam & plenissimam. *Partialis* est, qua tantùm pars pœnæ temporalis ex præscripto antiquorum Canonum debitæ remittitur, v. g. jejunia ad 7. vel 40. dies exsolvenda. *Plena* est, qua tota pœna ex Canonibus debita relaxatur. *Plenissima* est idem quod Jubilæum, in quo præter remissionem pœnæ conceditur absolutio à casibus reservatis & censuris, item commutatio votorum & juramentorum, &c. Olim dabatur omni anno centesimo per totum annum, vocatúrque Jubilæum ordinarium, seu Annus Sanctus; aliud est Jubilæum extraordinarium, quod ex alia causa incidente conceditur ad 15. dies, v. g. pro felici regimine neo-electi Papæ, &c. Durante in urbe Anno Jubilæo seu Sancto aperitur S. Porta, suspenduntur extra urbem omnes Indulgentiæ plenariæ pro vivis, non tamen pro defunctis, aut in periculo mortis constitutis, aut ab Episcopo concessæ, *Sanch. Lug. Dian. Pellizz.* Item suspenditur omne aliud privilegium absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, omnísque facultas dispensandi vel commutandi vota data in ordine ad lucrandas plenarias, non autem facultas alio fine data.

QUÆ-

2. QUÆR. II. Quid requiratur, ut quis Indulgentias lucretur?

℟. Ut prosint per modum absolutionis à pœna, requiritur 1. Baptismus. 2. Immunitas ab excommunicatione majore, quia hæc privat communione bonorum spiritualium. 3. Status gratiæ saltem tunc, quando ultimum opus impletur; quare meritò suadendum, ut postremum opus sit Communio, absitque omnis affectus etiam ad peccatum veniale; nullius enim peccati pœna remittitur, nisi remissâ culpâ. 4. Ut impleantur opera præscripta saltem quoad substantiam; opera autem in Jubilæo præscribi solita sunt: 1. Ut post Jubilæum ab Ordinario publicatum è 15. diebus, quibus durat, eligatur una septimana, in qua jejunetur Feria quarta, sexta, & Sabbatho, hæc tamen jejunia non excludunt collatiunculam vespertinam. 2. Ut illa septimana, qua jejunatur, vel Dominica immediatè sequente fiat confessio & Communio. 3. Ut intra dictam quindenam tempore placito detur eleemosina secundùm cujusque conditionem, ideoque non sufficit omninò minima. 4. Ut una vel plures Ecclesiæ devotè visitentur. 5. Requiritur devota oratio vocalis simul & mentalis; si ex his modicum quid omittatur, probabiliùs id non officit indulgentiis quoad substantiam, videtur enim & hîc dari parvitas materiæ. 6. Qui hæc opera non potest tempore præscripto perficere, potest à Confessario impetrare eorum commutationem, vel temporis prorogationem; ipse pœnitens verò non potest opera commutare nequidem in manifestè meliora, quia hoc soli Confessario conceditur, à quo tamen confessio & Communio in aliud commutari non possunt; de cætero commutatio fieri potest in opera aliunde debita, & quamvis causa permutandi à parte rei non sit sufficiens, nihil impedit, dummodo Confessarius judicet esse sufficientem, quia ejus judicio committitur. 7. Probabile quidem est non requiri confessionem, nisi quis tempore Jubilæi sit reus peccati mortalis; item probabile est confessionem fieri posse uno vel altero die ante cœptum Jubilæum; quia tamen participatio Jubilæi non pendet à majore vel minore probabilitate, sed à sola intentione concedentis, hinc semper agendum quod tutius.

QUÆR. III. Quid notandum circa facultatem absolvendi à censuris? 3.

℟. Sequentia: 1. Quoad has & similes facultates & gratias est favorabile & amplæ explicationis, nec exspiret morte concedentis, nisi simul cesset causa motiva, ut si Papa concessisset Jubilæum principaliter ad impetrandum sibi à Deo faustum regimen, tunc enim mortuo Papa cessaret hic finis, adeòque & Jubilæum. 2. Qui primo die absolutus est à censuris, accepitque commutationem votorum, manet absolutus, nec vota redeunt, dummodo sincerè intenderit opera pro Jubilæo præscripta exequi, quamvis ex post ea non exequatur, nec Jubilæum lu- 4.

cretur. Ratio est : quia simpliciter & sine restrictione fuit absolutus; & quamvis *Suar. Vasq.* putent, talem peccare mortaliter, qui ista opera ex negligentia omittit, & se sponte Jubilæo privat, eò quòd putent absolutum in vim Jubilæi à censuris &c. se tacitâ promissione sub mortali obligâsse ad reliqua Jubilæi opera perficienda : attamen non videtur satis constare de ejusmodi promissione, & in dubio non est asserendum mortale. 3. Qui semel 5. tempore Jubilæi absolutus, reincidit in reservata, denuò absolvi potest, saltem si repetat opera præscripta, quia favores sunt ampliandi, & clausula : *Pro hac vice tantùm*, non ad absolutionem, sed ad tempus Ju- bilæi referri debet. 4. Per reservata, 6. à quibus tempore Jubilæi quilibet approbatus absolvere potest, intelliguntur casus Papales & Episcopales, etiamsi in Bulla non exprimantur; ordinariè etiam exprimuntur casus Bullæ Cœnæ, qui si non exprimantur, etiam non datur facultas ab iis absolvendi, quia specialiter reservata, specialiter exprimi debent. 5. Facultas absolvendi non extendit se ad irregularitates, quia non sunt propriè censura, benè tamen ad excommunicatos etiam vitandos, publicos percussores Clerici ; neque obstat, quòd res fortè deducta est ad forum externum, quia verba Bullæ lo- quuntur absolutè. 6. Si pœnitens 7. expressit in confessione reservatum, probabile est, reservationem esse sublatam, etsi confessio sit fortè nulla, quia Confessarius fecit, quantum potuit, & reservatio sine peccatis tolli potest : probabilius tamen videtur oppositum, quia sicut non potest quis lucrari Jubilæum per confessionem invalidam, sic nec intuitu Jubilæi tolli reservatio in confessione invalida. 7. Ante absolutionem debet fieri satisfactio parti læsæ, vel saltem coram Confessario præstari cautio realis, vel in ejus defectu juratoria de futura satisfactione.

QUÆR. IV. Quid circa potestatem commutandi vota? §.

℟. Sequentia : 1. Tempore Jubilæi ordinariè datur facultas, non dispensandi, sed commutandi omnia vota & juramenta, excepto voto integræ & perpetuæ castitatis & Religionis, & hoc ipso quòd hæc vota excipiantur, conceditur facultas in alia vota reservata, scilicet in triplicem peregrinationem : Romanam scilicet, Hyerosolomitanam, & Compostellanam ; imò votum castitatis & Religionis ex variis causis desinunt esse reservata, ideòque tunc non tantùm tempore Jubilæi commutari, sed & quovis tempore à Religiosis Mendicantibus & cum iis communicantibus dispensari possunt, ut vota impuberum, vota imperfecta, dubia, conditionata, ex metu facta pœnalia, quoad partem tantùm vel modum reservata, de quibus vide *Cas. 71. n. 7.* 2. Hæc potestas non extendit se ad vota & juramenta in favorem tertii facta & acceptata, nisi hic consentiat, aut votum vel juramen-

mentum vi vel fraude extorserit, aliàs enim ageretur contra jus ejus ex voto vel juramento acceptato quæsitum. 3. Hæc commutatio durante Jubilæo potest fieri sæpiùs etiam circa vota tempore Jubilæi emissa, nec necessariò fit in ipsa confessione, quod & probabile est de absolutione à censuris, ut fatetur *Dicast. disp. 11. n. 124.*

QUÆR. V. Quid circa potestatem eligendi Confessarium? 9.

Rr. 1. Omnes fideles etiam Religiosi utriusque sexûs tempore Jubilæi sine licentia suorum Superiorum possunt eligere quemcunque Confessarium ab Ordinario loci approbatum; Monialis tamen debet eligere approbatum pro Monialibus, *Donatus, La Croix.* 2. Non potest eligi excommunicatus, suspensus, irregularis, multò minùs degradatus, quamvis antea fuissent approbati, quia hæc approbatio censetur revocata. 3. Electus in Confessarium tenetur audire pœnitentem, quia ex concessione Papæ eligens habet jus, ut audiatur & absolvatur, ergo alter tenetur fungi officio suo, nisi eum justa causa excuser.

QUÆR. VI. An plures Indulgentiæ simul vel eædem sæpiùs obtineri possint? 10.

Rr. 1. Indulgentiæ si sint in diversis Ecclesiis & ex diversis causis datæ, v. g. titulo festi, & titulo Confraternitatis, quibus adscriptus es, maximè si aliæ sint pro vivis, aliæ pro defunctis, & in qualibet Ecclesia ores oranda, probabile est, quòd per eandem Communionem & confessionem possis lucrari utrasque, *Laym. Mezg.* &c. Imò *Burghaber cent. 3. casu 26.* & alii dicunt: hodiernam confessionem & Communionem sufficere ad lucrandas hodie & cras in distinctis Ecclesiis indulgentias. 2. Verius quidem est, quòd easdem Indulgentias non possit quis bis lucrari intra idem tempus, v. g. qui lucratus est Indulgentias, quando festum S. Norberti servabatur in choro, probabiliùs non potest eas iterum eodem anno lucrari, dum servatur in populo. Idem est de Jubilæo intra quindenam vel Annum Sanctum sæpiùs lucrando; oppositum tamen non est omninò improbabile, si opera requisita repetantur, nisi fortè Bulla aliud exprimat, ita multi *cum Gobat de Jubilæo c. 20. q. 57. & c. 14. q. 40.* Ratio est, quia ejusmodi indulgentiæ plerúmque dantur ad augmentum devotionis; certum autem est, multum augeri devotionem per repetitionem operum, & iteratam Indulgentiarum participationem.

QUÆR. VII. Quid fieri possit post tempus Jubilæi? 11.

Rr. 1. Qui lucratus est Jubilæum præstando omnia requisita, potest post Jubilæum frui omnibus gratiis, quamvis illis tempore Jubilæi uti noluerit, vel oblitus fuerit, &c. hoc est, potest absolvi ab omnibus peccatis reservatis & censuris, potest petere commutationem votorum, &c. idque tenet, etiamsi tempore Jubilæi cæperit confiteri, & necdum fuerit absolutus; ratio horum est, quòd

lucrando Jubilæum ad hæc omnia jus acquisierit, cujus executionem Papa ad certum tempus non restrinxit. 2. Si lucratus Jubilæum ex consilio Confessarii differat confessionem post Jubilæum, & interim nova reservata committat, probabile est etiam ab his uti & à præcedentibus absolvi posse, nec non impetrare commutationem votorum post Jubilæum emissorum; probabilius tamen est oppositum, eò quòd hoc privilegium videatur se tantùm extendere ad peccata & vota tempore Jubilæi existentia.

12. QUÆR. VIII. Quid de Indulgentiis Altaris privilegiati?

R. Seqq. 1. Altare privilegiatum vocatur, cui à Papa concessum est, ut per Missam in eo factam & per applicationem fructus è thesauro Ecclesiæ anima, pro qua legitur, liberetur è purgatorio; aliquando conceditur pro omni die, aliquando pro certis diebus in septimana, aliquando in perpetuum, aliquando ad septennium, quod septennium non incipit *à die publicationis*, ut antehac senserunt plerique, sed à die *datæ Brevis*, ut declaravit *S. Congregatio die 18. Maji 1711.* 2. Si in Brevi habeatur, ut indies in Altari privilegiato legantur certæ Missæ, v. g. septem, non videtur obstare, si bis vel ter per accidens tot Missæ non legantur; quia præsumi non potest, S. Pontificem tunc velle privilegium cessare. 3. Effectum liberationis animæ (si requisita præstentur) infallibilem esse docent *S. Thom. Sot. Lug. Suar. d. 79. s. 79.* contra multos, quod plures dicunt esse certum, quia *Leo X. apud Budach. t. 6.* præcipit sub pœna excommunicationis prædicari, quòd sive vivi, sive defuncti, Indulgentias consecuti veraciter liberentur à pœnis. Nec requiritur, ut Sacerdos Missam legens sit in statu gratiæ, ut habet communis contra *Lugo*, quia manet fructus ex opere operato. 4. Si Breve requirat Missam *de Requiem*, obtinentur eædem Indulgentiæ per Missam de festo, ut declarârunt *Alex. VII. in Decreto, Credite, Clem. IX. & Innoc. XI. 4. Maij 1688.* tutiùs tunc addetur Collecta pro defunctis. 5. Obligatus ex stipendio vel fundatione celebrare in Altari privilegiato, si aliquoties sine causa legat alibi, peccat mortaliter, quia id cedit in grave præjudicium petentis, vel animarum, ideoque stipendium restitui debet, vel Missæ in Altari privilegiato suppleri debent, vid. *Casum 43. à n. 22.* 6. An translato Altari transeat Indulgentia, colligendum est ex verbis Bullæ. Destructa Ecclesia amittitur privilegium Altaris, etsi Altare maneat, idque decisum esse testantur *Dian. Gobat t. 3. n. 657.* 7. Sub generali communicatione privilegiorum non veniunt Altaria privilegiata aut Indulgentiæ concessæ pro singularibus festivitatibus hujus vel illius Ordinis, nec Portiunculæ, nec quæ pro aliqua Ecclesia in particulari, sed tantùm quæ Ordini in generali concessæ sunt, aliàs vilescerent, & patet ex praxi.

13. QUÆR. IX. Quid de Indulgentiis

tiis revocatis & Religiosis de novo concessis?

14. R. Paulus V. revocavit omnes Indulgentias Coronis, Rosariis, granis seu calculis, crucibus, imaginibus sacris, Fraternitatibus, Archifraternitatibus quibuscunque, Regularibus etiam Societatis JESU concessas, &c. ante Breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex*, editum 23. Maji 1606. nisi fuerint authoritate S. Pontificis renovatæ; econtrà in eodem Brevi aliæ novæ & plenariæ Indulgentiæ Religiosis utriusque sexus conceduntur, videlicet in investitione, professione, dum primam Missam celebrant, vel ei intersunt, in articulo mortis, in festo principali Ordinis, si pro bono Ecclesiæ oraverint. Item iis, qui per octo vel decem dies S. exercitiis vacaverint, requiritur tamen in his omnibus confessio & Communio. Denique Religiosi intra claustrum viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, SS. Pontificis salute, hæresum extirpatione, Christianorum Principum concordia devotè oraverint, consequuntur *easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias urbis & extra eam diebus stationum.* Item quoties ante Altare quinquies Pater & Ave recitaverint, toties quinque annos & totidem quadragenas. Et specialiter Religiosi Præmonstratenses non solùm in festo S. Norberti, sed etiam in festo Assumptionis B. M. V. Augustini & omnium Sanctorum Ordinis, quod 13. Novemb. celebratur, & in festo Patroni tutelaris Ecclesiæ, pro se & omnibus fidelibus, si præter confessionem & Communionem pro Ecclesia oraverint, plenarias habent Indulgentias ex concessione *Clem. X. facta Romæ 5. Julii 1673.* Item plenariæ in festo SS. Martyrum Gorcomiensium 9. Julii ex concessione *Clem. XI.* pro Ordine & populo, sed ad septennium.

# CASUS CIII.

## De Sacramentis Extremæ Unctionis & Ordinis.

*QUarantus 1. dubitat: An Unctio sit verum Sacramentum, & quis ejus effectus. 2. Inungit chrismate, affundit oleum non benedictum, domi asservat, & non sinit annuò renovari. 3. Aliquos tantùm sensus inungit, & plures sub una tantùm forma sine ordine, sine cruce. 4. Tempore pestis suos non inungit, etsi aliàs inungat alienos. 5. Quoslibet ægros, pueros, amentes, in duello læsos, statim baptizatos, & de quibus dubium est, an sint in periculo vitæ. 6. Sæpiùs in diuturno morbo. 7. Ordinibus non præmittit primam tonsuram. 8. Putat septem Ordines esse septem Sacramenta, & ordinatos ante pubertatem ex metu*

*vel ignaros voti castitatis annexi non obligari ad castitatem.* 9. *Ordinandus non tetigit instrumenta.* 10. *Dubitat, à quo Episcopo ipse vel Regulares ordinari debeant.* 11. *An Abbates possint dare quatuor minores, & quibus.* 12. 13. *Quid requiratur in ordinando.* 14. *Quid de interstitiis.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid circa Sacramentum Extremæ Unctionis? 1.

Rz. Seqq. 1. Extrema Unctio est verum Novæ Legis Sacramentum, à Christo Domino institutum, & à S. Jacobo Apostolo *c. 5.* promulgatum: quo per unctionem in sensibus moribundi à Sacerdote facta confertur ægro cum gratia sanctificante speciale auxilium contra occurrentes in extrema lucta tentationes, difficultates, animi languores & angores ad desperationem trahentes, quæ meritò vocantur reliquiæ peccatorum, eò quòd à peccatis ortum trahant; insimul causatur sanitas aut diminutio morbi, si ita expediat ægro. Omnia colliguntur ex Conc. Florent. *Trid. sess. 14. c. 1.* 2. Materia ejus remota est oleum olivarum purum, benedictum ab Episcopo; adhibere extra necessitatem chrisma seu oleum mixtum balsamo, vel benedictum à simplice Sacerdote, est mortale; quia juxta plures oleum purum est de valore Sacramenti, sicut & juxta *D. Thom. q. 30. sup. ar. 5. & 6. Salmat. Dicast. Suar. d. 40. s. 1.* benedictio Episcopi est de valore; & quamvis alii probabiliter contradicant, id tamen in praxi locum non habet, quia agitur de valore Sacramenti; licet tamen in necessitate affundere oleum non benedictum, dummodo affusum semper sit minus benedicto, tunc enim totum manebit benedictum, ut jam moraliter est certum tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex *Declaratione Cardinalium de Anno 1682.* Deinde ex consuetudine oleum debet omni anno renovari, & in ecclesia, non domi, asservari; in necessitate uti licebit oleo vetere, *Laym. & alii.* 3. Materia proxima est ipsa unctio in quinque sensibus, scilicet oculis, auribus, naribus, ore, manibus; si desit unus sensus, unctio fiat in loco proximiore, *S. Th. art. 6.* Ungere tantùm unum vel alterum sensum extra necessitatem est mortale, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis; probabile enim est omnes quinque unctiones esse de essentia, *D. Thom. in Suppl. q. 30. art. 1. ad 3.* juxta Florent. Unctio etiam debet fieri in pedibus & renibus, sed non de necessitate; & unctio renum ex præscripto Ritualis Romani omittitur in fœminis propter honestatem. Ex communi verò omnium sensu non est necesse ad valorem servare certum ordinem inter unctiones, aut unctiones fieri in formam crucis, id tamen sine causa omittere est veniale, *Suar. Con. Laym.* 4. In qualibet unctione sub mortali proferenda est hæc forma: *Per istam sanctam unctionem & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, odoratum,* &c. Flor. Trid. l. cit. Unde patet, formam debere esse deprecatoriam, seu per modum orationis, Jacob. 5. ubi dicit 2. 3.

dicit: *Infirmatur quis in vobis, inducant Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Unde non valeret forma: *Ego te ungo,*
4. S. Thom. q. 29. art. 4. 5. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos; Parochus sub mortali tenetur suos inungere etiam tempore pestis, non tamen cum novo periculo vitæ, præsertim si statim non sit habiturus successorem, qui Sacramenta magis necessaria administret, in defectu Parochi quilibet Sacerdos tenetur ex charitate. Inungens alienum Parochianum Parocho rationabiliter invito peccat mortaliter contra jus Pa-
5. rochi. 6. Subjectum unctionis est homo baptizatus & æger periclitans de vita, quamvis ex communi non sit obligatio saltem gravis recipiendi S. Unctionem, quia non constat de tali lege, & Sacramentum non est omninò necessarium; intellige si absit scandalum & contemptus, qualis adesse videtur, si quis Parocho se præsentante tam utile Sacramentum respueret. Dicitur 1. *Baptizatus*, quia Baptismus est janua Sacramentorum. Dicitur 2. *Ægrotus*, quales non sunt bellantes, aut rei supplicio afficiendi; ægri censentur, veneno infecti, vulnerati, aut læsi etiam in duello, qui inungi possunt, si dederint signum pœnitentiæ; item qui senio aut fluxu sanguinis periculosè deficiunt, &c. Dicitur 3. *Periclitans de vita*; nam non sufficit quilibet levis morbus, sed debet esse conjunctus, vel saltem prudenter judicari conjunctus cum probabili periculo vitæ, nequaquam tamen expectandus est ultimus vitæ articulus, quando salus desperata est; ideo monendi infirmi, ut hoc Sacramentum suscipiant, quando adhuc sunt plenæ mentis, & ad uberiorem ejus fructum se disponere possunt, attento quòd illud etiam infallibiliter ex opere operato causet sanctitatem corporalem, vel minuat dolores, si ita infirmo expediat; in morbo baptizatus statim potest inungi, nam quamvis non supponantur non adesse reliquiæ peccatorum, si tamen usum rationis habeat, est capax tentari, ideóque indigebit auxilio contra tentationes in extrema lucta; econtrà perpetuò amentes & pueri non inunguntur ante usum rationis, quia non peccârunt, nec capaces sunt tentari. Pueri autem censentur habere usum rationis, si aliquando admissi fuerint ad Sacramentum pœnitentiæ; in dubio an habeant usum rationis, nec ne, adhuc inungendos ob summam hujus Sacramenti utilitatem, docet *Steph. à S. Paulo hîc n. 15.* 7. Hoc Sacra- 6.
mentum in eodem morbo repeti non potest, *Trid. c. 3.* nisi morbus esset valde diuturnus, in quo quis post aliqualem reconvalescentiam reincidisset in periculum gravius, tunc secundò inungi posse docet D. Thom. & praxis Ecclesiæ, quia censeretur moraliter novus morbus, saltem si ita reconvaluisset, *ut Medicorum judicio extra probabile seu propinquum mortis periculum fuerit constitutus*, ut habet Synodus Colonienſis c. 3. §. 7. 8. Quoad dispositionem suscipientis sufficit status gratiæ & intentio saltem interpretativa, quâ quis ex vita Christianè

peracta præsumitur velle Christianè mori, & per consequens Sacramentaliter inungi, etsi pro nunc sensibus destitutus Sacramentum non possit petere.

7. QUÆR. II. Quid de Sacramento Ordinis?

℟. Seqq. 1. Ordo est ceremonia sacra, qua ordinatus constituitur in certo gradu ecclesiastico, & illi confertur mediata vel immediata potestas circa Sacramentum Eucharistiæ vel conficiendum, vel assistendum. Prima Tonsura non est propriè Ordo, sed tantùm dispositio ad Ordines, sine qua Ordines suscipere ex instituto Ecclesiæ est mortale.

8. 2. Ordines sunt septem: quatuor qui vocantur minores, Ostiariatus scilicet, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus; tres majores & sacri, ita dicti, quòd habeant annexum votum castitatis, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus & Sacerdotium; constat ex antiquissimis Conciliis & Patribus apud Bellarminum & alios passim.

3. Certum est, omnes in majoribus constitutos per se obligari ad castitatem, tum ex voto, tum ex præcepto Ecclesiæ prohibente ordinatis matrimonium, *Bernal. Castropal. pun. 17. n. 5.* adeò ut suscipiens S. Ordines etsi nollet vovere, ratione præcepti obligetur ad castitatem, *Sporer n. 47.* Si quis sit ordinatus ante usum rationis, aut omninò ignoraverit castitatem Ordini esse annexam, (quod vix fieri potest) non obligatur ad castitatem, *Sanch. Dicast. Castropalao n. 12.* quia nec votum emisit, nec Ecclesia vult eum obligare, ideóque licitè nubere potest; idem dicunt *Pontius, Barb. Sanch. l. 7. de matr. d. 30.* de ordinato ante pubertatem, quod rectiùs negant *Sot. Castropalao, Wust l. 4. decret. t. 6. n. 12.* & ibidem *Reiffenstul n. 7. La Croix hic n. 2164.* quia talis de se est capax voti, nec constat illud ab Ecclesia irritari. An ordinatus ex gravi & injusto metu obligetur ad castitatem, dicam *Casu 107. q. 3.* Aliquem Ordinem, & præcipuè Sacerdotium, esse verum Sacramentum, est de fide ex Florent. & Trid. sess. 7. & 23. Imò probabiliùs omnes Ordines, etiam minores, sunt vera Sacramenta, & causant gratiam, quia dicta Concilia simpliciter dicunt, Ordinem esse Sacramentum, nec distinguunt inter majores & minores, & omnes sunt à tempore Apostolorum, & conferuntur sub certa materia & forma; nec ideo dantur plura Sacramenta quàm septem, quia omnes Ordines sunt unum Sacramentum unitate finis, quia ordinantur remotè vel proximè ad eandem Eucharistiam ritè tractandam. An Episcopatus sit Ordo adæquatè distinctus à Sacerdotio, est incertum; negant plerique Theologi, affirmant Canonistæ plurimi cum *Schmalzg. l. 1. tit. 11. n. 4.* quia Episcopatus habet distinctam materiam, formam, & effectum, ut per se patet, & Episcopus jure Divino est superior simplice Sacerdote, *Trid. sess. 23. c. 7.* Episcopatus enim præter potestatem consecrandi, absolvendi, &c. omnibus Sacerdotibus communem includit potestatem conferendi Sacramenta Confirma-

nationis & Ordinis, quæ non competunt aliis Sacerdotibus. 4. Materia remota
9. sunt instrumenta, quæ tangenda traduntur ordinandis. Materia proxima est ipsa traditio, ita tamen ut instrumenta debeant attingi physicè, *S. Thom. q. 34. art. 5. ad 3. Schmaltzgr. p. 7. Vasq. Dian. Herinx, Laym. c. 5. n. 4.* aliàs ordinatio ad minus erit dubia, & sub conditione reiteranda; & in specie materia *Ostiariatus* proxima est traditio clavium ecclesiæ, cymbali, quo populus ad eam vocatur. *Lectoratus*, traditio libri Epistolarum vel Prophetiarum. *Exorcistatus*, traditio libri Exorcismorum. *Acolytatus*, traditio urceoli vacui & candelabri cum cereo extincto. *Subdiaconatus*, traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, & secundùm aliquos, libri epistolarum. *Diaconatus*, traditio libri Evangeliorum, cui præmittitur impositio manus Episcopalis super caput ordinandi, quod aliqui dicunt esse de valore, alii de præcepto. *Presbyteratus* materia duplex est, quia duplex per eum datur potestas, una super Corpus Christi verum, altera super Corpus Christi mysticum; prima significatur per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia; altera per impositionem manuum Episcopi, non primam, quæ præcedit traditionem calicis, sed alteram, quæ fit ad finem Missæ. *Episcopatus* materia est impositio libri Evangeliorum super cervicem & scapulis Episcopi consecrandi, & manuum impositio super
10. caput ejusdem. 5. Minister ordinarius est Episcopus proprius. *Proprius* autem dicitur, in cujus Diœcesi vel habitas, vel habes originem, vel domicilium, vel beneficium ecclesiasticum quietè possessum, & sufficiens ad sustentationem, *c. cùm nullus, de temp. ordin. in 6.* ibi autem habes originem, ubi natus es, non casu seu quasi in itinere, sed ubi pater fixum tempore nativitatis habuit domicilium; ibi verò habes domicilium, ubi habitas cum animo perpetuò ibidem permanendi, usque dum aliò avoceris, *Laym. Konig. Schmaltzgr. à n. 37.* Et quamvis sufficiat pro aliis Sacramentis *quasi domicilium*, quo quis tantùm per majorem anni partem intendit in aliquo loco subsistere, velut servi, studiosi, &c. id tamen non sufficit ad suscipiendos Ordines, ut habet communis, & decrevit Innoc. XII. anno 1694. Regulares habent privilegium, ut ordinari valeant à quocunque Episcopo absque interstitiis, ut dicam infrà n. 14. Dixi, *ordinarius*, nam Minister extraordinarius 11.
& ex privilegio saltem respectu primæ tonsuræ & Ordinum minorum sunt Abbates habentes jus mitræ & baculi, dummodo sint Sacerdotes, ita ut non tantùm suis professis, ut concedunt omnes ex *c. Abbates de privil. in 6.* sed & Novitiis dictos Ordines conferre possint, teste *Suar.* & *Laym. hìc c. 9. n. 2.* quia Novitii in privilegiis veniunt nomine Religiosorum; imò Abbates aliorum Abbatum Religiosos cum eorum licentia, item sæculares cum licentia eorum Episcopi posse ad primam tonsuram

& quatuor minores ordinare tanquam probabilius sustinet *Engel de privil. monast. priv. 49. Schmaltz g. n. 32.* & pro hoc declarationem Cardinalium adducit *Gallemard.* Ratio est, quòd Episcopus vel Abbas potens suos ipse ordinare possit alteri Abbati eandem suam potestatem delegare, sicut Episcopus eam delegare potest Episcopo; nec videtur obstare *c. 10. Trid. sess. 23.* ubi dicit: *Abbatibus quibuscunque quantumvis exemptis, non liceat cuiquam, qui Regularis subditus non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre*; quia ut utar verbis citati Engel. Tridentinum tanquam prohibitorium & pœnale hîc restringendum & intelligendum est: quòd Abbas authoritate propriâ sine licentia alterius Abbatis non possit alios quàm suos Regulares subditos ordinare, sicut Episcopus sine dimissoriis non potest alios ordinare quàm suos diœcesanos. Nec deniqúe obstat, quòd *Dian. p. 7. tr. 11. resol. 42.* proferat decisionem Cardinalium in contrarium; nam hanc decisionem in Germania non esse omni ex parte receptam pro sua diœcesi Constantiensi testatur *Gobat tr. 8. n. 324. & 328.* & pro Diœcesi Herbipolensi *Sporer de Sacram. p. 1. c. 5. n. 43.* vel dicta declaratio tantùm loquitur de jure ordinandi ex privilegio speciali, & non ex consuetudine generali, *Pasqual. ad Laur. de Franch. p. 2. q. 8. n. 33.* Si Abbas ordinet non subditum sine licentia Abbatis vel Episcopi, ordinatio probabiliùs est invalida, *Suar. Laym. Pyrrh. lib. 1. n. 49.* quia potestas ordinandi non competit Abbatibus ratione characteris sicut Episcopo, sed ex speciali commissione & privilegio: ergo non potest se extendere ad casum non commissum. 6. Subjectum capax hujus Sacramenti est solus mas baptizatus, *S. Thom. q. 39. art. 1.* Ut tamen talis licitè ordinetur, præter statum gratiæ requiritur 1. certa ætas, quæ pro prima Tonsura, Lectoratu, Exorcistatu & Ostiariatu est septennium; pro Acolythatu annus duodecimus, pro Subdiaconatu annus vigesimus primus, pro Diaconatu vigesimus secundus, pro Sacerdotio vigesimus quartus, pro Episcopatu trigesimus omnes completi, colligitur ex *text. & Gloss. in c. de iis 5. dist. 28. & c. in singulis 2. dist. 77. & ex Trid. sess. 23. de reform. c. 12.* ita ut juxta communem nequidem hora deesse debeat; quòd si quis ante dictam ætatem Ordines suscipiat, peccat mortaliter, & scienter in iis ministrans incurrit suspensionem, à qua tamen quilibet Sacerdos absolvere potest, vide *Cas. 78. q. 1.* 2. Requiritur in ordinando, ut non sit infamis, illegitimus, bigamus, vel alio modo irregularis, ut dicam *Cas. 117.* 3. Ut promovendus ad majores Ordines habeat titulum sustentationis, sive ex patrimonio, juxta cujusvis Diœcesis Statuta, sive ex beneficio, sive ex professione seu paupertate Religiosa, sive titulum Mensæ, ut vocant, qui tamen in Diœcesi Colonensi prohibetur admitti, *Agend. Colon.* edita anno 1720. *p. 178.* ubi etiam præscribit conditiones ad titu-

titulum patrimonii requisitas; Episcopus scienter ordinans aliquem sine omni titulo, incurrit onus illum alendi, *Trid. sess. 21. c. 2.* taliter tamen ordinatus non incurrit probabiliter suspensionem, quia in lege pœnali, de qua non satis constat, mitior interpretatio facienda est. 4. Probitas morum & congrua cuivis Ordini scientia. 5. Prærequiritur Confirmatio ad summum sub levi, quia non constat de lege vel consuetudine graviter obligante. 6. Ordines debent suscipi ordinatè, incipiendo à Minoribus: per saltum promotus peccavit mortaliter, tenetúrque adhuc suscipere Ordinem omissum, manetque suspensus ab Ordine suscepto, donec Episcopus dispenset, *c. un. de Clerico per saltum promoto.* 7. Requiruntur interstitia, hoc
14. est, ut inter quemlibet Ordinem intercedat annus, *Trid. sess. 23. c. 14.* nisi Episcopus ob utilitatem vel necessitate Ecclesiæ dispenset; generali tamen consuetudine nunc receptum est, ut Ordines Minores conferantur simul pridiè ante Subdiaconatum, & Regulares Mendicantes, aliique cum iis participantes, & in specie Norbertini habent privilegium, ut non servatis interstitiis annuis tribus consecutivè diebus Dominicis vel Festis duplicibus ordinari possint à quocunque Episcopo Catholico ab ipsis electo, & hæc privilegia non esse revocata per *Trid. ex Dian. Tamb. Rodriq.* & aliis probat *Sporer à n. 121. Eng. lib. 1. decret. tit. 11. à n. 33.* dicit, Abbates & Superiores Regulares exemptos ad quemcunque Episcopum dimissoriales dare posse, si in diœcesi loci non sit ordinatio, imò id simpliciter affirmant *Nav. Sanch. Laym. l. 5. t. 9. c. 9. Gobat n. 406.* tum quia Superior exemptus respectu suorum habet potestatem quasi Episcopalem; tum quia *Trid. d. c. 10.* tantùm prohibet Abbatibus exemptis, ne dimissoriales subditis sæcularibus concedant, unde à contrario rectè infertur, eas concedi posse subditis Regularibus.

## *Ex Tractatu de Sacramento Matrimonii.*

## CASUS CIV.

### De Sponsalibus.

*Rabanus defloratam à se Titiam vario sub prætextu ducere renuit: 1. Quia fictè solùm promisit Matrimonium, & est paratus eam dotare. 2. Ipsa non repromisit. 3. Ipse promisit semi-ebrius ex vehementi passione. 4. Ex errore & metu saltem levi, & dubitat, an inde contraxerit publicam honestatem. 5. Promisit conditionatè. 6. Promisit simul tribus sororibus. 7. Cum Titia habet*

*habet impedimentum dirimens.* 8. *Promisit his verbis: Non ducam aliam nisi te, & parentes promissionem acceptárunt tacente Titia.* 9. *Suos parentes non consuluit.* 10. *Se tantùm obligavit sub veniali, vel sub pœna, & à juramento absolutus fuit à Monacho.* 11. *Titia ex timore, ne malè tractetur, consensit in dissolutionem sponsalium.* 12. *Ipse vel ipsa fuit impubes.* 13. *Ipsa abiit extra patriam.* 14. *Matrimonium distulit.* 15. *Sponsus fuit Religionem professus.* 16. *Vel saltem ingressus & ejectus.* 17. *Suscepit majores Ordines.* 18. *Vel saltem minores, aut vovit suscipere majores.* 19. *Ipse vel ipsa ante vel post sponsalia vovit castitatem.* 20. *Ipsa contraxit sponsalia cum alio, quem jam ducere renuit.* 21. *Rabanus sibi copulat Cajam, hac mortua eum repetit Titia.* 22. *Ipse & ipsa habuerunt copulam & tactus cum aliis, at hoc de Titia non probatur nisi per famam.* 23. *Status Titiæ est mutatus, sed est dubium, an mutatio sit gravis.* 24. *Titia est asperis moribus, & Rabanus ejúsque parentes eam aversantur.* 25. *Laborat morbo Gallico, est deformata ex variolis, & plures habet annos quàm sciverit sponsus.* 26. *Passa est jacturam honorum, nec potest solvere dotem.* 27. *Parentes Rabani minantur exhæreditationem, vel non procurare desideratum officium, si Titiam ducat.* 28. *Sponso supervenit insperata hæreditas vel dignitas.* 29. *Titia non habet omnia signa nobilitatis, & dicitur anteà habuisse virum.* 30. *Supervenit affinitas.* 31. *Sponsalia sunt jurata, sed post prædictos defectus Rabanus cum Titia iterum habuit copulam.* 32. *Vel ab initio eos defectus scivit, & dubitat, an teneatur eam dotare, si fortè non teneatur ducere.* 33. *Dubitat, an justè resiliens teneatur saltem ad damna.* 34. *Et Titia dubitat, an novo sponso teneatur aperire, quòd sit fornicata, pauper, ignobilis; quid si dicat se esse virginem; an occultè fornicata vel impragnata possit sponsum cogere ad servanda promissa.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sint Sponsalia? 1.

R. Sponsalia definiuntur *c. nostrates. causa 30. q. 5. Promissio mutua futurarum nuptiarum*; ut autem sint valida & obligatoria, debet promissio esse *vera, deliberata, libera, absoluta, personarum certarum, & habilium, verbis vel aliis signis externis manifestata.* Dicitur 1. *Promissio*; quia solum propositum aut voluntas personam ducendi non facit sponsalia, nec causat obligationem. Dicitur 2. *vera promissio*, id est, *seria*, cum voluntate se obligandi, ideóque fictè promittens invalidè contrahit, & mortaliter peccat, nisi injustus & gravis metus, vel alia causa excuset, tenetúrque ad omne damnum alteri per ejusmodi fictionem causatum, & potest in foro externo ad ducendam personam cogi; imò ad hoc etiam tenebitur in foro interno, si sub ea promissione eam defloravit; neque tenetur ipsa contenta esse dote, quia persona determinatè promissa est, ut probavi *Cas. 43.* ubi *à n. 1.* dixi, ad quid obligetur, qui absque promissione matrimonii, vi, fraude, vel metu, aut etiam meris blanditiis puellam defloravit; item quæ causæ à ducenda vel dotan-

tanda defiorata excuſent, & quid juris, ſi ipſa affirmet defiorationem, & ſponſus neget, quæ omninò hîc
2. ſunt recolenda. Dicitur 3. *Mutua*, id eſt, utramque perſonam obligans; nam ſi una pars liberaliter promittat matrimonium, alterâ non repromittente, ſed nudè acceptante, obligabitur quidem promittens, ſed non erunt propriè ſponſalia, neque inde orietur impedimentum publicæ honeſtatis, *Sanch. l. 1. d. 5. Reiffenſt. l. 4. t. 1. n. 18.* Quod etiam verum eſt, ſi una pars ſe ſolùm obligare velit ſub veniali, vel ſub nullo peccato. Dixi, *liberaliter*; nam ſi promittas matrimonium Titiæ ex ſpe mutuæ repromiſſionis, ſi illa non repromittat, nec tu obligaberis; imò in dubio cenſeris te non gratuitò, ſed ſpe & intuitu repromiſſionis voluiſſe obligare; ſic enim plerumque fit, & ex plerumque contingentibus prudens eſt præſumptio, *Sanch. n. 4. Schamb. l. 4. t. 1. n. 4. Engel. ibid. §. 2. n. 2.* Dicitur 4.
3. *Deliberata*, deliberatione ſcilicet ſufficiente ad mortale; hinc qui non poteſt peccare mortaliter, nec poteſt contrahere ſponſalia, velut amens, dormiens, furioſus, infans ante ſeptennium, ebrius, &c. Qui etiam prævidens & proponens in ebrietate contrahere, invalidè contrahit, quia talis contractus non erit liber in ſe, ſed tantùm in cauſa; vehemens æſtus libidinis vel amoris vix unquam tollit deliberationem ſufficientem; ſi enim illo æſtu non obſtante eſt ſufficiens deliberatio ad peccandum mortaliter, cur non ad validè contrahendum ſponſalia? Idem eſt de ira vel ſimili paſſione impellente, niſi fortè cognitionem præveniant, quod rarum eſt, *Navar. Sporer, Schmaltzg. l. 4. t. 1. n. 21.* Sed quid ſi dubium ſit, an paſſio reliquerit deliberationem ſufficientem? R. Standum eſſe pro valore actus, *Felin. Sanch. d. 8. n. 10.* quia rarò contingit, quòd paſſio rationem evertat, & qualitas, quæ homini naturaliter ineſt, ſemper adeſſe præſumitur, & ſponſalia ſunt in poſſeſſione, quia certò conſtat eſſe contracta, & ſolùm dubitatur, an cum ſufficiente deliberatione. Dicitur 5. *Libera*; 4.
nam ſponſalia inita ex dolo aut errore circa ſubſtantiam aut circa qualitatem redundantem in ſubſtantiam, ſunt invalida, ut dicam ſuo loco; ex metu gravi & probabiliter etiam ex levi in ordine ad ſponſalia injuſtè incuſſo ſunt ad libitum innocentis reſcindibilia, etiamſi fuerint jurata, vide *Caſ. 49. n. 9.* ita tamen, ut tunc petenda ſit relaxatio juramenti, quam pars nocens, vel ea nolente Epiſcopus aut pro foro conſcientiæ Religioſi Mendicantes dare poſſunt & tenentur. Et quamvis ſponſalia metu inita ſint reſcindibilia, & ſponſalia impuberum poſt pubertatem reſcindi poſſint, tamen cauſant impedimentum publicæ honeſtatis in primo gradu, ita ut qui ex metu vel ante pubertatem contraxit ſponſalia cum Titia, non poſſit ea validè contrahere cum ejus ſorore vel matre, *Pyrrh. l. 4. Decret. tit. 1. n. 31.* vide dicenda *Caſ. 109.* Dicitur 6. *Abſoluta*; nam promiſſio 5.
conditionata non eſt valida, nec in-

ducit impedimentum publicæ honestatis nisi impletâ conditione: tenentur tamen contrahentes per se loquendo exspectare eventum conditionis. Excipiunt aliqui consanguineos & affines contrahentes sub conditione impetrandæ dispensationis, quos dicunt tam ante quàm post impetratam dispensationem resilire posse, eò quòd talis contractus sit contra jus commune, contra quod nemo tenetur agere; sed contrà est: Talis contractus non est de contrahendo matrimonio contra jus, & manente impedimento, sed post impetratam ex justa causa dispensationem: ergo est de re licita: ergo
6. obligat. Vide *Cas. 71. n. 12.* Dicitur 7. *Personarum certarum*; nam si quis simul pluribus dicat: Unam ex vobis ducam, promissio non est firma, antequam unam certam eligat; tenetur autem unam eligere ex suppositio, quòd promissionem acceptaverint, quia ad hoc videtur se vi promissionis obligâsse, & si cum una habeat copulam, censetur eam hoc ipso elegisse, & ipsam sub hac conditione & non aliter copiam sui corporis dedisse, *Sylv. Rebel. Wustner. l. 4. t. 1.*
7. *n. 24.* Dicitur 8. *Personarum habilium*; nam omnes personæ habentes impedimentum dirimens matrimonii (excipe præsentiam Parochi & testium, quæ ad sponsalia non requiritur, item ætatem, quæ hîc septennis sufficit) sunt inhabiles ad validè contrahenda sponsalia; hinc invalidè contrahunt consanguinei, affines, &c. nisi paulò antè vel pòst mentionem fecerint petendæ dispensationis; tunc enim censentur contraxisse non absolutè, sed sub conditione petendæ dispensationis, *Sanch. l. 5. d. 5. n. 27.* Si existens in impedimento consanguinitatis vel voti sponsam defloravit, tenetur petere dispensationem, si impedimentum sit dispensabile, ut dixi *Cas. 43. n. 12.* Si fidelis promittat infideli sub conditione, si fiat fidelis, obligat quidem promissio, sed juxta mentem Ecclesiæ non sunt sponsalia, nec inducunt publicam honestatem, *Henriquez, Averf. q. 8. f. 5.* Dicitur 9. *Verbis vel aliis signis* externis 8.
consensum internum manifestantibus; nam contractus humanus debet fieri humano & sensibili modo; verba autem adhiberi solita, & certò significantia sunt: *Ducam te in uxorem, tibi nubam, accipio te in sponsum,* & similia, quæ significant im - vel explicitè obligationem contrahendi matrimonium; loco verborum etiam quandoque solent adhiberi signa, v. g. immissio annuli in digitum sponsæ, mutua datio & acceptatio arrhæ; econtrà hæc forma: *Non ducam aliam nisi te*, non significat obligationem absolutam, sed solùm conditionatam, & habet hunc sensum: *Non ducam uxorem, vel si aliquam ducam, ducam te*; nisi fortè ex circumstantiis constet, quòd se absolutè obligare voluerit, aliàs poterit omninò à matrimonio abstinere; si tamen nubere velit, debet ducere hanc, *Gutierez, Schamb. n. 19. Eng. n. 21. Reiffenst. n. 33.* Si parentes nomine filiæ sponsalia contrahant, & cùm præsens est, vel

ei

ei significatur; taceat, consentire præsumitur, *c. un. §. fin. de despons. impub. in 6.* quæ promissio cessat, si ex metu vel aliis indiciis constet illam reverà non consensisse. 10. Ad valorem
9. sponsalium non requiritur consensus parentum, *Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matr.* tenentur tamen proles in negotio summè arduo (utpotè à cujus prudente electione plerumque temporalis & æterna pendet felicitas) parentes consulere, aliàs eos contristant, & se ipsas utpote inexpertas & amore sæpè excœcatas in pericula conjiciunt; non tenentur tamen sequi consilium parentum, nisi ex matrimonio timerentur scandala, inimicitiæ, damnum familiæ, &c. *S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. Sanch. l. 4. dis. 23. à n. 9. Leur. l. 4. t. 1. n. 12.* Ratio est, quia in contrahendo matrimonio quilibet est sui juris, neque cogi potest aut debet; imò nec parentes consulere tenentur, si exinde prævideantur matrimonium iniquè impedituri.

QUÆR. II. Qualiter obligent
10. sponsalia?

℟. 1. Obligant sub mortali ad contrahendum tempore præfixo; vel si nullum tempus sit præfixum, primâ occasione, quâ quis commodè potest saltem ad instantiam partis, ita passim omnes; ratio est, quia sponsalia sunt contractus onerosus in re valde gravi, ergo per se obligat graviter, & quò diutiùs differtur matrimonium, eò plus subtrahitur de debito promissionis. Dico, *per se*, nam contrahentes possunt se solùm obligare sub levi, vel ad perdendam arrham, *l. arrhis 3. l. pen. cod. de sponsa.* at tunc propriè non erunt sponsalia; ex iisdem legibus videtur certum, sponsalibus de jure non posse adjici pœnam, v.g. si à contractu resilias, dabis centum aureos; cùm verò amissio arrhæ reverà sit pœna, & ipsa per cit. leges approbetur, ne admittatur jurium contradictio, dicendum est, tantùm prohiberi pœnam solvendam etiam ab eo, qui ex justa causa à contractu recedit; injustè differens sponsalia à judice cogi potest per censuras vel carcerem, quod tamen facilè fieri non debet, cùm matrimonia coacta soleant esse infausta. 2. Si sponsalia sint jurata, obligant ex justitia & religione, & ea infringens duplex peccatum admittit in confessione explicandum; neque in hoc juramento dispensare possunt Episcopi aut Regulares privilegiati, nisi sit dolo vel injusto metu extortum, quia talis relaxatio juramenti foret injusta, utpote contra jus tertii.

QUÆR. III. Quot modis dissolvi possint sponsalia?

℟. 1. Præcipuè tribus, mutuo consensu, recessu unius à sponsalibus, & per supervenientem mutationem status in anima, corpore, fortuna aut fama; igitur

*Per mutuum consensum* validè & li- 11.
citè dissolvuntur sponsalia puberum, etiam jurata, quia hic contractus de se est dissolubilis, & juramentum in favorem hominis factum, etiam ab eodem remitti potest; *nam omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, arg. c. 1. de R. J. in 6.*

*Sanch. d. 52. Bosco. de Matr. d. 11. s. 2.* debet autem consensus in dissolutionem sponsalium esse liber ab injusto metu vel dolo; hinc si sponsus dicat sponsæ: *Nisi obligationem remittas, vel si cogar te ducere, te tractabo ut ancillam, nullum ostendam amorem*, &c. vel eam decipiat dicendo: *Se hoc vel illo defectu laborare, se gratiam parentum, vel officium speratum obtinere non posse*; & sic extorqueat consensum in dissolutionem, minimè deobligabitur, quamvis deobligetur pars innocens seu sponsa, quia sponsus consensit liberè in dissolutionem, non sponsa, *Sanch. n. 3. Bosco n. 7. Schmalzg.*

12. *n. 156.* Dixi, *puberes*; nam impuberes (quales sunt fœmellæ ante completum annum duodecimum, & masculi ante decimum quartum) non possunt solvere sponsalia ante compleram pubertatem: quâ completâ conceduntur iis tres dies, quibus alter altero invito resilire potest, *c. de illis de desponsi. impub.* nisi impuberes pubertati propinqui sponsaliâ firmamento firmaverint, vel se carnaliter cognoverint, *c. ex litteris, c. à nobis de spons.* Quinam autem dicantur proximi pubertati, dixi *Cas. 50. n. 2.* Pubes cum impubere contrahens nec ante nec post alterius pubertatem resilire potest sine illius consensu, quia illud privilegium soli impuberi à jure conceditur.

13. Ex. 2. *Recessus unius à sponsalibus* etiam alteri præbet causam recedendi, quamvis sponsalia juramento fuerint firmata; est communis & certa: quia juramentum fuit tantùm appositum sub conditione mutuæ fidelitatis, quæ conditio, cùm hîc non existat, juramentum est nullum: si unus injustè recedat, potest quidem pars innocens etiam resilire, sed non tenetur, ideòque etiam ex parte altera manebit obligatio in tantum, ut secunda sponsalia illius, quamvis jurata & intercedente copula, sint nulla, utpote de re illicita; *tunc autem quis dicitur à sponsalibus recedere, si aliquid agat, ex quo ipso jure vel facto censeatur contractui renuntiare*; quod fieri potest multipliciter: Ut 1. si sponsus absque licentia sponsæ abeat in aliam terram cum animo emanendi, vel sine spe redeundi, solvuntur sponsalia etiam jurata ex parte sponsæ, sive abeat ex causa utili, sive voluntaria, sive ex animo mutandi domicilium, ita ut possit saltem alteri nubere, *c. de illis de sponsal. Barbos. Sanch. d. 54. n. 6. Bosco d. 11. sect. 2. Pyrrhing. n. 48.* quia æquum non est, ut sponsa tam diu in incertum teneatur exspectare cum periculo incontinentiæ, vel amittendi alias commodas nuptias; si verò spes sit eundem intra biennium vel citiùs rediturum, debet sponsa exspectare; vel si de hoc sit dubium, debet sponsum per litteras vel nuntium (si possit) monere, ut intra certum tempus contrahat, vel obligationem remittat, *Konig hîc n. 70.* 2. Si una pars matrimonium injustè differat ultra terminum præfixum, aut si terminus præfixus non est, nolit contrahere altera petente, tunc innocens statim resilire potest; ratio est, quia si 14.

nul-

nullum determinatur tempus, sponsalia statim obligant; ergo si unus sponsorum sine legitima causa recusset, censetur resilire, & per consequens alteri præbere facultatem resiliendi, *Reiffenst. n. 218.* Si ex justo impedimento differat, & terminus præfixus sit non ad finiendam, sed urgendam obligationem, manet obligatio utriusque, *Castropalao, Engel. §. 3. Wiest. n. 115.* Si tamen ad longum tempus duraret impedimentum cum gravi alterius incommodo, judico, non impeditum resilire posse, sicut resilire posset, si altera pars ex justa causa ex patria discederet diu non reditura. Sed quid si terminus præfixus est ad finiendam obligationem? R. Tunc distinguendum est: vel enim per utrumque contrahentem stetit, quò minùs nuptiæ termino præfixo sequerentur, & eo casu ex parte utriusque solvuntur sponsalia, vel stetit solùm per unum quamvis inculpabiliter, v. g. ob morbum, negotia, &c. tunc hic adhuc obligatur, & alter liber manet, etiamsi sponsalia jurata sint, colligitur *ex c. sicut 22. de sponsal.* ibi: *nec per eum stetit. Laym. Sanch. d. 53. n. 6. Schmalzg. n. 195.* contra *Bosco, Dicast. Reiffenst.* volentes, sponsalia solvi ex utraque parte, quod verum est, si ita expressè convenerit: *Ut nuptiis ex quacunque causa intra terminum non secutis utraque pars sit libera*, aliàs non.

25. 3. Certum est, quòd professio religiosa dirimat sponsalia, nam dirimit matrimonium ratum, *c. ex publico 7. de convers. conjug.* ergo multò magis sponsalia; excipe, nisi professio fieret in damnum sponsæ violatæ vel impregnatæ, quod damnum aliter quàm inito matrimonio reparari non posset, tum enim professio esset nulla tam in ratione voti, cùm sit de re hîc & nunc illicita, quàm in ratione contractus religionis, quæ talem professionem admittere non vult nec potest contra jus sponsæ violatæ, *Sanch. d. 44. n. 3. Reiffenst. n. 224. La Croix l. 6. p. 3. n. 188.* Dices: Ergo etiam professio erit nulla, & sponsus tenebitur redire ad sæculum, quamvis damnum sponsæ aliter, v. g. per dotationem reparari possit, quia sponsus promisit personam suam, & sub ea spe sponsam defloravit, & si possit solvere, in specie non satisfacit solvendo æquivalens. R. N. Seq. Debitor tenetur solvere rem in specie debitam per se C. Per accidens, si jura aliter statuant, uti hîc *c. 2. & 7. de conv. conj.* N. 4. Per ingressum in religionem solvuntur sponsalia ex parte illius, qui mansit in sæculo, ita ut illicò, si velit, alteri nubere possit, *Sylvest. Laym. c. 3. n. 3. Sporer n. 247.* Ratio est, tum quòd censeatur hoc ipso sponsalibus renuntiare, tum quòd per ingressum fiat notabilis mutatio status ex parte ingredientis, ita ut alteri parti foret grave & dedecorosum nubere monacho vel fuitæ moniali, neque præsumi potest, quòd compars ad hoc se voluerit obligare; attamen non tollitur obligatio ex parte ingredientis, ita ut rediens ad sæculum sponsam ducere debeat, si ea velit, *Pont. l. 12. c. 10. Laym. Eng.* 16.

*l.1. Pyrrh. n.5.* cont. *Sanch.d.42.* Ratio est, quia solus ingressus nec ex natura sua solvit sponsalia, cùm ingrediens ad libitum redire possit, nec ex jure positivo, & remanens in sæculo juri suo non renuntiavit; ergo si alter ad sæculum redeat, tenetur implere promissum. 17. 5. Majores Ordines solvunt sponsalia, quia cum iis non potest stare matrimonium, ideóque impletio sponsalium fit impossibilis; illicitè tamen suscipiuntur sponsâ invitâ, quia frangitur fides alteri data in materia gravi justitiæ, & per consequens tenetur ad omne damnum exinde emergens sponsæ, *Rebell. Peretz. d. 9. s.6. Engel. n.8. Leuren. q. 58.* Dices: Talis licitè profitetur Religionem, quia sponsalia imbibunt hanc conditionem, nisi perfectiorem statum elegero, atqui status Ecclesiasticus est perfectior matrimoniali, ergo. R. N. C. Quòd illa conditio imbibatur sponsalibus, respectu Professionis Religiosæ, est ex speciali juris dispositione ob eminentiam status Religiosi, ex qua Professio etiam dirimit matrimonium ratum, quod nullibi conceditur Ordinibus Sacris, imò sponsi ad SS. Ordines non admittuntur, & sicut rem alteri debitam non licet vovere Deo, sic nec in fraudem sponsæ suscipere S. Ordines, & quidem si sponsa sit imprægnata, valent Ordines, sed non valet votum castitatis iis annexum, utpote de re illicita, ideòque tenebitur inire matrimonium, nisi timeantur alia mala, vel Judex Ecclesiasticus aliter disponat, *La Croix n. 197.* 6. Si sponsus sponsa insciа vel invita suscipiat Ordines Minores, probabiliter solvuntur sponsalia ex parte sponsæ, ita ut hæc resilire possit, *Tann. Gob. Reiffenst. n. 230.* tum quia hæc est notabilis mutatio & magna inconstantia ex parte sponsi, tum quia suscipiens minores Ordines censetur cum tempore etiam velle suscipere majores, (minores enim licitè non suscipiuntur nisi in ordine ad majores) sicque statum matrimonio repugnantem suscipere, consequenter remittere sponsæ obligationem, quod à potiori tenet de illo, qui post sponsalia vovit suscipere majores Ordines; quamvis enim tale votum sit nullum, tamen quantum est in se, intendit assumere statum matrimonio repugnantem, consequenter juri suo renuntiare, *Sanch. d. 47. n. 4.* 7. Post sponsalia licitè quis vovet Religionem; si enim Religionem licitè ingredi possit, cur non eam fovere, nisi forsan sponsa spe matrimonii fuisset defiorata? Pars non vovens libera est à sponsalibus, quia vovens Religionem cum matrimonio incompossibilem hoc ipso renuntiat suo juri, ipse tamen non deobligatur nisi secutâ Professione, ut dixi suprà, *Tamb. Eng. §.3. Schmalzg. n.102. Sporer n.252.* 8. Votum castitatis post contracta sponsalia, in quantum præjudicat comparti ex sponsis, est illicitum & invalidum, nec dirimit sponsalia ex parte voventis, benè verò ex parte alterius, *Navar. Pyrrh. n. 30. Eng. loc. cit. Schamb. n. 14. Reiffenst.* 18. 19.

*Reiffenſt. n. 236.* colligitur ex *c. veniens qui Clerici vel voventes*; ubi Papa poſt ſponſalia voventem puniri jubet; & ratio eſt, quòd votum de re alteri debita non ſit Deo gratum, nec acceptetur cum injuria tertii: in tantum verò valet tale votum caſtitatis, ut vovens non petere debitum obligetur, niſi quoad hoc ab Epiſcopo vel Regularibus privilegiatis ſit diſpenſatus, imò ſponsâ mortuâ vel alteri nubente obligatur ad integram caſtitatem, quia id tunc non cedit in præjudicium ſponſæ; idem eſt de voto ſuſcipiendi Religionem vel S. Ordines, cum hac tamen diſparitate, quòd talis quidem peccet nubendo, non tamen petendo debitum, *S. Thom. Nav. Engel, Schmaltzg. à n. 116.* vide *Caſ. 106.* Dices: Qui poſt ſponſalia vovit caſtitatem, licitè eam ſervare poteſt, ingrediendo Religionem: ergo ad hoc tenetur. R. N. C. quia non præſumitur ſe voluiſſe obligare ad caſtitatem per medium adeò arduum, quale eſt Religio, niſi ita expreſſerit, *Caſtropalao, Nav. Leuren. q. 59.* Hactenus dicta intelligenda ſunt de votis ſubſequentibus ſponſalia; nam ſi votum continentiæ, votum S. Ordinum, votum non nubendi, &c. præceſſerint, indubitatum eſt, ſponſalia ſubſecuta eſſe nulla, quia continent promiſſionem rei illicitæ, & Deo jam obligatæ.

20. 9. Secunda ſponſalia contra fidem priorum ſunt nulla, etſi ſint jurata vel conjuncta cum imprægnatione; ratio eſt, quia ſunt de re illicita, & alteri ex juſtitia debita, atqui promiſſio vel juramentum non poſſunt obligare ad rem illicitam, ergo. Imprægnator tamen tenetur imprægnatæ ad omne damnum, niſi ipſa impedimentum ſciverit, & ſic in ſui deceptionem conſenſerit; quòd ſi ſecunda ſit innocenter decepta, & damnum aliter quàm per nuptias reparari non poſſit, putat *Lopez, Sanch.* primam, quæ damnum non eſt paſſa, ex charitate obligari cedere juri ſuo, quod non admittit *Reiffenſt. t. 4. n. 8.* quia charitas non obligat ad relinquendum jus proprium pro avertendo damno proximi. Sed nunquid prima ſponſa ex hoc, quòd ſponſus fidem dederit ſecundæ, etſi nulliter ex ſua parte, poterit reſilire? R. Affirmativè: quia tentans ſecunda ſponſalia, quantum eſt de ſe, cenſetur renuntiare primis, ergo pars innocens poteſt recedere, & fidem frangenti frangere: quamvis autem prima cedat juri ſuo vel moriatur, propterea non obligant ſponſalia ſecunda, quia contractus ab initio invalidus cum tempore non reconvaleſcit, *Sanch. d. 50. La Croix n. 76.* excipe, niſi ſponſalia ſecunda inita ſint ſub conditione, ſi prima ſponſa obligationem remittat vel moriatur, & in dubio ſic inita præſumuntur, quia aliter iniri non potuerunt ſine peccato; delicta autem non præſumuntur. Si ſponſa tua ſit imprægnata ab alio, poteſt te inſcio hunc ducere, quia ſi ſcires ejus conſtitutionem, certò reſilires, ergo prudenter præſumeris conſentire, ita tamen ut ipſa tibi teneatur de damno,

damno, si quid inde tulisti. 10. Matrimonium contra prima sponsalia est quidem illicitum, attamen dissolvit sponsalia, *c. si inter d. 31. de despons.* At quid si matrimonium morte vel professione religiosa solvatur, an sponsus tenebitur adhuc ducere priorem sponsam, si ipsa velit? Negant *Palud. Gutt. Laym. Pyrrhing. Reiffenst. l. c.* quia obligatio semel extincta non reviviscit, sicut non reviviscit professio in ordine laxiore semel extincta per professionem in ordine strictiore; sed dicendum est, sponsum teneri redire ad sponsam primam, si ipsa velit, etsi hæc non ampliùs obligetur sponso ob violatam ab ipso fidem, *Peretz. Haun. de matr. n. 601. Spor. n. 208. La Croix 201. Wiest. n. 100. Schmalzg. tit. 4. n. 34.* Ratio est, quia tale matrimonium non planè extinguit, sed solùm suspendit obligationem, sicut si quis contra votum religionis ineat matrimonium, impeditur quidem executio voti, ipsum tamen votum non extinguitur, sed soluto matrimonio iterum obligat; aliud est de professione in Ordine strictiore; cùm hæc enim de se sit perpetua, facit regressum ad laxiorem impossibilem. 21.

11. Fornicatio sponsæ etiam vi illata, sive antecedat, sive subsequatur spousalia, dat sponso, qui hoc ignoravit, jus resiliendi. Idem est si sponsa sive ante, sive post sponsalia turpes tactus, oscula, amplexus ab alio liberè admiserit; econtrà sponsa resilire potest ob solam sponsi fornicationem post sponsalia, non autem ob turpes tactus, nisi sint frequentes, ita quoad rem *Peretz s. 14. Sanch. d. 63. Laym. c. 3. Bosco d. 11. s. 2. Sporer à n. 270. Schmalzg. à n. 163.* Ratio est, quia in jure multò turpior habetur fornicatio aut actus impudici sponsæ quàm sponsi: ergo si fornicatio vel tactus sponsi facti non sint post fidem sponsaliorum, non sunt causa sufficiens sponsalia solvendi. Excipe, nisi sponsus etiam ante sponsalia cum pluribus fuisset fornicatus, aut ex præcedente unica fornicatione suscitâsset prolem, tunc posset sponsa id ex pòst cognoscens solvere sponsalia, *Pont. Bonac. Laym. l. c. Castropalao punct. 29. n. 4.* quia tunc esset notabilis mutatio ex parte sponsi, & matrimonium redderetur difficilius, tum ob alimentationem prolis, tum ob discordias oriri solitas. At quæ probatio fornicationis requiritur, ut obinde sponsalia dissolvi possint? 22.

R. Debet de fornicatione certò constare per gestationem uteri, confessionem rei vel alia indicia, aut saltem de hoc debet esse publica infamia; aliàs sponsalia semel legitimè contracta manent in possessione obligandi, *Schneidenw. de nuptiis p. 4. n. 61. Zypæus de spons. c. 13. §. 50. Konig. his n. 74.*

R. 3. Sponsalia dissolvi possunt, *si ex una parte superveniat talis mutatio corporis, animi, fortunæ, &c. quæ si ab initio fuisset cognita, vel prævisa, altera pars non contraxisset;* & quamvis hæc regula in aliis contractibus onerosis non admittatur, admittitur tamen in sponsalibus, ita ut pars, quæ ex illa mu- 23.

mutatione gravamen patitur, possit resilire à sponsalibus etiam juratis, non item altera, *arg. c. quemadmodum 25. de jurej. Sanch. d. l. 2. Eng. n. 11. Castropalao p. 28. n. 6. Bosco s. 2. concl. 4. Pyrrhing. n. 63. Zoës n. 46. Scamb. n. 102.* Ratio est, quia promissio matrimonii (quod inducit vinculum indissolubile) requirit majorem libertatem quàm alii contractus; meritò tamen notat *La Croix n. 167.* sponsalia obindè non semper esse propriè conditionata, aut includere conditionem: *Si non oriatur mutatio*; aliàs enim ab initio essent invalida, & secutâ mutatione non causarent publicam honestatem; sed solùm reservatur facultas rescindendi, si aliquid interveniat vel innotescat, quod ab initio cognitum sponsalia impedivisset; adeò ut si sponsus vel sponsa juratò affirmet, quòd sponsalia minimè feciset, si hoc vel illud scivisset vel prævidisset, ei in utroque foro fides sit adhibenda, *Covarr. Nav. Laym. n. 18. Reiffenst. n. 256.* Ratio est: quia in his, quæ ad animum pertinent, & testibus probari non possunt, ut intentio, ignorantia, scientia, &c. standum est juramento asserentis; si quis dubitet, an contraxisset, pro utroque foro præsumi potest, eum non fuisse contracturum, si mutatio sit gravis, & talis, ob quam alii prudentes non contraherent, *Leander, Bosco n. 120.* quia fortissima præsumptio desumitur à communiter contingentibus; variæ autem sunt mu-
24. tationes notabiles, ob quas alteri parti resilire licet, ut 1. ex parte animi, si sponsus cognoscatur esse ebrietati, lusui, rixis multum deditus; si unus ex sponsis sit hæreticus, laboret gravi infamia ob furtum, homicidium, adulterium, magiam, &c. vel in uno deprehendatur notabilis morum asperitas aut sævitia; si inter sponsos vel eorum parentes exortæ sint capitales inimicitiæ, extraordinariæ animorum aversiones, ita ut timeantur infaustæ nuptiæ, jurgia, lites, scandala, &c. communis Doctorum; at non facilè credendum est hæc adesse, nisi indicia probent; sæpè enim finguntur talia purè ad declinandum matrimonium. 2. Ex parte 25.
corporis fit notabilis mutatio, si unus ex sponsis fiat leprosus vel paraliticus, oculos vel nasum amittat, *c. quemadmodum, de jurej.* Idem est de aliis morbis incurabilibus, v. g. epilepsia, paralysi, graveolentia oris, quæ curari non possit, *Sanch. Sporer n. 271. Schmaltzg. n. 189.* Idem plerique docent de morbo Gallico; verùm quia hic morbus nunc à peritis medicis perfectè curari solet, ex eo solo causa solvendi sponsalia non consurget, præsertim si infirmus eum sine culpa contraxerit. Item si sponsa fiat multum, & sponsus horribiliter deformis, si sponsa post sponsalia intelligatur esse inepta ad generationem, quam sponsus intendebat, ut si sponsus credebat eam habere 30. annos, cùm habeat 50. Si sponsus, qui laborare deberet, comperiatur laborare Herniâ, &c. Si autem hæc mala non sint certa, sed solùm probabilis aliqua de iis suspicio vel dubium,

bium, non solvuntur sponsalia, quorum obligatio est certa, quæ per incertam excusationem non tollitur, ideoque tunc res melius erit investiganda, vel exspectanda declaratio judicis. 3. Ob mutationem in bonis fortunæ sponsalia solvi possunt, si unus redactus sit ad inopiam, vel sit passus magnam bonorum suorum jacturam, sive id contigerit ex ejus culpa, sive injuria belli, furti, incendii, &c. Si sponsa vel ejus parentes dotem promissam dare non possint, vel non velint, quia sub illa conditione censentur sponsalia contracta, *c. de illis 3. de condit. app.* In his pars, quæ damnum passa non est, resilire potest, & si uterque jacturam bonorum fecit, uterque habet justam resiliendi causam; minus enim apti sunt ad onera matrimonii sustinenda, nec in hac parte est locus compensationi, *Rebell. Pont. Tamb. Castropalao n. 4.* Sola autem parentum vel consanguineorum contradictio non sufficit ad solvenda sponsalia, nisi fortè conjuncta sit cum seriis minis exhæredandi, officio privandi, tunc solus ille, qui minas non patitur, resilire posset; ille verò qui minas patitur, si ex aliis bonis suis vel compartis honestè sustentari possit, tenetur stare promissis, si compars velit, sicut stare tenetur, qui fecit jacturam bonorum, etsi possit resilire pars altera, *Reiffenst. n. 282.* At quid si post contracta sponsalia uni superveniant insperatæ divitiæ, nobilitas, dignitas, an hic à sponsalibus justè recedere possit? Affirmant *Wex. Hurtado, Peretz. d. 9. s. 11. Schmier. hic 15. n. 149.* quia matrimonium redditur difficilius, & hæc sponsalia non fuissent contracta, si id ab initio fuisset præviſum; sed rectiùs negant *Gutt. Sanch. Castropalao n. 5. Pyrrh. n. 64. Konig n. 78.* Ratio est, quia cùm pars altera non sit facta deterioris conditionis, non est privanda jure suo, & res debita tradenda est cum omni suo melioramento vel valore, qui succrevit, ut patet in contractu emptionis; ergo & persona tradenda est cum meliore sua fortuna; aliàs certè toties sponsalia infringere liceret, quoties sponsus ditiorem vel nobiliorem sponsam nanciscì posset. 4. Si ex pòst innotescat, quòd unus non habeat signa nobilitatis, quæ eum habere putabat alter, hic potest resilire, quia est defectus notabilis, ob quem proles in Germania non admittuntur ad certos Canonicatus vel Comitia; similiter si putâsti aliquam esse virginem, sed postea intelligas esse viduam, habes causam dissolvendi sponsalia, tum quia vidua censetur longè vilior, tum quia tu fores bigamus, & soluto matrimonio non posses absque dispensatione promoveri ad Ordines, quod videtur esse notabile incommodum, *Sanch. Castropalao p. 29. La Croix n. 185.* 5. Si superveniat vel detegatur impedimentum dirimens matrimonium indispensabile, velut impotentia, solvuntur sponsalia ex utraque parte; si impedimentum sit dispensabile, v. g. affinitas ex fornicatione post sponsalia cum consanguinea sponsi

26. 27. 28. 29. 30.

vel

vel sponsæ, solvuntur solùm ex parte innocentis; ille verò qui ex causa impedimenti, tenetur suis expensis petere dispensationem, si velit pars læsa, tum ne ex delicto reporter commodum, tum quia ponendo impedimentum læsit jus alterius, ergo tenetur ex justitia illud reparare; aut si innocens alterius connubium ob ejus fornicationem nolit, tenetur reus innocenti compensare damna, si quæ obinde in præparatione nuptiarum vel aliter est passus. 6. Hactenus dicta locum habent etiam in sponsalibus juratis, ita ut ex iisdem causis dissolvi possint, ex quibus non jurata, quia juramentum sequitur naturam & conditiones contractus, cui adjicitur; excipe, nisi quis cognito ejusmodi defectu vel causa rescindendi verbis aut facto, præsertim copula carnali, sponsalia ratificaverit, *Tamb. Bosco concl. 13. Laym. c. 2.* Si tamen copulam habuisset, revera non animo sponsalitio, sed merè fornicario, in foro conscientiæ non censetur sponsalia ratificâsse, quia præsumptio debet cedere veritati, *Sanch. Tamb.* 7. Ut causa sit sufficiens à sponsalibus recedendi, debet ejus cognitio post sponsalia supervenisse; nam qui scienter & seriò matrimonium promittit personæ, quam scit esse pauperem, deformem, ignobilem, defloratam, &c. tenetur stare promissis, nisi ex matrimonio timerentur perpetuæ discordiæ, grave scandalum, infamia, ingens damnum familiæ, eò quòd v. g. prohiberetur adire Comitia, &c. tunc enim matrimonium fieret illicitum, utpotè conjunctum cum peccato vel damno tertii aut totius familiæ; si hæc incommoda absint, tenetur stare contractu, quia scienter contrahens cum paupere, ignobili, &c. quoad suam personam censetur renuntiâsse privilegio nobilitatis, divitiarum, &c. nec satisfacit dotando, sed tenetur eam ducere, si ipsa velit, quia debitor potens solvere rem in specie debitam, ad hoc tenetur: sed potest solvere matrimonium in specie promissum, idque ex justitia est debitum: ergo. V. *Cas. 43. n. 13.* An verò quis teneatur personam à se defloratam dotare, si ob damnum familiæ, periculum inimicitiarum, vel aliter justè excusetur ab ea ducenda, dixi *Cas. 43. n. 17.* 8. Qui absque justa causa resilit à sponsalibus, tenetur alteri ad omne damnum exinde ortum, ut per se patet; qui verò justè resilit, ad nihil tenetur, sive causa resiliendi teneat se ex parte alterius sponsi, ut si hic sine sua culpa factus est pauper, leprosus, &c. sive ex parte sua, eò quòd velit ingredi religionem, *Sanch. Bosco concl. 14. La Croix à n. 218. Castropalao p. 33. Reiffenst. n. 323.* cont. *Hennig. Sporer.* Ratio est, quia resiliens utitur jure suo, & alter in simili casu etiam uti posset: ergo est æqualis utriusque conditio. Dices 1. *L. si pecuniam, ff. de condit. ex causa* dicitur: *Si quis alterum conduxit ad iter faciendum, si hoc revocet, teneri servare indemnem de expensis pro itineris præparatione factis;* ergo & ille, qui revocat sponsalia, tenetur alteri de expensis ad nuptias.

31.

32.

33.

2. Jura non concedunt ingressum in religionem, nisi salvo jure alterius sponsi; aliàs etiam posset ingredi post sponsam defloratam. R. ad 1. N. C. In sponsalibus est æqualis utriusque conditio, & libertas ad resiliendum ex simili causa, quæ libertas non est in conducente alterius operam. Ad 2. Si defloratio vel alia fraus non intercessit, nullius jus violatur, quia utrique æqualiter liberum est religionem ingredi. 9. Restat difficilis & practica quæstio, an sponsus vel sponsa laborans defectu occulto possit licitè sponsalia contrahere illum non aperiendo? Ad quam R. Si defectus non importet impedimentum dirimens, vel sit multum noxius alteri parti, aut reddat matrimonium notabiliter difficilius, tenetur vel à contractu abstinere, vel illum defectum detegere, sive ante, sive post sponsalia emerserit, *Peretz d. 11. s. 2. Gobat t. 10. c. 9. n. 369. Castropalao punct. 30. Sporer n. 286. Reiffenst. n. 301. Leuren. q. 68. La Croix n. 181.* cont. *Sanch. Dicast. Escob. & alios.* Ratio est, quia alterum decipit in re gravi, sicut qui ignoranti venderet merces inutiles & noxias, ut dixi *Cas. 55. n. 10.* Hujusmodi defectus sunt: *Lepra, epilepsia, morbus Gallicus*, nisi ante matrimonium curetur, *infamia* ex genere vel delicto, *impregnatio* sponsæ ab alio facta; hæc enim notabiliter matrimonium aggravant, utpote quæ vel afferunt educationem alienæ prolis, vel officiunt sociali vitæ, vel causant gravissimas discordias, aversiones, &c. Econtrà si defectus occultus non multum noceat comparti, nec notabiliter difficilius reddat matrimonium, licèt minùs commodum vel appetibile efficiat, non tenetur eum manifestare, talis est occulta fornicatio, ignobilitas, paupertas, deformitas, mores improbi, à quibus se statuit corrigere, *DD. cit. Burgh. cent. 2. Cas. 20.* Ratio est communis consuetudo & consensus, & plerumque manifestatio fieri non potest sine infamatione. *Dices:* 34. Si altera pars sciret talem defectum, v. g. fornicationem, ignobilitatem, &c. non contraheret, imò à contractu justè resilire posset: ergo alter tenetur illum aperire, aliàs facit comparti injuriam, sicut injuriam facit, qui tacet vitium rei venditæ, quo cognito non fieret emptio. R. N. C. Ex communi consensu & praxi in sponsalibus ejusmodi defectus reticeri possunt, aliud est de emptione. Dixi, *defectus occultus*; nam si periculum sit, ut talis defectus, v. g. fornicatio, ex pòst erumpat, causetque graves discordias, erit à contractu abstinendum, quia matrimonium reddetur difficilius, minùs licebit se fingere esse virginem, nobilem, divitem, quia esset formalis fraus, *Castropalao, Leuren. l. cit.* Ex dictis sequitur, quòd 35. sponsa occultè fornicata cum alio adhuc sponsum ignarum cogere possit ad servanda sponsalia, quia illa fuerunt valida, & quamdiu fornicatio manet occulta, retinet jus ad ad matrimonium, imò in primo congressu licitè uti potest mediis ad occultandum vitium defloreationis, ne à viro deprehensa malè tractetur,

*Sanch.*

*Sanch. d. 27. n. 9.* & si interrogata dicat, se esse virginem, solùm peccat venialiter peccato mendacii; si tamen dicendo se virginem induxerit ad sponsalia, non potest cogere ad matrimonium, quia sic fingendo fecit injuriam, quam continuaret, *Gobat, La Croix n. 184.* Sed quid si ab adultero sit imprægnata, & sponsus id ignorans velit eam ducere, an saltem metu infamiæ incurrendæ licitè possit consentire non detectâ imprægnatione? R. Non posse: quia sponso supponet prolem alienam cum damno mariti & prolium legitimarum sequentium; & quamvis proponat hæc damna præcavere vel compensare, tamen vix poterit, quia carebit probis, & spurius non tenebitur credere se esse spurium, ut dixi *Cas. 43. n. 21.* & quia primò gignetur, fortè prætendet jus speciale, ergo talis se saltem exponet periculo proximo injustè damnificandi maritum & proles.

## CASUS CV.

### De Matrimonii essentia, indissolubilitate, &c.

*Sabinus Theologus interrogatur:* 1. *Quæ sit essentia, materia, forma, Minister matrimonii.* 2. *Quid si quis fictè contrahat, aut cum una fictè, cum altera verè.* 3. *Quid si consensus revocetur vel exprimatur per verba dubia, vel sit indeliberatus.* 4. *An consensus debeat ferri in copulam.* 5. *Quid de eo, qui falsò credit, se habere impedimentum dirimens.* 6. *An nubenti invitis parentibus possit subtrahi dos vel hæreditas, & quid si parentes contrahant nomine filiæ.* 7. *Quid & quotuplex sit conditio, modus, causa, demonstratio.* 8. *An conditio apponatur licitè.* 9. *An conditio de præsenti suspendat valorem, quid si secuta sit copula.* 10. *Quid de conditione necessariò eventura.* 11. *An post eventum conditionis contingentis opus sit novo consensu, idque coram Parocho & testibus.* 12. *Quid si quis pendente conditione cum una, ducat aliam, vel habeat copulam.* 13. *Quid de hac conditione: Contraho tecum, si patri placuerit,* 14. *Si Papa dispenset,* 15. *Si te virginem reperero.* 16. *Quid si conditio sit turpis vel impossibilis.* 17. *Quid in dubio.* 18. *Quid de sponsalibus.* 19. *Quid de conditione: Si castitatem voveas.* 20. *Ut liceat intra bimestre religionem ingredi, vel teneantur religionem ingredi, si intra annum non nascatur proles, vel certis diebus à copula abstinere.* 21. *Quid de hæreticis, qui contrahunt sub conditione, ut liceat repudium ex causa fornicationis.* 22. *An possit matrimonium contrahi per procuratorem, vel per litteras.* 23. *Quid si consensus saltem internè revocetur, aut fictè datus renovetur, aut principalis interim fiat amens.* 24. *An mandatum*

*dari vel exequi debeat coram Parocho, quis possit esse procurator, an conficiat Sacramentum, debeátque esse in statu gratiæ.* 25. *An matrimonii vinculum solvatur per professionem vel dispensationem Papæ.* 26. *Quid de consummato.* 27. *Vel matrimonio infidelium.* 28. *Quid de divortio ex causa pietatis.* 29. *Ex causa delicti?* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid de matrimonii essentia, materia, forma, Ministro, &c. 1.

℟. 1. *Matrimonium est legitima conjunctio viri & fœminæ, individuam vitæ societatem continens,* seu est contractus, per quam mas & fœmina sibi mutuò tradunt potestatem corporum pro usu perpetuo ad procurandam & honestè educandam prolem. Hic contractus est verum novæ legis Sacramentum. Est de fide ex Conciliis Flor. & Trid. sess. 24. c. 1. Ejus *Materia remota* est jus in corpora: *Proxima* est consensus seu traditio istius juris: *Forma* sunt verba vel signa externa consensum exprimentia. *Minister* sunt ipsi contrahentes, non autem Parochus, qui tantùm Matrimonio assistit, illúdque nomine Ecclesiæ suscipit & ratificat. Est communis. Ratio est, quia minister debet apponere materiam & formam: sed illam non ponit Parochus, sed contrahentes: ergo. 2. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum & consummatum. *Legitimum* tantùm est, quod legitimo consensu inter personas habiles contrahitur, & non habet rationem Sacramenti, quale olim in lege naturæ & Mosaica, & adhuc inter Gentiles & Judæos initur. *Ratum*, quod à baptizatis in facie Ecclesiæ contrahitur, cui si accedat copula carnalis, dicitur *consummatum.*

QUÆR. II. Quid circa consensum contrahentium? 2.

℟. Hic consensus est ita necessarius ad valorem Sacramenti, ut à nemine nisi à solo Deo suppleri possit, qui cùm sit Dominus omnium, posset etiam homine invito ejus corpus tradere alteri ad usum conjugalem; ut autem consensus sit legitimus, debet 1. esse verus, non fictus, aliàs matrimonium erit nullum, & fingens graviter peccabit contra reverentiam Sacramenti, & contra justitiam, *Avers. q. 3. s. 1. Schamb. l. 4. t. 1. n. 145. Pyrrh. ibid. n. 97. Kon. n. 104.* quia in contractu oneroso si unus ponat partem suam, habet jus, ut etiam alter adjiciat suam, ideóque regulariter tenebitur talem ducere, & consensum injustè subtractum renovare, quia damnum hoc vix aliter potest resarcire, & ipsa ab aliis nuptiis repelletur, cùm prius matrimonium præsumatur validum; excipe, nisi ipsa usa sit fraude, vel alter injusto metu ad matrimonium fuerit coactus, tunc enim non tenebatur consentire; sed quid si Titius primò fictè contrahat matrimonium cum Titia, & pòst seriò cum Caja? ℟. In foro conscientiæ debet manere cum Caja, ita tamen ut Titiæ satisfaciat pro damnis, si quæ ex fictione passa est; in foro autem externo cogetur manere cum prima, nisi fictionem claris & indubitatis probet indiciis, neque creditur juranti, quia posito actu externo consensus internus

nus præsumitur, *Laym. c.6.n.3. Scamb. l.4. Decret.t.1.n.144. Wiest. ibid.n.140.*

3. 2. Consensus debet esse mutuus & simultaneus, ita ut si unus posuerit consensum, eundem non revocet, antequam consentiat alter. 3. Debet consensus esse manifestatus per verba, nutus, scripturam, procuratorem, aliàs contractus non foret sensibilis & humanus; si verba vel signa sint dubia, magis intentio quàm verba attendenda est, quia verba intentioni deserviunt, & non intentio verbis. 4. Consensus debet esse plenè deliberatus deliberatione sufficiente ad mortale, ut dixi *Cas. præced. n.3.* 5. Ad valorem matrimonii re-

4. quiritur consensus in mutuam corporum traditionem, in obligationem justitiæ ad conjugalem copulam, obligationémque abstinendi à quavis alia; in dicta enim traditione & obligatione consistit essentia matrimonii. Contrà verò quia carnalis copula, mutua cohabitatio & fidelitas non sunt de essentia matrimonii, in hæc non necessariò fertur consensus. Unde valebit matrimonium, quamvis aliquis proponat abstinere à copula, vel cogitet adulterari, vel conjugem deserere, modò seriò intendat contrahere & se obligare ad eam fidelitatem & reddendi debitum; quia voluntas implendi contractum non est de essentia contractus, ut dixi *Cas. 48. n.2.* Unde patet, B. Virginem cum S. Josepho verum habuisse matrimonium, quia tradidit potestatem sui corporis, & obligavit se ad debitum conjugale, casu quo S. Joseph exigeret, quamvis per revelationem sciret id à S. Josepho nunquam fore exigendum, ideóque hoc matrimonium suo voto castitatis non obfuturum, *Castropalao d.2. p.1. n.3. Schmaltzgr. l.4. t.1. n.263.* Si autem in ipso contractu addatur conditio: Duco te, si vivas mecum in perpetua castitate, si eam voveas, non valet matrimonium, ut dicam infrà *n. 19. 6.* Qui pro certo (etsi re- 5.
verà falsum sit) adesse impedimentum dirimens, non potest seriò & validè velle matrimonium, voluntas enim non potest velle impossibile cognitum ut tale; aliud est si timeret aut suspicaretur adesse impedimentum, & interim vellet facere quantum potest, tunc si reverà nullum impedimentum adsit, matrimonium erit validum, *Sanch. Tamb. Sporer à n. 317.* 7. Ut consensus in matri- 6.
monium sit licitus, debent saltem requiri parentes, nisi prudenter credantur matrimonium injustè impedituri, ut dixi *Cas. præced. n.9.* Filius irrequisitis vel invitis parentibus nubens etsi peccet, tamen est alimentandus, & filia juxta statum mariti dotanda, quia dos succedit in locum alimenti, quod jure naturali debetur prolibus, minùs poterunt obinde exhæredari, quia hic casus in Novell. 115. c.3. non numeratur inter causas exhæredationis; in odiosis autem non est facienda extensio, *Engel. l.4. tit.2.§.2.* 8. Si parentes filio vel filia præsente & tacente ejus nomine matrimonium contrahant, juxta *Bosco, Zoës. La Croix n.272.* filia censetur

ſetur conſentire, etſi id neget *Konig. Pont. Schmaltzg. n. 247.* Certum eſt, in foro conſcientiæ matrimonium non præſumi validum, ſi filia neget ſe conſenſiſſe, quia in foro interno ſicut creditur dicenti contra ſe, ita & dicenti pro ſe.

7. QUÆR. III. Quid de conſenſu vel matrimonio conditionato?

Rſ. 1. Matrimonium, idem eſt de ſponſalibus, poteſt contrahi abſolutè abſque omni adjectione modi vel conditionis, ut: Duco te in meam, vel conditionatè; *Conditio autem eſt circumſtantia diſpoſitioni vel contractui adjecta, à cujus exiſtentia volumus dependere contractus valorem*, aliquando exprimitur verbis per tò *Si*, aliquando retinetur in mente, ut: Duco te, ſi pater tuus conſentiat, ſi es virgo, &c. Alia *eſt de futuro* contingente vel indifferente ad eſſe vel non eſſe, ut. Duco te, ſi pater meus conſentiat, & hæc ſola propriè eſt conditio. Iterum alia eſt *de re poſſibili*, quæ evenire poteſt, *alia de impoſſibili*, quæ evenire non poteſt; alia de re neceſſaria, alia de re contingente; *alia eſt intrinſeca* & neceſſaria ad valorem contractus, ut: Duco te, ſi conſentias, ſi non habeas impedimentum dirimens, &c. & hæc licitè apponi poteſt, imò ſemper imbibitur, alia eſt extrinſeca. Item alia eſt *de re honeſta* ſeu licita, alia de *illicita & turpi*; & hæc iterum alia eſt contra ſubſtantiam vel finem matrimonii, (qui triplex eſt, perpetuitas, bonum prolis, & mutua fides) alia non eſt contra finem vel bonum matrimonii. Contractibus etiam adjici ſolet modus, cauſa, demonſtratio. *Modus* eſt onus contractui adjectum, ad quod poſt contractum perfectum obligare volumus contrahentem, & exprimi ſolet per tò *Ut*, v. g. Duco te, *Ut adferas talem dotem, ut procures mihi officium*, &c. Diſtinguitur à conditione, quòd hæc ſuſpendat valorem actus uſque ad eventum conditionis, modus ſupponit actum validum cum obligatione ad onus adjectum; ſi contrahens nolit valere contractum, niſi impleto onere adjecto, non eſt propriè modus, ſed conditio. *Cauſa* denotat motivum contrahendi. *Demonſtratio* denotat qualitatem, per quam determinatur & demonſtratur perſona, cum qua quis vult contrahere. De his vide *Caſ. 48. à n. 5.*

Rſ. 2. Circa conditiones honeſtas & poſſibiles tenenda ſunt ſequentia: 8.

1. Quamvis certum ſit, matrimonium non minùs quàm alios contractus ſub conditione iniri poſſe, id tamen ob plura incommoda conſultum non eſt, nec Parochi tali matrimonio facilè debent aſſiſtere, aut ſi ex gravi cauſa aſſiſtant, illud conſummare non permittant, donec certò conſtet de conditionis eventu, aliàs enim ſponſi exponent ſe periculo fornicationis, & in affectu reverà fornicabuntur. 2. *Conditio de præterito vel præſenti* non ſuſpendit 9. matrimonii valorem, ſed vel ſtatim reddit validum, ſi conditio exiſtat, vel invalidum, ſi non exiſtat, & ſemel invalidum non reconvaleſcit etiam per ſubſecutam copulam, *S. Bonav. Palud. Covar. Schmaltzgr. tit. 5. n. 22.*

La

*La Croix p. 3. n. 248.* Quia quod absolutè nullum est, non validatur tractu temporis; unde si Cajus cum Caja contrahat sub conditione, si sit nobilis, si honestè vixerit, &c. & Caja promittit se intra quatuor septimanas daturam testimonia nobilitatis & honestæ vitæ, & interim Cajus cum ea matrimonium consummet, & ex pòst audiat testimonia esse falsa, matrimonium non obstante copula erit invalidum, quia non subsistit
10. veritas conditionis. 3. *Conditio necessaria* etiam de futuro non suspendit valorem, sed habetur pro non apposita, *Nav. Schamb. l. 4. tit. 5. n. 9. Kon. ibid. n. 18. Reiffenst. ibid. n. 10.* Ratio est, quia cùm conditio necessaria jam sit determinata in causa & certò eventura, habetur pro existente: intellige si contrahentes sciant conditionem esse necessariam; nam si putent esse contingentem, in eorum intentione erit contingens & suspensiva contractus usque ad eventum conditionis, *Henriq. l. 11. c. 12. n. 4. Sanch. l. 5. d. 2. n. 3.* Idem est, si ex circumstantiis facilè colligatur, quòd conditio non apponatur ut suspensiva, sed ut determinativa temporis, ut si quis dicat: *Contraho tecum, si pater meus morietur*, id est, quando pater meus morietur; etsi enim hæc conditio necessariò futura sit, non tamen propriè conditio, sed temporis designatio est. 4. Conditio *de futuro con-*
11. *tingente possibili & honesto*, v. g. *si pater tuus consentiat, si officium obtinebis*, &c. suspendit valorem usque ad eventum conditionis, & conditione evenire fiunt absoluta, & obligant sine novo consensu, etsi contrahentes id ignorent & dormiant, *Nav. Castropalao pun. 11. §. 8. Bosco d. 11. sect. 8. Vallensis hic n. 2. Pyrrh. n. 23. Sporer n. 227. Reiffenst. n. 16. Krimer hic n. 483.* contra multos. Ratio est, quia alii contractus positâ conditione fiunt absoluti sine novo consensu, nec aliud Ecclesia statuit de matrimonio, & contrahentes permanserunt habiles, & neuter consensus ante eventum conditionis fuit revocatus, ut supponitur; aliàs enim certò esset renovandus, ut per se patet, atque ita habere stylum Curiæ Romanæ testatur *Fagn. in c. super eo de condit. appos.* Sed nunquid in locis, ubi Trid. receptum est, purificatio conditionis intimari debet Parocho & testibus, ut hi de matrimonio jam absolutè valido in foro externo testari possint? Affirmant *Engel. n. 15. Laym. c. 7. Konig. n. 3.* at rectiùs id negant requiri *Nav. Sanch. Bosco sup. Kriger n. 753. Krimer n. 872.* & pro hoc duas decisiones S. Congregationis adducit *Fagn. l. cit.* Ratio est, quia per solum conditionis eventum matrimonium fit absolutum, etsi id Parochus & testes ignorent, sicut matrimonium de præsenti hoc ipso fit absolutum, quòd conditio existat, etsi id ignorent Parochus & testes; sufficiet igitur tunc demum docere de eventu conditionis, cùm valor matrimonii cœperit impugnari. 5. Qui sub conditione 12.
de futuro duxit unam, peccat, si pendente conditione ducat aliam, quia tenetur exspectare eventum conditio-

tionis: valet tamen matrimonium secundum; si duas duxit sub conditione, valet matrimonium illius, cujus conditio primò impletur; si simul implentur, nullum valet, *Sanch. l. 4. d. 8. Sporer n. 182. Zoës. n. 15.* Sed quid si ante eventum conditionis de futuro sponsi se carnaliter cognoscant, an hoc ipso censeantur absolutè consentire, & recessisse à conditione in futurum relata, eámque pro non apposita habere? R. Affirm. si copulam habuerint affectu maritali, quod in dubio præsumitur, *c. de illis c. per tuas de condit. appos.* præsertim in foro externo. Ratio est, quia matrimonium sub conditione de futuro non est absolutè nullum, sed suspensum ad eventum conditionis, & partes conditioni à se positæ renuntiare possunt, & renuntiare censentur per copulam, nisi copula intercesserit ex errore, v. g. Titius duxit Titiam sub conditione, ut doceat de nobilitate, de legitimis natalibus, &c. ipsa si adferat testimonia falsa, & obinde Titius matrimonium consummet, matrimonium erit nullum defectu
13. consensus. 6. Si sponsalibus vel matrimonio apponas conditionem hanc: *Contraho tecum, si patri placuerit*, si conditio est de præterito vel præsenti, statim valet, vel non valet, prout conditio existit vel non existit. Si est de consensu patris futuro, & pater interrogatus taceat, censetur consentire, vel saltem non ægrè ferre, ideóque matrimonium tunc fiet absolutum, *Sylv. Rosell. Lopez. Sanch. l. 5. d. 7. n. 12.* Si dissentiat, matrimonium est nullum, & non fit absolutum, etsi pater ex pòst consentiat, quia per primum dissensum corruit conditio, & uterque altero invito resilire potest, *Sot. Sanch. n. 9. Schmaltzg. n. 52.* 7. Etsi valeant sponsalia inter 14.
impeditos sub conditione: *Si Papa dispenset*, modò impedimentum sit tale, in quo Papa possit & soleat dispensare, ut dixi *Cas. præced. n. 5.* Id tamen valde incertum est de matrimonio sic contracto; valere & secutâ dispensatione fieri absolutum docent *Sanch. Pyrrh. Eng. Bosco l. cit. Reiffenst. n. 25. Dicast. Krimer n. 853. Schmaltzgr. n. 8.* Ratio est, quia talis conditio est honesta & possibilis; Papa enim in tali impedimento ex causa licitè & validè dispensare potest, ut supponitur; & quamvis personæ impeditæ sint inhabiles ad contrahendum absolutè, non tamen ad contrahendum sub conditione dispensationis; econtrà tale matrimonium etiam pòst eventum conditionis non valere, sed requiri novum consensum, docent *Rosell. Sot. Sylv. de Luca, Wagnereck. Avers. q. 5. s. 2. Dian. p. 11. t. 2. r. 7.* ubi plures citat decisiones Rotæ, *La Croix n. 244.* Rationem dant, quia personæ tales sunt inhabiles, & manente impedimento consensus illorum est omninò nullus; ergo ut matrimonium valeat, requiritur sublato impedimento novus consensus, aliàs uterque resilire poterit. Confirmatur, si vir fidelis mulieri infideli dicat: *Contraho tecum matrimonium, ut baptizeris.* Item, si duo fideles dicant: *Inimus matrimonium, si com-*

*si comparuerimus coram Parocho & testibus.* Item si conjugatus dicat innuptæ: Duco te, si uxor mea fuerit mortua, utique nihil faciunt, (quamvis conditio de se sit honesta & possibilis) sed post eventum conditionis requiritur novus consensus: ergo & hîc. Hæc sententia non est minùs probabilis quàm prior: at in dubio standum est pro valore matrimonii jam contracti.

15. 8. Sponsalia vel matrimonium sub conditione: *Si te virginem reperero,* id est, si per inquisitionem in tuam vitam, vel per inspectionem honestarum matronarum talis inventa fueris, conditio erit honesta possibilis: econtrà si sensus sit: Si te in prima copula, vel per propriam inspectionem talem reperero, conditio erit turpis, ac proin de ea ut de turpibus judicandum, *Krimer n. 827. Reiffenst. n. 38.*

16. R. 3. Circa conditionem turpem & impossibilem servanda sunt sequentia: 1. Conditio turpis, aut impossibilis, substantiæ matrimonii non repugnans, in foro externo habetur pro non adjecta: econtrà si repugnet bono matrimonii, (quod triplex est, proles, mutua fidelitas & indissolubilitas) matrimonium reddit nullum, ut si alter alteri dicat: *Contrahо tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te trades, &c. Matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu, licèt aliæ conditiones appositæ, si turpes aut impossibiles fuerint, propter ejus favorem pro non adjectis haberi debeant, c. fin. de condit. appos.* Si itaque ineatur matrimonium sub conditione, ut sibi liceat copula cum alio, est contra substantiam; nam de essentia matrimonii est fides seu obligatio se non commiscendi cum alio. Item contra substantiam est conditio, ut liceat sibi generationem prolis evitare, seminando extra vas, procurando sterilitatem vel abortum, quia est contra bonum prolis; econtrà si ineatur sub conditione: Si mecum fureris, est turpis, sed non contra substantiam, ideoque in foro externo matrimonium censetur validum, & conditio habetur pro non apposita. Notanter dico, *in foro externo;* nam in foro conscientiæ standum est intentioni, quam contrahentes dicunt se habuisse, qualiscunque conditio fuerit adjecta; hinc si contrahentes seriò alligaverint suum consensum conditioni impossibili, matrimonium erit nullum, *Peretz. Pyrrh. hîc n. 18. Engel. n. 12.* Ratio est, quia tunc deficit consensus, quem Ecclesia supplere nequit; item si vel unus contrahentium ignoret conditionem adjectam esse impossibilem, quia tunc consensus conditioni seriò censetur alligatus, ergo illa corruente corruit. Idem est, si unus ignoret conditiones impossibiles in jure haberi pro non adjectis, talis enim non censetur contrahere secundùm jus, (utpote quod ignorat) sed potiùs secundùm naturam conditionis impossibilis, quæ ex se importat dissensum, cùm nemo seriò velle censeatur id, quod cognoscit esse impossibile, *Couv. Sanch.*

17. *l. 5. d. 3. Schmaltzg. à n. 6.* 2. Econtrà quando dubium est, qua intentione conditio turpis vel impossibilis adjecta sit, an serio joco vel ex errore, præsumitur adjecta ex errore vel joco, idcóque habetur pro non adjecta, & matrimonium est validum etiam pro foro conscientiæ, tum quia in dubio præsumendum est pro valore actus, tum quia contrahentes præsumi debent voluisse contrahere secundùm mentem Ecclesiæ, quæ vult tales conditiones haberi pro non adjectis, *Reiffenst. n. 42.* Quod verum est, sive conditio turpis vel impossibilis sit de præterito, præsente, vel futuro, *Krimer. n. 842.* quia est par ratio, & in dubio de intentione adjicientis conditionem conditio explicanda est secundùm leges, modò contrahentes leges istas non ignoraverint, ut dixi suprà. 18. At nunquid sicut matrimonium ita & sponsalia sub conditione impossibili contracta censentur valida, & conditio habetur pro non adjecta? Affirmant *Sot. Palud. Bosco s. 8. Sanch. d. 17.* quia sponsalia sunt via ad matrimonium; at rectiùs negant *Peretz. Zoës. n. 22. Eng. n. 15. Schamb. n. 11.* Ratio est, quia de sponsalibus jus quoad hoc nihil disposuit, & omnia quæ statuuntur de matrimonio, non sunt extendenda ad sponsalia, aliàs enim clandestinitas officeret sponsalibus, imò omnes contractus sub conditione impossibili (excepto matrimonio & ultimis voluntatibus) de jure sunt nulli, *l. non sola, ff. de oblig.* Sponsalia *sub conditione turpi* de futuro non obligant ante impletam conditionem, ut: Ducam te, si mecum forniceris, conditione verò implerâ inducunt obligationem, nisi conditio sit contra bonum matrimonii, *S. Thom. Salmat. Reiffenst. à n. 52. Wiest. n. 40.* Ex dictis

19. Resolves seqq. 1. Si quis in ipso contractu matrimonii addat hanc conditionem: Duco te, si castitatem voveas, si eam mecum perpetuò serves, non valere matrimonium, *S. Thom. in 4. d. 28. q. un. art. 8. ad 3. Bonav. Sotus, Engel. n. 10. Pyrrh. n. 12.* contra *Rebel. Bosco, Krimer n. 805. La Croix n. 228.* & alios. Ratio est, quia hæc conditio etsi sit honesta, repugnat tamen substantiæ matrimonii, talis enim vi contractus daret alteri jus ad corpus, & se obligaret ad reddendum debitum, si alter peteret, & vi ejusdem contractus per appositam conditionem vellet se & compartem obligare ad non reddendum, etsi peteretur, quia vi contractus vellet obligare ad perpetuam castitatem, quod implicat. Confirm. Vel tales conjuges retinent jus ad usum copulæ, vel non? Si retinent, ergo justè & licitè copulâ utuntur, & conditio castitatis frustrà adjicitur; vel non retinent jus ad copulam, ergo eodem instanti illud jus sibi mutuò tradunt, & simul abdicant, quod implicat in terminis. *Si dicas:* Tradi jus remotum ad copulam, & abdicari jus proximum. Contrà est: Non potest explicari, quid sit illud jus proximum. Deinde sicut non potest quis tradere dominium utile agri, quin

quin hoc ipso tradat jus proximum utendi agro; sic nec potest tradi dominium corporum ad usum conjugalem, quin eo ipso tradatur jus proximum utendi copulâ, quod jus tamen simul per appositam conditionem abdicatur. *Dices* 1. Jus ad copulam seu obligatio reddendi debitum non est de substantia matrimonii, quia salvâ ejus substantiâ tolli potest, ut fit, quando alteruter conjugum lapsa est in adulterium. 2. Sponsi contrahere possunt matrimonium cum intentione servandi castitatem, vel ingrediendi religionem, *c. commissum 16. de condit. appos.* ergo id possunt in pactum deducere. 3. Voluntas utendi copulâ non est de essentia matrimonii, sed sola traditio juris ad copulam: ergo simul stare possunt velle habere jus ad copulam, & velle se obligare ad non utendum copulâ: sed hoc fit, si apponatur conditio servandi castitatem. Confirm. Potest tradi dominium directum absque dominio utili: ergo etiam tradi corpora sine jure ad usum conjugii. 4. Conjuges post initum matrimonium possunt se mutuo consensu obligare ad castitatem, ergo etiam in ipso contractu. 5. Duo voto castitatis obstricti validè ineunt matrimonium, etsi neuter petere possit debitum: ergo etiam apponi posset conditio de non petendo debito: quia hæc obligatio supposito voto de jure inest; cur ergo in contractu apponi non posset? Alioquin B. Virgo cum S. Josepho non videtur habuisse matrimonium, quod est contra Evangelium. *Ad* 1. Per adulterium unius conjugis non amittitur jus in copulam, sed solùm suspenditur in pœnam, usque dum alter illam remittat. Ad 2. N. C. cum illa intentione consistit voluntas se obligandi ad reddendum debitum, sicut in Clerico potest esse voluntas vovendi castitatem, & tamen non servandi; at si in ipso contractu addatur conditio: *Servandi castitatem*, vis tibi reservare jus ad non reddendum debitum, & tamen vi ejusdem contractus das alteri jus exigendi. Ad 3. N. C. quia matrimonium essentialiter consistit non in actuali usu, sed in dominio utili, seu jure ad usum; sicut ergo non potest tradi dominium utile agri cum obligatione nunquam illo utendi, ut per se patet, sic nec tradi dominium corporum in ordine ad usum conjugalem cum obligatione justitiæ nunquam utendi. Ad 4. N. C. quia conditio superveniens non vitiat contractum semel validum, etsi ab initio eum invalidâssat, sicut si post contractum emptionis initum ex pòst venditor emptori remittat pretium, subsistit contractus, & qui emit, dicitur illam rem titulo emptionis possidere, *l. pretii 9. cod. de rescind. vend.* Si verò in ipso contractu fuisset apposita conditio, ut emptori redderetur pretium, non fuisset venditio, quæ essentialiter importat obligationem ad tradendum pretium ex una, & mercem ex altera parte. Ad 5. 6. Sicut qui gratis promisit equum pauperi, validè, etsi illicitè eum vendit & tradit alteri, quamvis in ipso contractu non possit

apponere conditionem non tradendi, quia consensus in obligationem tradendi est de substantia venditionis; sic corpora Deo per castitatem promissa validè quidem traduntur in matrimonio, sed non potest apponi conditio non tradendi ad usum, quia consensus in obligationem tradendi est de essentia matrimonii, ideoque B. Virgo & S. Joseph habuerunt verum matrimonium, quia in contractu non apposuerunt conditionem servandi castitatem, sed simpliciter consenserunt in jus petendi & reddendi debitum, quod quia per revelationem sciverunt ab alterutro nunquam petendum, licitè matrimonium contraxerunt.

20. Resolves 2. Valere matrimonium sub conditione, ut liceat intra bimestre matrimonio necdum consummato religionem ingredi, quia hæc conditio inest de jure. At quid de conditione hac: *Si intra tres annos nobis non nascatur proles, ambo obligabimur ad religionem?* R. Non valere; nam quamvis conjugibus consummato etiam matrimonio mutuo consensu religionem ingredi liceat, si tamen ista conditio apponatur in ipso contractu, vitiat substantiam, & tollit perfectam corporum traditionem ad perpetuum usum. Idem est, si contrahatur cum conditione certis diebus, v. g. omni feriâ sextâ abstinendi à copula, non petendi debitum, quia de ratione matrimonii est totalis corporum traditio, ex qua in utroque contrahente dimanet æquale jus petendi & exigendi debitum, *Henriq. Sanch. d. 10. Schmaltzg. à n. 123.* Perinde autem est, sive ejusmodi conditiones verbis exprimantur, sive in mente reserventur cum expressa voluntate aliter se non obligandi quàm sub tali conditione, tollitur enim utrobique consensus in substantiam.

21. Resolves 3. Non valere matrimonium hæreticorum, Calvinistarum, Lutheranorum, qui contrahunt sub expressa iisque prælecta vel in mente reservata conditione: *Ut si sponsa adulteretur sine licentia compartis, vel ad Catholicam religionem convertatur, hoc ipso alteri liceat matrimonium dissolvere, & aliam ducere, Fagn. l. cit. Suar. Lug. Pont. Sanch. d. 12. d. 14. s. 7. Wiest. tit. 19. n. 17. Dicast. d. 2. dub. 4.* Ratio est, quia talis conditio apertè repugnat substantiæ seu indissolubilitati matrimonii, & tollit consensum substantialem, valorémque matrimonii, *c. fin. de cond. appos.* Ideóque sive secuto sive non secuto adulterio, uterque (etiam postquam ad fidem Catholicam sunt reversi) liberè & licitè ad alias nuptias transire poterit; quòd si talis conditio non sit expressè apposita, vel in mente retenta, sed contrahentes ex doctrina suæ sectæ solùm credant matrimonium ex causa adulterii esse dissolubile, an tunc matrimonium contrahatur validè? Majorem habet difficultatem. Negant plures, quia quilibet præsumitur velle contrahere juxta doctrinam suæ sectæ, & non aliter, modò illius sit gnarus: sed secta Lutherana & Calvinistica docent, matrimonia ex causa fornicationis esse dissolubilia: ergo non

non aliter intendunt contrahere, quàm sub conditione solubilitatis: atqui matrimonium sub tali conditione est invalidum, ut jam dictum est: ergo. R. Tales contrahentes habere duas intentiones contrarias: unam generalem, *qua volunt contrahere in vera Christi Ecclesia.* Alteram particularem, *qua volunt contrahere dissolubiliter in casibus à sua secta permissis.* Si prævaleat prima, valet matrimonium; tunc autem prævalet, si ambo contrahentes ita fuerint constituti, ut si sciviſſent, Christum instituisse matrimonium indissolubile, adhuc voluissent contrahere matrimonium, secùs si unus illorum ita non fuerit constitutus, sed potiùs maluisset à matrimonio omninò abstinere, quàm matrimonium ex causa adulterii non dissolvere. Vid. *Cas. 88. n. 16.* Si autem de hoc non cogitaverint, aut dubium sit, an sic vel aliter constituti fuerint, an conditionem repudiandi in causa adulterii contractui apposuerint, vel in mente reservaverint? standum est pro valore matrimonii jam contracti, quod est in possessione: est regula ab omnibus recepta *ex c. fin. de sent. & re jud. Menoch. Gail. cum Schmaltzgr. t. 19. n. 71.* Unde hæreticus ad fidem Catholicam conversus etiam facto per Consistorium Acatholicum ob fornicationem divortio non permittitur transire ad secundas nuptias, nisi probet priorè conjugem esse mortuam, vel se in priori contractu insolubilitatem per appositam conditionem exclusisse, atque ita habet praxis curiarum Ecclesiasticarum.

QUÆR. IV. Quid circa matrimonium contrahendum per absentes? 22.

R. Seqq. 1. Matrimonium inter absentes contrahi potest per procuratorem, per nuntium, per litteras, quibus uterque contrahens coram Parocho & testibus consensum suum explicent. Communis. Ratio est, quòd alii contractus sic fieri possint, ita ut qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum, *reg. jur. 72. in 6.* Sed matrimonium habet rationem contractus: ergo. 2. Procurator debet habere speciale mandatum contrahendi cum certa persona, & alium substituere non potest, nisi hoc sit ei specialiter commissum, *c. fin. de procur. in 6.* 3. Si mandatum ante executionem revocetur à principali etiam merè internè & ignorante procuratore, non valet matrimonium, *d. c. fin.* Et ratio est, quia deest consensus in traditionem corporum, quem nec jus nec Ecclesia supplere potest, etsi sæpè suppleat in aliis contractibus circa res merè temporales, quarum dominium altum est apud Principem vel Rempublicam, corporum verò dominium non habeant; si principalis dissentiat semel, & postea iterum consentiat, antequam procurator mandatum expleverit, valet matrimonium, quia verè adest consensus; idem dicit *Sanch.* si principalis ab initio, quando mittebat procuratorem, fictè consensit, sed ex pòst, quando fit mandati executio, consentiat seriò; at rectiùs *Sporer, La Croix n. 262.* dicunt, non valere; quia cùm constitutio procuratoris 23.

initio

initio fuerit nulla, & ipse ex vi illius agat, agit ex nulla potestate, neque est verus procurator: ergo ejus actus est nullus. Si principalis tempore, quo procurator mandatum exequitur, factus est perpetuò amens, plures dicunt non valere matrimonium; quia sicut mandatum exspirat morte mandantis, ita & videtur exspirare, si fiat furiosus vel amens, *l. qui servum 47. l. si quis 48. ff. de acquir. hæred.* Econtrà *Sanch. Ariag. de Sacr. d. 19. n. 34.* dicunt, valere, sicut valet baptismus & absolutio lapso in amentiam, quia in his sufficit intentio habitualis, nec est paritas de morte & amente, cùm amens maneat aptus generationi, qui est finis matrimonii. 4. Non requiritur, ut mandatum fiat
24. coram Parocho & testibus, sed sufficit, quòd procurator coram Parocho & testibus exprimat consensum sui principalis per hæc vel similia verba: *Titius accipit Cajam mediante me in uxorem, Gutt. de matr. c. 43. n. 13. Castropalao punct. 8. n. 5.* 5. Procurator potest esse diversi sexûs, vel impubes, quia hîc non requiritur certa ætas, sed sola manifestatio consensus coram Parocho & testibus. 6. Matrimonium per procuratorem contractum est verum Sacramentum, quia ponitur materia, forma & intentio Sacramenti, & ratio Sacramenti inter fideles probabiliùs est inseparabilis à contractu, *Bellarm. Pignat. Sperell. hîc decis. 9. n. 23.* Sacramenti tamen Minister non est ipse procurator, sed principales, ideóque in his & non in procuratore requiritur status gratiæ.

QUÆR. V. An & qualiter matrimonium dissolvi possit? 25.

℟. 1. Matrimonium ratum non tantùm quoad thorum & habitationem, sed etiam quoad vinculum tollitur per professionem religiosam, & per dispensationem Papæ, ita ut pars in sæculo manens alteri nubere possit. Prima pars est de fide ex *Trid. sess. 24. c. 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non tolli, anathema sit.* Hinc cuivis conjugum post contractum matrimonium conceditur bimestre, in quo non teneantur reddere debitum, sed possint de ingressu in religionem deliberare, *c. ex publico, de conv. conjug.* At quid si contrahat cum certo animo non consummandi, sed religionem intrandi, an peccabit mortaliter? ℟. Affirm. Si id fiat absque urgente causa, quia comparti causat magnam confusionem, inutiles expensas, & coget eam exspectare, donec profiteatur, vel si redeat, debebit habere maritum exeucullatum, &c. Secundam partem contra *Pont. Herinx, Castropalao, Reiffenst. t. 19. n. 3.* & alios tenent *Nav. Peretz. Suar. Dicast. Sanch. l. 2. d. 14. Laym. c. 5. Cardenas crisi d. 19. n. 157. Gobat t. 10. n. 691. Sporer n. 401. Zoës. t. 19. n. 9. Engel. & Schmalzgr. ibid. n. 45.* ubi refert novem S. Pontifices, qui sic dispensârunt, illos verò omnes in re tam gravi errâsse sine temeritate vix dici potest. *Nec dicas:* Esse tantùm errorem facti, qui etiam in Pontifice admittitur, nam est de honestate & valore dispensatio-

tionis: item de valore & honestate conjugii post ita factam dispensationem cum alio initi, in quibus si erratum est, apertè est error juris; ratio est à priori, quia certum est, Christum suo in terris Vicario potuisse dare potestatem dispensandi in matrimonio rato, sicut dedit potestatem dispensandi in juramento, voto, &c. quæ etiam sunt juris Divini; cùm ergo videamus Ecclesiam hâc potestate per plures Pontifices esse usam, omninò tenendum est eam de facto ei à Christo esse communicatam. Confirmatur 1. Papa dispensare potest in vinculo professionis, quod est fortius, & solvit matrimonium ratum, ita ut hîc valeat regula: *Si vinco vincentem te, à fortiori vinco te.* 2. Ita resolvit specialis Congregatio indicta à Clemente VIII. 16. Julii 1599. teste *Pignat. to. 1. consult. 148. n. 5.* ut tamen Pontifex validè & licitè dispenset, requiritur gravis causa; ratio est, quia juxta omnes ferè Theologos insolubilitas matrimonii est ex jure Divino: atqui in hoc non pro libitu, sed solùm exigente justâ causâ dispensandi potestatem Pontifex accepit, ut cum *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12.* tradunt DD. passim; nam potestas hæc non ad destructionem, sed ad ædificationem concessa est; non tamen requiritur consensus conjugum, quia potestas hæc non dependet ab eorum con- vel dissensu, *Sanch. n. 7.* Causa verò justa est notabilis disparitas in statu, periculum inimicitiarum, cædium, lepra, vel impotentia matrimonio superveniens, si vir eligatur in Episcopum, vel sponsa præsertim regia sine spe liberationis ab hostibus sit intercepta, &c.

℟. 2. Matrimonium fidelium consummatum est omninò indissolubile quoad vinculum, adeò ut nec propter adulterium, ut volunt hæretici, nec ob ullam aliam causam vivente conjuge aliud matrimonium iniri possit, est de fide ex *Trid. sess. 24. c. 7.* & *Matth. 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ratio est, quia per consummationem conjuges fiunt una caro, & perfectè significatur illa indissolubilis unio Christi cum Ecclesia. *Dices:* Matth. 19. ℣. 9. ait Christus: *Quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; ergo à contrario qui dimiserit ob fornicationem, non mœchatur, quia exceptio firmat regulam. ℟. N. C. Christus solùm voluit causâ fornicationis permitti divortium quoad thorum & habitationem, ut colligitur ex alio textu Marc. 10. ℣. 11, *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*, sive ex causa fornicationis, sive ex quacunque, *August. l. 1. de adult. c. 9.* Ut autem matrimonium effectum indissolubilitatis, affinitatis, vel alios inducat, debet esse perfectè consummatum, id est, per copulam aptam ad generationem, ita ut non sufficiat penetratio vasis muliebris, nisi intra vas sequatur seminis effusio, vel saltem semen circa matricem effusum ab ea attrahatur, ut volunt *Lopez. Bodewin. p. 2. c. 19. Avers. q. 17. s. 1.* Nec sufficit copula ante matrimonium facta & ratiha- 26.

habita, quia tunc matrimonium nondum erat: ergo nec poterat consummari. Sed quid de copula primo bimestri vi, in somno vel ebrietate extorta? R. Per illam verè consummari matrimonium, & induci effectum indissolubilitatis & affinitatis ad quartum gradum, cùm ex fornicaria copula solùm extendatur ad secundum gradum. Ratio est, quia sunt veri conjuges, & per illam copulam fiunt una caro non minùs quàm si utrique fuisset voluntaria, *Couv. Barb. Sporer n. 72. n. 4.* Attamen sic oppressa potest adhuc religionem ingredi, *Palud. Laym. La Croix n. 421.* quia ipsa ob alterius crimen non debet privari jure suo; si unus conjux affirmet, alter neget matrimonium esse consummatum, magis credendum est affirmanti quàm neganti, quia standum est pro matrimonio, *Sanch. l. 7. d. 109. Gob. n. 403.*

17. R. 3. Matrimonium infidelium dissolvitur quoad vinculum, si unus convertatur ad fidem, & ducat fidelem, *c. quanto de divortio;* non igitur per solum Baptismum, sed per secundum matrimonium dissolvitur primum, *c. gaudemus eod. & Catholici omnes ex c. 1 ad Cor. 7. Quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater & soror in hujusmodi:* id est, quoad jugum prioris matrimonii; si uterque convertatur & baptizetur, matrimonium consummatum fit omninò indissolubile sicut aliorum fidelium, *Engel. tit. 16. §. 2. Castropalao d. 3. p. 3.*

28. QUÆR. VI. Quid circa divortium, seu circa separationem quoad thorum & habitationem?

R. 1. Hæc separatio fieri potest ex duplici capite: Pietatis scilicet & delicti. Ex causa pietatis se licitè separant conjuges, si ambo mutuo consensu, vel unus de licentia alterius religionem profiteatur, vel S. Ordines suscipiat, quo casu altera pars si juvenis sit, religionem ingredi, vel si sit annosa, continentiam vovere tenetur; ad hoc tamen cogi non poterit, cùm votum debeat esse liberum, *Castropalao, Tamb. tr. 7. c. 4. § 2.* Imò si in periculo incontinentiæ versetur, debebit Episcopus conjugem professum vel ordinatum (non obstante quòd professio vel ordinatio sit valida) uxori reddere periclitanti ad reddendum debitum tantùm; nam petere non poterit ob votum castitatis, & mortuâ vel extra periculum constitutâ uxore ad monasterium vel functiones Ordinis redire tenetur, uti ex jure probant *Pont. Sanch. l. 5. t. 10. Laym. c. 7.* At nunquid uxor liberè consentiens in ordinationem mariti eo mortuo potest saltem validè nubere? R. Negativè, quia Ecclesia eam hoc ipso, quòd liberè consentiat in ordinationem mariti, reddit inhabilem ad matrimonium, *c. feriatim 14. dist. 34. c. quia sunt dist. 28. & Gloss. ibid. Azor. Sanch. Kon. tit. 6. n. 16. Wiest. ibid. n. 19.* Quod locum non habet, si uxor in sæculo manens consenserit in professionem mariti, *Gutt. Castropalao, Avers. q. 15. s. 3. Kon. l. cit. Schmaltzg. t. 6. n. 67.* Ratio est, quia odiosa non de-

debent extendi ad casum in jure non expressum, & mulier consentiens in professionem mariti non voluit se reddere inhabilem ad matrimonium post mortem mariti, nisi & ipsa religionem professa sit. Conjux sine alterius consensu professus vel ordinatus peccavit mortaliter contra jus alterius, & professio est nulla, cùm non habeat potestatem sui corporis, *c. quidam, c. accedens, de conv. conj.* Ordinatus fit irregularis, & in suscepto Ordine nec ministrare, nec ad altiores Ordines promoveri, aut beneficium Ecclesiasticum obtinere potest, sed revocatus tenetur redire, & debitum reddere, *extrav. antiq. de voto.* At nunquid invita conjuge nulliter professus & ab uxore revocatus eâ mortuâ tenebitur ad Monasterium redire? R. Non teneri: non poterit tamen novam ducere, *d. c. quidam,* quia præsumptio est, quòd vovens voluerit se eo modo obligare quo potuit: atqui potuit se obligare ad servandam castitatem mortuâ uxore, hæc tamen præsumptio in foro conscientiæ debet cedere veritati, si reverà (ut assolet) non fuit animus vovendi castitatem, nisi dependenter à religione, *Pont. l. 9. c. 11. Laym. n. 4.*

29. R. 2. Quinque præcipuè sunt delicta vel defectus, ob quæ innocens altero etiam invito divortium facere potest, ut 1. Adulterium, *c. 4. 5. 8. de divort.* 2. Hæresis, multò magis apostasia à fide, idololatria, *c. 6. & 7. eod.* 3. Sollicitatio ad grave peccatum, v. g. latrocinii, veneficii, præposteri concubitus, &c. *S. Thom. in 4. dist. 39. q. un. à n. 6.* 4. Periculum infectionis ex lepra vel alio morbo contagioso. 5. Sævitia unius, frequentes rixæ, odia, jurgia. Communis Doctorum; quia nemo cum tanto incommodo tenetur alteri cohabitare. Separatio quoad thorum potest fieri privatim à parte læsa, separatio tamen quoad habitationem, utpote publica, debet fieri per judicem Ecclesiasticum. Facto semel per judicem perpetuo divortio pars innocens potest quidem, sed non tenetur admittere nocentem, etiam emendatum, sed potest religionem ingredi eâ invitâ, *S. Thom. Bonav. Schamb. n. 12. Reiffenst. n. 97. La Croix n. 488.* Excipe, nisi innocens injuriam expressè vel tacitè per tactus, oscula, copulam post læsionem liberè exercita remiserit, aut simili delicto læsionem compensaverit, DD. cit. At nunquid etiam pars nocens facto divortio perpetuò religionem ingredi poterit? R. Si innocens jam statum mutavit per professionem Religiosam vel S. Ordines, id etiam potest nocens; idem est, si innocens à nocente jam emendato rogatus reconciliari nolit, tunc enim censetur tacitè consentire, ut alter religionem ingredi, vel S. Ordines suscipere possit, *Veracrux, Sanch. l. 10. d. 10. Pyrrh. l. 3. t. 32. n. 73.*

☞ (†) ☜

# CASUS CVI.

## De proclamationibus, benedictione & impedimentis Matrimonii in genere.

TErentius Pastor dubitat: 1. *An proclamandi sint milites, vagi, quale peccatum sit proclamationes omittere, & quid de casu necessitatis.* 2. *An debeant mediare dies feriales, vel an possit proclamatio fieri in die feriali, an repeti, si diu differatur matrimonium.* 3. *An fieri debeant in utraque parochia, quid si unus noviter advenerit, an in exemplis hæreticorum.* 4. *Ex quibus causis possit aut debeat dispensare Episcopus.* 5. *Quid si spectent ad diversas diœceses.* 6. *Quæ sit obligatio impedimenta revelandi.* 7. *Quid si Parocho deferatur impedimentum ab uno, vel de eo sit suspicio aut fama: quid si ob occultum impedimentum repelli non possint sine infamia, & Parochus illud probare non possit.* 8. *Vel illud intelligat in confessione.* 9. *Quid si dispensatum sit pro foro conscientiæ tantùm, & ex post pastori deferatur.* 10. *Quid de benedictione nuptiarum.* 11. *An infideles conversi, hæretici benedici possint.* 12. *Cujus sit statuere impedimenta.* 13. *Quot sint prohibentia.* 14. *Quid de contrahente cum voto castitatis.* 15. *An teneatur ante consummatum matrimonium inire religionem.* 16. *Quid si contraxit cum voto religionis.* 17. *Quid si vovit conditionatè.* 18. *Quæ sint impedimenta dirimentia, an dirimant ignorata & pro omni casu.* 19. *An induci vel abrogari possint per consuetudinem.* 20. *Qualiter peccet, qui contrahit sciens vel dubitans de impedimento.* 21. *Quid si sit ratio gravis vel præsumptio pro impedimento, non verò contrà.* 22. *Quid si sit ratio probabilis pro & contra existentiam impedimenti.* 23. *Quid si Parochus immediatè ante nuptias advertat impedimentum.* 24. *Quid si solùm unus ex sponsis sciat impedimentum.* 25. *Vel uterque ignoret.* 26. *Aut Parochus dubitet, an monitio sit ob- vel profutura.* 27. 28. *Quid de matrimoniis hæreticorum cum impedimento consanguinitatis, affinitatis, &c. apud ipsos non recepto.* 29. *An ejusmodi matrimonia sint licita, & proles inde natæ sint legitimæ.* Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid circa proclamationes?

§. 1. Ex præcepto *Trid. sess. 24. c. 1.* matrimonio præmitti debent tria banna seu proclamationes tribus diebus Dominicis vel festis inter Missarum solemnia, à qua lege non eximuntur milites, vagi, peregrini; antequam tamen proclamentur milites, debent exhibere testimonium Officialium, quòd careant impedimento, vagi & peregrini testimonium sui Ordinarii, quòd sint in statu libero, ut declaravit S. Congregatio Generalis Inquisitionis de Urbe ano 1632. 1.

Plura

Plura de vagis dicam *Casu 110.* 2. Denuntiationes non requiruntur ad valorem, sed tantùm ad licentiam; pastor omittens omnes tres peccat mortaliter, etsi nulla adsit suspicio impedimenti, omittens unam tantùm peccat venialiter, *Sanch. Barb. Pyrrh. tit. 3. n. 27. Schamb. ibid. n. 23.* quia duæ denuntiationes sufficientes sunt ad finem Tridentini; *imò si probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse*, ut loquitur *Trid. l. cit.* & non detur recursus ad Ordinarium, neque prudenter timeatur aliquod impedimentum, potest Parochus matrimonio assistere, & ante consummationem proclamationes supplere: quia præceptum Ecclesiæ non obligat cum tanto incommodo; multò magis poterit Parochus in articulo mortis conjungere concubinarium cum concubina ad legitimandam prolem, si dispensatio in bannis exspectari non possit, *Sanch. Tann. Bosco p. 5. d. 11. s. 10. Schmaltzg. tit. 3. n. 42.* 3. *March. Dicast. Gobat* dicunt, non esse de præcepto, ut proclamationes fiant festis discontinuis, quia *Trid. l. cit.* tantùm requirit, ut *fiant tribus festis diebus continuis*, sed ex communi mens Tridentini est, quòd non debeant alii dies festivi in populo mediare, etsi mediare debeat saltem unus vel alter dies ferialis, ut populus habeat tempus inquirendi & deferendi impedimentum, si quod subsit, idque præcipit Synodus Colonensis anno 1662. de matrim. c. 353. ubi etiam prohibet, ne proclamationes fiant in die feriarum, quamvis adsit magnus populi concursus, quod cæteroquin, præsertim si ita habeat consuetudo, non improbant *Anton. à S. Spiritu, Bosco, Pyrrh. n. 28. Krimer n. 691.* quia obtinetur finis Tridentini, qui est intimatio futuri matrimonii ad majorem partem populi. 4. Si intra quatuor menses post ultimam proclamationem non contrahatur matrimonium, debent proclamationes repeti, & ita declaratum esse testatur *Gallemart. hic c. 1. n. 3.* Quod Rituale Romanum dicit fieri debere, si intra duos menses non contrahatur. 5. Proclamationes fieri debent in Parochia cujusque sponsi, in qua actu habitant; si illuc noviter advenerunt, vel saltem non habitaverint ad sex menses, debent proclamationes fieri in nova & veteri Parochia, & à veteri Parocho adferri testimoniales de non reperto impedimento; famuli, studiosi, aliique fixum domicilium non habentes, ex Decreto Archi-Episcopi Colon. Josephi Clementis inserto Agendæ editæ anno 1720. pag. 189. insuper proclamandi sunt in Parochia originis, vel saltem à Parocho loci ferre debent testimonium libertatis status, jura copulationis verò solis Parochis loci solvenda sunt. Proclamationes etiam fieri possunt in templis hæreticorum, ut fiunt proclamationes aliorum contractuum, ubi ita habet consuetudo, & absit scandalum, *Less. La Croix n. 479.* 6. In bannis dispensare potest Ordinarius, & ejus Vicarius, si adsit justa causa, qualis est, si timeatur injusta

remora matrimonii, sponsorum fornicatio, infamia, scandalum, gravis pudor, ut dum senex ducit juvenem, nobilis ignobilem, valde dives pauperem, vel matrimonium debeat revalidari ob impedimentum occultum, vel instet tempus vetitum Adventus vel Quadragesimæ, aut aliud quodvis incommodum. Communis. 7. Episcopus non tenetur dispensare ex quavis causa, sed quando id exigit necessitas ad evitandum grave malum animæ, corporis, famæ, vel fortunarum proximi, si tunc renuat, & major Prælatus adiri non possit, contrahi potest absque denuntiationibus, quia leges humanæ non ligant cum tanto incommodo, *Sanch. Gutt. Laym. c. 4. Reiffenst. t. 3. n. 39. Krimer n. 689.* 8. Si sponsi spectent ad diversas diœceses, in utraque sunt proclamandi; si alteruter Ordinarius dispenset in proclamationibus, sufficit, ut sine eis possint contrahere in aliena Diœcesi, in qua dispensatum non est, quia verum est dispensâsse Ordinarium, *Barb. Avers. La Croix n. 489.* 9. Non tantùm ipsimet sponsi, si sciant se esse in impedimento sive impediente, sive dirimente, tenentur illud manifestare, sed & omnes notitiam habentes, si id revelare possint sine suo gravi vel innocentis incommodo, quod tenet, etiamsi impedimentum foret occultum, nec possent illud probare, aut scirent sub secreto naturali, vel juratò, quia tale secretum, & juramentum, utpote contra bonum commune & reverentiam Sacramenti, non obligant, *Gutt. Burgh. cent. 2. cas. 108. Reiff. n. 49.* Si tamen impedimentum sit occultum & infame, debet primò occultè moneri impeditus, ut à matrimonio desistat, vel dispensationem petat, ne ejus fama sine causa lædatur; aut si ejusmodi monitio credatur non profutura, vel non possit fieri sine periculo inimicitiarum, immediatè denuntietur Parocho, & ab hoc, si opus est, Episcopo. 10. Si Parocho deferatur impedimentum etiam solùm impediens, velut sponsalia, debet causam referre ad Ordinarium, quia Parochus nullam habet jurisdictionem in foro externo, ideòque nec examen testium instituere, nec eorum juramentum recipere potest: hæc enim sunt actus jurisdictionis externæ. Sufficit verò hîc unus testis fide dignus, etsi non juratus, quia agitur de vitando peccato, & matrimonio nulliter contrahendo, *Gutt. Wiest. tit. 3. n. 15.* si sit aliqualis suspicio, vel mussitatio in populo de impedimento inter contracturos; nam si sit rumor vulgi absque incerto authore, communiter nihil subest; si autem sit communis fama solida, constans & uniformis, de hac informandus est Episcopus; si sit levis, vaga, sibi contraria, nihil probat, *DD. cit. Sperel. decis. 173.* At quid si impedimentum sit Parocho satis certum, at occultum, an poterit matrimonio assistere, si sponsi publicè petant, sicut potest & debet peccatori occulto publicè petenti dare Eucharistiam? R. Non posse, *Gobat t. 9. n. 553. Schmalzg. n. 63.* Ratio est, quia in causa

5.

6.

7.

causa impedimenti Parochus non est judex, sed Episcopus, ad quem causam referre debet; è contra Parochus est Minister ordinarius Eucharistiæ, & ex matrimonio invalidè contracto sequuntur fornicationes aliaque incommoda, quæ non sequuntur ex indigna susceptione Eucharistiæ. Si Parochus impedimentum probare non possit, ideòque ab Episcopo jubeatur sponsos impeditos copulare, non peccat, si id faciat, quia tantùm ex justa causa permittit, ut illicitè & invalidè contrahant. 11. Si Parochus impedimentum intelligat in Confessione, debet pœnitentem monere, ut à contractu desistat, & si renuat, negare absolutionem: si nihilominùs contrahere velit, debet assistere, aliàs frangit sigillum, & confessionem reddit odiosam. Si oblitus est monere in Confessione, non tenetur ex post petere licentiam monendi, saltem si pœnitens ægrè ferret illud, *Sanch. l. 3. d. 15. n. 6.* 12. Si impedimentum sit dispensatum pro foro conscientiæ tantùm, & nemo præter sponsos illud denuntiet, potest procedi ad copulationem, quia impedimentum sublatum est, & res nondum egressa est forum externum. Si autem alius impedimentum denuntiet, jam causa est dilata ad forum externum, ideoque dispensatio cum clausula: *Pro foro conscientiæ tantùm*, ampliùs locum non habet, *Nav. Vega, Schmaltzg. n.66.* Si tamen denuntiator impedimentum deferat secretò paratus tacere, putat *Avers. q. 7. s. 5.* posse procedi ad copulationem, quia causa necdum videtur deducta ad forum externum.

QUÆR. II. Quid circa benedictionem nuptiarum? 10

R. Seqq. 1. Hæc benedictio debet fieri à Parocho proprio sponsi vel sponsæ; eam omittere sine causa solùm est veniale, *Sot. Peretz. Pyrrh. t. 21. n. 11.* quia non satis constat de obligatione gravi; imò si unus ex sponsis jam fuerit benedictus, benedictio absque omni culpa omitti potest, & de jure debet, *c. si vir autem, de secund. nupt.* Dico, de jure, nam consuetudo passim permittit benedicere secundas nuptias, si alteruter anteà non sit benedictus, *Sanch. l. 7. d. 82. n. 23.* Optimè faciet, qui se Agendæ vel Rituali suæ Diœcesis accommodat. 2. Si in prioribus nuptiis uterque sponsus fuerit benedictus, prohibetur iterata benedictio, *d. c. vir autem*, idque verum est, etiamsi primum matrimonium fuerit invalidum, *Palud. Sylv. Sanch. n. 26.* quia benedictio non propriè nuptiis, sed personæ impenditur & cohæret. 3. Si duo infideles convertantur, possunt 11.
benedici, quia nunquam fuerunt benedicti; si unus ex sponsis sit Catholicus, nuptiæ adhuc benedici possunt in gratiam personæ Catholicæ, quæ illo jure privari non debet. *Dices:* Hæreticus est excommunicatus, ergo cum eo non licet communicare in sacris ritibus. R. Pleriqué hæretici in Germania non incurrunt excommunicationem, quia plures sunt tantùm hæretici materiales, tum quia pleriqué non sciunt excommunicatio-

tionem suæ hæresi annexam esse; & dato quòd hæreticus contrahens sit excommunicatus, quia tamen in Germania sunt tolerati, cum iisdem, si petant, post Concilium Constantiense in sacris communicare licet; si uterque sponsus sit Acatholicus, potest quidem Parochus Catholicus (in cujus Parochia habitant) eorum matrimonio assistere, ut dicam *Casu 110. n. 17.* illicitum tamen est illic nuptiis benedicere; nam indigni sunt benedictione Ecclesiastica, qui Ecclesiæ ceremonias damnant, *Tann. Gobat.*

12. QUÆR. III. Quid circa impedimenta matrimonium impedientia?

Rs. 1. Ecclesiam habere potestatem instituendi impedimenta matrimonii impedientia & dirimentia, est de fide contra hæreticos, ex *Trid. sess. 24. c. 3. & 4.* Ratio est clara, quia & personæ fidelium & ipse contractus utpote spiritualis & Sacramentalis est subjectus Ecclesiæ; & quamvis Magistratus & Principes sæculares possint ex justa causa statuere ejusmodi impedimenta pro infidelibus sibi subditis, *S. Thom. in 4. dist. 39. q. un.* id tamen non possunt pro fidelibus subditis; ratio est, quia matrimonium infidelium est contractus merè civilis, circa quos dispensare possunt Principes sæculares; matrimonium verò fidelium est simul Sacramentum, de quo judicare competit soli Ecclesiæ, adeò ut nec ipsi Episcopi impedimenta matrimonii inter fideles statuere possint, Papa sibi hanc potestatem reservante, *Conv. Peretz. d. 21. s. 5. n. 7. Perh. l. 4. tit. 1. à n. 149. Kon. ibid. n. 125.*

2. Impedimenta alia sunt prohibentia, quæ matrimonium reddunt illicitum, alia dirimentia, quæ matrimonium reddunt nullum; primi generis antehac non pauca fuerunt, sed nunc præter statum disgratiæ & excommunicationem solùm sunt quatuor, complexa hoc versu: 13.

*Tempus sacratum, vetitum, sponsalia, votum.*

Per *Tempus sacratum* intelligitur illud, quod currit à media nocte primæ Dominicæ Adventus usque ad Epiphaniam inclusivè, & à Die Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, quo tempore non ipsum matrimonium, (nisi consuetudo vel statutum Diœcesis aliud habeat) sed solæ solemnitates matrimoniales prohibentur, scilicet benedictio sponsorum, deductio solemnis sponsæ ad domum sponsi, solemne convivium, tripudia, &c. *Sanch. Gob. Pign. t. 6. cons. 47. Vetitum* seu interdictum est, quo Ecclesia uni vel pluribus prohibet nubere. *Sponsalia* seu promissio matrimonii alteri validè facta faciunt matrimonium illicitum cum quocunque alio, nisi prior consentiat, aut sit justa causa solvendi sponsalia, de qua dixi *Cas. 104. q. 3.* denique matrimonium illicitum reddit *Votum* castitatis, virginitatis, religionis, suscipiendi S. Ordines, nunquam nubendi, &c. 3. Qui cum voto castitatis absque dispensatione contrahit matrimonium, non tantùm peccat mortaliter contrahendo, sed etiam ex post toties quoties petit debi- 14.

bitum, quia quantum est ex se, debet servare votum; econtrà debitum reddere potest & debet comparti, qui habet jus petendi; posse autem Regulares Mendicantes & cum iis participantes dispensare in obligatione non petendi debitum, dixi *Cas. 71. n. 5.* 4. Plures dicunt, eum, qui
15. castitatem vel S. Ordines vovit, obligari ante matrimonium consummatum intrare religionem, quia sic potest servare votum sine præjudicio sponsæ; at rectiùs id negant *Dian. Sanch. Schmaltzg. t. 6. n. 109.* Ratio est, quia talis non vovit religionem, sed solùm S. Ordines vel castitatem, quam servare non tenetur per medium tam difficile; sicut debitor ex promissione præsertim gratuita non tenetur solvere cum damno valde inæquali, & vovens eleemosynam non tenetur eam solvere cum mutatione sui status. 5. Qui vovit religionem, & ex
16. pòst voti memor vel immemor matrimonium iniit, tenetur matrimonium non consummare, & inire religionem, nisi fortè sponsam antecedenter defloraverit; ratio est, quia adhuc potest exsolvere rem promissam sine injuria sponsæ: ergo ad hoc tenetur; postquam tamen matrimonium consummavit, licitè petit & reddit debitum, quia non vovit castitatem, sed assumere statum, cui castitas annexa est; soluto tamen matrimonio tenetur ingredi religionem, quia cessat impedimentum voti, à quo non erat absolutus, sed impeditus, *S. Thom. Sot. Nav. Sanch. d. 33. n. 16.*
17. 6. Ut vota valeant & impediant matrimonium, debent esse libera ab errore circa substantiam vel motivum principale, & probabiliter à metu injusto saltem gravi, *Rosell. Sanch. Nav. Less. l. 2. de just. c. 4.* V. *Cas. 68. à n. 1.* 7. Si conditionatè vovisti castitatem vel religionem, & conditio non pendeat à tua voluntate, sed à Deo, v. g. vovisti castitatem, si mater intra annum convalescat, teneris exspectare conditionis eventum; si verò conditio sit pœnalis, vel pendeat à voluntate tua, v. g. vovisti castitatem, si adhuc semel te inebries, si intra annum fornicatus fueris, non teneris exspectare, multò minùs procurare conditionis eventum, utpotè peccaminosum, sed potes anno nondum expleto matrimonium contrahere; si tamen intra annum te inebries, teneris voto castitatis etiam post contractum matrimonium per omnia ac si contraxisses post votum castitatis absolutum, quia jam purificata est conditio, & votum conditionatum transiit in absolutum, *Sanch. l. 4. mor. c. 22.* Vide dicta *Cas. 49. à n. 18.* item *Cas. 70. à n. 20.* ubi plura dixi de votis conjugum. 8. Qui vovit religionem, si eam bonâ fide ingressus ex justa causa exeat è Novitiatu, vel dimittatur, satisfecit suo voto, potestque licitè nubere, quia non censetur vovisse professionem, sed ingressum, *Gob. t. 9. n. 101.* Vide *Casum 68. n. 9.*

QUÆR. IV. Quid circa impedimenta dirimentia? 18.

R. Seqq. 1. Dirimentia sunt 15. expressa his versibus:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Affinis, si clandestinus & impos, Si mulier sit rapta loco, nec reddita tuto.*

2. Horum aliqua inducta sunt ex jure naturæ, ut error in persona, impotentia, consanguinitas primi gradus saltem in linea recta, ligamen seu matrimonium actuale cum alia: reliqua sunt de jure Ecclesiæ; omnia hæc dirimunt matrimonium etiam in iis, qui ea invincibiliter ignorant, idque pro omni casu etiam in periculo vel metu mortis, nisi dispensetur; hinc invalidum est matrimonium cum consanguinea vel affine, quamvis ignores tibi esse consanguineam vel affinem, aut etiam contrahas ex urgentissima causa, v. g. ad evitandam gravem infamiam, vel in articulo mortis ad legitimandam prolem. Communis. Ratio est, quòd ignorantia invincibilis excuset quidem à lege prohibente, ne quis peccet, non tamen à lege irritante; neque enim per hoc, quòd ignorem meam inhabilitatem, fio habilis. *Dices:* Præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo, vel saltem cum periculo vitæ. R. Præcepta prohibentia non ita obligant, transeat, inhabilitantia, N. Sic enim has leges interpretatur communis Ecclesiæ praxis, ita ut pro omni casu ligent; quis enim dicet, Sacerdotem ex ulla causa nunc validè contrahere matri-
19. monium? 3. Per consuetudinem induci & abrogari potest impedimentum dirimens, modò consuetudo sit rationabilis & legitimè præscripta, *Suar. Nav. Man. c. 22. n. 8. Sanch. l. 7. d. 4. Sylvius in suppl. q. 50. Peretz s. 6. n. 5. La Croix n. 517. Schmaltzgr. n. 372.* Colligitur ex *c. super eo de cognat. spirit.* ubi an personæ aliquæ conjungi valeant, an secus? Jubetur inquiri consuetudo Ecclesiarum, & generalis regula est ex *c. fin. de consuet.* quòd consuetudine novum jus induci, & antiquum abrogari possit, modò sit rationabilis, hoc est, adversetur legi naturali vel Divinæ, neque plus noceat quàm prosit communi bono, *Pont. Less. Krimer n. 1257.* & sit legitimè præscripta, ad quod sufficiunt decem anni etiam respectu legis Ecclesiasticæ, nec requiritur scientia vel consensus legislatoris nisi legalis, qua scit consuetudinem rationabilem generaliter à legibus approbari, etsi ignoret hîc & nunc agi contra legem, ut dixi *Cas. 5. à n. 14. Dices:* Consuetudo contrahendi matrimonium intra gradus prohibitos seu cum impedimento dicitur corruptela, *c. quod super 5. de consang.* ergo est irrationabilis. R. Cit. Canon intelligitur de consuetudine nondum præscripta, vel quæ inducta est non in bonum commune, sed in contemptum legislatoris, *Castropalao, Gonzal. in c. 1. de spons.* 4. Qui cum im- 20.
pedimento dirimente scienter contrahit, peccat mortaliter, quia agit contra grave præceptum Ecclesiæ, & Sacramentum redditur nullum, sicut si infantem baptizaret in vino, aut consecraret in aceto; excipe, nisi contrahat ex injusto metu. Vid. *Cas. 38. n. 30.* In dubio an existat impedimentum, tenentur Pastor & contrahentes di-

diligenter inquirere; si dubium resolvi non possit, & sit merè negativum, ita ut pro existentia impedimenti non sit ratio gravis momenti, matrimonium licitè contrahi potest, quia libertas est in possessione, nec est prudens timor Sacramentum exponendi nullitati, *Sanch. l. 8. d. 6. n. 18. Rosmer. de act. hum. p. 227. Krimer n. 2436.* 5. Si sit ratio gravis & pro-
21. babilis pro existentia impedimenti, non autem pro ejus carentia, petenda est dispensatio, v. g. dubitatur, an proavus Titii & proavia Caji fuerint frater & soror, eò quòd sciantur fuisse ex eadem villa, & habuisse idem cognomen; si fuerint frater & soror Titius & Caja, erunt consanguinei in quarto gradu; hoc dubium solvi non potest, neque ex memoria, neque ex scientia hominum, neque ex libro Baptismali, ideòque petenda erit dispensatio, vel abstinendum à matrimonio, quia magna est præsumptio pro impedimento, nulla autem ratio pro ejus carentia. Idem est, si pro impedimento sit præsumptio, v. g. habuisti copulam cum sorore sponsæ intra vas, dubitas, an intra vas seminaveris, & contraxeris affinitatem, est præsumptio contra te; solet enim plerumque fieri, & ex plerumque contingentibus prudens est
22. præsumptio. 6. Si sit probabilitas juris pro & contra existentiam impedimenti, & impedimentum sit ab Ecclesia dispensabile, licitè contrahitur matrimonium, v. g. probabile est, quòd non contrahatur cognatio spiritualis cum matre ex Baptismo necessitatis, vel si physicè non attingatur infans; item probabiliter valet, si contrahatur coram Parocho invito, ex metu reverentiali, &c. in his licet contrahere & consummare matrimonium cum matre talis baptizati, coram Parocho invito, cum metu reverentiali, &c. Idem est de similibus opinionibus, (modò non repugnet stilus curiæ) *Sanch. l. 8. d. 8. Gob. t. 10. à n. 732. Burgh. cent. 3. cas. 100. Gormaz à n. 320. La Croix n 42.* Ratio est 1. quia certum est, Ecclesiam tunc supplere & dispensare, si adsit error communis, & consuetudo sic contrahendi, ut dixi *Cas. 99. à n. 5.* Atqui illa adsunt: ergo. 2. Ecclesia in suis tribunalibus sæpè declaravit matrimonia sic contracta esse legitima, quas declarationes de singulis his exemplis affert *Carden. 2. crisi diss. 2. à n. 514.* 3. Alex. VII. teste *La Croix l. cit.* respondit, Missionarios in materia matrimonii posse sequi sententias probabiles Barbaris favorabiles. 4. In *c. laudabili c. fin. de frig. & malef.* statuitur, quòd dubius de potentia naturali possit contrahere: ergo à potiori qui positivè est dubius de impedimento ab Ecclesia dispensabili. Excipe, nisi impedimentum sit in possessione, ut si dubites de morte prioris conjugis; tunc enim adesse deberet certitudo moralis conjugem esse mortuam, ut dicam *Cas. 109.*

QUÆR. V. Quid agendum Parocho vel Confessario, si advertat 23.
ante nuptias impedimentum?

R. 1. Si Parochus advertat aut probabiliter judicet adesse impedimentum

dirimens, & matrimonium differri non possit sine gravi damno, scandalo vel infamia sponsorum, nec tempus permittat petere dispensationem, eò quòd omnia ad nuptias parata sint, potest permittere ut matrimonium contrahant, quantum possunt sub conditione futuræ dispensationis, de qua dixi *Cas. præc. n. 14.* Neque enim tunc simulant Sacramenti administrationem, neque mentiuntur, sed seriò faciunt sub conditione, quod non possunt absolutè; tenentur tamen à copula abstinere, usque dum impetratâ dispensatione matrimonium revalident, *Dian. Gob. t. 9. n. 550.*

24. 2. Si unus ex sponsis solùm novit impedimentum, nec alteri sine infamia manifestari possit, & hic urgeat consummationem matrimonii, prætendendum est privilegium primi bimestris, vel omittendum votum castitatis, usque dum dispensatio ab Ordinario, (quem in hoc & simili casu necessitatis dispensare posse docent *Bonac. Peretz, Barbos. Sanch. l. 2. d. 30. Dian. p. 11. t. 3. n. 30.*) vel Romæ impetrata fuerit.

25. 3. Si uterque contrahens bonâ fide ignoret impedimentum per se quidem, si sit spes fructus, moneri debent, vel maximè si agatur de matrimonio contrahendo post matrimonium nulliter contractum, si periculum sit, ne etiam post monitionem sponsi perrecturi sint in copula, vel timeatur aliud grave malum, teneris tacere, usque dum impetratâ dispensatione matrimonium cures revalidari, quia meliùs est permittere peccatum materiale, quàm dare causam peccati formalis, *c. quia circa de consang.* ubi dicitur: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione videas grave scandalum imminere;* si ipse pœnitens interroget, adhuc poteris dissimulare, quasi non audiisses, si veritatis cognitio ei esset nocitura, quia veritas foret gladius, quo se vel alium sauciaret, *Dicast. Stoz de pœn. l. 2. n. 131.* Vide *Cas. 111. q. 5.*

26. 4. Quando Confessarius dubitat, an monitio sit provel obfutura, si agatur de matrimonio contrahendo, plerumque consultiùs est impedimentum detegere, & suadere, ut dispensationem petat, vel à matrimonio abstineat; si matrimonium sit contractum, inter se conferri debent periculum damni, & spes fructus, illúdque eligi quod præponderat. Quid agere debeat Parochus, si impedimentum ei deferatur ab uno teste, vel de eo sit suspicio, fama, vel illud sciat ex confessione, aut illud sit dispensatum pro foro conscientiæ tantùm, dixi suprà *n. 7.*

27. QUÆR. VI. An valeant matrimonia hæreticorum contracta cum impedimento Ecclesiastico in illorum terris non recepto, v. g. cum impedimento criminis, publicæ honestatis, consanguinitatis & affinitatis in tertio & quarto gradu? De matrimoniis non contractis coram Parocho vel testibus dicam specialiter *Cas. 110.* De matrimoniis hæreticorum, ut ex certis causis liceat repudium, dixi *Cas. præc. n. 21.* Qualiter Catholico liceat ducere hæreticam, dicam *Cas. 108. q. 3.*

27. Matrimonia sic contracta non valere asserunt *Less. Bosco, Gob. t. 9. à n. 41. Schmier p. 3 c. 1. n. 24. Reiffenst. t. 3. n. 142. Krimer n. 1897.* Rationem dant: 1. Hæretici sunt verè subditi Ecclesiæ, ejusque legibus obligantur: ergo illorum conjugia contra legem Ecclesiæ irritantem sunt nulla, sicut nulla sunt, si ejusmodi conjugia ineantur ab orthodoxis. 2. Quamvis apud hæreticos sit consuetudo sic contrahendi, tamen ut illa præscribat contra legem, debet esse rationabilis, & habere consensum Principis; sed hæc consuetudo non est rationabilis, cùm repugnet juri naturali & Divino, utpote inducta non ex fine boni communis, sed in contemptum Ecclesiæ; neque habet consensum Principis, quia præsumi non potest, quòd Pontifex illis tanquam rebellibus in hoc favere velit. 3. Si consuetudo eximat hæreticos à legibus matrimonialibus, ergo etiam ab omnibus aliis legibus Ecclesiæ, quibus constanter contraveniunt, & sic poterunt præscribere subjectionem & obedientiam ad Ecclesiam, quod nemo admittit. 4. S. Congregatio Episcopo Tricarienſi S. Sedis ad Belgas Legato rescripsit inter alia anno 1605. 19. Jan. non valere matrimonia absque Catholico Pastore & testibus contracta in locis, ubi Tridentinum est promulgatum: ergo à pari nulla erunt matrimonia contra alias Ecclesiæ leges irritantes inita.

28. Econtrà prædicta matrimonia valere tenent *March. Tribun. tom. 3. tr. 1. tit. 6. concl. 4. Bonagratia qq. reg. de matr. hæret. §. 8. Mais. de matr. n. 67. Stalenus p. 1 q. 3. p. 2. c. 4.* favéntque teste *Gobat loc. cit. Tann. Dicast. Laym.* & probabilem dicit *Wiest. tit. 1. n. 200. Schmaltzg. n. 379.* Ratio est, quia impedimenta matrimonii possunt consuetudine abrogari, modò consuetudo sit præscripta & rationabilis, & non desit consensus Principis, ut dixi *Casu præced. n. 19.* atque hæc omnia adsunt; nam 1. est præscripta, & ultra centum annos continuata. 2. Est rationabilis, quia omninò expediens est pro bono communi, ut lex irritans post contrarium tot annorum usum cesset; ejus enim observatio inveheret multa incommoda & perturbationes pacis Catholicos inter & heterodoxos; nam oportebit dicere, quòd nati è talibus conjugiis sint illegitimi, & tales conjuges conversi possent ab invicem separari, & ad alias nuptias transire, quod est contra sensum & praxin Ecclesiæ, quæ eorum filios conversos absque dispensatione super natalibus ad Ordines admittit. Unde 3. adest consensus Ecclesiæ, quæ scit ita contrahi, & tamen teste *Verjus & Gobat n. 464.* ab anno 1603. vel 1605. non contradici, & ab Episcopo Castorienſi Vicario per Hollandiam apud *La Croix n. 768.* super valorem ejusmodi matrimoniorum interpellata anno 1671. respondit: *Non convenire, ut quæstio illa à S. Officio definiatur, verùm statueret ipse, quid animarum sibi creditarum saluti crederet maximè expedire.* Hæc sententia non est minùs probabilis quàm prima, cujus argumenta sat aptè solvuntur,

dicendo ad 1. Hæreticos obligari legibus Ecclesiæ, quamdiu usu contrario non sunt abrogatæ. Ad 2. Quamvis hæretici primitùs mala fide contra legem agendo consuetudinem istam induxerint, ipsa tamen consuetudo jam inducta conducit ad bonum commune & pacem publicam, ideóque est rationabilis, nec requiritur in operantibus contra legem bona fides, ut dixi *Cas. 5. n. 14.* Ad 3. N.C. Nam Ecclesia potest consentire, ut hæc vel illa lex à se statuta per contrariam consuetudinem abrogetur, & reverà ita præsumitur consentire in consuetudinem contra leges connubiales ob rationes allatas; econtrà Ecclesia nec vult nec potest consentire, ut hæreticus non maneat subditus Ecclesiæ, seu totaliter ab ejus obedientia absolvatur, quia illa subjectio est ex jure Divino & naturali, & ideo contra illam nulla valet præscriptio, *c. cùm non de præscript.* Ad 4. N. Ass. Consuetudo locum non habet, ubi deest omnis consensus Superioris, hîc autem deest quoad matrimonia apostatarum, monialium vel Sacerdotum, quia Ecclesia contradicit, & semper, quando potest, eos separat à sacrilego connubio, quod non facit cum hæreticis. Relata declaratio autem, etiamsi in forma authenticè exhiberetur, plus non evincit, quàm quòd decreto Tridentini obligentur etiam hæretici in provinciis, in quibus illud est publicatum, non verò probatur, quòd per illud consuetudini legitimè præscriptæ adempta sit vis derogandi huic aut aliis sanctionibus Canonicis. Ex his

29. Sequitur 1. Non esse licitum sic contrahere, suadere aut cooperari matrimonio sic contrahendo, quia sententia negans ejusmodi matrimonia valere est probabilis & magis tuta, & agitur de valore Sacramenti, & stylus Curiæ Rom. teste *La Croix n. 769.* est contrarius: Ergo. Si autem matrimonium sit contractum, conjuges etiam conversi non debent separari, quia probabile est matrimonium valere, & in dubio standum est pro valore matrimonii contracti; tutiùs tamen erit obtentâ dispensatione tale matrimonium coram Parocho & testibus renovare, ne se exponant periculo fornicationis materialis. Sequitur 2. Proles hæreticorum ex ejusmodi matrimonio natas & conversas etiam apud Catholicos habendas esse pro legitimis saltem quoad effectus civiles, v. g. ad missionem quoad Comitia, ad Ordines Equestres & Religiosos, ad successionem in jura & bona paterna, tum quia in dubio standum est pro legitimitate prolis: tum quia conversi ad veram fidem non debent esse pejoris conditionis, quàm non conversi, qui in foro externo per omnia habentur legitimi, & ita habet praxis Dicasteriorum; idem est, si matrimonium hæreticorum ex causa adulterii dissolvatur, & aliud vivente priore conjuge ineatur, proles ex secundo thoro natæ habentur legitimæ, *Capus. de matr. c. 2. n 14. Roland. Cavallos hic q. 697.* Et in Instrumento

Pacis

Pacis Monasterienſis expreſſis verbis cautum eſt, ne cui fraudi ſit ac damno una ex tribus Religionibus, Catholica, Lutherana, Calviniſtica, ſed eſſet fraudi & damno, ſi qui ſecundùm unam religionem legitimi reputantur, ab alia propter illegitimitatem à Comitiis excluderentur, & ita reſolvit Facultas Theologica Colon. & Trevirenſis apud *La Croix l. cit.*

# CASUS CVII.

## De impedimento erroris, conditionis, voti, cognationis, affinitatis.

*Baldus vult ſolvi à Titia uxore: 1. Quia eam non reperit virginem. 2. Quia petiit eam, quam viderat in horto. 3. Quam amicus retulit eſſe pulchram, & data eſt alia. 4. Petiit filiam Petri, & data eſt filia Pauli. 5. Non cogitabat ducere uxorem, ſed quia hæc ſe finxit divitem, ideo eam duxit. 6. Putavit matrimonium eſſe ſolubile, vel non obligare ad debitum conjugale. 7. 8. Putavit ipſam eſſe liberam, cùm tamen ſit mancipium, ſicut & ipſe dominus non conſenſit. 9. Ipſa dicitur fuiſſe monialis, vel voto obſtricta. 10. 11. Ipſe ante pubertatem vel ex metu fuit ordinatus. 12. Suſcepit ejus prolem, ſed neſcius eam eſſe Titiæ, vel ſe exinde contrahere cognationem ſpiritualem. 13. Non fuit ad hoc deſignatus. 14. Baptizavit propriam prolem. 15. Fuit adoptatus à patre Titiæ. 16. 17. Titia dicitur eſſe ipſi conſanguinea. 18. 19. 20. 21. Affinis affinitate contractà ante Baptiſmum.* Pro Reſolut.

1. QUÆR. 1. Quid circa impedimentum erroris?

℟. 1. Error poteſt eſſe vel *circa perſonam*, ut dum putatur eſſe Titia, & eſt Caja; vel *circa qualitatem perſonæ*, quando putatur virgo, nobilis, dives eſſe, cùm ſit corrupta, ignobilis, pauper; uterque vel eſt *antecedens*, qui dat cauſam contractui, ita ut eo non exiſtente contractus non fieret; vel eſt *concomitans*, qui non inducit ad contrahendum, ſed ita comitatur actum, ut eo non exiſtente adhuc fieret. ℟. 2. Certum eſt, quòd *error in perſonam* matrimonium reddat invalidum, ut cùm putas te contrahere cum Caja, & contrahis cum Titia, *c. tua nos, de ſponſ.* Ratio eſt, quia talis error tollit conſenſum circa hanc perſonam, qui eſt de eſſentia matrimonii; quod enim non eſt cognitum, non poteſt eſſe volitum. Nec obſtat, quòd hic error ſolùm ſit concomitans, & fortè maluiſſet contrahere cum Titia, ſi ſciviſſet hanc eſſe, nam conſenſit in ſolam Cajam; & ex iſta comparatione animi ſolùm ſequitur, quòd fuiſſet conſenſurus in Titiam, ſi ſciviſſet eam eſſe, non autem quòd de facto conſen-

senserit in Titiam, quam ignorabat. Dices 1. Gen. 29. Jacobo loco Rachaëlis substituebatur Lia, & tamen valuit matrimonium. 2. Isaac validè benedixit Jacob, putans esse Esau. 3. Valet Baptismus & absolutio data Petro, quæ putabatur dari Paulo. R. ad 1. N. Ass. Nam matrimonium Jacob ab initio erat nullum, usque dum à Jacob fuit renovatum. Ad 2. Benedictio ex Divina voluntate cadebat in personam præsentem, qualiscunque illa esset. Ad 3. N. conseq. Intentio baptizantis & absolventis debet ferri in præsentem, qualiscunque ille sit; quòd si nubens etiam intendat ducere personam quamcunque sibi præsentem, valet matrimonium, sive sit Caja, sive Titia.

2. R. 3. Error circa qualitatem non invalidat matrimonium, nisi qualitas redundet in substantiam; hoc autem tripliciter fieri potest: 1. Si qualitas designet personam, ut si dicas: Peto ex filiabus tuis istam, quam ante mensem vidi in horto, si tum substituatur alia, matrimonium est nullum. 2. Si qualitas in ipso contractu invel externè apponatur tanquam conditio sine qua non, vel tanquam finis principaliter intentus, ita ut adsit actualis vel virtualis voluntas non contrahendi, nisi adsit talis conditio vel qualitas. Ita quoad rem omnes. Ratio est, quia tunc consensus alligatur tali qualitati vel conditioni, ita ut non existente illâ etiam non existat consensus in matrimonium; si qualitas modo explicato non redundet in substantiam, error vel etiam dolus circa qualitatem non obest valori, quamvis sit antecedens, & det causam contractui, ita ut matrimonium non fuisset initum, si sciviſſet illam qualitatem non adesse, quia de facto simpliciter contraxit, & in contractu non attenditur id, quod quis feciſſet vel voluiſſet in aliis circumstantiis, sed ad id quod de facto fecit vel voluit; voluit autem personam, quam de facto habet coram se, & ita si talis contractus esset irritus, nullum ferè valeret matrimonium, quia quilibet putat se contrahere cum persona virtuosa, honesta, divite, nobili, &c. cùm tamen in uno horum plerumque erretur, *Sanch. l. 7. d. 18. Bosco p. 5. d. 11. s. 7. Sporer c. 1. n. 5. Eng. tit. 1. §. 4. Schmaltzg. ibid. n. 447.* Ex dictis

Resolves Casus sequentes: 1. Titius petiit filiam natu-minorem à patre, quam viderat esse pulchram; pater negat illam, sed offert natu-majorem, quæ formosa non erat; Titius jubet per amicum videri hanc & sibi referri, cujus formæ sit natu-major, pater amico ostendit natu-minorem, dicens esse natu-majorem, hinc amicus deceptus nuntiat Titio natu-majorem esse pulchram, & ideo Titius per procuratorem init cum ea matrimonium, quæritur, an validè? Affirmant *Sanch. l. 8. d. 18. n. 35.* distinguit *La Croix*; at rectiùs simpliciter negant *Pontius, Tamb.* cum *Sporer n. 8.* quia qualitas hîc designat personam; nam Titius solùm voluit illam, quam amicus viderat esse pulchram, & pulchritudo fuit conditio sine qua non, 3.

vel

vel saltem motivum principale, quod patet ex eo, quia nec determinatè voluit natu-majorem, nec natu-
4. minorem, sed pulchram. 2. Si quis petat unam ex filiabus Petri, & substituatur filia Pauli, non valet matrimonium, *Schmaltzg. l. cit.* quia licèt consensus contrahentis non fuerit determinatus ad certam filiam Petri, fuit tamen determinatus ad aliquam ex illis, cum exclusione aliarum, quæ
5. Petri non sunt. 3. Aliquis non cogitabat ducere uxorem, sed quia audit Bertham esse nobilem, eam ducit, ut fiat affinis nobilium; si Bertha non sit nobilis, matrimonium est irritum defectu consensus, cujus finis & objectum simpliciter motivum erat nobilitas, quæ non existit; deficiente autem fine & motivo deficit consensus. 4. Si dicas: Volo & duco hanc præsentem, quam puto esse primogenitam, valet matrimonium, etsi non sit primogenita; econtrà non valet, si dicas: Volo primogenitam, quam puto esse hanc præsentem, *Sanch. Tamb. Sporer n. 7. La Croix n. 554.* Ratio est, quia in primo casu consensus directè fertur in personam præsentem, & indirectè solùm in qualitatem: ergo qualitate non existente adhuc valet consensus: contrarium est in casu secundo. 5. Si
6. virgo nihil scivit de commixtione corporum inter conjuges, validè contraxit, etsi commixtionem abhorreat, quia habuit intentionem generalem faciendi, quod alii contrahentes; similiter valet, si quis credat, matrimonium ex certis causis esse solubile, modò solubilitatem contractui non apponat tanquam conditionem sine qua non, de quo vide *Cas. 105. n. 21.* An validè contrahat, qui falsò credit adesse impedimentum dirimens, dixi *Cas. eod. n. 5.*

QUÆR. II. Quid circa impedimentum conditionis?

℟. 1. Per *Conditionem* hîc intelligitur stricta servitus, quæ quatuor modis inducitur, jure belli, captivitate, 7.
emptione, condemnatione; conditio servitutis ignorata à persona libera dirimit matrimonium, etiamsi ignorantia sit crassa; secùs si liber scienter cum serva contrahat, *c. si quis ingenuus, c. 2. c. fin. de conj. serv.* At quid si persona libera cognitâ ex pòst alterius servitute velit stare matrimonium, an servus possit resilire? ℟. Posse, si aliud damnum secutum non sit, quia matrimonium fuit omninò nullum, *Sanch. l. 4. d. 15. n. 5.* 2. Valet matrimonium servum inter & servam, imò & per se licitum est etiam invitis dominis, quia contrahens utitur jure suo, *S. Th. in 4. dist. 36. q. un. Wiest. tit. 9. n. 6. Reiffenst. n. 6.* Sæpè tamen consuetudo vel pacta habent, ut servus inscio vel invito domino contrahens non gaudeat certis beneficiis vel privilegiis à domino habitis. 3. Valet matrimonium, quod liber contrahit cum libera, quam erroneè putat esse servam, aut servus cum ancilla, quam putat esse liberam, vel servus cum libera, quam putat esse ancillam, *Wiest. n. 9. Reiffenst. n. 10. Schmaltzg. n. 23.* Ratio est, quia

non erratur in substantia, & Ecclesia solùm irritat matrimonium liberi
8. ignorantis servitutem alterius. 4. Si servus intra breve tempus, v. g. sex menses, erat futurus liber, *Sanch. l.7. d.19.* dicit, valere matrimonium; at rectiùs negant *Sylv. Angel. La Croix n.563.* quia si liber hoc resciret, posset matrimonium suum habere pro nullo, ergo verè nullum erat; qui ad tempus tantùm est liber, postea in servitutem relapsurus, contrahit invalidè, quia ei adhuc incumbit servitus, quæ ignoratur ab altero, *Sot. Averf. q.12. sect.2.* 5. Si dominus servam collocet in matrimonio cum libero ignorante servitutem, valet matrimonium, quia hoc ipso servo dedit libertatem; idem est, si dominus conscius studio taceat, *auth. de nupt. § si verò, Sanch. Guttier. c.91. Castropulao d.4. p.5. §.3.* Econtrà si liber sit conscius servitutis, dominus etsi in matrimonium consentiat, non censetur mancipio tradere libertatem, sed solùm consensisse salvo suo jure, *Gutt. l.cit. Schmaltzg. n.33.* quia d. authentica expressè loquitur, si liber sit inscius servitutis. 6. An error conditionis servilis matrimonium dirimat ex jure naturæ, ut volunt *Scot. Sylv. Reiffenst. n.3.* vel ex solo jure Ecclesiastico, ut sentiunt plerique cum *D. Thom. Bonav.* parum facit ad praxin; benè distinguunt *Pont. Peretz d.25. n.4. Wiest. n.11.* Si liber cum serva contrahat cum hac expressa conditione & intentione: *Si sis libera*, matrimonium erit jure naturæ nullum defectu consensus, secùs ex solo jure Ecclesiastico.

QUÆR. III. Quid de voto? 9.

Rr. 1. Per votum dirimens matrimonium intelligitur solemne castitatis annexùm majoribus Ordinibus & professioni Religiosæ, cum hac tamen distinctione, quòd S. Ordines tantùm dirimant matrimonium contrahendum, professio Religiosa autem etiam contractum ratum, *Trid. sess.24.* Qualiter vota simplicia castitatis, Religionis, &c. matrimonium reddant illicitum, dixi *Cas. præced. à n.14.* Qualiter dirimant sponsalia, dixi *Cas.104. à n.19.* 2. Ordinatus ante 10.
usum rationis non tenetur abstinere à matrimonio, sicut & ille qui omninò ignoravit votum castitatis S. Ordinibus esse annexum; tenetur tamen ante pubertatem ordinatus, ut dixi *Cas.103. n.8.* Sed quid de coacto ad S. Ordines per injustum & gravem metum? (ut non rarò contingit in filiis-familias.) Talem non obligari ad castitatem nec ad Horas, sed licitè & validè matrimonium inire posse, nisi votum expressè vel tacitè, v. g. liberè exercendo actum Ordinis, ratificaverit, docent *Barbos. Zoës. Sanch. d.29. Averf. s.8. Pyrrh. l.4. tit.6. & ibid. Reiffenst. n.9. Krimer. n.964.* quia Deus tale votum non acceptat, & Ecclesia declarat irritum, *c. perlatum, c. dilectus, de his quæ vi metusve, c. licet 6. de voto*, & jus universaliter pro irritis habet ea, quæ ex gravi metu fiunt, & ope judicis ordinarii facilè reparari, & in pristinum statum restitui non possunt, ut patet in matrimonio & solemni professione; hæc sententia est valde probabilis, & in praxi tuta;

at

at non minùs probabile videtur talem obligari ad castitatem, & abstinere à matrimonio, *Palud. Sylv. Gutt. Pont. l. 7. c. 29. Dian. to. 2. l. 4. r. 193. La Croix n. 575. Schmaltzgr. n. 23.* Probatur ex Conc. Tolet. VIII. quod metu ordinatos arcet à matrimonio, nisi dispensationem impetrent; & ratio est, quia metus relinquit actum simpliciter voluntarium: ergo tale votum de jure naturæ valet, & jure positivo nullibi irritatum; nam Canones allegati solùm loquuntur de professione religiosa, in qua ob majorem status difficultatem jura majorem requirunt libertatem. Confirm. Alii contractus & juramentum metu initum valet & obligat, usque dum dispensetur: ergo & votum S. Ordinibus annexum. 3. An conjux cum vel sine licentia conjugis vel facto divortio S. Ordines suscipere aut religionem profiteri possit. Item an uxor consentiens in ordinationem mariti illo mortuo iterum validè nubere queat, dixi *Cas. 105. à n. 28.* Qualiter invalidè professus ad sæculum redire & nubere possit, colligitur ex dictis *Cas. 63. q. 5.* 4. S. Ordines ex
11. solo jure Ecclesiæ, non verò ex jure naturæ vel Divino matrimonium dirimunt, est communis cum *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Scot. in 4. dist. 37. q. un. Pyrrh. n. 6.* Ratio est, quia Ordo de se stare potest cum matrimonio, ut patet in Ecclesia Græca, imò & Latina, si uxore adulterante vel consentiente maritus Ordines suscipiat, & Deus nullibi tale matrimonium irritum declaravit. Major est difficultas de professione religiosa: hanc dirimere matrimonium contrahendum ex jure naturæ docent *Henriq. Sot. & Thomistæ communiter*, quibus favet *S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. & S. Bonav. ibid.* quia res per professionem Deo tradita non potest tradi homini, sicut res vendita & tradita Petro nec validè nec licitè potest tradi Paulo; econtrà hanc vim inesse professioni ex solo jure Ecclesiastico probabiliùs docet *Scot. cum suis in 4. d. 31. & 42. Mastrius Pont. Peretz, Sporer n. 41. Suar. Vasq. Couvarr.* & plurimi apud *Sanch. l. 7. d. 27. n. 4. La Croix n. 583. Schmaltzg. n. 48.* Ratio est 1. quia professio religionis non importat nisi obligationem religionis ad castitatem, &c. at obligatio religionis ad castitatem potest stare cum obligatione justitiæ ad debitum conjugale, ut patet in eo, qui cum voto simplici contrahit matrimonium: ergo. 2. Illa vis non inest professioni, quatenus est votum, aliàs etiam inesset voto simplici; neque inest, ut est votum solemne, quia solemnitas est ex solo jure Ecclesiastico, *c. unico, de votis in 6.* & illa solemnitas vix aliud importat quàm vim dirimendi matrimonium; neque illa vis inest professioni, quatenus est traditio; nam votum simplex in Societate JESU, item votum simplex uxoris consentientis in ordinationem mariti invalidat matrimonium, & tamen hæc non continent talem traditionem; deinde votum solemne ideo est actualis traditio, quia abdicat à se jus utendi corpore; sed etiam votum simplex abdicat illud jus: ergo.

3. Olim professio religiosa non dirimebat matrimonium subsequens, ut claret *ex Can. si qua virgo, c. quotquot, c. virgines cauſ. 27. q. 1.* ubi virginibus sacris nubentibus pœna statuitur, at non jubentur à nuptiis separari. 4. In jure naturæ directè non potest dispensare Papa, at potest dispensare, ut professus contrahat matrimonium, ut docet communis apud *Sanch. l. 8. d. 8. n. 6.* Et reverà sic dispensatum est cum Caisimiro Rege Aragonum, cum Nicolao Justiniano Veneto, cum Constantia Moniali Siciliæ Regis filia, cum Casimiro Rege Poloniæ; & certè si Ecclesia votis istis possit addere solemnitatem, cur non tollere ad eum modo, quo locus aliquis ex voluntate Ecclesiæ potest fieri sacer, & ex ejusdem voluntate iterum profanus?

12. QUÆR. IV. Quid de impedimento cognationis?

℟. 1. Cognatio est triplex, spiritualis, legalis, carnalis. Circa *Cognationem spiritualem* tenenda sunt sequentia: 1. Cognatio hæc oritur ex Sacramento Baptismi & Confirmationis inter baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantùm, *Trid. sess. 24. c. 2. & tit. tot. de cognat. spirit.* Itaque cognationem spiritualem contrahit baptizans (idem est de confirmante) cum baptizato & ejus parentibus; item patrini cum iisdem, non autem inter se, aut cum baptizante. 2. Patrinus debet esse rationis compos; quia qui usu rationis caret, nec fidejubere pro baptizato valet, nec obire munus instructoris, *Nav. Coning. Pyrrh. tit. 11. n. 34.* Item patrinus Baptismi debet esse baptizatus, Confirmationis confirmatus, *c. in Baptismate 102. dist. 4. de consecr.* Item debet per se vel per suum procuratorem physicè tangere infantem, idque animo obeundi munus patrini, seu exercendi actum ab Ecclesia institutum, etsi ignoret huic actui cognationem spiritualem esse annexam, si unum horum desit, non contrahitur cognatio, *Sanch. Tamb. Reiffenst. tit. 11. à n. 25.* At quid si per errorem leves filium Titiæ, putans esse filium Cajæ? Te adhuc contrahere cognationem spiritualem, pro certo habet *La Croix n. 598.* At meliùs id negant *Laym. hîc c. 8. n. 6. Pyrrh. n. 39. Sporer n. 53. Schmalzgr. t. 11. n. 83.* Nisi fortè velit tenere hunc, cujuscunque sit; ratio est, quia non habuit animum munus exercendi patrinum respectu hujus infantis. *Dices:* Impedimenta etiam incurruntur ab ignorante, & cum errore facti. ℟. Incurruntur, si exerceatur actus cui annectuntur C. secùs N. Actus cui annectitur cognatio spiritualis, est tenere infantem cum animo exercendi munus patrini, quod hîc non fit. 3. Debet adhiberi & à parentibus vel in eorum defectu à Parocho designari unus tantùm patrinus, vel una, aut unus & una; si se ingerat non designatus, cognationem non contrahit, *Trid. loc. cit.* Si plures sint designati, contrahit cognationem vir & fœmina primò tangens infantem, qui sequuntur, inveniunt mi- 13.

niste-

nisterium patrini jam exhibitum; si simul plures designati tangant, omnes probabiliùs contrahunt cognationem, *Nav. Schmaltzg. n. 87.* ubi ex *Fagn.* citat declarationem S. Congregationis. Ratio est, quia in omnibus designatis & admissis à Parocho inveniuntur conditiones ad cognationem spiritualem requisitæ; ne tamen id contingat, erit Parochi admittere solùm unum & unam, & reliquos
14. scribere ut testes. 4. Baptizans propriam prolem in necessitate contrahit cognationem spiritualem cum matre in tantum, ut impediatur à matrimonio contrahendo, non ab usu contracti, seu petitione debiti, etiamsi id faciat ex malitia, v. g. Parocho præsente, vel alio sciente & volente baptizare, *c. de eo 5. caus. 30. c. si vir 2. de cognat. spirit.* ubi de talibus conjugibus ex malitia prolem suam baptizantibus dicitur: *Non sunt ab invicem separandi, nec alteri debitum subtrahere debent*; Canones contrarii sunt antiquati, & jure novo temperati, *Suar. Peretz. Wiest. t. 11. n. 25. Reiff. n. 30.* 5. Baptizans in necessitate contrahit cognationem spiritualem, non verò patrini, quia baptizans eam contrahit ratione Sacramenti, quod in necessitate æquè valet, quàm extrà; patrini verò ratione ceremoniarum, quæ solùm institutæ sunt pro Baptismo solemni, *Sot. Gutt. Spor. n. 89.*

15. Nr. 2. Cognatio legalis oritur ex sola arrogatione seu adoptione perfecta, qua persona extranea, & sui juris authoritate Principis assumpta in filium vel nepotem transit in potestatem & familiam alterius, ita ut non tantùm ab intestato, sed etiam tanquam hæres necessarius ex testamento in quartam partem bonorum succedat, non autem ex adoptione imperfecta, qua persona extranea, quæ necdum est sui juris, sed sub potestate patris, assumitur in filium, & tanquam hæres ab intestato, non verò tanquam hæres necessarius ex testamento, *Sylv. Wex. Zoës. tit. 12. n. 2. Engel. Schamb. Pyrrh. ibid. n. 4. La Croix n. 588. Krimer. n. 1121. Schmaltzg. n. 19.* contra *Ang. Couv. Scot. Palud. Reiffenst. n. 10. &c.* Ratio est, quia jura solùm loquuntur de adoptione simpliciter, & sine addito, quo nomine venit sola perfecta, & matrimonium est res valde favorabilis: ergo jura illud irritantia (quando eorum sensus est ambiguus) restringi potiùs, quàm extendi debent, *Reg. 15. in 6.* Hæc cognatio dirimit matrimonium jure civili & Ecclesiastico inter omnes personas, quas afficit, quales sunt in linea quasi recta adoptans ejúsque ascendentes respectu adoptati, & ejus descendentes, qui nati sunt tempore adoptionis, idque in perpetuum, vel ut alii volunt, usque ad quartum solùm gradum; hæc cognatio lineæ rectæ manet etiam post adoptionem, seu mortuo adoptante, vel secutâ emancipatione. Affinitas legalis reperitur inter adoptantem & uxorem adoptati, & econtra inter adoptatum & uxorem adoptantis, durátque etiam in perpetuum. In linea transversa hæc cognatio tanquam frater-

nitas est inter liberos legitimos adoptantis & adoptatum, quamdiu durat adoptatio, non verò inter liberos adoptantis & adoptati, aut filium & filiam adoptatam. Attamen ut adoptatio dirimat matrimonium, debent adesse omnes juris solemnitates, v.g. authoritas Principis, cognitio causæ, si adoptandus sit impubes, item ut adoptans sit 18. annis major adoptato, & reliqua, quæ præscribuntur §. *cùm autem 3. instit. de adopt. l. 2. & fin. C. eod.* *Unio prolium*, Germanicè Einkindschafft / oder / Erb-Verbrüderung / quamvis sit species adoptionis, ejúsque solemnitates requirat, teste *Gail.* tamen matrimonium non impedit, quia impedimenta utpote odiosa non sunt extendenda ad casum jure non expressum, *Eng. l. cit.*

16. Nr. 3. Circa cognationem carnalem seu consanguinitatem tenenda sunt sequentia: 1. *Cognatio carnalis* est propinquitas personarum ex eodem propinquo stipite, seu communi patre descendentium, *S. Thom. in 4. dist. 40. q. un. art. 1.* Hæc propinquitas juxta *Kon. Laym. Vallens. tit. 14. n. 6. Schamb. Pyrrh. ibid. n. 9.* jure naturæ dirimit matrimonium inter omnes as- & descendentes in linea recta usque in infinitum, ita ut Adam modò resurgens nullam ex præsentibus fœminis ducere posset; econtrà alii cum *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. Cajet. Veracrux, Peretz. Sanch. l. 7. d. 51.* veriùs dicunt, matrimonia in linea recta quoad gradus proximiores esse quidem ob reverentiam sanguinis jure naturæ prohibita, at non esse de jure naturæ invalida nisi in gradu primo inter patrem & filiam, filium & matrem, ideóque si apud infideles avus suam neptem duceret, matrimonium foret validum, etsi illicitum; ratio est, quia multò major reverentia debetur patri, quàm avo, & filius à patre est per se, ab avo per accidens; nam si pater fuisset creatus ex nihilo, sicut Adam, adhuc poterat generare hunc filium. 2. Cognatio in linea collaterali seu transversa dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, *c. non debet, c. ult. de consang.* & quamvis plures dicant, in primo gradu, v. g. inter fratrem & sororem matrimonium esse nullum de jure naturæ, id tamen rectiùs negant *S. Thom. Bonav. Scot. Cajet. Couv. Dian. Avers. Castropalao d. 4. p. 4. Wiest. tit. 14. n. 28.* aliàs enim matrimonium non fuisset licitum inter proles Adami, & Deus aliter debuisset providere propagationi humanæ. 3. Si duo 17. sibi sint consanguinei in gradu mixto ex quarto & quinto, non impediuntur à matrimonio, *c. fin. de consang.* quod etiam tenet, quamvis una pars attingat primum gradum, & altera quintum, quia impedimenta utpote odiosa non debent extendi ultra quartum gradum à jure expressum, *Fagn. in d. c. fin. Sanch. d. 53. n. 5. Schmier. p. 3. c. 3. n. 94.* 4. *Linea recta* dicitur respectu eorum, quorum unus generavit alterum, ut avus, pater, filius, nepos; collateralis dicitur respectu eorum, quorum unus non generavit alterum, attamen descendunt ab eodem

dem ſtipite, ut frater & ſoror, eorúmque filii & nepotes, tot ſunt gradus in linea recta, quot ſunt perſonæ una dempta; vel alii dant hanc regulam: Poſiti in linea recta tot gradibus diſtant, quot intercedunt generationes activæ, ſic à patre tuo diſtas uno gradu, ab avo duobus, à proavo tribus, & ſic de cæteris. In linea tranſverſa ſeu collaterali tot gradibus diſtant inter ſe, quot gradibus ſinguli diſtant à communi ſtipite; ſic frater & ſoror, quia ſolùm uno gradu diſtant à ſtipite, qui eſt pater, ſunt conſanguinei in primo gradu; patrueles ſeu fratrum filii in ſecundo, horum liberi in tertio, nepotes in quarto, & ſic deinceps. Item quia patruus meus diſtat ab avo meo uno gradu, & ego ab eodem avo meo diſto duobus, hinc patruo conſanguineus in primo & ſecundo gradu. Unde ſi Petrus velit ducere Mariam, & velis ſcire in quo gradu ſint conſanguinei, ante omnia inquirendus eſt ſtipes ſeu communis utriuſque parens, itaque ſcribe nomen Petri ab uno, & nomen ſponſæ ab altero latere, & ſuper Petrum ſcribe illam perſonam proximam, quæ dedit cauſam cognationis, & ſuper hanc aliam & aliam; ſimiliter ſcribe in altero latere eos, qui ex parte ſponſæ ſunt cauſa cognationis, nec deſiſte, donec invenias communem ſtipitem, è quo ſponſus & ſponſa mediatè ſunt generati. Si nequeat reperiri ſtipes, certum eſt, nullam eſſe cognationem. Si inventus eſt ſtipes, numera perſonas ex parte remotiore ſcriptas, dempto ſtipite, tot erunt gradus conſanguinitatis, quot erunt perſonæ dempto ſtipite, v. g. Petrus vult ducere Mariam, quæ dicitur eundem cum ipſo habuiſſe abavum, ſic formabis ſchema:

*Abavus.*

| | |
|---|---|
| Proavus. | Proavia. |
| Avus. | Avia. |
| Pater. | Mater. |
| Petrus. | Maria. |

Ubi ſi dempto ſtipite perſonas numeres, reperies, quòd Petrus ſit Mariæ conſanguineus in quarto gradu æquali, ideóque indigeant diſpenſatione. Notandum, quòd jus civile quoad computationem graduum in linea recta concordet cum jure Canonico; quoad lineam tranſverſam jus civile hanc obſervat regulam, quòd tot ſint gradus, quot perſonæ dempto ſtipite; hinc ſecundùm jus civile duo fratres ſunt in ſecundo gradu, cùm tamen de jure Canonico ſint in primo; hæc computatio civilis attenditur in tutelis committendis, & in ſucceſſionibus ab inteſtato, ita ut pater v.g. ſuccedat ab inteſtato, non frater, quia pater eſt in gradu primo cum filio, & frater in ſecundo; econtra computatio canonica obſervatur in matrimoniis contrahendis, deinde ſecundùm jus civile illi tantùm dicuntur *Agnati*, qui per viros habent cognationem; econtrà cognati vocantur, qui per fœminas habent; unde ſoli agnati & non cognati dicuntur ſuccedere in feudis maſculis, cognati in feudo promiſcuo. 5. Nomina conſanguinitatis ſunt hæc:

Pater

Pater, Vatter / Mater, Mutter.
Avus, Anherr / Groß-Vatter / Avia, Anfrau / Groß-Mutter.
Proavus, Uranherr / Proavia, Uranfrau.
Abavus, Uraußvatter / Abavia, Uraußmutter.
Atavus, Uraußán / Tritavus, Uraußurán.
Nepos, Enckel / Kinds-Kind.
Pronepos, Enckels Sohn / Proneptis, Enckels Tochter.
Abnepos, Enckel des Enckels / Abneptis, Enckels Enckelin.
Atnepos Enckels Uhr-Enckel.
Patruus, Vatters Bruder. Avunculus, Mutters Bruder.
Patruus magnus, Groß-Oheim / Anherrs Bruder.
Avunculus magnus, Anfrauens Bruder.
Amita, Vatters Schweſter / Amita magna, Anherr Schweſter.
Matertera, Mutters Schweſter / Matertera magna, Anfrauens Schweſter.
Nepos ex fratre, Bruders Sohn / Nepos ex ſorore, Schweſters Sohn.
Patrueles, zweyer Brüder Kinder. Conſobrini, zweyer Schweſter Kinder.
Amitini, Bruder und Schweſters Kinder.
Sobrini, Geſchwiſterk Enckelen.

QUÆR. V. Quid de impedimento affinitatis?

18. R. 1. *Affinitas* eſt propinquitas perſonarum orta ex copula carnali cum alterius conſanguineis; ſi copula ſit maritalis, dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum incluſivè, ſi fornicaria, uſque ad ſecundum incluſivè, *Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 4.* Idque non ex jure naturæ, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico etiam quoad primum gradum non tantùm lineæ tranſverſæ, ita ut ex diſpenſatione Eccleſiæ poſſit frater ducere uxorem fratris ſui defuncti, ſed etiam in primo gradu lineæ rectæ, v. g. inter novercam & privignum, inter ſocrum & nurum. Primam partem tenent omnes Catholici contra modernos ſectarios, tum quia Deut. 25. ℣. 5. Deus Judæis præcepit, ut frater ducat uxorem fratris ſine liberis defuncti, & Gen. 29. ℣. 23. & 28. Jacob Patriarcha in uxores accepit duas ſorores, Liam & Rachelem, tum quia ita ſtatuitur *c. fin. de divort.* & habet praxis Eccleſiæ, quæ in primo gradu lineæ tranſverſæ ſæpiùs diſpenſavit; tum quia vinculum affinitatis lineæ tranſverſæ non eſt arctius quàm conſanguinitatis, atque hoc in primo gradu lineæ tranſverſæ, v. g. inter fratrem & ſororem non dirimit matrimonium jure naturæ, ut ſuprà dictum eſt: ergo minùs affinitas. Pro ſecunda parte ſtant *Cajet. Scot. Sanch. Dian. Pontius, Schmier. n. 149. Krimer. n. 2179. Schmalzgr. tit. 14. à n. 99.* contra *Palud. Sylv. Sot. Couv. Vaſq. Pyrrh. Reiffenſt. n. 49.* & plures alios. Probatur ex Concilio Epaunenſi c. 30. Aurelianenſi III. can. 10. ubi deciditur: Conjugia in infidelitate contracta cum relicta pa-

patris vel cum filia uxoris post susceptum baptismum solvenda non esse. Et ratio est, quia ex sic affinibus neuter est alterius principium, nec est conjunctio sanguinis; ergo non est unde ex lege naturæ inter
19. hos initur matrimonium. 2. Affinitas non oritur nisi ex copula perfecta, quæ sit sufficiens ad generationem cum immissione & receptione seminis intra vas naturale, etiamsi fiat cum ebria, dormiente, insana, invita, quia talis copula sufficiens est ad generationem. *Communis* : econtra ad affinitatem non sufficit copula eunuchi, quia verum semen non habet, nec sufficit copula sodomitica in vas præposterum, nec copula tentata aut quævis imperfecta, in qua sola mulier seminat. At quid si semen viri effundatur circa muliebria & attrahatur à matrice vel arte magica vel aliter intromittatur, consurgetne affinitas ? affirmant *Avers. Sanch. d. 64. n. 15.* quia adest vera seminum commixtio, sed æquè probabiliter negant *Pont. l. 7. c. 53. Conrad. in praxi disp. l. 7. c. 1. n. 18.* quia affinitas non contrahitur nisi ex copula, atqui non est vera copula, ubi non est penetratio vasis, & impedimenta matrimonii sunt odiosa, ideóque restringenda. An verò etiam requiratur semen fœminæ, ita ut hac non seminante non contrahatur consanguinitas, controvertunt DD. in utramque partem probabiliter, in dubio præsertim si magnam in copula senserit voluptatem, præsumitur seminasse, quia ita communiter contingit. 3. Si affinitas superveniat matrimonio v. g. maritus cognoscit consanguineam uxoris vel contra, impedit petitionem debiti ex parte nocentis, requiritur tamen ut sciverit personam cognitam fuisse uxoris consanguineam, aliàs hanc pœnam non incurrit. *L. si quis de eo qui cogn.* 20.
imò *Nav. Dian. Gobat. t. 10. n. 601. Viva op. 1. q. 3. art. 3.* & alii probabiliter dicunt non incurri hanc pœnam ab eo qui ignorat, vel non recordatur eam suo incestui esse annexam, quia pœnam non incurrit nisi contumax, ignorans pœnam contra eam non est contumax; sed quamvis hoc verum sit de pœnis medicinalibus v. g censuris ùt dicam Cas. 113. id tamen probabilius non tenet de pœnis vindicativis, qualis est hæc. De cætero hæc pœna non incurritur nisi quis cognoverit consanguineam uxoris in primo vel 2do gradu, quia affinitas ex copula illicita, qualis utique est hæc adulterina, secundum gradum non excedit, *Trid. l. cit.* posse verò regulares mendicantes & cum iis participantes in hac pœna sicut & in omnibus votis & juramentis dispensare, in quibus potestate ordinaria dispensat Episcopus, dixi Cas. 71. n. 5. 4. Affinitas intercedit solùm inter cognoscentem & consanguineos cognitæ: item inter cognitam & consanguineos cognoscentis, ut autem scias in quo gradu ali-

qua persona v. g. Titia tibi sit affinis, attende, in quo gradu sit consanguinea personæ à te cognitæ, & in eodem gradu erit tibi affinis, ut si Titia sit soror, mater vel filia personæ à te cognitæ erit, tibi affinis in primo gradu, si neptis in 2do, & sic deinceps.

21. 5. Si infideles contraxerunt cum impedimento Ecclesiastico affinitatis, consanguinitatis, publicæ honestatis, criminis &c. & postea baptizentur, non ideo separari debent *c. de infidelibus 4. de consang.* nam dum contraxerunt, Ecclesiæ non erant subjecti, ergo nec ejus tenebantur impedimento: econtrà si post baptismum cum tali impedimento contrahere velint, non possunt absque dispensatione, etiamsi illud impedimentum contraxerint tempore infidelitatis. *Aversa. q. 17. s. 6. Kugler hic à n. 1902. Schmalzg. n. 88.* nam licet Ecclesia non possit statuere aliquid quo ligentur, quamdiu sunt infideles, tamen potest statuere aliquid quo ligentur quando erunt fideles, ita ut quamvis ante baptismum potuerint contrahere cum consanguinea in 3tio vel 4to gradu, vel cum affine in 2do: id tamen non poterunt post baptismum, ut constat *ex c. fin. de divort.* idem autem est de aliis impedimentis v. g. honestatis vel criminis, quia Canones universaliter dicunt, quòd fideles habentes tale impedimentum sive talem relationem ad invicem non possint validè contrahere, nec distinguunt Canones, an illud inciderit ante vel post baptismum, ergo cùm post baptismum sint subjecti Ecclesiæ, & tale impedimentum sive relationem ad invicem habeant non poterunt (nisi eâ dispensante) contrahere. 6. Præcipua nomina affinitatis sunt.

Socer pater uxoris vel mariti Schwäher.
Socrus mater uxoris vel mariti Schwiger.
Consoceri parentes uxoris vel mariti Gegen-Schwäher.
Gener maritus filiæ Tochter-Mann.
Nurus uxor filii Schnurr.
Levir frater mariti Mans-Bruder.
Glos soror mariti Mans-Schwester.
Fratria uxor fratris Bruders-Weib.
Sororius maritus sororis Schwester-Mann.
Vitrius Stieff-Vatter.
Noverca Stieff-Mutter.
Privignus Stieff-Sohn.
Privigna Stieff-Tochter.

CASUS

# CASUS CVIII.

## De impedimento criminis & disparis cultûs.

WAbius *duxit Cajam relictam viduam Webii dubitat,1. An validè & quia Caja occidit maritum ipso consentiente & gaudente,rati habente. 2. Quia occidit sed non ex intentione saltem primaria matrimonii,sed liberiùs fornicandi,vel de hoc dubitat. 3. Mors fuit secuta ex imperitia medici. 4. Habuit adulterium cum Wabia. 5. Sed sine effusione seminis ignorans eam esse maritatam eique promisit matrimonium sed non sub eodem conjugio. 6. Promisit fictè alterâ non repromittente. 7. Nec acceptante sed tacente. 8. Sub conditione non impleta, vel his verbis: non ducam aliam quàm te,vel ducerem te si non essem conjugatus. 9. Matrimonium Cajæ erat probabiliter invalidum. 10. Ignoravit illam pœnam criminis esse annexam. 11. Quia Caja infidelis. 12. Vel ad minus hæretica,& contraxit absque dispensatione cum pacto, ut aliqua proles educentur in fide Catholicâ.* Pro resolut.

QUÆR. I. Quid hîc veniat nomine criminis? R. 1. *Crimen* dirimens matrimonium est duplex,conjugicidium scilicet & adulterium ; nam raptus & injustus metus quamvis sint grave scelus,quia tamen non dirimunt matrimonium in odium & pœnam delicti , sed quia minuunt libertatem consensus,ideo non dicuntur propriè impedimentum criminis R. 2. *Ut conjugicidium dirimat matrimonium,debet ex mutua conspiratione in ordine ad contrahendū matrimonium mors ipsa esse secuta. S. Th. Sanch. l. 7. d. 29. Bosco s. 8. concl. 5. Illsl. t. 6. d. 9. à n. 76. Eng. tit. 7. & ibid Reiff. à n. 20.* dicitur 1 *ex mutua conspiratione* seu utriusq; contrahentis consensu exteriùs significato, ita ut uterq; ad mortem concurrerit vel physicè v.g confodiendo,venenū præbendo,instrumenta administrando,insidias struendo &c. vel moraliter suadendo,mandando,animando,sola ratihibitio vel gaudium de morte illata non sufficit, quia nec physicè nec moraliter in mortem influit,cit. DD. 2. dicitur 2. *in ordine ad contrahendum matrimonium*,nam si occisio fiat ex odio vel ex intentione liberiùs fornicandi non contrahitur impedimentum dirimens, est communis. Si conjugicidæ 2dariò solùm intendant contrahere matrimonium,adhuc erit nullum. *Less. in aut. V. matrim. Cas.* 10. quia jura simpliciter irritant ejusmodi matrimonium , nec distinguunt inter intentionem primariam & 2dariam , & 2daria est vera intentio , & in dubio an adulteri conjugicidium fecerint ex intentione contrahendi , præsumitur quòd sic, quia ita communiter fit , &

posito toto actu externo præsumitur internus, *Sanch. Gutt. c. 105. n. 23.*
3. *Bosco l. cit.* dicitur 3. *mors ex conspiratione secuta*; nam si mors quidem fuerit ab utroque per venenum, gladium, vel aliter tentata, si tamen non inde sed casu vel ab inimico illata aut ex imperitia vel negligentia medici secuta fuerit, non impedit matrimonium, quia leges pœnales & odiosæ cum effectu accipiendæ sunt, *Sylv. Vallens. Eng. l. c.*

QUÆR. II. Quid circa crimen
4. adulterii?

R. 1. Ut adulterium dirimat matrimonium debet conjungi vel cum conjugicidio, ita ut saltem unus ex adulteris conjugem occidat ex intentione cum adultero contrahendi matrimonium, vel conjungi debet cum promissione matrimonii de futuro vel de præsente etiam absque Paroco & testibus contracto vivente legitimo conjuge, sive illa permissio vel copulatio facta sit ante sive post adulterium *Ilf. n. 83. Krimer n. 1006. c. 1. c. veniens c. cum habet c. fin. de eo qui.* ideoque adulterium se solo non sufficit ad hoc impedimentum inducendum, neque sufficit sola promissio, nec solum conjugicidiū ab una parte patratum absque adulterio *c. significaſti c. fin. cit.* 2. Debet adulterium esse
5. consummatum per copulam perfectam cum effusione & receptione seminis intra vas naturale. Item debet esse formale, ita ut uterque adulter sciat alterum esse conjugatum *d. c. 1. Sylv. Palao, Laym. hic n. 2. Reiff. n. 11.*
3. Adulterium & promissio matrimonii debent fieri sub eodem conjugio, hinc si Titius vivente suâ uxore promittat matrimonium Mæviæ, mortuâ autem uxore ducat Cajam, & adulteretur cum Mævia, non incurrit impedimentum cum Mævia, *Laym. n. 4. Pirh. n. 14. Eng. n. 9. Krimer n. 993.* 4. Promissio etiam conjuncta 6.
cum adulterio debet esse vera non ficta, quia pœnalia strictè interpretanda sunt, non tamen necessaria est repromissio. *Sot. Lopez. Pont. c. 45. n. 2. Reiff. n. 17.* quia Canones hic solius promissionis non autem repromissionis meminerunt, etsi oppositum quod tenent *Henriq. Laym. n. 4.* etiam sit probabile, quia videtur requiri talis promissio, qualis requiritur ad vera sponsalia vel matrimonium de præsenti, quæ utique debet esse reciproca. 5. Necesse est ut promissio ab 7.
altera parte per signum aliquod externū fuerit acceptata, sola enim interna acceptatio vel taciturnitas hic non sufficit, tum quòd jura nō soleant actui merè interno pœnam statuere, tum etiam quòd tacens in dubio non censeatur consentire in sui præjudicium, *Eng. n. 9. Bosco n. 128. Schmalzg. n. 21.* 6. Promissio conditionata, cujus 8.
conditio non est impleta ante mortem conjugis, non inducit impedimentū criminis, etiamsi sit conjuncta cum adultero, quia conditionata promissio nondum purificata in odiosis non venit nomine promissionis *Hurt. Laym.*

*Laym. l. c. Sporer n.* 109. unde etiam non videtur, sufficere si adulter dicat: non ducam aliam quàm te, quia sic se non obligat determinatè ad Matrimonium, sed solùm ad Matrimonium cum hâc, casu quo velit nubere, quod sibi relinquit liberum; minùs inducitur impedimentũ, si unus dicat: si non essem conjugatus te ducerem, *Sanch. n. 16.* quia hæc verba non continent promissionem, sed nudam velleitatem. 7. Congrediens cum muliere, cujus Matrimonium est probabiliter invalidum, in conscientia quidem admittit adulterium, non tamen in ordine ad pœnam, quamvis simul promittat Matrimonium, quia lex pœnalis est strictè accipienda de adulterio certò tali. 8. Impedimentum criminis etiam incurritur ab ignorante hanc pœnam crimini esse annexam, est communissima contra paucos quos novissimè sequitur & multis propugnat *Krimer l. 4. tit. 7. l. 5. tit. 7. à n. 729.* Ratio est, quia impedimentum hoc non est tam pœna peccati præteriti, quàm mera inhabilitas statuta ad tollendam occasionem captandæ mortis conjugum intuitu futuri Matrimonii cum adultero, cujus spem hoc impedimentum omninò præscindit; neque obstat, quòd censuræ non incurrantur ab ignorantibus, nam censuræ requirunt contumaciam, contumaces non sunt qui non peccant contra legẽ cognitam ùt pœnalem, vide *Cas. 113.*

9. 10.

11. QUÆR. III. Quid de impedimento disparis cultûs?

12. *Cultus disparitas* est diversitas religionis, quæ inter baptizatum & non baptizatum reddit Matrimonium nullum, ùt certum est non tam ex jure scripto quàm ex traditione & perpetua Ecclesiæ praxi, *Sanch. l. 7. d. 71.* Econtra diversitas cultûs inter baptizatos, Catholicum v. g. & Acatholicam, vel contra, non irritat Matrimonium, communis cum *S. Thom. in 4. dist. 39. qu. un. art. 1. ad 5.* tum quia uterque est baptizatus & non constat de lege irritante, tum quia sic habet consuetudo & Ecclesiæ praxis, quæ ejusmodi conjuges non separat: attamen tale Matrimonium per se est illicitum, tum quia Catholicus communicat cum hæretico in rebus sacris, tum quia ministrat Sacramentum indigno, tum ob periculum perversionis sui & prolium. *Dixi, per se*; nam per accidens potest hujusmodi Matrimonium fieri licitum maximè in iis locis, in quibus hæretici vivunt permixti cum Catholicis, nam ibidem hæretici sunt tolerati, ideoque cum iis ex causa communicare licet, & quamvis fortè sint indigni, tamen Sacramentum Matrimonii non minùs quàm Eucharistia ex gravi causa ministrari potest indigno. Ut autem Matrimonium cum hæretico licitè contrahatur, necesse est concurrere hæc tria: 1. Ut absit scandalum & periculum perversionis tam sui, quàm prolium, unde illa pacta quibus convenitur, ut aliqua pars prolium sequatur hære-

12.

sin, vel saltem ad tempus in ea instruatur & educatur, sunt prorsus impia & irrita utpotè de re intrinsecè mala, *Perez. d. 36. s. 2. Illsf. nu. 88. Sporer. n.* 120. & talis conditio si apponatur in ipso contractu Matrimonii reddit eum irritum, quia repugnat bono prolis quam parentes ex jure naturæ & divino tenentur educare in vera religione, cui obligationi renuntiare non possunt *Schmier c. 5. n. 57.* patet ex dictis *Cas. 105. n. 16. 2.* Ut adsit rationabilis causa taliter contrahendi, qualis est si hæreticus seriò promittat conversionem vel tale Matrimonium sit necessarium ad conservandam pacem inter magnas familias &c. 3. Ut petatur dispensatio à Papa vel si ita loci consuetudo habeat ab Episcopo; quia tamen hæc omnia rarò concurrunt, & plerumque adest periculum scandali, rixarum, perversionis & prolium aut alterius mali, ideo hæc connubia [ nisi in raro casu ] esse licita etiam in locis mixtæ religionis meritò docent *March. Laym. Gobat, Schmier n. 61.* Quod à potiori tenet de sponsalibus, quæ obinde plerumque illicita sunt, & irrita, ideoque à Confessariis omninò dissuadenda.

## CASUS CIX.

### De vi, ligamine, publica honestate.

XAntus *Parochus interrogatur* 1. *An pro foro cõscientiæ valeat Matrimonium juramento firmatum, sed metu extortum & quis sit hic metus gravis,* 2. *An sufficiat levis vel reverentialis,* 3. *An metus justus,* 4. *An incussus à causa naturali, quid si Medicus dicat, nolo te curare, nolo dare eleemosynam nisi ducas meam filiam,* 5. *Quid si metus non sit incussus in ordine ad Matrimonium, vel tantùm ad Matrimonium in genere & an revalidetur per copulam vel cohabitationem,* 6. *An coactus ad Matrimonium metu mortis possit admittere copulam,* 7. *Qualiter metus probari debeat.* 8. *An ipse cogens possit resilire.* 9. *An metus annullet Matrimonium de jure naturæ.* 10. *Quid de contrahente cum ligamine.* 11. *An requiratur certitudo de morte conjugis.* 12. *Unde hæc desumenda.* 13. *Quid de publica honestate ex sponsalibus.* 14. *Ex Matrimonio rato.* 15. *Si Cajus sponsalia contrahat cum Caja & ejus sorore, quam tenebitur ducere?* 16. *Quid si sic contraxit sub conditione.* 17. *Quid si Cajus resiliat ob votum Cajæ, an hæc possit ducere Caji fratrem: quid si Caja fuerit fornicata cum Cajo.* 18. *Quid si cum Cajo contraxerit sponsalia ex metu.* 19. *Quid si sic contraxerit Matrimonium.* 20. *An sponsalia vel Matrimonia impuberum causent publicam honestatem an Matrimonium clandestinum, an sponsalia ficta, non mutua sub veniali obligantia. &c.* 21. *Quætas requiratur ad Matrimonium.* 22. *Qualiter debeat esse completa, an in ea dispensare possit Episcopus,*

*pus, an peccant ante ætatem contrahentes &c.* Pro resolut.

1. QUÆR. 1. Quid circa impedimentum vis?

R. Vim seu metum irritare Matrimonium, manifestum est ex jure Canonico. *c. 14. 15. 28. de Sponsa.* idque non tantùm tenet in foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ etiamsi sit juramento firmatum. Est communis, & certa ex *c. 2. de eo qui duxit. Sanch. l. 4. d. 20. n. 12. Kugler à n. 644. Debet autem esse gravis & injustus sive à contrahente sive à 3tio in ordine ad Matrimonium incussus*, est generalis regula quæ indiget explicatione, igitur 1. Debet metus esse *gravis*, id est talis qui capax est movere virum aliàs constantem, ut metus mortis, mutilationis, diuturni carceris, servitutis gravis & diuturnæ indignationis parentum, notabilis jacturæ famæ vel bonorum fortunæ, privatio officii, sive illa sibi sive proximè conjunctis timeantur. *Averss. 3. Sperell. decis. 79. n. 74.* sæpe tamen metus, qui respectu unius personæ valde meticulosæ v.g. puellæ est gravis, respectu viri cordati est levis: Metus simpliciter levis non irritat Matrimonium *c. veniens 15. de Sponsa.* quia non notabiliter minuit libertatem, &
2. facilè repelli potest, idem probabiliùs tenet de metu reverentiali quo liberi vel subditi ideò contrahunt, quia ob reverentiam parentum vel dominorum non sunt ausi contradicere, nisi accedant alia adminicula, importunæ preces, minæ, aut ùt vult *Engel* si modesta contradictio nihil juverit ut fieri assolet, tunc non tantùm in foro interno, sed etiam externo Matrimonium [ idem est de possessione religiosa ] pro irrito habetur. Pignat. *Tom. 7. consult. 77.*

2. Metus debet esse injustus, nam 3.
justus non vitiat contractum, ut si Judex minetur stupratori excommunicationem vel mulctam vel pater accusationem, nisi ducat filiam defloratam; aut si Judex justè condemnato dicat, aut morere aut duc filiam carnificis, quia metus est justus: aliud foret, si pater minaretur stupratorem occidere nisi stupratam ducat, talis enim metus foret injustus, quia pater non habet jus occidendi.

3. Metus debet esse incussus à causa 4.
libera id est ab homine, nam si ab intrinseco v.g. morbo vel à causa naturali proveniat, ùt timor mortis, incendii, infamiæ, jacturæ bonorũ, & ex eo metu perculsus quis contrahat validè contrahit *Sperell. dec. 19. n. 40. Reiff. t. 1. n. 326. Ratio* est, quia talis non est injuriosus, nec est ab alio incussus, sed ab ipso metuente conceptus. E contra injustè incussus sive à contrahente sive à 3tio invalidat Matrimoniũ quia æqualiter minuit voluntariũ *DD. cit.* si quis renuat solvere debitũ vel desistere ab injusto processu nisi ducas ejus filiã, metus erit injustus & vitians Matrimonium, idem docent *Averss. Croix n. 648.* si Medicus ex justitia vel etiam charitate obligatus mederi nol-

nollet nisi duceres ejus consanguineam, aut negares eleëmosynam extremè indigenti, aut puellam à te gratis alitam mineris domo ejicere, nisi te vel alium ducat, quia talis metus non solùm est ab intrinseco ùt vult *Sanch.* sed etiam ex denegatione Medicinæ & eleëmosynæ, quæ denegatio tendit ad extorquendum testimonium; nec obstat, quòd illa denegatio Medicinæ & eleëmosynæ solùm sit contra charitatem, nam si parentes filiæ minentur diuturnum odium & aversionem, nisi puella hunc vel illum ducat, solùm est contra charitatem, & tamen hic metus vitiat Matrimonium; at æquè probabiliter contradicunt *Sanch. Laym. Sporer num.* 18. quia Medicus potest justè exigere stipendium laboris vel ejus loco Matrimonium, & sicut valebit Matrimonium si Advocatus dicat: evincam tibi gratis hanc litem eâ conditione, & non aliter quàm ut des mihi tuam filiam, quia conditio est honesta; ergo & valet, si Medicus dicat: nolo te curare aliâ conditione, quàm ut ducas meam filiam, & in dubio standum est pro valore Matrimonii.

5. 4. Metus debet esse incussus ad extorquendum Matrimonium, est communis contra *Veracrux Schmit, Schmalzg. Ratio* est, quia aliàs non ab ipso exigitur Matrimonium, sed ipse illud sponte eligit, ut evadat aliud malum, & Jura *cum veniens, cum locum de sponsi* loquuntur de solo metu in ordine ad Matrimonium incusso, hinc si Titius ex odio tibi intentet mortem vel te iniquâ lite divexet, & tu ad eum placandum ducas ejus filiam, valet Matrimonium. Similiter valet, si tertius tibi promittat placare Titium eâ conditione, ut ducas ejus filiam: *Ratio* est, quia non tenetur operam suam interponere gratis, & tu liberè illam conditionem acceptas. Si injusto metu cogaris in genere ad nubendum vel ad ducendam indefinitè unam ex pluribus filiabus Caji, plures dicunt valere Matrimonium, quia manet libertas quoad personam: At rectiùs contradicunt *Sanch. Perez Croix nu. 659.* quia etiam status Matrimonii secundùm se debet esse homini liber; si metu coactus metu cessante liberè & sciens invaliditatem Matrimonii consensum renovet, vel affectu conjugali sponsæ cohabitet, aut eo affectu copulam exerceat, revalidatur Matrimonium: quia nihil defuit nisi consensus, qui sic redintegratur. *Sanch. Vallens.* §. 8. *Pirh. de Sponsi. nu.* 123. *Reiff. n. 333. Sperell. decis. 80.* & si tales per decennium cohabitaverint præsumuntur affectu conjugali cohabitasse & Matrimonium ratificasse *Pirh. nu.* 113. Si metu mortis 6.
coactus ad Matrimonium etiam sic cogatur ad copulam, plerique dicunt non posse consentire, sed potiùs debere perferre mortem quàm habere copulam, quia Matrimonium est invalidum, ideóque copula erit for-

fornicaria & intrinsecè mala : econtrà alii probabiliter affirmant eum posse consentire in copulam, & per copulam etiam stante metu validari Matrimonium, quia in tali casu, quo metum patiens vel mori deberet, vel peccare mortaliter, censetur Ecclesia permittere, ut cedat juri suo & validè consentiat si velit, dispositio enim illa facta est in favorem patientis vim, *& quod in favorem alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Reg. *6. in 6.*

7. 5. Metus non præsumitur, quia est aliquid facti, sed ab allegante concludenter est probandus, sufficiunt tamen duo testes de metu incusso, quibus ob libertatem Matrimonii plus creditur, quàm mille de libero consensu testantibus. *Sperell. decis. 79. à nu. 1. Schmalzg. num. 429.*

8. 6. Illum, qui metu injusto extorsit Matrimonium, non posse resilire docent *Nav. Sylv. Koning Avers. q. 4. s. 2. Schamb. de sponsal. n.* 160. quia jura tantùm favent injuriam passo, ita ut hic solus resilire possit : quod de aliis contractibus dixi *Cas. 49. n. 8.* Econtrà *Laym. Perez, Hurt. Sanch. l. 4. d. 15. n. 5. Kugler num. 653. Wist. de spons. 254.* rectiùs docent posse resilire, quia Matrimonium est reipsa nullum : excipe nisi aliud damnum secutum sit, quod non posset reparari, nisi per Matrimonium v. g. imprægnatio sponsæ, tunc enim sponsus, qui eam coëgit, teneretur consensum renovare.

9. 7. Quòd metus annullet Matrimonium de jure naturæ, probabiliter docent *Scot. Covar. Pont. Barb. Onnate. Sperell. decis. 6. nu. 3. Haun. Krimer n. 434. Schmier. c. 4. nu. 54.* rationem dant, quia repugnat rectæ rationi, ut quis ex injuria acquirat jus, & injuria per vim illata ex jure naturæ debet reparari, hoc autem aliter fieri non potest, quàm si Matrimonium ab initio sit nullum & coactus remaneat in statu libertatis : Econtra metum ex solo jure Ecclesiastico Matrimonium dirimere probabiliùs docent *Sylv. Nav, Sot. Perez, Sanch. d. 14. Gonet d. 4. n. 77. Avers. q. 4. Wist. n. 242. Kug. n. 624. Schmalzg. n. 406. Ratio* est, quia tale Matrimonium nec est irritum jure naturæ ratione injuriæ, nam etiam metus levis est injuriosus & causat æquale damnum, & obligat ad æqualem restitutionem, idem est de metu gravi ad alium finem incusso, item de dolo circa accidens v. g. nobilitatem, divitias &c. quæ certò gravem causant injuriam, & tamen non irritant Matrimonium; nec metus irritat ratione involuntarii, quia non magis libertatem minuit metus injustus quàm justus, aut à causa naturali incussus; atqui metus justus & naturalis non vitiat Matrimonium, ergo nec injustus : *Confirm.* ad baptismum etiam requiritur liber consensus, & tamen valet susceptus ex metu, idem est de juramento, ergo spe-

spectato jure naturæ etiam valebit Matrimonium metu extortum: *Ad Argument. Adv.* 8. Jus non acquiri directè ex injuria, sed ex contractu valido, sicut si Mævius contra prima Sponsalia [ quæ habet cum Titia ] ducat Cajam, acquirit jus in corpus Cajæ non ratione injuriæ, quam facit Titiæ, sed ratione Matrimonii validè contracti cum Caja, nec opus est injuriam semper reparari in eodem genere, aliàs Matrimonium Mævii deberet annullari. Vide *Cas. 49. n. 8.*

10. QUÆR. II. Quid de impedimento ligaminis?

8. I. *Ligamen* est vinculum Matrimonii rati vel consummati cum conjuge adhuc vivente, quod in lege nova jure divino dirimit Matrimonium cum quacunque alia persona, ùt constat ex *Matt. 19. Marc.* 10. & Trid. *sess.* 14. *c.* 2. adeò ut nunc polygamia seu pluralitas Uxorum, à potiori virorum, nec consuetudine introduci, nec ex dispensatione Papæ concedi possit. Omnes cum S. Thom. *d.* 33. *qu.* 1. *art.* 2. & qui vivente Uxore attentat Matrimonium cum alia, incurrit pœnam infamiæ, imò in Germania pœnam capitis, Carol. V. *art.* 121. & qui secundam duxit etiam bonâ fide, si ex post resciat vivere primam, tenetur ad eam redire, si dubitet tenetur inquirere, si veritatem reperire non possit, potest petere & reddere debitum, si bonâ fide secundum Matrimonium iniit, quia est possessor bonæ fidei, cui debetur fructus Matrimonii, qui est petitio debiti; si malâ fide, potest solùm reddere, si uterque malâ fide contraxit, neuter debitum petere aut reddere potest, quia neuter est possessor bonæ fidei, & lex non fornicandi est certa. *Sanch. l. 2. d. 42. n. 8. 2.* Ut Ma- 11.
trimonium de novo licitè contrahi possit, requiritur certitudo moralis de morte prioris conjugis. *c. cùm in præsentia de spon. Sotus Angl. Tann. Cov. Sanch. d. 46. n. 6 Sporer nu. 50,* *Ratio* est, quia agitur de gravi præjudicio conjugis absentis, de periculo multiplicis peccati, & de valore Sacramenti; hæc certitudo ad minùs debet esse talis, ut contrarium nullo modo sit probabile; hinc per se non sufficit, quòd conjux superstes juret, conjugem esse mortuum, & à se sepultum, nec sufficit qualiscunque diuturna absentia, quamvis enim hæc magnam faciat præsumptionem, si conjuges se amaverint, & pacificè convixerint: nam si tunc absens adhuc viveret, compareret, vel nuntium mitteret: attamen nondum adest certitudo, quam requirunt Pontifices, similiter nec sufficit unus testis omni exceptione major, nisi concurrant alia adminicula, conjecturæ, præsumptiones &c. ita ut testis ex modo deponendi, aliisque circumstantiis credatur verum deponere. *Palao Averf. Cov. Pirh. àn.* 132. quia in jure vox unius est vox nullius *l. jurisjurandi*

12. *randi 9. cod. de testibus. 3.* Quamvis in foro conscientiæ sufficit minor certitudo, in praxi tamen necessarium est, ut Parochus rem deferat ad Ordinarium, qui tanquam Judex pro foro externo secundas nuptias permittere non poterit, nisi mors primæ conjugis plenè probetur, ad quod sufficit 1. Liber Parochi, qui aliquem inter mortuos adscripsit, & ita habere praxin totius Ecclesiæ testatur *Aversf. q. 14. s. 3. 2.* Testamentum mortui mandato Judicis productum. 3. Communis & constans fama, si ad eam accedant alia adminicula, nempe quòd fuerit senex, valde æger, pugnarit in acie &c. 4. Si ad famam accedat unus testis de visu, semper tamen fama probanda est per duos testes omni exceptione majores, qui deponere debent se à fide dignis audivisse, & esse in loco publicum & se credere rem ita esse. *Aversf. l. c. Croix n. 677.*

13. QUÆR. III. Quid de impedimento publicæ honestatis?

Rz. I. *Publica honestas* seu ùt in jure vocatur *justitia publicæ honestatis* est propinquitas orta ex sponsalibus & Matrimonio rato, sive per se sive per Procuratorem contractis: jure antiquo hoc impedimentum inducebatur etiam ex sponsalibus invalidis usque ad 4tum gradum inclusivè: Trid. verò *sess. 24. c. 3. de ref. mat.* id restrinxit ad sponsalia valida & absoluta tantùm ad primum gradum, ita ut qui sponsalia validè contraxit cum Titia, non possit sponsalia vel Matrimoniũ contrahere cum ejus sorore, matre, vel filia, bene verò cum matertera, nepte, consobrina &c. Dico: *valida & absoluta*, nam ex sponsalibus invalidis hoc impedimentum non oritur, neque ex conditionatis ante purificatam conditionem; si sponsalia semel fuerint valida, hoc impedimentum manet in perpetuum, etiamsi contracta fuerint per impuberes, & unius vel etiam utriusque aut morte compartis dissoluta, quia impedimẽtum semel contractum non per voluntatem contrahentium sed per solam dispensationẽ tollitur, & quamvis *Barb. Gutt. Palao Eng. de sponf. §. 6.* dicant: S. Congregationẽ declarasse, quòd ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis non maneat impedimentũ honestatis; nunc tamen certum est, quòd hæc Declaratio vel non sit authentica, vel sit revocata per novissimam & authenticam Declarationem Anno 1658. editam & ab Alex. VII. approbatam apud *Fagn. in c. ad audientiam de sponf.*

Rz. II. Matrimonium ratum induc- 14.
cit hoc impedimentum inter sponsam & consanguineos sponsæ, & econtra usque ad 4tum gradum inclusivè, idque verum est etiamsi Matrimonium sit nullũ, *c. un. de sponf. in 6.* modò nullitas non sit ex defectu consensûs, v.g ob metum, errorem in persona, revocatum à principali consensum, licèt id procurator ignoret: si Matrimonium sit nullum ex clandestinitate, eò quòd non sit contractum coram

Parocho & testibus, *Sanch. Eng. l. c. Pirh. t. 14. n. 62.* adhuc dicunt non causari hoc impedimentum, quia Matrimonium clandestinum nequidem habet figuram Matrimonii aut consensum externum coram Parocho & testibus expressum, at rectiùs contradicunt *Gutt. Perez. Pign. dom. 4. cons. 15. n. 2.* & ita declarasse S. Congregationem testatur *Schmalzg. de spons. n. 102.* quia tale Matrimonium non est irritum ex defectu consensûs, sed Parochi & testium: ex dictis

15. Resolves sequentia: 1. Si Cajus post absoluta & valida sponsalia cum Caja contrahat cum ejus matre, sorore, vel filia, tam sponsalia, quàm subsequens Matrimonium est nullum ob justitiam publicæ honestatis, & Cajus adhuc tenetur ducere primam; nam licèt hîc sit quasi duplex honestas, tamen non habet vim reciprocam dirimendi, ùt claret *ex c. un. de sponsal. in 6.* & honestas dirimit Matrimonia & sponsalia contrahenda, non verò validè contracta *Pirh. tit. 1. n. 32. 2.* Si

16. Caja contrahat cum Cajo sub conditione in futurum pendente v.g. si parentes consenserint, si Papa dispensaverit, & non exspectatâ conditione sponsalia contrahat cum ejus fratre, tunc ex neutris sponsalibus oritur impedimentû dirimens, non ex primis, quia nondum purificata est conditio ùt supponitur, neq; ex secundis, quia sunt invalida utpote de re illicita &

17. alteri obligata. 3. Si Cajus audiens votum castitatis Cajæ sponsæ suæ cedat, poterit Caja post impetratam dispensationem in voto ducere fratrem ejus, quia priora sponsalia fuerunt invalida, utpote de re Deo per votum promissa. 4. Si Caja fornicata est cum Cajo & ex post sponsalia contrahat cum ejus fratre, neutrû habere potest, non primum ob impedimentum publicæ honestatis, non secundum ob affinitatem in primo gradu. 5. Si Caja 18.
ex metu injusto contraxit sponsalia cum Cajo, probabiliùs non potest contrahere sponsalia aut Matrimoniû cum ejus fratre, patre, vel filio, quia ista sponsalia non sunt actu nulla, sed solùm rescindibilia, ideoq; inducunt impedimentum publicæ honestatis. *Nec obstat*, quòd Matrimonium metu extortum juxta Trid. sit omnino nullum; nam Trid. loquitur de solo Matrimonio, quod in materia odiosa nõ
est extendendum ad sponsalia. 6. Si 19.
Caja ex injusto metu vel ex errore in persona contraxit, sed non consummavit Matrimonium cum Cajo, potest ducere quemcunq; ejus consanguineum, quia hoc Matrimonium est nullum defectu cõsensûs, & per consequens non oritur ex eo publica honestas. 7. Sponsalia impuberum etsi 20.
sint suspensa & rescindibilia, tamen sunt valida & inducunt hoc impedimentum, ùt dixi *Cas. 104. n. 4.* idem est si impuberes contrahant de præsenti, talis enim cõtractus habet vim sponsalium. *c fin. de desp. impub. c. un. eod. in 6.* an idem teneat de Matrimonio clandestino puberum, ita ut quamvis

non

non valeat in ratione Matrimonii, valeat tamen in ratione sponsaliũ, causetq; impedimentum honestatis, est incertũ: negant *Gutt. Fag. Barb. Nav. Gob. Sanch. d.* 20. *Kugler p. 2. n. 27. Wiest. tit. 3. n. 31. Schmalzg. ibid. n. 123.* ubi ex *Gallemart* refert Declarationem Cardinalium, quia *Trid. Sess. 24. c. 1.* talem actum omninò irritat, ergo nec retinet vim sponsalium, aliàs non esset omninò irritus, idq; testatur conformius esse praxi: econtrà affirmant probabilissimè *Covar. Ledesm. Henriq. Coning. Rebel. Laym. Averf. q. 8. s. 3. n. 182. Kriemer à n. 8.* rationẽ dant, quia Tridentinum solùm irritat Matrimonium, non verò sponsalia clandestina, ùt clarum est ex textu citando *Casu seq. n.* 1. & testatur quotidiana praxis: deinde si sic contrahant impuberes, valet Matrimonium in ratione sponsalium, *d. c. un. de desponf. imp. in 6.* ubi redditur ratio: *quia mens contrahentium censetur esse, ut si actus non valeat quoad omnia, valeat tamen quantum potest*, atqui eadem censetur esse mens puberum sic contrahentium, ergo. 8. Sponsalia ante annum ætatis 7. contracta non inducunt hoc impedimentum, quia sunt invalida, *l. 14. ff. de sponf. c. litteris c. accessit de desp. impub.* similiter sponsalia ficta, non mutua, indeliberata, vel sub solo veniali obligantia, vel uni indeterminatè facta non causant publicam honestatem, quia non sunt strictè sponsalia. vid. *Cas.* 104. *q.* 1.

QUÆR. IV. Quid de impedimento ætatis? 21. §. 1. Ad valorem Matrimonii requiruntur & sufficiunt anni pubertatis, duodecim nempe in fœminis, 14. In Masculis *toto tit. de impub.* nisi malitia suppleat ætatem, ita ut præter discretionem etiam adsit potentia generandi, quod ex fornicatione vel imprægnatione colligitur, tunc enim ante hos annos valeret Matrimonium, licèt non dispensetur. 2. Anni pubertatis debent esse completi de momento ad momentum. *Pont. Pign. to. 10. n. 11. Reiff. n.* 12. contra *Brunell. Sylv. Sanch. Schmalzg. n.* 60. qui probabiliter dicunt sufficere diem ultimum esse inchoatum ob favorem Matrimonii; sed ratio nostra est, quia jura expresè requirunt annum completum, & si possit deesse dies, cur non duo? si duo, cur non tres, vel unus vel alter mensis? ùt vult *Rebell.* 3. In ætate ex urgentissima causa v.g. pro pace vel bono communi dispensare potest Episcopus, præsertim si dubium sit, an ætas sit completa vel malitia suppleat ætatem. *Cov. Barb. Pirh. tit. 2. n. 33.* hoc ipso enim quòd Pontifex *c. 2. de desp. impub.* permittat dispensationem, eamque sibi non reservet, censetur eam concedere Episcopis. 4. Attentantes Matrimonium ante ætatem legibus determinatam peccant mortaliter, nisi excuset causa urgentissima v.g. cõciliandæ vel conservandæ pacis. *Palu. Croix Schmalzg. n. 68.* contra *Sanch. Pont. Zoes.* quia Nicolaus primus *c. 2. de sponf. impub.* utitur verbis: *districtiùs prohibemus.* quòd Matrimonia impuberum habeant vim sponsalium, dixi suprà *n.* 20.

# CASUS CX.

## De impend. clandestinitatis, impotentia, & raptu.

YSius *querit* 1. *Coram quo Parocho contrahere debeat.* 2. *An valeat coram Parocho invito vel distracto.* 3. *An coram Parocho originis vel quasi domicilii.* 4. *An coram Parocho sponsæ, interdicto, suspenso &c.* 5. *Quis hic veniat nomine Parochi, quid de habente titulum coloratum, vel intruso.* 6. *Quis de licentia Parochi assistere possit, & an sufficiat licentia tacita vel præsumpta.* 7. *Generalis, metu extorta, petita & acceptata per servum.* 8. *Dolo obtenta, & quid de habente licentiam contrahendi coram Parocho S. Petri & contrahit coram Parocho S. Pauli.* 9. *Quid de vagis,* 10. *Militibus.* 11. *Quid de Parochia vel Diœcesi, ubi Trid. non est promulgatum.* 12. *Quid de eo, qui exit è loco, ubi Trid. viget, ad locum ubi non viget,* 13. *Vel econtrà, & quid si Trid. obliget in Parochia sponsi & non sponsæ.* 14. *Quid si nullus in loco sit Parochus vel lateat aut tutò adiri non possit.* 15. *Quid de Matrimoniis hæreticorum in Hollandia, Frisia &c.* 16. *Francia, Bohemia, Julia, patria Montensi.* 17. *An Catholicus assistere vel benedicere possit Matrimoniis hæreticorum, vel contrà.* 18. *Quid de urbibus Augustâ, Ratisbonâ, Argentorato, Trajecto,* 19. *Quid si miles Hollandus Catholicus cum Bertha hæretica contrahat Coloniæ coram prædicante suæ legionis.* 20. *Quid de viatoribus.* 21. *Quid de impotente, Eunucho, Tolasio, Hermaphrodito,* 22. *Senibus,* 23. *Sterilibus, ægrotis &c.* 24. *Quid in dubio?* 25. *Quid de impotentia,* 26. *Quid in dubio, an sit perpetua.* 27. *Quid si post separationem ex causa impotentiæ factam esset impotentia.* 28. *An impotentia debeat esse antecedens, & quid in dubio.* 29. 30. *Quid de impedimento raptus?* Pro resolut.

QUÆR. 1. Quid de Matrimonio Clandestino?

R. *Matrimonium Clandestinum* vocatur, quod contrahitur sine Parocho aut testibus, de quo *Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. Matrim.* sic statuit: *qui aliter, quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit*; an verò ejusmodi Matrimonia valeant in vim sponsalium, dixi *Cas. præced. n.* 20. igitur ut matrimonium valeat 1.

1. Requiruntur ad minus duo vel tres testes, sufficiunt verò quicunque impuberes, infames, religiosi, excommunicati, hæretici, infideles, alit- 1.

aliique de cœtero inhabiles, quia ex mente Trid. plus non requiritur quàm ut sint rationis capaces, qui de Matrimonio testari possint.

2. Requiritur præsentia Parochi & testium non solùm Physica, sed & *Moralis*, id est, talis, ut per se vel per interpretem intelligant & actualiter advertant quid agatur, aliàs enim non poterunt testari; non tamen requiritur ut adsint rogati vel voluntariè, sed sufficit adesse invitos, idque *Kugl. hic n. 1012.* dicit esse certum, *& Genett. c. 4. q. 10.* pro hoc adducit Declarationem Cardinalium.

3. 3. Requiritur assistentia proprii Parochi: *proprius* autem *Parochus* dicitur, in cujus Parochia habes domicilium vel quasi domicilium, si ibidem habitas cum animo perpetuo manendi, habes verum domicilium, si cum animo tantùm permanendi ad majorem partem anni, ùt famuli, studiosi &c. habes quasi domicilium, idque primo statim die, utrumque sufficit ad acquirendum jus Parochiæ in ordine ad Matrimonium. *Sanch. l. 3. d. 13. Kugl. n. 299. Reiff. àn. 60.* non verò sufficit locus originis, *Pont. Bosco d. 11. n. 400. Pign. to. 5. cons. 79.* qui tamen semel habuit domicilium in loco originis, & semper retinet animum revertendi, & ibi habitandi, retinuit domicilium habitationis, etiamsi pluribus annis abfuerit & alibi habeat quasi domicilium, ita ut in utroque loco copulari possit, quia non amittitur domicilium, dum quis discedit animo revertendi. *Pign. to. 7. consult. 63.* pro hoc citans decisionem Rotæ; similiter habitans æqualiter vel quasi æqualiter in duplici Parochia v. g. hyeme in una, æstate in altera, in utralibet copulari potest. *Sanch. d. 24. n. 2.* Principes non copulari possunt in omnibus locis sibi subditis, sed tantùm à Parocho palatii, in quo ordinariè resident. *Croix p. 3. n. 724.* 4. *Konig hic n. 13.* 4. Sufficit, ut assistat alteruter sive Parochus sponsi sive sponsæ, sive existat in sua Ecclesia vel Diœcesi sive extra, sive Sacerdos sive Diaconus, irregularis, suspensus, interdictus, excommunicatus, *Nav. Sanch. n. 4. Bosco l. c.* quia talis manet verus Parochus & assistere Matrimonio non est actus jurisdictionis saltem contentiosæ, sed actus testimonii qualificati: excipe Parochum depositum, qui non manet Parochus, hinc non potest amplius assistere. 5. Nomine Parochi hîc veniunt Papa, nuntii pro sua Provincia, Episcopus & ejus Vicarius, & omnis Sacerdos habens titulum Parochiæ saltem coloratum seu laborantem occultâ nullitate, ita tamen ut adsit error communis, quo credatur verus Pastor, quia tunc supplet Ecclesia. vide *Cas. 99. n. 5.* ubi etiam dixi, ad jurisdictionem non sufficere solum errorem communem absque omni titulo etiam colorato, unde invalidè assistit intru-

trusus, qui absque omni collatione vel institutione Canonica Parochiam occupat, quamvis opposita sententia [ quam tenent *Dian. p. 3. t. 4. §. 3. Pont. l. 5. c. 20. Bosco n. 372. Wiest. n. 56. Pignat. to. 6. consult. 31. à n. 14.* ] verè sit probabilis, quia utilitas publica non minùs exigit, ut Ecclesia in hoc quàm in priori casu
6. suppleat. 6. De licentia Parochi validè assistit quilibet Sacerdos etiam excommunicatus, non toleratus, suspensus &c. Diacono autem assistentia nec licitè nec validè committi potest juxta clara verba Trid. *qui aliter quàm præsente Patrocho vel alio Sacerdote de Parochi licentia &c.* licentia hæc debet esse *expressa* verbo, signo, aut scripto, vel *tacita* Parocho vidente vel cum facilè possit non contradicente, non sufficit præsumpta de futura ratihibitione. *Barb. Sanch. Gonz. Engel hic n. 15.* ita ut nequidem in casu necessitatis Confessarius ex præsumpta licentia concubinarium v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem validè copulare possit, nec facilè credendum est dicentibus se habere licentiam, nisi scripto vel alio signo eam probent. Sufficit tamen licentia
7. generalis administrandi totam Parochiam vel omnia Sacramenta, idque maximè si Pastor absens non possit per se ipsum conferre Sacramenta. *Barb. Sanch. sup. Sporer à n. 364.* citans pro hoc Declarationem Cardin. & cùm talis sit delegatus ad universitatem causarum seu ad omnes causas, poterit alterum subdelegare ad particularem causam. *Krimer n. 681. Kugler 330.* item sufficit *licentia metu extorta, ficto animo data, revocatione* vel *morte dantis sublata*, dummodo fictio, revocatio, vel mors communiter ignoretur, quia tunc adest titulus coloratus, scilicet licentia saltem exteriùs concessa, & error communis ignorantium hanc licentiam esse metu extortam, fictam, revocatione vel morte sublatam. Denique valet licentia petita, & acceptata per servum, etsi ad Dominum necdum pervenerit; attamen usus talis licentiæ ante habitam ejus notitiam est illicitus, quia periculum est, ne ob nondum datam fortè licentiam Matrimonium fiat invalidum; similiter valet *licentia dolo obtenta*, si dolus sit causa solùm 8.
impulsiva, ob quam licentia faciliùs non autem simpliciter data est, aut fuisset adhuc danda, si dolus abfuisset, secùs si dolus sit causa motiva, cessante enim motivo cessat consensus; qui obtinuit, ut possit inire coram Parocho S. Petri, si ineat coram Parocho S. Pauli, assistentia erit valida, si designatio Parochi S. Petri facta est in gratiam petentis, nam tunc est tacita licentia ut etiam alium adeat, secùs si designatio facta est ex speciali causa, ita ut non misisset ad alium. *Croix n. 735.* Copulans alienos sine licentia Parochi incurrit ipso facto suspensionem

usque

usque dum ab Ordinario proprii Parochi absolvatur, à qua tamen suspensione excusat ignorantia etiam crassa, quia Trid. loquitur de illis qui præsumpserint aut ausi fuerint. vide *Cas.* 113. 7. Matrimonio *Vagorum* [id est talium qui nullibi domicilium habent] juxta *Sanch. d. 25. n. 11.* 9. validè potest assistere quilibet Parochus, idque *Pirh. hic n. 13. Wiest. n. 50.* dicit esse probabile: at probabiliùs vagis assistere debet Parochus loci, in quo actu hospitantur. *Perez. Dicast. Vallen. hic n. 12. Zoës ibid. n. 11. Kugler n. 304. Ratio est*, quia vagi debent habere proprium Parochum, sed magis congruentior assignari non potest quàm Parochus loci in quo actu sunt; accedunt plures Declarationes Cardinalium, de quibus testatur *Pont. l. 5. c. 14.* sufficit autem alterutrum sponsum vel sponsam esse vagum. *Gutt.* 10. *Croix n. 750. Schmier. c. 5. n. 104.* inter vagos computantur milites, quia non possunt habere animum habitandi in loco certo, cùm debeant continuò esse parati ad migrandum quocunque officialis jusserit, ideóque semper contrahere poterunt coram Parocho loci ubi hospitantur, etiamsi habeant Capellanum campestrem: quia huic non datur facultas privativè sed cumulativè cum Parocho loci, ùt respondit *S. Congreg. 29. Maji. 1683.* apud *Schmalzg. n. 167.* imò Curio seu Capellanus campestris ut validè assistat debet habere specialem ad id facultatem vel à Papa vel ab Episcopo loci, ùt certum est ex Decreto *S. Congreg. de 29. Jan. 1707.* apud *Reiffenst. n. 97.* & quidem si facultas Papæ tantùm sonet pro castris, non possunt assistere in præsidiis, & facultas concessa ab Episcopo non extendit se ultra ejus Diœcesin, quia plus non potest concedere quàm ipse habet. *dixi, validè*, nam ut quis Matrimoniis vagorum licitè assistat, juxta Trid. c. 7. requiritur diligēs inquisitio super impedimentis & licentia Ordinarii, idq; sub pœna suspensionis præcipit Synodus Colon. de anno *1662.* quæ etiam circa peregrinos & advenas observanda sunt, hinc ab iisdem juramentum exigi solet, quòd nullo impedimento vel alio Matrimonio ligati sint. *Pirh. n. 19. Eng. l. c. Schamb. n. 14.*

8. Ut Trid. quoad assistentiā Parochi & testium obliget, debet esse promulgatum non tantùm in Diœcesi, sed in Parochia, ùt habet ipse textus, præsumitur autem ibi promulgatum, ubi aliquo tempore fuit observatum, ùt declaravit S. Cōgregatio apud *Bosco p. 5. d. 11. s. 9.* in locis ubi Trid. promulgatum non est [velut in Turcia, Persia, & omnibus terris Infidelium, Anglia, Hibernia, Scotia, Dania, Prussia, Saxonia, testibus *Neusser, Reiff. Kugl. n. 289.* Polonia quoad majorem partem] Matrimonia sine assistentia Parochi sunt valida non tantùm quoad hæreticos & Catholicos ibi habitantes, ùt certum est, sed etiam quoad peregrinos & transeuntes, aut Mercaturæ causâ ad tempus ibi subsistentes. 11.

*Barb.Sanch.d.18.n.27.Pirh.n. 9.Engel n. 20. Bosco l. cit. Ratio* primæ partis est,quòd ipsũ Trid. dicat:hoc suũDecretum non habere robur nisi 30. die post factã in Parochia promulgationem, ubi ergo promulgatum vel receptum non est,robur non habet. *Ratio* 2dæ partis est , quòd contractus fortiantur forum loci,& peregrini nõ obligentur legibus domesticis. 9.Qui
12. exit è loco ubiTrid. viget ad locũ ubi non viget , solo animo contrahendi Matrimonium & non constituendi ibi domicilium invalidè contrahit,ùt declaravit Urb.VIII.in suo Brevi anno 1627. dato adArchi - Episcopum Colon.si autem illuc se transferat animo verum vel quasi domicilium constituendi,quamvis id studio faciat in ordine ad contrahendum clandestinè Matrimonium, validè contrahet nec ei tunc fraus patrocinatur, sed domi-
13. cilium acquisitum.10. Qui è loco ubi Trid. non obligat exit ad locum in quo obligat, debet ibi servare formã Trid. ideóque si velit in tali loco contrahere,debet contrahere coram proprio,id est siti veri vel quasi domicilii Parocho,vel saltem cum ejus licentia: aliud est de vagis,qui nullibi domicilium,ideòq; nec fixum Parochum habent;*Ratio* est,quòd peregrini,quamvis regulariter nõ obligentur legibus locorum, per quæ transeunt,attamen tenentur saltem servare solemnitates substantiales contractuum , quia hìc regulantur juxta forum loci. *Pign.t.5. consul:.79.n.33.Pirh.n.* 10. *Schamb. n.9. Schmalzg.n. 101.* unde si in Parochia sponsi Trid. sit promulgatum, non verò inParochia sponsæ, Matrimonium clandestinum invalidè contrahetur inParochia sponsi, validè & illicitè inParochia sponsæ.11.In locis hæreticis [ubiTrid.quidem fuit promulgatum,sed de facto vel nullus est vel ob metum hæreticorum latet, aut tutò adiri non potest Parochus,Episcopus vel alius Sacerdos licentiam habens] valet Matrimonium etiam Catholicorum sineParocho,adhibitis tamen testibus , quia tunc Parochi præsentia est moraliter impossibilis, & est quasi non essetParochus, ac ita declaravit multoties S. Congreg. in specie anno 1605.19. Jan. testibus *Pirh.n.12.Zyp.de Matr.l.4.n. 6.Gobat t. 9.n.475. Reiffenst.n. 132. Dices:* ergo ex præsumpta licentia vel per Epikeïam valebit Matrimonium coram Confessario ex causa gravissima, ut si Princeps in articulo mortis velit ducere concubinam ad legitimandas proles , ne Principatus deveniat ad manusAcatholicas,saltem siParochus casu absit vel instans mors non permittat eum exspectare. &c. Quamvis aliqui *cumSoto,Graff,Amic.d.7.n.136.* Id concedant, tamen communissima negat , quia constat ex praxi Ecclesiæ Papam in priori casu dispensare, non verò in aliis , etsi majoris sint necessitatis , & lex irritans seu præscribens formam substantialem contractibus non patitur interpretationem seu Epikeïam. 12. Plures & graves DD. 14. 15.

valde

valde probabiliter docent, valere Matrimonia hæreticorum sinè proprio Parocho vel cum alio impedimento juris, Ecclesiastico, v. g. affinitatis vel consanguinitatis in 3tio & 4to gradu, honestatis publicæ contracta in iis locis, in quibus Trid. quidem est promulgatum, sed ob prædominantes hæreses non observatum, veluti Hollandia, Zelandia, Frisia aliisque locis confœderatis, quibus jussu Philippi 2di Hispaniarum Regis Concilium Trid. fuit quidem promulgatum, sed prævalente hæresi minimè observatum; *Ratio* est, quòd consuetudo à 100. & pluribus annis contraria videatur prævaluisse contra Legem Ecclesiæ, Ecclesiâ sciente & non contradicente, imò filios eorum, si convertantur, ad S. Ordines admittit, vid. *Cas. 106. q. 6. totâ*; hæc 16. tamen intellige de locis subjectis Principi vel Magistratui Acatholico; nam quoad loca subjecta Principi Catholico, ùt Francia, Bohemia, Julia, patria Montensis, si Parochus Catholicus haberi possit, non videtur satis probabile, quòd valeant Matrimonia sine Parocho proprio contracta, quia ibi consuetudo contraria cum tacito consensu Superioris locum non habet, cùm non tantùm Ecclesia, sed & ipsi Principes Catholici sæpe reclament: estque hoc verum, etiamsi unus vel uterque contrahentium sit hæreticus, adhuc enim contrahi debet coram Sacerdote Catholico si haberi possit, neque valet contractum coram Magistratu vel Ministro hæretico, ùt declaravit S. Congreg. 2. Maji 1676. 1677. 1696. apud *Neuser d. 182. q. 2. Schmalzg. n. 115. 13.* Pastor Catholicus licitè assistit Matrimoniis hæreticorum in suaParochia habitantium, absq; tamen benedictione, tum quia est verus eorum Parochus tum quia post Conc. Constant. non est prohibitum communicare cum hæreticis in sacris aut politicis, nisi sint nominatim denuntiati, neque ipse tanquam Minister confert Sacramentum indignis, sed tantùm assistit tanquam testis qualificatus. *Laym. sup. n. 8.* e contrà Matrimonium contrahere coram Ministro Acatholico, vel ab eo benedictionem accipere juxta *Less. in auctuario Cas. 24.* videtur esse per se malum, & nequidem ad evitandam gravem pœnam permissum, quia est in facto profiteri ipsum esse verum Ecclesiæ Ministrum: comparere tamen coram Ministro vel Magistratu Acatholico ex causa merè politica, v. g. ut inscribantur tanquam veri conjuges & proles habeantur legitimæ, [quamvis adsit aliqua politica congratulatio, concio, preces vel etiam verba significantia Matrimonium] non videtur per se malum, ideóque ex gravi causa permissum. *Less. l. c. Verjuys tr. 13. a. 7.* Ex dictis pro majori dilucidatione

17. Inferes sequentia: 1. probabiliùs non valere Matrimonia Catholicorũ 18.

& hæreticorum sineParocho Catholico contracta Augustæ, Ratisbonæ, Argentorati, Trajecti adMosam aliisque urbibusGermaniæ, in quibus Catholici cum hæreticis permixtim vivunt, quia in iis Trid. est publicatum, & regimen ex parte est Catholicum, & Parochus Catholicus facilè haberi potest. 2. In Hollandia probabiliter valet Matrimonium hæreticorum coram Prædicante vel sineParocho, unde resolvitur hic Casus: Titius miles Catholicus legionis Hollandicæ Coloniæ coram suæ legionisPrædicante & duobus testibus ducitBertham Acatholicam, quæritur an validè? R. Si Bertha pertineat ad istam legionem probabiliter valet, quia talia Matrimonia in Hollandia habentur pro validis, & legionesHollandicæ extra Hollandiam gaudent eodem jure vel dissimulatione Ecclesiæ, quo gauderent existentes in patria, quia censeri possunt velut Parochiæ cum suo pseudo-Parocho ambulantes: ex eadem ratione miles Hollandus Acatholicus [idem est de Saxonico, Prussico &c.] ubique etiã in locisCatholicis coram Prædicante validè ducitCatholicam; siBertha nõ pertineat ad istam legionem, Matrimonium est nullum, quia Prædicans non estParochus Titii, & dissimulatio Ecclesiæ non est extendenda ultra casus receptos. *Croix n. 753. 3.* Si quis perSaxoniam, Prussiam, vel alia loca, ubiTrid. promulgatum vel receptum non est, tanquam viator vel peregrinus transeat, potest ibi clandestinè contrahere, quia contractus fortitur forũ loci; si verò quis transeat per loca, ubiTrid. promulgatũ est, nõ potest nequidem corã Parocho loci contrahere, nisi sit vagus; *Ratio est*, quia cùm non intendat ibi per majorem partẽ anni subsistere, nullum ibi habet domicilium: econtrà si habeat animum ibi per majorem partem subsistendi, vel sit vagus, statim primâ horâ corã Parocho loci contrahere potest. 4. Si qui habitent in Parochia planè Acatholica & soleant accipere aliaSacramenta àParocho Vicario, etiã debent coram illo contrahere Matrimoniũ, quia censetur proprius ipsorum Parochus, cui in facto se subjecerunt. 5. Si unus sponsorum sit Catholicus & pro contrahendo vel renovandoMatrimonio non ausit adire Parochum Catholicũ, eò quòd sit periculum ne ipse autParochus prodatur, capiatur, carcere vel bonis mulctetur, non est opus ut assistat Parochus Catholicus, quia non est tutus ad eum accessus.

19.

20.

QUÆR. II. Quid de impedimento impotentiæ? R. Impotentia dirimens Matrimonium *est perpetua physica & antecedens incapacitas exercendi copulam carnalem de se aptam ad generationem*: hæc non tantùm jureEcclesiastico *tit. de frig. & Malef.* sed & jure naturali dirimit Matrimonium, quia de essentia Matrimonii est traditio corporum de se aptorum ad generationem cùm jure ad copulam, ùt dixi *Cas. 105. q. 1.* & inhabilis ad solvendum, est inhabilis ad promittendum. *Dicitur 1.* ImpotentiaPhysica, nã purè

21.

mo-

moralis,qualis oritur ex voto simplici, non dirimit sed tantùm prohibetMatrimonium:ex defectu potentiæ physicæ ad Matrimonium inhabiles sunt: Eunuchi utroq; testiculo carentes, ùt certum est ex Constit.59.Sixti V.quia carent vero semine; aliud est de spadone, qui uno tantùm caret testiculo: item de Thlibio seu Thlasio, cui testiculi attriti sunt, sed non ita quin possit perficere verum semen, quia experientiâ constat hos esse ad generationem aptos. Hermaphroditi contrahere possunt secundùm sexum prævalentem. *l. quæritur ff. de statu homin.* si neuter sexus prævaleat, datur iis optio, modò jurent manere in illo
22. sexu quem semel elegerunt. *Pirh. tit. 15. n. 3.* Senes ita debiles ut nullâ arte ad copulam juvari possint, probabiliùs nõ possunt contrahere Matrimonium, quia habent impotentiam perpetuam in futurum. *Nav. Sanch. l. 7. d. 92. n. 70. Schmalzg. tit. 15. n. 33.* si verò senes juvari possint ad copulam, certum videtur posse validè contrahere, etsi per accidens generare non possint, quia retinent totam potentiã seminativam, & ita habet praxis Ecclesiæ. *Lex c. nuptiarum 41. caus. 27.*
23. *q. 1.* Steriles validè contrahunt, ùt patet in Abrahamo & Sara,in Zacharia & Elisabeth,quia habent verũ semen, etsi per accidens impediatur à suo effectu. *S. Th. in 4. dist. 34. q. un. Sporer n. 122.* si quis ex morbo est incapax copulæ, etsi de sanitate desperet, adhuc est capax Matrimonii etiam in articulo mortis, quia talis impotẽtia non est ex se perpetua. *Kugl. tit. 2029. Eng. tit. 15. n. 4.* similiter validè contrahit mulier, etsi nequeat retinere semen intra matricem, modò vas ejus penetrari possit, quia potest habere copulam de se aptam generationi, etsi per
24. accidens semen effluat. Si quis probabiliter est potens, etsi non omnino sit certus, adhuc licitè init Matrimonium, saltem si compartem moneat de suo dubio. *Schild. tr. 6. n. 94. d. 1. Dicast. de bapt. d. 1. n. 208.* tum quia omnimoda certitudo vix haberi potest præsertim in iis,qui diu castè vixerunt, & quilibet habet jus naturale ad Matrimonium, quamdiu non constat de incapacitate, & non datur aliud medium probandi potentiam generandi,tum quia Ecclesia separat conjuges qui per triennium frustra tentarunt copulam & permittit inire aliud Matrimonium, in quo sperant se posse consummare; ergo similiter licebit primò inire Matrimonium, quando est probabilis spes illud consummandi. *Dicitur 2. perpetua,* id est talis,quæ
25. mediis ordinariis licitis tolli non potest,hinc qui habet impotentiam,quæ tolli non potest, nisi per maleficium vel Miraculum, aut per mediũ valde difficile & periculosum, v.g. Arctitudo fœminæ per incisionẽ conjunctam cum periculo vitæ, ejusmodi impotentia censetur perpetua & moraliter incurabilis, nec mulier tenetur ejusmodi incisionem admittere, nec vir ejus eventum exspectare,secùs si incisio fieri possit absque notabili peri-

culo. *Gutt.Perez.Wiſt.t.15.n.12.Reiff. ibid.n.67.* poteſt autem maleficium & arctitudo eſſe reſpectu hujus perſonæ, ideoque & reſpectu hujus dirimere Matrimonium, quamvis non ſit nec dirimat reſpectu alterius. In dubio, an impotentia ſit perpetua, juſſu
26. judicis Eccleſiaſtici facienda eſt inſpectio corporis in viro per Medicos, in fœmina per obſtetrices & honeſtas Matronas: ſi factâ inſpectione appareant ſigna manifeſta impotentiæ perpetuæ, ſtatim ſperandi ſunt, nec permittenda eſt tentatio copulæ in Matrimonio manifeſtè nullo; ſi ſigna ſint dubia, conjuges *ex c. laudabilem de frig.* habent triennium pro ſumendo experimento, quo ſine fructu elapſo, ſeparantur præſtito prævie juramento quòd coire nequiverint, & ad novum Matrimonium tranſire per-
27. mittuntur. At quid ſi poſt ſeparationē ex cauſa impotentiæ factam ceſſet impotentia? R. Si impotentia ceſſet per miraculum, magiam, per ſciſſionem periculoſam vel aliud medium præter naturale valet Matrimonium. *c.ult. cauſ.33.q.1.* ſi verò impotentia ceſſaverit modo naturali, v.g. per uſum ſecundi Matrimonii, per ſciſſionem non periculoſam, ita ut etiam vero ſimiliter in primo ſublata fuiſſet, modò conjuges debitam diligentiam adhibuiſſent, invalida erit ſeparatio & ſecundum Matrimonium, ideoque primum erit redintegrandū. *Text.& DD.in c.6.de frig.* ſi verò mulier talis poſtmodum cognita fuit à viro diſſimili juniore vel habēte corpus magis proportionatum, quamvis per copulam cum ultimo reddita eſſet habilis etiam ad copulam cum primo, non ideo deberet reddi primo, quia ex hoc non probatur quòd impotentia reſpectu primi & alterius ſimilis non fuerit perpetua. *Sanch.d.q.3.n.12. Croix n.805. Dicitur antecedens* ſcili- 28.
cet Matrimonium, nam ſi impotentia Matrimonio jam contracto ſupervenit, illud non dirimit: *omnes.* In dubio, an impotentia ſit antecedens vel conſequens, *Laym.Pirh.n.22. Eng.n. 10.* dicunt præſumendum eſſe, quòd ſit antecedens, quod verum eſt ſi impotentia ſit naturalis, quia qualitas, quæ ex natura rei ineſt, ſemper ineſſe præſumitur, præſertim ſi copula ſtatim poſt Matrimonium contractum tentata exerceri non potuerit. Si impotentia ſit ex maleficio, meritò dicit *Gob.n.432.* rem eſſe planè incertam, cùm experientiâ conſtet ſponſos tam ante quàm poſt Matrimonium à maleficis ligari, in praxi [cùm Papa in Matrimonio rato diſpenſare poſſit, ùt dixi *Caſ.103.n.25.*] conſultum eſt pro ejuſmodi miſerè ligatis petere diſpenſationem: pro qua tunc eſt cauſa ſufficiens. Sed quid ſi poſt Matrimonium fiat impotens, v.g. per amputatos teſtes, an adhuc poſſit petere debitum? R. *affirm.* quia talis habet jus & per accidens eſt, quòd nō poſſit generare *Laym.Wiſt.n.33.Reiff.tit.15.n.65.*

QUÆR. III. Quid circa impedi- 29.
mentum raptûs? R. Raptus *eſt violenta abductio fœminæ in ordine ad contrahendum Matrimonium.* Trid. *ſeſſ.*
24.

*24. c.6. Dicitur* 1. *violenta* abductio; nam si abducta consentiat etiam invitis parentibus vel tutoribus, non erit raptus Matrimonium dirimens. *Sanch. Perez. d. 38. s. 4. Gob. n. 546. Reiffen. l. 4. tit. 1. n. 374. Ratio* est, quòd licèt parentes reclament, si tamen consentiat filia, non læditur libertas Matrimonii, quam unicè intendit Trid. si puella liberè contraxit sponsalia, & ex post contra voluntatem à sponso abducatur, adhuc erit impedimentum raptûs, si ipsa habeat justam causam resistendi abductioni vel resiliendi à sponsalibus, secùs si eam non habeat; tunc enim non erit abductio propriè injuriosa. *Barb. Tamb. l. 7. in dec. c.6. §.2. Dicitur* 2. 30. *fœminæ*, nam si vir abducatur, non incurritur impedimentum raptûs, *DD.cit.* quia Trid. solùm loquitur de raptu fœminæ, & in odiosis non est faciendæ extensio. *Dicitur* 3. *in ordine ad contrahendum Matrimonium*, nam si fiat alio fine v. g. causa libidinis, erit quidem raptus ad culpam, sed non impedimentū Matrimonii. *Bosco Tamb. l.c. Sporer à n.* 29. si fiat animo contrahendi Matrimonii, tam diu Matrimonium dirimit quam diu rapta est in potestate raptorisidque tenet etiamsi rapta existens in potestate raptoris liberè consentiat; si verò à raptore jam libera cum eo sponte cōtrahat, valet Matrimoniū, sed raptor erit ipso facto excomunicatus & perpetuò infamis. Trid. *l.cit.* si Titius rapiat fœminam pro Cajo ignorante, raptor quidem erit ipso facto excommunicatus, neuter tamen incurret impedimentum cum fœmina rapta, non raptor, quia non rapuit nomine suo, nec in ordine ad contrahendum secum Matrimonium, & constitutio Trid. utpote odiosa tantùm de rapiente principali intelligenda est: neq; Cajus, quia nullam causam raptûs dedit ùt supponitur, quam si dedisset, utique raptum incurret. *Sporer num. 31.*

## CASUS CXI.

### De Modo revalidandi Matrimonium invalidum & petenda Dispensatione.

ZAchæus *Parochus interrogatur* 1. *Qualiter revalidari debeat Matrimonium fictè vel ex metu contractum ex parte utraque*, 2. *Vel unâ tantùm.* 3. *Vel nullum ob affinitatem, consanguinitatem &c. an & qualiter nullitas alteri parti debeat notificari.* 4. *An revalidari debeat coram Parocho & testibus.* 5. *In quibus dispensare possit Papa*, 6. *Nuntius Apostolicus*, 7. *Episcopi, & quid hi possint in casibus Papalibus.* 8. *Quid si una pars sit Acatholica*, 9. *Vel sponsi spectent ad diversas Diœceses, & quid in dubio, an sit impedimentum.* 10. *Quid possint Episcopi & Regulares in*

*in votis impedientibus Matrimonium*, 11. *Vel petitionem debiti*. 12. *Qualiter dispensatio petenda Romæ*. 13. *Quid si dispensetur sine causa*. 14. *Ad falsa narrata*. 15. *Quid de angustia loci*, 16. *Paupertate aliisque causis*. 17. *Quandonam causa debeat verificari*. 18. *Qualiter impedimenta debeant exponi*. 19. *Quid faciendum Confessario, qui in confessione audit adesse impedimentum*. Pro resolut.

1. QUÆR. I. Qualiter Matrimonium invalidè contractũ revalidari possit? Rs. I. Certum est, quòd conjux sciens Matrimonium suum invalidum non possit ullo casu nequidẽ metu mortis uti copulâ conjugali, quia talis copula foret fornicaria, adeoque intrinsecè mala: quid autem in dubio de valore Matrimonii conjugibus liceat vel non liceat, dicam *Cas. seq.* 2. Si Matrimonium est invalidum defectu utriusq; consensûs, eò quòd uterque fictè ex metu, vel errore substantiali consenserit, Matrimonium revalidari debet per novum utriusque partis consensum sibi invicem exteriùs manifestatum, ad omnem enim contractum humanum jure naturæ requiritur sen-
2. sibilis utriusque partis consensus. *Omnes cum Sanch. l. 2. d. 32. n. 15. 3.* Si tantùm ex una parte ob fictionem vel metum defecit consensus, Matrimonium probabiliùs non validatur per liberam positionem ejusdem, ut venditio agri vel religiosa professio invalida ob defectum consensûs interni ex una parte, revalidatur hoc solo consensu accedente. *S. Tho. in 4. dist. 29. art. 3. q. 2. ad 2. Nav. Man. c. 22. n. 51. Lug. resp. moral. l. 3. dub. 2. & 16. Pirh. de spons. n. 83. & ibid. Konig n. 103. Schmalzg. ibid. n. 272. Ratio* est, quia consensus compartis ab initio fuit validus, utpote à persona habili positus, & perseverat virtualiter in petitione & redditione debiti conjugalis: tutius tamen est hunc novum consensum etiam exteriùs comparti verbo vel facto manifestare, eamque ad consensum pariter renovandum inducere; nam valde probabile est etiam compartis consensum ab initio fuisse nullum ob errorem in substantia, ùt volunt *Felin. Ledesm. Palao d. 2. p. 6. n. 3. Reiff. in append. n. 607.* videtur enim ideo consensisse in traditionem sui corporis, quia putabat & alterum verè tradidisse suum corpus. 4. 3.
Si Matrimonium est nullum ob impedimentum ab Ecclesia dispensabile, v. g. affinitatis, cognationis &c. præter dispensationem in impedimento requiritur novus consensus utriusque partis exteriùs manifestatus, est *communis*: *Ratio* est, quòd prior consensus utpote inter personas inhabiles fuerit omninò nullus, ergo postea non potest fieri validus, quamvis fortè perseveret virtualiter, *quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. Regul. juris *18. in 6.* debetque probabiliùs nullitas Matrimonii alteri parti aliquo modo manifestari; nam si hæc de novo quidem consentiat, sed ignara invaliditatis, consentiet ex priori errore, quo hunc mari-

maritum putat esse suum ideoq; pergit in substantia errare, nec hic quidquam operatur probabilitas sententiæ oppositæ, quia agitur de valore Sacramenti, & de valore consensûs Matrimonialis, quem Ecclesia supplere non potest, & ex hac causa videtur in litteris dispensationis addi: *Ut dicto conjuge certiorato de nullitate prioris consensus &c. dispenses*: igitur pars ignorans acceptâ subobscurè impedimenti scientiâ ad novũ consensum suaviter est disponendæ, dicendo v.g. Angor super valore nostri Matrimonii, rogo te ut pro quietanda mea cõscientia consensum mecũ renoves &c. quod si alter renuat, novis amoris indiciis ad id inducendus est absq; hoc quòd causa nullitatis exprimatur: interim si nullitas Matrimonii certa sit, à copula erit omninò abstinendũ, usq; dum consensus ex utraque parte fuerit renovatus: cautè etiam hîc procedat Confessarius, dum ex confessione audit nullitatem Matrimonii, nec statim illam indicet pœnitenti, sed priùs exploret, num conjuges se ament, pacificè conveniant, & sit spes revalidationis; si nulla omnino spes obtinendi consensum affulgeat, sed potiùs timeatur uxoris & prolium defectio, gravissima scandala & incommoda, relinquendi sunt in bona fide & fornicatione materiali. *Gob. Spor. Wist. tit. 16. n. 192. 5.* Quòd si Matrimonium sit invalidũ ob impedimentum publicum vel saltem duobus aut tribus notum, ita ut in foro externo probari possit, tamen publicè coram Parocho & testibus impetratâ dispensatione renovari debet, quamvis antecedenter coram Parocho, & testibus contractum fuerit; *Ratio* est, quia prior assistentia Parochi & testium non est sufficiens probare valorem Matrimonii, cùm per impedimentũ publicum vel pluribus notum probari possit nullitas Matrimonii; ergo requiritur nova Parochi & testium præsentia; econtrâ si impedimentum sit ita occultum, ut in foro externo probari non possit, Matrimonium semel in facie Ecclesiæ contractum poterit prævia dispensatione etiam occultè renovari non adhibitis de novo testibus & Parocho. *Laym. hic p. 4. c. 14. Perez. Palao Bosco d. 12. s. 14. Sporer num. 469. Schmalzg. tit. 16. n. 277.* & ita declaravit Pius V. teste *Nav. c. 22. n. 70.*

4.

QUÆR. II. Quinam super impedimentis Matrimonii dispensare possint? §. I. In impedimentis jure naturæ & divino [qualia sunt error, vis, ligamen &c.] nemo propriè dispensare potest: in impedimentis juris Ecclesiastici dirimentibus per se loquendo potest solus Papa, in prohibentibus etiam possunt Episcopi & Legati Apostolici, excepto voto perpetuæ castitatis & Religionis, ac sponsalibus legitimis. *Dixi, per se loquendo*, nam per accidens poterunt Legati & Episcopi etiam dispensare in dirimentibus, quousque hoc illis ex privilegio vel consuetudine fuerit con-

§.

concessum. 2. Nuntii Apostolici ex concessione S. Pontificis ordinariè habent facultatem dispensandi pro
6. utroque foro cum pauperibus Catholicis in tertio & 4to gradu, simplici, & mixto; item in 2do affinitatis simplici, vel etiam primo ex copula fornicaria, si impedimentum sit occultum, & immineat scandalum, vel aliud grave malum, nec possit è S. Pœnitentiariâ dispensatio exspectari, sive Matrimonium sit contrahendum sive contractum; cum hæreticis verò conversis etiam non pauperibus quoad Matrimonium contractum in 2do consanguinitatis gradu simplici & mixto, item in cognatione spirituali, præterquam inter levantem & levatum, in impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus, in impedimento criminis neutro tamen conjuge
7. machinante. 3. Eandem ferè cum Nuntiis facultatem habent Episcopi, qui in casu necessitatis pro foro conscientiæ dispensare possunt in casibus Papalibus, non tantùm quoad Matrimonium ex una saltem parte bonâ fide contractum, ùt plerique concedunt, sed etiam quoad Matrimonium contrahendum, si concurrant hæc tria: 1. Magna & urgens necessitas & in mora periculum, v. g. peccati, gravis infamiæ, vel scandali. 2. Ut non possit adiri Papa vel delegatus valens dispensare. 3. Si impedimentum sit occultum & non publicum publicitate juris vel facti, nec sit facilè publicabile, quamvis tribus vel quatuor notum sit. *Sanch. l. 2. d. 40. Bosco d. 12. s. 13. Barb. de potest. Ep. alleg. 33. Sporer n. 455. Croix n. 838. Reiff. app. n. 15. Eng. tit. 16. §. 3. Wist. ibid. num. 65. Schmalzg. ibid. n. 78. & teste Cardena disert. 21. n. 634. omnes ferè Theologi & jurisperiti*: & hanc potestatem tanquam ordinariam ratione officii competentem posse Episcopum alteri delegare, docent *Sanch. Reiff. n. 36. Krimer num. 2055.* *Ratio* est, quòd omnes leges conditæ sint ad bonum commune, ideoque S. Pontifex non censeatur in tali casu cum tanto animarum periculo sibi potestatem dispensandi reservare, & quamvis agatur de valore Sacramenti, tamen adhuc hic licere usum sententiæ probabilis dixi *Cas. 105. q. 4.* & Matrimoniũex tali dispensatione initum non est probabiliter sed certò validum, quia certum est, quòd consuetudo det jurisdictionem, ùt constat *ex c. cùm contingat de foro comp. c. Romana eod. in 6. c. Romana de sent. excomm. in 6.* & ibi *glossa*; certum est etiam tum experientiâ, tum testimonio omnium ferè Theologorum existere ejusmodi consuetudinem sciente & non contradicente S. Pontifice, item certum est ex consuetudine, bonâ fide per 10. vel 40. annos continuatâ præscribi jurisdictionem dispensandi; sed certum est Episcopos eam ultra 40. annos continuasse, ergo. Accedit quòd communis usus & consuetudo sit optima legum interpres, usus autem habet, ut Episcopus in tali lege dispenset, ergo. Prædicta intellige de omnibus

nibus casibus, in quibus Papa potest & solet dispensare. *Eng. n. 11.* quia nullâ ratione præsumi potest Papam concedere Episcopis, super quo ipse per S. Pœnitentiariam dispensare
8. non solet. 4. Si una pars sit Acatholica, non potest cum ea dispensare Episcopus vel Legatus, nequidem in 4to gradu, antequam sit actu conversa, idque tenet etiamsi sit gravis necessitas, quia etiam in gravi necessitate Legatus & Episcopus non dispensant, nisi ex præsumpta Papæ licentia, hæc autem hic non adest, quia ipse Papa cum talibus non dispensat.
9. 5. Si sponsi spectent ad diversas Diœceses, sufficit unum Episcopum dispensasse, non enim potest in uno cessare impedimentum v. g. affinitatis, quin cesset in altero: cum vagis dispensat quilibet Episcopus, cui se subjiciunt. 6. In dubio, an adsit impedimentum, Episcopus potest declarare non esse, aut etiam ad cautelam dispensare. *Garc. de benef. p. 9. c. 2.*
10. *n.* 10. 7. Episcopi & Regulares mendicantes, & cum iis communicantes pro foro conscientiæ dispensare possunt in omnibus votis Papæ specialiter non reservatis Matrimonium impedientibus, veluti in voto non nubendi, in voto suscipiendi S. Ordinem, voto castitatis non perpetuæ, etiam perpetuæ, sed pœnali, vel conditionato, ex metu emisso, ùt dixi *Cas. 71. àn. 5.* 8. Omnes regulares per totum orbem existentes dispensare possunt in Matrimonio ob affinitatẽ nullo, vi Privilegii Bullati à Leone X. concessi Augustinianis & per participationem aliis, *apud Roff. Chaising de priv. t. 5. c. 5. prop. 3.* his verbis: *quòd cum his qui in primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt [modò notorium id non fuerit, neque in judicium productum] dispensare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem contracto Matrimonio permaneant prole etiam legitimatâ.* vid. *Reiff. àn. 542.* quia tamen non satis constat de illo Privilegio, & illud à pluribus negatur, agaturque de valore Sacramenti, illud in praxi vix locum habere potest. 9. Episcopi saltem ex con- 11.
suetudine dispensare possunt cum conjugibus ad petendum debitum, sive obligatio non petendi oriatur ex incestu cum consanguinea conjugis, sive ex voto castitatis etiã perpetuæ, modò votum non sit emissum mutuo consensu, vel cum animo ingrediendi Religionem Matrimonio nondum consummato. *Anchor. Præpo. Sanch. l. 8. d. 12.* idem possunt regulares *teste Sanch. d. 16 n. 3. Veracrux Rodrig. Henriq.* non præcisè ex vivæ vocis oraculo à Pio V. Franciscanis concesso, quia Greg. XV. & Urb. VIII. revocârunt omnia vivæ vocis oracula, sed ex privilegio quod Eug. IV. per Bullam concessit Benedictinis Congregationis Cassinensis an. 1436. & Declaratione Julii II. apud *Murga & Reiff. n. 71.* idque non tantùm in, sed etiã extra confessionẽ, nec ad hoc indigent speciali licentiâ sui Provincialis vel Superioris salem vigore cit. Privilegii à Leone X. concessi. *Bordon. Ant. à S. Spiritu*

*Cælestin. Dian. p. 5. t. 13. R. 46. Sanch. n.*

12. 8. 10. Si dispensatio non possit dari ab Episcopo vel Nuntio Apostolico, debet peti Romæ pro impedimento publico in Datariâ, pro occulto in Pœnitentiariâ, expediet autem illam petere mediante Nuntiaturâ, quia per eam supplicæ certiùs diriguntur, & efficaciùs proponuntur. Varias formulas petendi dispensationem exhibet *Reiff. à nu. 426. Croix nu. 928. & Agenda Colon.* edita Anno *1720. à pag.* 206.

13. QUÆR. III. Quid circa causas dispensandi? R. seqq. 1. Papa scienter dispensans sine justa causa dispensat validè, sed illicitè: habens ab eo potestatem, nec validè nec licitè: Ratio primæ partis est, quòd impedimenta Matrimonii dispensabilia sint ab ipsa Ecclesia, ergo ab Ecclesiæ capite tolli possunt, quamvis non licitè, quia spectant ad bonum commune, quod sine justa causa lædi non potest. 2da pars etiam patet, quia Papa non concedit inferiori potestatem dispensandi, nisi

14. ex rationabili causa. 2. Dispensatio per falsa narrata vel retinentiam veri circa causam finalem & motivam impetrata est nulla & subreptitia: quia nec Papa nec alii Superiores intendunt dispensare, nisi causa, quæ eos movit ad dispensandum, revera subsit; dispensationes enim & rescripta habent hanc tacitam conditionem: si preces veritate nitantur. *c. 2. de rescript.* Dixi *circa causam finalem*; nam si sola causa impulsiva sit falsa, subsistat autem motiva, adhuc valebit dispensatio: idem dicendum, si duæ causæ adæquatæ & per se sufficientes allegatæ fuerint, & una tantùm deficiat, quia utile per inutile non debet vitiari. In dubio, an causa quam tacuisti vel falsò expressisti sit finalis, an tantùm impulsiva, præsumitur impulsiva, quia præsumendum est pro valore actûs: quænam autem sit causa motiva vel impulsiva, dixi *Cas. 49. q.* 1. 3. Causæ, quæ pro impetranda dispensatione cum fructu allegari possunt, sunt sequentes: 1ma *Angustia* 15.
*loci*, si scilicet in loco Originis ut plerique volunt, vel etiam in loco domicilii, oppido, Parochia, vel pago, in quo quis habitat, non possit haberi persona alia non impedita, æqualis in nobilitate, divitiis, vel etiã ætate, indole, moribus. *Gob. t. 9. n. 644. Krimer n. 2016.* imò *Tamb. Dian.* & alii docent adhuc esse angustiam loci, si tantùm sint 4. in oppido vel vicinia æqualis conditionis; in civitatibus tamen, quæ habent proprium Episcopum, ultra trecenta focularia (id est Herdt/ Fewrstätt) angustia loci locum non habet. *Conrad. in praxi dispensat. l. 7. c. 5. n. 4.* 2. *Paupertas*, pauperes autem 16.
hîc vocantur, qui quamvis aliquos census annuos tamen non tantos habent, quin cogantur Agriculturâ, Opificio, vel etiam arte liberali, ut pharmacopoëiâ se familiamque suam alere, & ita habere praxin in Diœcesi Constantiensi fatetur *Gob. t. 9. n. 658.* qui etiam dicit sufficere, si unus sponsorum

sorum sit pauper ; at in hoc non est audiendus, quia stylus Curiæ, qui vim Legis habet, est contrarius , teste *Corrad. l. 8. q. 5. n. 2.* ille etiam ex *communi* hîc dicitur pauper, qui sine statûs sui diminutione non potest solvere taxam Romanam, imò & illi hîc censentur pauperes , qui quamvis congruam habeant sustentationē, attento tamen statu & dignitate personæ & prolium numero videntur indigere, quāvis alioquin sint nobiles. *Mascar. de probat. concl. 1154. n. 4.* modū probandi sponsorum paupertatem exhibet *Croix n. 861. 3.* Est *pax & compositio* inter consanguineos vel affines, qui cum scandalo diu in lite fuerunt. 4. Est evitatio scandali , jactura famæ aut aliorum bonorum. 5. Est conservatio illustris familiæ. 6. Proles bonâ fide suscepta. 7. Merita in Ecclesia. 8. Si fœmina sit superadulta, hoc est, 24. vel 39. & plurium annorum, & hactenus non potuerit invenire sponsū paris conditionis, nisi hunc impedimento ligatum: item quod hic & non alius velit eam indotatam ducere. 9. Carentia dotis & similia , quæ causæ si non sufficiant singulæ, sufficient tamē
17. plures simul sumptæ. *Sanch. l. 8. d. 19. V. Agendam Colon. à pag. 204.* notandū autem hîc est, quòd causa dispensandi tunc verificari debeat, quando actu datur dispensatio, ideóq; si dispensetur in forma gratiosa seu quæ continet gratiam factam, quæ propriè dispensatio est, debent causæ esse veræ, quando gratia sit , esto postea deficiant: quando autē dispensatio expeditur in forma commissoria, seu quando non est continet gratiam factam à Pontifice, sed solùm mandatū gratiæ faciendæ ab eo cui committitur, narrata debent esse vera tempore executionis, licèt tempore datæ non essent veræ. *Corrad. l. 7. c. 2. n. 31. Garc. de benef. p. 6 c. 2. n. 283. Wiest. an. 94.*

QUÆR. IV. Quomodo impedimento exponi debeant pro impetranda dispensatione? R. 1. Ex stylo 18.
Curiæ Rom. de facto non tantùm exprimi debet gradus proximior, sed etiam remotior , ut sciatur an gradus sint æquales vel inæquales, quia Pontifex dispensans in uno non dispensat in alio. 2. Debet exprimi, an Matrimonium contractum aut consummatum sit bonâ vel malâ fide cum certa scientia impedimenti; nam in Matrimonio ex utraq; parte malâ fide contracto dispensare non potest Episcopus, & Papa rarissimè dispensat, prohibente id Trid. *Sess. 24 c. 5.* 3. Si copula illicita allegetur pro causa obtinendæ dispensationis, debet exprimi an copula sit adhibita ad facilitandā dispensationem, hoc enim redditur dispensatio difficilior. 4. Exprimi debet an impedimentum sit occultū, an Matrimoniū sit contractum an contrahendum, an sit periculū vitæ, scandali, vel incontinentiæ, an consanguinitas vel affinitas sit in linea recta vel transversa , an affinitas sit ex copula licita vel illicita, an copula habita sit cum pluribus ejusdem fœminæ consanguineis; toties enim novū constituitur impedimentū, quod non tenet,

si sæpius habita est cum eadem. *Gutt. Coning. Sanch. l. 8. d. 24. 5.* Exprimi debet Diœcesis originis utriusque sponsi & non domicilii; dicitur autem Diœcesis aut locus originis, in quo tempore nativitatis habitârunt parentes. *Krimer àn. 2193.* error circa Diœcesin, non verò patriam aut nomen oratorum invalidat dispensationem ob notorium stylũ Curiæ. *Sanch. Corrad. c. 5. n. 28. Schmalzg. tit. 16. n. 155.* idem est, si ponatur unum impedimentum pro alio v.g. affinitas pro consanguinitate, quia dispensatio est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra expressa.

19. QUÆR. V. Quid faciet Confessarius ex confessione audiens pœnitentem habere impedimentũ dirimens? R. Si Matrimonium adhuc sit contrahendum, illud dissuadeat, vel obliget ad petendam prævià dispensatione, si justa causa subsit, aliàs enim erit incapax absolutionis utpotè nolens facere, ad quod sub mortali tenetur, quod si non obstante tuâ monitione pœnitens coram te [suppono quòd sis ejus Parochus] contrahere velit, teneris assistere, nisi aliunde quàm ex confessione notitiam impedimenti habeas, aliàs frangis sigillum. 2. Si Matrimonium jam sit invalidè contractum, idque pœnitens sciat vel de eo saltem dubiter, seriò monendus est, ut sub prætextu pii voti vel itineris aut ex consensu mutuo conjugis à copula abstineat, usq; dum per se vel per te dispensationem impetrârit; quòd si impedimentum sit difficulter vel omninò indispensabile, eò quòd alter conjux adhuc vivat, vel Matrimoniũ ex utraque parte malâ fide sit contractum, nec separatio fieri possit sine aperto scandalo, gravissimâ infamiâ, damno prolium &c. neq; cohabitare possint sine periculo incontinentiæ; hic opus hic labor. Aliud non suppetit, quàm ut quovis possibili sed vero prætextu separentur aut fugâ occultâ, quæ viro fortè facilis est, fœminæ plerumque difficillima, aut ingressu religionis servatis servandis, vel divortii sub alio titulo [si adsit] procuratione sibi consulant; quòd si horum nihil succederet, & moraliter impossibilis sit separatio quoad habitationem ob gravissima pericula & scandala, Confessarius procuret, ut mediante voto vel juramento saltem lecto & nocturno cubiculo sint separati, vivantq; ùt frater & soror. 3. Si pœnitens bonâ fide ignoret nullitatem Matrimonii, regulariter in sua bona fide relinquendus est, ùt cum *communi* docet *Sporer n. 444.* quia ejusmodi monitio regulariter plus obesse quàm prodesse solet, eò quòd maritus non obstante monitione fortè sit perrecturus in copula, vel deserturus uxorem cum maximo scandalo, & damno liberorum, ideóque potes & debes dissimulare usque dum impetratâ occultè dispensatione sit spes eos ad revalidandum Matrimonim inducendi, colligitur ex *c. quia circa de consang. & affin. V. Cas. 106. n. 8. & n. 26.*

CASUS

# CASUS CXII.

## De usu Matrimonii.

ZOsima *Neosponsa ex Confessario petit* : 1. *An liceat copula in dubio de valore Matrimonii.* 2. *Quid si unus vel uterque voverit continentiam.* 3. *Quid de adultero, vel incestuoso.* 4. *An liceat copula ex sola voluptate, aut quando nulla est spes prolis, aut propter sanitatem.* 5. *Quid si non servetur situs aut modus copulæ.* 6. *Aut locus vel tempus.* 7. *Qualiter liceant conjugibus aspectus, oscula, tactus &c.* 8. *Delectationes morosæ.* 9. *Aspectus speciosæ imaginis tempore coitus.* 10. *An sit obligatio ad actum conjugalem.* 11. *Quid si conjux sit suspectus de adulterio.* 12. *Vel petat in ebrietate, nimis sæpe, infectus morbo.* 13. *Vel ob paupertatem proles nascitura ali non possit.* 14. *Aut petatur cum peccato.* Pro resolut.

QUÆR. 1. An & qualiter licitus sit usus Matrimonii?

1. R. De fide certum est Matrimonii usum per se licitum esse ; dicit enim Apostolus 1. Cor. 7. *uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.* Dico *per se* : nam per accidens variis modis usus Matrimonii potest fieri illicitus, ut 1. si unus vel uterque sit moraliter certus Matrimonium esse nullum, ita ut non habeat prudens motivum pro ejus valore, tunc sciens invaliditatem ex nulla causa, nequidem ex metu mortis petere aut reddere potest debitum, ùt dixi *Cas. præced.* quia redditio tali casu esset mera fornicatio, quæ est intrinsecè mala. In dubio, an Matrimonium jam bonâ fide contractum sit validum, diligenter inquirendum est in veritatem, & interim abstinendum ab omni copula & actu carnali ; si adhibitâ sufficiente diligentiâ dubium deponi non possit, probabilius & peti & reddi potest debitum, saltem si dubium in utramque partem sit negativum vel positivum. *Sot. Henriq. Sanch. l. 2. d. 4. Pirh. de spons. n. 181.* quia in dubio standum est pro valore actûs, & causâ favorabili, qualis est Matrimonium. *c. ex litt. de probat. l. 19. quoties de rebus dubiis*, & conjuges sunt in possessione Matrimonii bonâ fide contracti, ùt supponitur, & non est periculum nisi peccati materialis, cùm supposità sufficienti inquisitione inculpabiliter ignorent invaliditatem Matrimonii; sicut ergo possidens bonâ fide agrum, si superveniens dubiũ vincere non possit, licitè retinet & usurpat agrũ, licèt cum periculo injustitiæ materialis, sic & hic licitè utitur Matrimonio cum periculo materialis forni-

fornicationis, videturq; id decisũ *in c. laudabilem de frig. & malef.* ubi dicitur, quòd superveniente dubio de impotentia uterque possit ad triennium reddere & petere debitũ. *Nec obstat:* quòd in *c. inquisitione de sent. excomm.* dicatur: *cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet*; nam hoc c. loquitur de casu quo est motivum probabile pro nullitate, nulla autem probabilitas pro valore Matrimonii, tunc enim dicit reddi sed non peti posse debitum; aliud est si pro utraq; parte vel pro neutra sit ratio probabilis, & Matrimonium jam bonâ fide sit contractum, quod addo: nam si malâ fide sit contractũ cum dubio impedimenti, non Matrimonium sed lex non fornicandi est in possessione ideóq; si uterq; malâ fide cõtraxit, neuter petere aut reddere debitũ poterit; si unus contraxit bonâ fide & dubium vincere non potest, hic petere, & per consequẽs alter reddere tenebitur. *Palao Pirh. n. 180. 2.* Si una conjux ante Matrimonium emisit votum continentiæ
2. non potest petere, si tamen conjugem à petitione avertere non possit, obligatur reddere debitum *c. si dicat 33. q. 5.* de reliquo tenetur servare votum quantum potest, unde si altera conjux consentiat, vel per incestum aut adulterium se privaverit jure petendi, nequidem licebit reddere debitum, quia illud negare, & castitatem promissam servare potest absq; injuria compartis. Item soluto Matrimonio, etiamsi ante in petendo debito dispensatum fuerit, continentia integra servanda erit, nec sine dispensatione S. Pontificis [cui votum castitatis reservatum est] poterit transire ad alias nuptias vid. *Cas. 70. à n. 19. & Cas. 71. n. 14.* idem dicendum de voto, quod una conjux sine alterius consensu stante Matrimonio emittit, si verò altera pars votum simpliciter approbet, vel reciprocè castitatem voveat, neuter petere vel reddere poterit debitum. Si ex pòst forent in periculo incontinentiæ, oporteret petere dispensationem. 3. Adulter quidem potest petere debitum, innocens tamen non tenetur ei reddere; incestuosus cum consanguinea sui conjugis in primo vel 2do gradu petere non potest ob affinitatem quam contraxit cum propria conjuge: si autem marito non petente nec uxor ex verecundia petere auderet ideóque foret in periculo incontinentiæ, maritus se modestè insinuare posset, imò si ignoret suo incestui istã pœnam esse annexam, utì ordinariè contingit in rudibus, hanc pœnam probabiliter non incurrit. *Laym. hic c. 8. n. 8.* aut si eam incurrit, ùt probabilius est, à Mendicantibus, & cum iis participantibus absolvi potest, ùt dixi *c. præced. n. 11.* 4. Actus conjugii fit illicitus, si fiat ex indebito fine v. g. ex
4. mera voluptate, tunc enim erit saltem venialiter malus, ùt certum est ex prop. 9. ab Innoc. XI. damnatâ:

opus

*opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ ac defectu veniali:* Ratio est inversio ordinis: natura enim huic actui indidit voluptatē ad acuendā & aptiorem reddendam ipsam operationem generativam, ergo contra ordinem naturæ agit, qui ipsam operationem ad delectationem refert: igitur primarius finis copulæ conjugalis est generatio prolis, secundarius est vitare periculum incontinentiæ in se & in comparte, nec non comparti petenti reddere actum ex justitia debitum, ex ejusmodi fine usus Matrimonii non tantùm licitus, sed & potest esse meritorius, quia licitè honestéque potest quis uti Matrimonio ad finem, ad quem à Deo est institutum, sed Matrimonium post lapsum Adæ non tantùm institutum est ad generandam prolem, sed & secundariò in remedium concupiscentiæ, ùt patet ex 1. Cor. 7. *Revertimini in id ipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestram. S. Thom. in suppl q. 42. art. 2. in O.* Nec obstat, quòd fortè ob senium, sterilitatem, prægnantem uterum &c. non sit spes prolis, aut etiam ob paupertatem vel difficultatem partûs inefficaciter quis optet prolem non nasci, quia adhuc potest esse in remedium concupiscentiæ, & propter hunc finem dicit *S. Th. q. 51. art. 3. ad 3.* permitti senibus sterilibus Matrimonium, cur non & usus Matrimonii? & quamvis *D. Th. q. 49 art. 5. ad 4.* dicat esse veniale uti Matrimonio purè propter sanitatem corporis, tamen id æquè probabiliter & communiùs negant alii, quia ipse usus Matrimonii, & talis finis per se est honestus, nec semper teneor agere ex fine honestissimo, & cùm Matrimonium primariò sit institutum ad propagationem speciei, videtur secundariò institutum ad conservationem individui generantis, cùm species, nisi salvis individuis, propagari non possit. *Sporer n. 489.*

5. Si non servetur debitus situs vel modus copulæ, & non sit periculum effundendi semen extra vas naturale, ùti communiùs non esse testantur DD. si conjuges stando à latere, vel tergo congrediantur, aut vir sit succubus, mulier incuba, quamvis gravissimè propterea sint increpandi, probabiliùs tantùm peccant venialiter, & si sit justa causa, v. g. ne noceatur mulieri prægnanti, nullo modo. *Sanch. l. 9. d. 16.* Si experientiâ constaret esse periculum effusionis, aut talis situs adhibeatur ad impediendam prolem, foret mortale, imò omnis voluntaria effusio seminis extra vas est intrinsecè mala, & in vase præpostero est peccatum gravissimum. & species adulterii, juxta alios species Sodomiæ. Mulier, quæ recepto jam viri semine se manibus juvat ad copulam, peccat mortaliter, quia per seminationem viri copula jam est perfecta, ideóque ejusmodi procuratio seminationis ex post facta foret mollities. *Sanchez, Perez disp. 94. lect. 8. Gob. tr. 10. n. 59.* docent non peccare mulierem, si ob difficultatem prolis educandæ vel nimium partûs periculum tempore coitûs aliò animum convertat, ut sic ipsa non semineт & generationem prolis evitet: quod non possum approbare, videtur enim sic positivè impe-

diri generatio vel conceptio prolis, quod non licet etiam ex causa paupertatis vel difficilis partûs, sed tali casu potiùs mutuo consensu abstinendum
6. est ab usu conjugii. 6. Requiritur, ut copula fiat debito tempore & loco secreto: ratione temporis ratò peccatur, nam quamvis decentissimum sit die Communionis abstinere, tamen communiùs Theologi non agnoscunt obligationem. Idem plures dicunt de copula habita tempore menstrui, quam tamen sinè causa saltem petere erit veniale, quod à potiori tenet de copula cum puerpera physicè nondum purificata, quam plures dicunt esse mortale ob periculum matris aut prolis. Ratione loci peccatur mortaliter, si fiat in Ecclesia, nisi excuset necessitas, ut si conjuges tempore belli diu cogantur in Ecclesiis desertis habitare cum periculo incontinentiæ.

7. QUÆRES II. Qualiter conjugibus liceant cogitationes, affectus, delectationes, imaginationes, oscula, aspectus, sermones venerei &c.?

℟. Hæc omnia, si fiant in ordine ad excitandam copulam cum propria conjuge sinè periculo pollutionis, & absque imaginatione personæ alienæ, vel nullum sunt peccatum, vel tantùm veniale, nisi nimiùm excedatur honestas naturalis juxta sequentes explicationes. Sit autem venia verbis inhonestioribus pro explicatione præsentis materiæ omninò necessariis: *Omnia enim munda mundis*, teste Apostolo. Itaque 1. Quamvis plures probabiliter à mortali excusent conjuges se in partibus venereis osculantes, attamen mortalis, infanda, & bestialis libido est, membro ori imposito coire usque ad seminationem vel seminationis periculum; quis putâsset hoc fieri ab homine rationali? & tamen fit, prô nimis sæpè. 2. Aspectus, tactus, oscula, cogitatio & affectus ad copulam, & similia, si fiant cum præviso pollutionis periculo, etiam in conjugibus sunt mortale, etiamsi pollutionem directè non intendant, idque vel maximè tunc, si tactus sint ità venerei, ut proximè disponant ad pollutionem, aut sint quasi inchoata pollutio, & conjuges in eo loco existant, ubi copulam exercere non possunt; si autem absit periculum pollutionis, & ejusmodi amplexus, oscula &c. sinè diminutione amoris conjugalis negari non possint, non erunt mortale, præsertim ex parte reddentis, etsi præter intentionem aliquando sequatur pollutio. *Gobat. n 667.* erunt tamen veniale, si fiant ex mera voluptate; idem dicunt plerique de tactu venereo corporis proprii, si fiat præsente conjuge, quia tunc abest periculum pollutionis, ut supponitur, & ejusmodi tactus refertur ad copulam: absente autem conjuge ejusmodi tactus est mortaliter malus, quia nequit referri ad copulam, quæ tunc haberi non potest, sed ex natura sua tendit ad pollutionem, cujus periculum plerumque adest. 3. Delectatio morosa vel complacentia in actu & conjugii, si fiat animo se excitandi ad novam copulam, nullum est peccatum: si fiat ex mera voluptate, secluso tamen pollutionis periculo, est tantùm veniale ob defectum debiti finis: econtrà

trà delectatio de copula habita cum priore conjuge vel cum aliena, semper est mortale & adulterium mentale. Ratio est, quòd prior delectatio sit de objecto secundùm se licito, scilicet de copula cum sua conjuge, alia est de objecto illicito seu de copula cum non sua: hæc tamen intellige, si neuter conjugum existat in voto castitatis, nam si voto obstrictus incipiat tactus secum vel cum conjuge, vel morosè delectetur de copula, peccat mortaliter toties, quoties contra votum, ùt patet. Econtrà, si copula conjugalis ob circumstantiam extrinsecam sit illicita, v. g. ob periculum morbi vel abortûs, tactus, amplexus, delectationes morosæ & similes actus inter conjuges citra periculum pollutionis non esse nisi veniale docent Theologi communiter, eò quòd Matrimonium hæc omnia videatur in tantum cohonestare, & certè, si illa omnia forent mortalè, in periculosissimo statu versarentur conjuges juvenes se multùm amantes &c.

9. 4. Quamvis *Sanch.* & alii excusent saltem à mortali mulieres, quæ tempore coitûs aspiciunt speciosas imagines, ut earum intuitu formosas proles concipiant: rectè tamen fatentur, rem esse plenam periculo, imo videtur esse adulterium mentale, vel saltem evidens ejus periculum, sibi tunc imaginari formam alterius maris.

10. QUÆRES III. An, & qualiter actus conjugalis sit obligatorius?

11. Evoluto primo bimestri (quod conjugibus à jure ad deliberandum conceditur,) tenetur alter alteri seriò, justè & rationabiliter petenti debitum ex justitia & sub mortali reddere, ad hoc enim se obligârunt vi contractûs Matrimonii. Est communis & certa ex 1. ad Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro.* Item, *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus.* Dicitur 1. *Seriò petenti*, nam si conjux non petat copulam seriò & tanquam debitum, sed tantùm obiter, amicè & benevolè, nec ægrè ferat, si unâ vel alterâ vice modestè denegetur, non erit mortale; secùs si conjux sit valdè ægrè latura, aut præ verecundia non ausit instanter petere, vel sit in periculo incontinentiæ, tunc enim semper erit mortale vel semel debitum negare, quod à potiori tenet, si ex pertinacia, odio, vindicta vel morositate negetur, aut non reddatur, nisi post rixas, & cum magna difficultate. Est communis cum *Tann. disp.* 8. *q.* 6. *n.* 25. Dicitur 2. *Justè*, nam si conjux 11.
per incestum vel adulterium jus ad copulam amiserit, altera pars non tenetur ei debitum reddere, nisi & ipsa adulterium commisisset, tunc enim injuria per injuriam compensaretur, aut innocens injuriam liberè remittat verbo vel facto per voluntariam v. g. debiti petitionem vel redditionem, injuria enim semel remissa non reviviscit: ad negandum autem debitum non sufficit suspicio vel aliqualis probabilitas adulterii, sed requiruntur indicia quasi certa, quia ipse est in possessione juris sui, & delicta non præsumuntur. Dicitur 3. *Rationabiliter petenti*, nam irrationabiliter petenti sinè 12.

culpa negari potest, ut, si petat ex ebrietate, furore, amentia, si nimis sæpè & importunè, & non adsit periculum incontinentiæ, si ex redditione immineat periculum mortis vel gravis morbi, eò quòd v. g. petens sit infectus peste, leprâ, morbo gallico &c. non est obligatio reddendi, non enim censentur conjuges se ad ejusmodi casum non prævisum obligâsse, nisi periculum infectionis esset valdè remotum, & periculum proximum incontinentiæ, tunc enim locum habet, quod dicitur *C. 2. de conjug. lepr. Si virum vel uxorem leprosum fieri contingat, & infirmus à sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, solvendum est.* 13. Sola paupertas vel difficultas educandi prolem vix unquam sufficit ad negandum debitum, quia paupertas vix unquam tanta est, ut proles cum ordinaria DEI gratia, accedente propriâ industriâ, juxta cujusvis statum educari non possit, & econtrà in juvenibus diu abstinentibus rarò aberit periculum incontinentiæ. 14. Si petatur cum peccato solius petentis, ut si hic existat in voto, vel petat modo vel situ indebito, aut ex mera voluptate, & petitio bonis verbis averti non possit, potest reddi debitum, sed non est obligatio, ùt habet communis, quia, quamvis tunc petens peccet, tamen non amisit jus suum, & altera pars excusatur à cooperatione ex justa causa, ne scilicet graviter offendat, vel lædat amorem conjugalem: econtrà si circumstantia vel culpa teneat se ex parte ipsius copulæ, ut, si petatur in loco sacro cum evidenti periculo abortûs, cum inceptione extra vas naturale, est mortale & reddere & petere, nisi ignorantia excuset, quia tunc ipse actus secundùm se est illicitus, ergo eum ponere est peccatum ex parte utriusque.



EX

EX

# TRACTATU DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

## CASUS CXIII.

*Amadeus clericus interrogatur* 1. *quid sit censura.* 2. *An ferri possit in infideles, hæreticos, mortuos.* 3. *Peregrinos.* 4. *Subditos extra Diœcesin existentes.* 5. *An eam ferre possit Episcopus extra Diœcesin existens.* 6. *An contra religiosos.* 7. *Quid si delictum non sit grave vel merè internum.* 8. *An reus debeat moneri vel citari, an etiam regulares.* 9. *Quid si ignoret, vel non recordetur actui suo censuram esse annexam.* 10. *Vel peccet ex metu.* 11. *An laici, Parochi, Abbatissæ censuras ferre possint.* 12. *Quis sit effectus censurarum.* 13. *An depositio, degradatio, irregularitas sint censura.* 14. *Quæ feratur ab homine, quæ à jure.* 15. *Quæ sit ferendæ, quæ latæ sententiæ.* 16. *An valeat censura lata ab excommunicato suspenso.* 17. *Lata in non citatum, non convictum.* 18. *In innocentem, vel appellantem.* 19. *An opus sit citatione, si delictum sit notorium?* Pro resolutione.

1. QUÆR. I. Quid sit censura Ecclesiastica?

R. *Est pœna spiritualis & medicinalis, quâ homini subdito delinquenti & contumaci per Ecclesiasticam potestatem aufertur usus quorundam bonorum spiritualium.* Ita quo ad rem omnes. Dicitur primò *pœna spiritualis*, quia censura principaliter non versatur circa bona temporalia aut afflictionem corporis, sed circa privationem bonorum spiritualium. Dicitur 2do, *pœna medicinalis*, quia per eam non tam intenditur vindicta peccati præteriti, quàm resipiscentia & correctio contumaciter delinquentis, undè censura regulariter non debet ferri in perpetuum, sed postquam censuratus resipuit, & satisfactionem obtulit, est absolvendus *per c. ex litteris 11. de constitut.* & si suspensio ab ordine vel beneficio in perpetuum infligatur, ut statuitur *c. unico de clerico venatore*, & quandoque fit apud religiosos, qui propter peccatum præteritum, vel indecoros mores à sacrificio, communione, Ecclesiâ, aut aliorum consortio ad tempus vel in perpetuum removentur; hæc tamen non sunt propriè censura seu pœna medicinalis, sed vindicativa, ideoque in ejusmodi sequestratione vel suspensione exercens sacros ordines, non incurrit ir-

regularitatem. *Bonac. de cens. disp. 1. q. 1. p. 1. n. 19.* Dicitur 3tiò *homini subdito*, hinc 1. Gentiles, Judæi aliíque
2. nō baptizati, item fideles defuncti censurari non possunt, quia non sunt subditi Ecclesiæ, & quamvis aliqui Canones dicant hæreticos post mortem ab Ecclesiâ posse anathematizari; item animas fidelium post mortem ligari & solvi, ejusmodi tamen anathematizatio non est propriè excommunicatio, sed aliqua execratio vel declaratio excommunicationis, quam vivi per hæresin vel aliud delictum incurrerant, aut demum est nuda prohibitio, ne fideles pro hæreticis orent, aut eorum corpora catholicè sepeliant. 2. Nequè animæ in purgatorio Ecclesiæ propriè subjectæ sunt. *C. 1. & 4. caus. 24. q. 2.* Nequè Ecclesia eas tanquam sibi subditas propriè à pœna absolvit, sed tantum pro iis exhibet satisfactionem ex meritis Christi, solutio autem & satisfactio etiam pro non subdito fieri possunt, ut per se patet.
3. Si Episcopus statutum vel sententiam generalem ferat, ut omnes, qui noctu arma tulerint, aleis luserint, vel aliud delictum commiserint, hoc
3. ipso sint excommunicati, hoc statutum regulariter non obligat peregrinos, quia non sunt subditi, *dico regulariter*, quia, si prævaricatio talis statuti cedat in scandalum, vel speciale damnum loci, tunc mandans, si velit, potest etiam obligare peregrinos, cum enim hi sentiant commodum transitûs, gaudeántque securitate & protectione loci, æquitas naturalis exigit, ut tali casu statutis loci constringi valeant: ex eadem ratione *dixi cas. 6. n. 2.* peregrinos obligari posse ad solvenda vectigalia, ad non extrahenda frumenta, ad non vendendas merces prohibitas &c. 4. Si 4.
subditi extra diœcesin vel territorium mandantis prævaricentur legem, v. g. ludant lusu vetito, si prohibeantur ludere ex statuto, vel lege generali, non peccant, neque incurrunt pœnas; si autem prohibitio facta sit alicui vel aliquibus in particulari, hi etiam extra Diœcesin existentes vel fugientes obligantur, & in hos sententia excommunicationis vel suspensionis ferri poterit. Ratio est, quod statutum cohæreat loco, sententia autem particularis afficiat personam, eámque sequatur, ubicunque existat. *Si dicas*, executio sententiæ non potest fieri in alieno territorio sinè licentia illius domini, *c. postulâsti. 14. de foro compet.* hìc autem quamvis sententia excommunicationis fiat in proprio territorio, tamen ejus executio fit in alieno, cùm excommunicatus ibidem per excommunicationem statim privetur communione fidelium, Sacramentis & suffragiis Ecclesiæ. R. *C. postulâsti*, tantum prohibet executionem externam & visibilem in alieno territorio, ut si quis ibidem deberet capi, vel bonis privari; hæc autem executio fit merè internè, in animâ & invisibiliter. 5. Episcopus 5.
extra suam Diœcesin existens, non potest suos censurare, etiamsi causa sit ita clara, ut ulterior ejus cognitio vel examen non requiratur, nam ferre censuram est actus jurisdictionis

conten-

contentiosæ, quæ in alienâ Diœcesi exerceri non potest, quia ibi tribunal non habet *Delb. de immunit. Eccles. c. 2. dub. 6.*

6. 6. Episcopi quamvis procedant, ut delegati Papæ, item Nuntii Apostolici, Legati à latere non possunt ferre censuras contra religiosos exemptos, nisi id illis in specie concessũ fuerit. *Pelliz. de regul. tr. 7. c. 1. n. 52.* E contra superiores religiosorum possunt suos subditos citare, censurare, capere &c. ubicunque sint, & nemine implorato, uti habent jura apud *Delb. dub. 5. sect. 2. n. 21.* imò etiam suos novitios censura ligare posse, docet *Pelliz. tr. 2. c. 6. n. 5.* quia superiores ordinum ex voluntate Papæ talem habent jurisdictionem in illos, qualem Episcopi in suos.

7. Dicitur 4. *delinquenti*, nam sinè delicto non incurritur pœna, & quidem cùm censura sit pœna gravis, etiam delictum debet esse grave, ideóque si actus ob inadvertentiam, parvitatem materiæ, vel aliter excusetur à gravi culpâ, etiam hoc ipso excusatur à pœnâ, oportet enim, ut pœna sit commensurata delicto. *C. 41. & seq. caus. 11. q. 3.* Deindè delictum non debet esse purè mentale, sed transiisse in actum externum, ideóque hæresis purè mentalis non cadit sub excommunicatione, quia merè interna non cognoscit, per consequens nec judicat aut punit Ecclesia, ut habet communis.

8. Dicitur 5. *contumaci*, hoc est inobedienti resipiscere nolenti, ut primum enim resipiscit, & satisfactionem offert, absolvendum esse dixi supra: hinc, ut censura præsertim excommunicationis & interdicti ab homine seu judice in certam personam validè feratur, requiritur 1. legitima citatio & trina monitio, vel una peremptoria continens competentia intervalla dierum, nisi aliud suaserit facti necessitas. *C. 5. de sent. excom. in 6.* Ratio est, quod reus non citatus nec monitus non censeatur contumax. Dixi, ab homine in certam personam lata, nam ad hoc, ut quis incurrat censuram ab ipso jure aut stabili statuto, aut sententiâ generali ab homine in quoscunque de futuro transgredientes latam, non prærequiritur monitio, sed ipsum jus aut sententia generalis, cum sit publica, semper monere intelligitur. *Eng. lib. 5. decret. t. 39. n. 8.* Prælatos autem regulares communiter non egere tali præmonitione docet *Pelliz. tr. 7. c. 1. num. 79.* quia apud hos non servatur strepitus judicii, sed satis est, quod constet de delicto & contumaciâ. 2. Ut quis sit contumax, non sufficit, quod sciat actum suum esse graviter prohibitum Lege naturali, vel divinâ, sed etiam debet scire, esse prohibitum lege Ecclesiasticâ, aliàs enim non est contumax contra Ecclesiam, imò ad effectum incurrendi censuram, debet scire censuram tali actui esse annexam. Ità contra *Covar. Cordub. & alios Suar. Sanch. Sylv. Pyrh. lib. 5. tit. 39. à n. 44. Engel. n. 10. Burgh. cent. 1. cas. 18. Reiffenstuel ibid. n. 25. Schmalzgrub. n. 78. Viva op. 1. q. 3 n. 8.* Ratio est, ut quis sit contumax, debet repugnare potestati, quam habet Ecclesia ad coercendos & puniendos delinquentes, seu

9. debet

debet repugnare legi ut punitivæ, sed qui ignorat pœnam esse impositam, quâ coerceri debeat, non repugnat ejusmodi potestati vel legi ut punitivæ, ergo. Deinde censuræ habent se ut medicinæ & monitiones, quibus homines à culpâ deterreantur, sed non deterrentur, nisi eas cognoscant, ergo. *Nec obstat*, quod in Jure civili puniantur fures & alii malefici pœnâ à jure statutâ, quamvis eam ignorent; item quod incurratur irregularitas ex delicto homicidii etiam ab ignorante hanc pœnam, nam hæ pœnæ non sunt medicinales, neque infliguntur, ut homines in futurum à crimine deterreantur, sed primariò in vindictam delicti præteriti: contrarium est de censuris: Sed quid, si quis quidem sciverit suo actui censuram esse annexam, at illius non recordatur, dum actu peccat? R. cum *La Croix l. 6. p. 2. n. 1614.* eam non incurri, quia oblivio æquiparatur ignorantiæ, & sicut ignorans non est contumax contra legem pœnalem, ut talem, sic & ille, qui non recordatur pœnæ. Jam dicta tenent etiamsi ignorantia vel incogitantia pœnæ aut censuræ sit vincibilis & graviter culpabilis, modo non sit omnino crassa, supina & affectata. *Eng. l. c. Pyrh. à n. 45.* Imò si Lex pœnalis utatur his aut similibus terminis: *Qui præsumpserit, ausus fuerit. Qui temerè, scienter, consulto, contumaciter hoc vel illud fecerit*: Tunc pœna non incurritur, etiamsi ignorantia pœnæ fuerit crassa, imò juxta *Dian. Burgh. Viva.* affectata, nisi ignorantia affectata foret tanta ut æquiparetur scientiæ. Ratio est, quod ejusmodi verba videantur requirere directam legis cognitionem, & expressam voluntatem resistendi legi cognitæ, ignorantia autem affectata non cognoscit clarè & directè legem, sed declinat ejusmodi legis cognitionem: huc etiam pertinet metus gravis, qui, quamvis non semper excusat à peccato, plerumque tamen excusat ab incursione pœnæ sive censuræ, nisi fortè incutiatur in contemptum Ecclesiæ vel religionis, quia metu pressus non est contumax, nec peccat ex contemptu Ecclesiasticæ potestatis, sed ex infirmitate, neque cum tanto incommodo obligant leges humanæ. *Suar. Laym. La Croix l. 7 n. 98. Leur. l. 5. q. 556.* 10. 11.

Dicitur 6. *Per potestatem Ecclesiasticam*, unde censuram tanquam pœnam spiritualem non possunt infligere laici, sed soli, & omnes ii, qui in foro externo & contentioso habent jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam vel delegatam, seu qui suos citare & judicare possunt, veluti Papa, Episcopi, eorum Vicarii, superiores regularium. Excluduntur ab hac potestate 1. Archi-Diaconi, Archi-Presbyteri, Decani &c. nisi ea illis competat ex commissione Episcopi, privilegio, consuetudine. *Cap. 5. de de off. Archidiac.* 2. Parochi suos censurare non possunt, quia non habent jurisdictionem externam, neque jus citandi aut judicandi; potest tamen vi latæ ab Episcopo sententiæ excommunicatum prohibere ab ingressu Ecclesiæ & removere à sacris. *Pirrh. l. 1. t. 31. n. 141.* 3. Censuras ferre non possunt

possunt Abbatissæ, & quidem non posse excommunicare suos, patet ex *c. 12. de maj. & obed.* & quamvis ibi dicatur, quod Abbatissa Canonicos vel Clericos sibi subjectos ab officio, beneficioque suspendere valeat, tamen hæc suspensio propriè non est censura, cujus transgressio irregularitatem inducat, sed tantùm subtractio fructuum & prohibitio celebrandi, *Eng. num.* 15. & licet Abbatissæ, omnesque fœminæ jure divino sint incapaces potestatis Ordinis, attamen incapacitas ferendi censuras est ex solo jure Ecclesiastico, & sicut Papa iis sæpè concedit privilegium conferendi beneficia & instituendi, quod indubiè est jus aliquod spirituale, sic & absolutè concedere posset potestatem censurandi, maximè cùm omnes fateantur eam concedi posse laicis, cur
12. non Abbatissis? Dicitur 7. *Per censuras auferri usum quorundam bonorum spiritualium.* Scilicet eorum, quæ subsunt dispositioni & administrationi Ecclesiæ, utpote Sacramentorum dispensatio, & perceptio, spiritualis jurisdictio, beneficia Ecclesiastica, suffragia, satisfactiones &c. Alia autem bona spiritualia privata veluti dona gratiæ, fides, spes, character sacramentalis & similia, quæ sicut directè non subsunt dispensationi Ecclesiæ, sic & per censuras non possunt iisdem privare fideles.

13. QUÆR. II. Quotuplex sit censura? R. Censura dividitur essentialiter & accidentaliter. 1. Essentialiter in tres species, excommunicationem, suspensionem & interdictum. *Cap. quærenti. 20. de Verb. sign.* Ratio est, quod tota essentia & definitio censuræ his tribus & solis conveniat, non item depositioni, degradationi, aut irregularitati etiam ex delicto, nam hæc non irrogantur per modum pœnæ medicinalis, sed per modum pœnæ prioris delicti vindicativæ, & ex se perpetuæ, *Bonac. num.* 4. Hinc quando in Jubilæo datur potestas absolvendi à censuris, per hoc non datur potestas dispensandi in irregularitate, quamvis ex delicto contracta sit, *Nav. in Man. cap. 27. nu. 25.* ubi testatur, hunc esse stylum Curiæ. *2dò*, accidentaliter dividitur censura 14.
in eam, quæ ab homine lata est, & eam, quæ à jure; censura à jure lata dicitur, quæ fertur per canones aut statuta Ecclesiastica Lege stabili, hujus exempla passim in jure occurrunt, & his accensentur excommunicationes in Bulla Cœnæ. Censura ab homine est, quæ fertur à judice aut Prælato, non per modum legis stabilis, sed per modum sententiæ judiciariæ, aut mandati temporalis & transitorii. 3. Utraque dividitur in 15.
censuram latæ, vel ferendæ sententiæ. Censura ferendæ sententiæ est, quam jus aut judex non vult ipso jure, aut ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Latæ verò sententiæ, quam vult ipso facto vel jure sinè alia sententiâ incurri, ut cùm utitur verbis, quæ ad præsens vel præteritum referuntur, v. g. *excommunicamus, suspendimus, sit excommunicatus, suspensus, excommunicationi se noverit subjicere*: vel etiam hac clausula:

sula : *ipso jure*, *ipso facto*: si autem judex vel lex utatur verbis futuri temporis, puta : *excommunicetur*, *suspendatur*, tunc erit sententiæ ferendæ : si verba sint dubia, uti hæc: *anathema sit*: (hoc enim verbum penultimâ productum significat aliquid, vel oblatum, vel suspensum velut monumentum ad memoriam ; anathema penultimâ correptâ significat separationem, & idem est, quod excommunicatio, nisi quod fieri soleat cum certis ceremoniis ad majorem terrorem delinquentis ) tunc nisi aliunde constet censuram esse sententiæ latæ, præsumitur esse tantùm sententiæ ferendæ, nam dubia in mitiorem partem interpretari convenit. *Cap.* 49. *de R.* 1. *in* 6. *Laym. hic c.* 2. *n.* 3.

16. QUÆR. III. An & qualiter censura possit fieri invalidè. R. Censura ab homine lata potest triplici ex capite esse invalida. 1. Si ferens censuram careat jurisdictione, aut eâ per excommunicationem vel suspensionem publicè denuntiatam sit pro tunc privatus ; dico publicè denuntiatam, aliàs non tollit jurisdictionem in foro externo, juxta X. Martini V.

17. *ad evitanda Scand.* 2. Si substantialis ordo judicii non sit servatus, ut si censura sit lata in non citatum, non monitum, non convictum. Nam quamvis à parte rei quis sit nocens, si tamen juridicè non probetur talis, à judice validè censurari non potest, & quidem ipsa sententia, & causa sententiæ in scripto, quo exprimatur species censuræ, quæ infligitur, ferri & intra mensem reo tradi debet, aliàs ipse Judex suspenditur ab ingressu Ecclesiæ per mensem. *Cap.* 1. *eodem in* 6. Scriptura tamen non est necessaria ad valorem, & Regulares privilegium habent suos solis verbis sinè scripto censurandi, teste *Pelliz. supr. nu.* 79. 3. Si censuratus revera sit innocens, censura est nulla, si tamen sit probatus nocens in foro externo, obligatur se habere pro censurato ratione scandali & obedientiæ, id enim postulat disciplina publica & authoritas superioris, quæ duo prævalere debent causæ privatæ : neque potestas censurandi impeditur per appellationem, nisi interponatur ante sententiam. *Cap.* 1. & 40. *de appell. c.* 2. *de sentent. excomm. in* 6. Postquam censura validè in aliquem lata est, ejus effectus per subsequentem appellationem non suspenditur. *Cap* 37. & 53. *de Appellat.* 4. Si Judex putans appellationem esse nullam processerit ad censuram, censuratus autem bonâ fide celebret Missam, quamvis judex superior postea pronuntiet pro sententia inferioris judicis, tamen alter non ideo erit irregularis, quia nec temeritas, nec mala fides adfuit, debet tamen externè se gerere, tanquam censuratum, donec declaretur appellationem esse legitimam. *Cap. ad præsentiam de appell. c. solet de sentent. excomm. in* 6. Si malâ fide fuit appellatum, quamvis appellatio sit acceptata, tamen eâ stante celebrans fit irregularis, quia celebrat censuratus. *Laym. La Croix l. c.*

18.

19.

20. QUÆR. IV. Quid circa modum ferendi censuras? R. Ut legitimè

timè ferantur, servanda sunt sequentia. 1. Non statim, sed lentè & circumspectè tentatis primùm aliis mediis ad censuras *præsertim excommunicationem* procedendum est, ut optimè monet *Trid. ss. 25. c. 3. de reform.* 2. Quamvis juxta *Pelliz. n.* 78. opus non sit prævia monitione, si delictum & ipsa contumacia sit notoria, tamen reus semper prævie citari & audiri debet, aliàs sententia secuta est nulla, est communis cum *Suar. Nav. de Luca de benef. disc. 60. n. 70.* Si reus legitimè monitus & citatus persistat in sua contumacia, nominatim in eum fertur sententia, & ex tunc denuntiatio, hoc est censuræ executio & publicatio. Si censura sit incursa ipso jure, potest quidem Judex, non tamen tenetur talem denuntiare. Si verò quis sit nominatim excommunicatus ab homine, aut manifestus percussor clerici, eum judex obligatur denuntiare; fit autem denunciatio publicè in Ecclesiis, & expost in scriptis affigitur ad portas Ecclesiarum. *La Croix à num. 75.*

## CASUS CXIV.

### De Excommunicationis materiâ, divisione, & ejus effectibus.

*Barrius dubitat.* 1. *Quid sit Excommunicatio major, & minor.* 2. *Tolerati, & non tolerati.* 3. *Quid de percussione Clerici, qualiter debeat esse notoria.* 4. *Quid si in uno loco sit notoria, non in altero.* 5. *Quando incurratur excommunicatio minor.* 6. *Quis sit ejus effectus.* 7. *An excommunicatus toleratus Sacramenta conferre possit.* 8. *An suscipere.* 9. *Quibus suffragiis privetur.* 10. *An interesse queat officiis divinis, & quibus.* 11. *An possit excommunicare, præsentare, eligere, conferre beneficia, vel ea accivere, matrimonio assistere.* 12. *An queat esse Judex, Advocatus, actor, Procurator, testis.* 13. *Quibus prohibitum sit cum eo communicare.* 14. *An privetur sepultura Ecclesiastica.* Pro resolutione.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit excommunicatio? 1.

Rr. Excommunicatio est censura privans vel separans hominem à Communione Ecclesiæ: est autem excommunicatio duplex, major & minor, minor tantum privat usu passivo Sacramentorum; major, quæ etiam Anathema dicitur, privat omni communione, usu scilicet activo & passivo Sacramentorum, communibus Ecclesiæ suffragiis, indulgentiis, & multis aliis, de quibus infra. In Jure quoties simpliciter dicitur: *sub excommuni-*

*catione*, semper intelligitur major, quamvis cæteroquin in odiosis & pœnalibus mitior fieri debeat interpretatio, nisi jus expressè aliter statuat. *c. si quem 59. de sentent. excom. in 6 Eng. n. 29. h t.* 2. Excommunicatus excommunicatione majore alius est toleratus, quem non tenemur vitare; alius est non toleratus, quem ex præcepto Ecclesiæ vitare obligamur; hodie post X Martini V. *ad evitanda scandala* nemo est vitandus, nisi notorius Clerici percussor, & is, qui est nominatim excommunicatus, & ùt talis publicè denuntiatus, hoc est, verbo vel scripto in loco publico, ad quem populus convenire solet, promulgatus: nec sufficicit, quòd publicè condemnatus sit criminis, v. g. hæreseos, cui annexa est excommunicatio, sed ipsa pœna excommunicationis debet publicè denuntiari, non enim ùt criminosus, sed ùt publicè & nominatim excommunicatus est vitandus. *Dicast. d. 2. n. 393.* 3. Ad hoc, ut percussor Clerici debeat vitari, non sufficit, quòd percussio sit notoria notoreitate juris per confessionem, probationem aut condemnationem in judicio, sed debet esse notoria notoreitate facti, *ità ut factum non possit aliquâ tergiversatione, nec aliquo juris suffragio excusari*, ùt habet Concilium Constantiense: hinc quamvis unus, aut etiam duo vel tres alii viderint percussionem fieri, propterea non est obligatio percutientem vitandi. *Laym. hic c. 4. n.* 2. Idem est, si percussio facta sit in privata domo, v. g. coram 7. aut in Conventu Religiosorum, ùt probabiliter docet *Dicast. n. 427.* Ratio est quia factum nondum est simpliciter notorium, & pœnalia strictè interpretanda sunt, nec sufficit fama publica, nisi orta ex evidentiâ facti per testes oculatos, imò quamvis factum esset satis notorium, si tamen percussor aliquo juris suffragio se excusare possit, dicendo v. g. se vim vi repulisse, se ex vehementi passione iræ, vel ex ignorantia Status Clericalis percussisse, talis non esset vitandus. *Dicast. n. 429. Pirrh. num. 114.* Hinc *Pignat. l. 4. Consult. 133.* dicit regulariter requiri, ut talis percussor per judicem denuntietur, aliàs poterit aliquâ tergiversatione vel excusatione celari. 4. Si percussio vel denuntiatio excommunicationis in uno loco sit publica, in alio autem occulta, in loco, ubi est publica, publicè, in occulto, occultè vitandum esse dicunt *Henriq. Vasq. Eng. n.* 50. sed verius est, nullo modo esse vitandum extra locum publicitatis, *Avila, Sanch. Durand.* apud *Leur. l. 5. q.* 561. quia solus publicus percussor & denuntiatus excommunicatus est vitandus, sed in tali loco non est publicus excommunicatus neque denuntiatus, ergo. *De percussore Clerici ex professo agam Casu seq. q. 1. & seq.* 5. Non toleratus tamdiu est vitandus, usquè dum verosimiliter constet eum esse absolutum, & quidem in hac parte ipsi excommunicato, si cæteroquin sit vir fide dignus, credi potest. *Nav. Dicast. n.* 406.

QUÆR.

5. QUÆR. II. Quid circa Excommunicationem minorem?

℟. I. Excommunicatio minor tum solùm incurritur, quando quis in sacris vel politicis communicat cum excommunicato non tolerato, communicare autem cum non tolerato in rebus sacris est mortale, nisi parvitas materiæ excuset; communicare in politicis, si absit scandalum, est plerumque veniale, nihilominùs propter hujusmodi veniale incurritur minor Excommunicatio. *Laym. c. 3. n. 4.* 2. 6. Effectus primarius Excommunicationis minoris est privare usu passivo Sacramentorum, hinc, qui ante impetratam absolutionem (quam quivis Sacerdos approbatus dare potest,) Sacramentum aliquod in Excommunicatione minore suscipit, peccat mortaliter, quia agit contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi, ùt habet communis & certa. Econtrà Sacramenta activè ministrare cum Excommunicatione minore, juxta *Castrop. Lay. l. c.* est veniale, juxta alios nullum, quia Ecclesia illis solum usum Sacramentorum prohibet, non administrationem, & in odiosis non est facienda extensio, ideóque Celebrans in tali excommunicatione *in c. si celebret.* dicitur peccare mortaliter, non quia conficit, sed quia suscipit Sacramentum. 3. Ignorans vel bonâ fide non recordatus Excommunicationis minoris validè suscipit omnia Sacramenta, si tamen malâ fide procedat, Sacramentum pœnitentiæ suscipiet invalidè, non verò cætera, quia suscipiendo actu peccat graviter contra prohibitionem Ecclesiæ, ideóque non habet dolorem & propositum, quæ requiruntur ad valorem pœnitentiæ. 4. Alter effectus quasi indirectus est, quòd in minore Excommunicatione beneficia utì & electio licitè acceptari aut conferri non possint, & electio aut collatio facta saltem est irritanda, si quis scienter electus vel se eligi passus est. *Castrop. suprà Pirh. l. 5. l. 39. n. 23.*

QUÆR. III. Quales effectus habeat Excommunicatio major? 7.

℟. Seqq. 1. Privat usu activo Sacramentorum, ità quidem, ut excommunicatus non toleratus in solo casu extremæ necessitatis Sacramenta licitè conferre possit, semper tamen confert validè, quamvis mortaliter peccet, excepto Sacramento pœnitentiæ, quod invalidum est defectu jurisdictionis, quam sustulit Ecclesia à non tolerato. Econtrà toleratus, si à fidelibus requiratur, & licitè & validè confert, quia Concilium Constantiense & X Mart. V. permittit, fideles communicare cum tolerato: si tamen se sponte ingerat & Sacramenta non requisitus conferat, peccat mortaliter, quia dicta extravagans non intendit favere excommunicatis, sed solis fidelibus, imò ex communiori sententia contra *Sanch* ipsi fideles peccant petendo Sacramenta ab excommunicato, si ab alio commodè habere possint, quia hæc videtur esse mens Concilii Constant. *Eng. n. 63. Laym. Pirh. à n. 13.* Deinde excommunicati extra casus permissos exercentes actus Ordinis, fiunt irregulares, & si in Excommunicatione insordescant, hoc est,

cum pertinacia & contemptu toto anno persistant, fiunt suspecti de hæresi, & contra eos ùt tales procedi potest.

8. *Trid. Sess. 25. c. 9.* 2. Privat usu passivo Sacramentorum, ità ut excommunicatus Sacramentum quodcunque ante absolutionem suscipiens peccet mortaliter, sivè sit toleratus, sivè non. Imò Sacramentum Pœnitentiæ suscipiunt invalidè, quia accedunt cum actuali affectu ad peccatum, nisi excuser ignorantia invincibilis, metus mortis, gravis infamia, vel alterius magni mali, cum tanta enim jactura non videtur obligare pia Mater Ecclesia. *Avil. Suar. Coning. Laym. c. 2. n. 1.* & quamvis Confessarius teneatur primò absolvere à censura, si possit, tamen absolutio à peccatis, etiam manente censurâ, est valida, modò adsint omnia requisita ex parte pœnitentis. *Nav. Tolet. Dian. Pirrh. n. 15. V. cas. 98. n. 6.* Teneri excommunicatum petere absolutionem, ut satisfaciat præcepto annuæ Confessionis vel Communionis,

9. dixi *cas. 6. n. 18.* 3. Privat etiam toleratum omnibus suffragiis, sacrificiis, precibus, indulgentiis &c. quæ nomine Ecclesiæ Fidelibus applicantur. *c. ànobis 28. & c. sacris 48. de sentent. excom.* idque probabiliùs tenet, etiamsi per contritionem à culpa & contumacia resipiscat. *Ratio est*, quia hæc pœna non per contritionem, sed per absolutionem Superioris tollitur. Dixi *suffragiis*, quæ nomine Ecclesiæ &c. nam privatæ preces, utì & Memento in Missa iis applicari possunt.

10. 4. Excommunicati prohibentur interesse divinis officiis, quæ nomine Ecclesiæ publicè & solemniter fiunt, puta Sacrificio Missæ, publicæ Horarum Canonicarum recitationi, Processioni &c. quamvis privatim orare vel Concionem audire in Ecclesia, dum in eâ nullum Officium celebratur, excommunicatis non sit prohibitum. *c. responso 43. de sent. excom. c. ult. eodem in 6.* Neque excusantur excommunicati à recitandis privatim Horis Canonicis, quamvis nullos in pœnam fructus percipiant, hoc enim provenit ex eorum culpâ. *Tann. Lay. l. c. 5.* 11.

Non toleratus privatur omni usu & exercitio jurisdictionis spiritualis, ità ut validè non possit excommunicare, absolvere, præsentare, instituere, eligere, leges aut sententiam ferre, alteri jurisdictionem delegare &c. & qui à non tolerato beneficium obtinet, habetur pro intruso, tenetúrque beneficium dimittere; matrimonio tamen validè assistit, vel alteri hanc potestatem delegat Parochus non toleratus, suspensus, degradatus, schismaticus, quia assistere vel dare licentiam assistendi non est propriè actus jurisdictionis, sed tantùm est præstare suam solemnem præsentiam actui. *Plurimi cum La Croix l. 6. p. 3. n. 729.* Econtrà *toleratus*, quamvis hæc faciat illicitè, si non requiratur, tamen acta illius sunt valida, nisi per oppositam exceptionem repellatur. *Laym. Pyrrh. n. 18.* quia non caret jurisdictione, nec prohibetur communicare cum Fidelibus, saltem si requiratur; attamen Excommunicato etiam tolerato nullum beneficium, etiam per electionem sivè per præsentationem, resignationem

aut

aut aliter conferri potest, etsi ipse conferens vel etiam acceptans nesciat se esse in excommunicatione, quia ignorantia non supplet invaliditatem actûs. Verùm de his vide *cas.* 77. *n.* 21. *cas.* 79. *n.* 6. *cas.* 80. *n.* 19. 6. Ex-
12. communicatus nequidem in judicio sæculari potest esse judex, advocatus, procurator, actor, testis aut tabellio, adeò quidem, ut omnia acta vitandi sint nulla, quia caret jurisdictione, & judex vitandos ex officio à judicio repellere debet, quia non potest cum iis communicare; toleratus verò, cujus excommunicatio est publicè nota, à judice repelli potest, si tamen à judice non repellatur, nec reus contra eum excipiat, ejus actus sunt validi. *Leur. q.* 565. *n.* 8. Posse autem reum in qualibet parte litis contra actorem excommunicatum excipere, non obstante, quòd hæc exceptio sit tantùm delatoria, docet *Eng. n.* 44. modò excommunicatio intra 4. dies probari possit. De cætero excommunicatus quilibet ut reus in judicio conveniri potest, ne ex delicto reportet com-
13. modum. 7. Excommunicatis prohibetur omnis communicatio spiritualis, civilis & politica, seu quævis humana societas cum Fidelibus, ita ut non solùm peccent excommunicati utentes consortio Fidelium, sed etiam ipsi Fideles graviter vel leviter pro qualitate materiæ delinquant & Excommunicationem minorem incurrant, si citra necessitatem in spiritualibus vel civilibus cum non toleratis communicent. Hæc autem communicatio exprimitur vulgari hoc versu:

*Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*

Per *Os* intelligitur omnis amica vel honorabilis salutatio, sive coram, per oscula, nutus, colloquia, amplexus, sive per literas & nuntium, juxta illud 2. Joan. 1. *Neque ei ave dixeritis*, ità ut juxta *Suar Laym. c.* 2. *n.* 16. illicitum sit, nec honoris causâ excommunicato assurgere vel caput detegere, nisi fiat per modum resalutationis, hanc enim dicunt esse licitam, cùm sit quasi solutio debiti. Per *Orare* intelligitur omnis communicatio in orationibus & officiis publicis Ecclesiæ, in quibus non licet communicare cum excommunicato orando vel canendo cum illo, aut audiendo Sacrum: si non toleratus se ingerat, volens v. g. cum aliis interesse Sacrificio Missæ, debet moneri, & si sponte recedere nolit, expelli, aut si non possit, debent Fideles exire, & Sacerdos Canone nondum incepto abrumpere Sacrum, etiamsi populus obindè in die festo Sacrum non audiret. *Vale* comprehendit omnis generis valedictiones. *Communio* prohibet omnem societatem per contractus, (quos tamen non invalidat,) per cohabitationem, simultaneum iter vel laborem, communem mensam aut lectum &c. intellige, si hæc non casu aut præter intentionem, sed ex societate aut familiaritate fiant. Hìc autem notandum venit, quòd, ut dixi *q.* 3. communicatio in civilibus plerumque tantùm sit veniale, in spiritualibus mortale, nisi excuset parvitas materiæ: imò sunt casus, in quibus nullum est peccatum

agere:

agere cum excommunicatis non toleratis. 1. Si agatur de eorum conversione. 2. Si urgeat necessitas vel notabilis utilitas; sic licitè ab eo repeto debitum. 3. Excusat conjunctio vel subjectio; ex hoc capite licitè uxor agit cum marito excommunicato, filius cum patre, Religiosus cum Prælato, ùt Prælatus seu Superior est. *Suar. Pirrh. n.* 122. ideóque *La Croix n.* 215. cum aliis dicit, Religiosum peccare mortaliter, si aliquid agat animo obediendi suo Prælato non tolerato, quia hoc esset cum eo communicare in spiritualibus, & contra gravem Ecclesiæ prohibitionem in ipso agnoscere jurisdictionem, quam tamen sustulit excommunicatio. 8. Non toleratus privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, ita ut neque in loco sacro aut benedicto & ad sepulturam Fidelium destinato licitè sepeliri, vel à Clero solemniter ad sepulturam deduci, aut exequialia Sacra pro eo fieri possint, quia, cum quibus non licuit communicare in vitâ, cum iisdem nec post mortem communicare permissum est. *c. si Sacris* 12. *de sepult.* An, & quando sepulturâ Ecclesiasticâ privandi sint infantes, dubiè baptizati, negligentes Confessionem aut Communionem annuam, in actuali peccato, v. g. duello, ebrietate mortui, manifesti usurarii, raptores, concubinarii, item multa alia jus sepulturæ tam Regularium quàm Sæcularium concernentia, vide apud *Gob. tr. 5. c. 50. Eng. Pirrh. lib. 3. decret. tit. 28. La Croix l. 7. n. 235.*

14.

# CASUS CXV.

## De Excommunicationibus reservatis.

*CAto ex variis causis timet se excommunicationi obnoxium.* 1. *Quia adhuc impubes percussit Clericum.* 2. *Sed non portantem habitum clericalem, excommunicatum, degradatum, conjugatum, Eremitam, Novitium conversum.* 3. *Ex odio, levitate, ignorantia, ex causa defensionis.* 4. *Clericum ejusdem secum Ecclesiæ.* 5. *Clericum turpiter agentem cum sorore suâ.* 6. *Aquâ, luto conspersit, frænum equi arripuit, in foveam impulit, vi vel fraude crumenam eripuit, chartas pictas ejus vestibus assuit.* 7. *Percussit volentem, vel saltem percussionem non impedivit.* 8. 9. 10. *Dubitat, an possit absolvi ab Episcopo, si percussio sit vel non sit enormis, si Papam nequeat adire, vel percussio non sit publica, aut deducta ad forum externum.* 11. *An Superiores Regulares absolvere possint suos, & sæculares.* 12. *Quid si Religiosus percusserit Religiosum alteri Prælato subditum, vel Clericum sæcularem, vel econtrà.* 13. *Quid de excommunicatione ob hæresin.* 14. *Quid de legente, imprimente, retinente libros hæreticos.* 15. *Quid, si Author habeatur pro Catholico, aut legatur sola Epistola vel Concio hæretica.*

*retica.* 16. *Quid si liber ex professo non tractet de religione, contineat tamen aliquas hæreses.* 17. *An hæc, uti & ipsa Bulla Cœnæ recepta sit in Germania.* 18. *Sed si quis ex causa vel affectata ignorantia ignoret librum esse hæreticum.* 19. *Aut legatur parum vel solum prooemium, aut alius prælegat.* 20. *Aut librum exiguo tempore retineat vel alteri vendat.* 21. *Quid circa libros primæ & secundæ classis.* 22. *An Episcopi ab hæresi possint absolvere & dare licentiam legendi libros hæreticos.* 23. *Quid si Papa adiri non possit, possit autem scribi Romam.* 24. *Quid hic possint Prælati Regulares circa suos, & sæculares.* 25. *A quo libri prohibiti expurgari debeant?*

Quemadmodum variæ sunt causæ, ob quas incurritur excommunicatio, ita & variæ sunt excommunicationes, aliæ enim sunt reservatæ, aliæ non reservatæ, aliæ reservatæ Episcopis, aliæ S. Pontifici, de plerisque egi sparsim suis locis: de Religioso dimittente habitum & de Clausura Monialium, *cas.* 44. De simonia, *cas.* 46. De pœnis duellantium, *cas.* 35. De reservatis Ordinario & in specie Archi-Episcopo Colonienſi; *Item* de reservatis in Bulla Cœnæ, *cas.* 98. *n.* 17. Pauca hic sunt addenda. 1. De percussione Clericorum. 2. De hæresi, lectione, retentione, impressione &c. librorum hæreticorum. 3. De reservatis per Bullam Cœnæ.

1. QUÆR. I. Quid in specie circa percussionem Clericorum?

R. *C. si quis suadente 27. caus. 17. q. 4.* ex Concilio Lateran. referuntur hæc formalia: *Si quis suadente diabolo in Clericum vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat ipsum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum susceperit.* Dicitur 1. *Si quis*, per quam voculam intelliguntur omnes baptizati cujuscunque sexûs & conditionis, etiam impuberes peccati mortalis capaces, viri & fœminæ, Ecclesiastici & Laici. Dicitur 2. *Si quis Clericum vel Monachum*, nomine Clerici venit omnis primâ tonsurâ initiatus, dummodo alicui Ecclesiæ deserviat, & habitum Clericalem gestet, quamvis sit excommunicatus, suspensus, verbaliter & non realiter degradatus, aut etiam sit conjugatus cum unica virgine. *c. unico de Cler. conjug. in 6.* Nomine Monachi intelliguntur omnes Religiosi utriusque sexûs etiam conversi & Novitii, imò etiam Tertiarii & Eremitæ, si sub certa Regula & Superiore vivant; quia favores sunt ampliandi. *Suar. Avil.* & Theologi communiter. Dicitur 3. *Suadente diabolo*, hoc est, injustè & illicitè, unde excusantur 1. Qui non ex odio & malitia Clericum percutiunt, sed ex joco, levitate, ignorantia, aut ex justa causa v. g. ad se & sua defendenda, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. 2. Qui id faciunt correctionis causâ, etiamsi aliqua ira accedat, dummodo non excedatur in modo, sic Prælatus & Præceptor Ecclesiasticus

in majoribus constitutus potest castigare Clericum peccantem etiam in majoribus constitutum. Prælatus potest id per se vel illum Clericum aut Monachum, non autem per Laicum sæcularem, *c. Universitatis 24. de sent. excomm.* nisi aliter corrigi, capi, vel incarcerari non possit, aut consuetudo habeat, ut id fiat per Laicum. *c. ut famæ 35. V. Laici eodem*; quod probabiliter etiam extenditur ad patrem, quamvis *Molin. Laym. c. 5. n. 9.* probabilius teneant oppositum, eò quòd jura tantùm permittant patri castigare filium in minoribus con-
4. stitutum. 3. Socius percutiens socium ejusdem Ecclesiæ non incurrit excommunicationem, quia ob assiduam conversationem facilè fit, ut se invicem percutiant. *cap. ex tenore 10. de sent. excom. Glos. lin. ibidem*
5. *Abbas, Pirrh. n. 68.* 4. Ab Excommunicatione excusatur, qui percutit Clericum turpiter agentem, vel etiam solùm turpia oscula, tactus vel amplexus tractantem, cum matre, filiâ, sorore vel uxore, modò percussio fiat in continenti & non ex intervallo, tunc enim, quamvis percutiens peccet, percussio tamen non censetur esse facta suadente diabolo, sed ex vehementi passione ob justum dolorem. *Suar. Pirrh. n. 70.* Idque *Schmalzgrub. l. 5. decret. l. 39. num. 239.* dicit esse verum, etiamsi quis studio exspectet turpiter agentem, ut percutiat, dummodo absit dolus, & *n. 232.* id meritò extendit ad omnem percussionem factam ex passione animo non plenè advertente, ut, si Clericus in lusu percutiat socium, quia pœnalia strictè accipienda sunt. Dicitur 5. *Violentas manus injecerit,* 6.
per quas particulas *primò* intelligitur omne opus externum, graviter injuriosum, aut quamvis secundùm se sit quidem leve, etiam tamen notabiliter contra Reverentiam Statui Clericali vel Religioso debitam, ut lapillis, aquâ, luto &c. conspergere, vehementer arripere frænum equi, cui Clericus vel Monachus insidet, persequi Clericum fugientem, ita ut in foveam vel fluvium incidat; eum detinere in custodiâ; ense, fuste, vel aliter percutere, vulnerare, occidere etiam veneno; baculum, pileum, vestem &c. ei per vim eripere; secùs est, si quis sine vi occultè crumenam abscindat, vestes in lecto jacentes auferat. *Laym. l. c. Eng. à n. 135.* Idem videtur dicendum, si quis vestibus Clerici clam chartas pictas vel aliquid probrosi assuat, ut à populo rideatur. Aliud est, si per vim aliquam vel contumeliam realem id fiat, aliàs non potest venire sub violenta injectione manuum. 2. Ex- 7.
communicationem incurrit, qui Clericum etiam volentem graviter percutit. Ratio est, quia hæc pœna est statuta non tam in favorem privati Clerici, quàm in favorem totius Ordinis Clericalis, cui favori privatus renuntiare non potest: propter eandem causam etiam excommunicationem incurrit Clericus se ipsum ex ira vel tædio vitæ graviter percutiens. *Mol. Suar. d. 22. §. 1. num. 29. de Cens.* 3. Eandem incurrunt mandantes,

dantes, consulentes, cooperantes percussionem suo nomine factam, ratihabentes, non impedientes, si ex justitia vel officio erant impedire obligati, ùt Reges, judices, tutores, patres, heri &c. Colligitur ex *c. quanta 47. de sentent. excomm. DD. cit.* Quandonam autem percussio sit publica & percutiens ideo vitandus, dixi *cas. præced. à n. 3.*

QUÆR. II. Quis à percussione Clerici possit absolvere?

R. Quamvis hæc excommunicatio sit Papæ reservata, ideóque ipse solus vel ejus Legatus ab eâ regulariter absolvere possit, attamen in seq. Casibus etiam potest Episcopus. 1. Quando percussio non est enormis, *cap. pervenit 17. de sent. excom.* percussio autem enormis dicitur, quæ notabile vulnus vel notabilem corporis maculam affert, aut quâ multi capilli extrahuntur, copiosus & immodicus sanguis effunditur, vel percutitur persona in dignitate constituta, etiam tantùm alapâ, velut Episcopus, Abbas &c. percussio verò non censetur enormis, si fiat pugno, palmâ, lapide non relinquente vestigium, quamvis aliquæ guttæ sanguinis è naribus effluant. *Mol. Dian. p. 9. l. 4. resol.* 19. 2. Ab Episcopo absolvi possunt omnes habentes justum impedimentum, quominùs ad Papam vel ejus Legatum accedere possint. *Pirrh. n. 82.* Item, qui non sunt sui juris, ùt filii-familias, servi, Moniales &c. *c. mulieres 6. de sent. excom.* & quidem si impedimentum accedendi Papam sit perpetuum, simpliciter absolvuntur ab Episcopo, præstitâ cautione de parendo mandatis Ecclesiæ & satisfaciendo parti læsæ; & quidem parti læsæ debet satisfieri actu, vel si pro tunc non possit, debet saltem præstari cautio fidejussoria vel pignoratitia: Si verò impedimentum sit temporale, debet insuper ab omnibus, exceptis pueris, juramentum exigi, quòd absolutus, quamprimum potuerit, se velit sistere Sedi Apostolicæ, ut ejus mandatum de satisfaciendo Ecclesiæ suscipiat; quod si neglexerit, cessante impedimento se præsentare, vel parti læsæ satisfacere, in censuram reincidet ipso jure. *c.* 11. 13. 58. *de sent. excom.* 3. Possunt 10. absolvere Episcopi, quando percussio est occulta, nec ad forum externum deducta, ad quod censetur deduci, si coram legitimo Superiore denuntietur & citetur, *Regin. Pirrh. n. 40.* quandonam autem percussio sit publica & percutiens ideo vitandus, dixi *cas. præcedenti à n. 3.* 4. Prælati exempti & participantes cum Mendicantibus in hac parte ferè eandem habent potestatem cum Episcopo, ità ut suos Religiosos se invicem percutientes absolvere possint, si percussio non sit enormis, solent tamen Superiores Ordinum in Germania aliisque partibus multùm Româ distantibus, impetrare privilegia specialia suos etiam ab enormi percussione absolvendi. *Castrop. Eng. num.* 149. imò Religiosos participantes cum Mendicantibus de facto habere privilegium absolvendi ab omnibus Casibus & Censuris extra Bullam Cœ- 11.

9.

næ reservatis, per consequens etiam à simonia & percussione Clerici, non tantùm respectu suorum Religiosorum, sed etiam respectu Sæcularium, præstitâ tamen prævie satisfactione parti læsæ, docet *Spor. in Theolog. Sacram. p. 3. c. 6. àn. 740. Schmalz. grub. num. 256. Bordonus de privil. Cler. c. 21. à n. 327.* & alii citandi *casu seq. n.* 18. & Ordinem Præmonstratensem communicare cum Mendicantibus, dixi *cas. 11. num. 5.*

12. 5. Si Religiosus percusserit Religiosum alteri Prælato subditum, debet absolvi à suo Prælato, consentiente Prælato percussi, & utriusque consensu satisfactio imponi, *c. cum illorum 32. de sent. excomm.* Econtrà si Religiosus percutiat Clericum sæcularem, debet absolvi ab Episcopo, cum consensu tamen Abbatis, si hic sit exemptus; quòd si Prælatus consentire nolit, præsumitur consensus Ordinis, in illo saltem casu, quo ipse Prælatus non habet potestatem absolvendi. *Cabassutius in jure Can. l. 5. c. 1. n. 9.* Reliqua quæ ad absolutionem à Censura faciunt, dabo *cas. seq.*

13. QUÆR. III. Quid circa Excommunicationem propter hæresin?

℟. Prima excommunicatio Bullæ Cœnæ est in hæreticos, eorumque fautores, defensores & receptores, ut autem hæc excommunicatio incurratur, requiritur 1. ut hæresis non sit purè materialis, sed formalis cum pertinacia, ùt explicavi *cas.* 14. *àn.* 13. 2. Ut exteriùs manifestetur, nam cogitationes purè internas non punit Ecclesia, & quidem actio manifestativa debet esse mortaliter mala, & fieri animo asserendi vel profitendi hæresin, quapropter excommunicatus non est, qui ex bono motivo ad habendum consilium vel instructionem hæresin internam aperit: qui ideo non genu flectit, caput non denudat, quia internè negat Christum esse in Eucharistia præsentem, si hoc faciat in istiusmodi circumstantiis, vi quarum à videntibus judicatur esse hæreticus, censetur externè profiteri hæresin, ideóque incurrit dictam excommunicationem; secùs si alteri justæ excusationi, v. g. distractioni adscribi possit. *Azor l. 8. c.* 10. *q. ult. Sanch. l. 2. Moral. c. 8. n. 7. & 17.* Idem *Sanch. c. 10. n. 9.* dicit, receptatores, auxiliatores, defensores excommunicationem tunc tantùm incurrere, quando hæreticus ob præstitum sibi auxilium vel favorem reverà manus judicis effugit aut hæresin latiùs spargit, ejusmodi enim leges pœnales intelligendæ sunt *secuto effectu.*

QUÆR. IV. Quid circa libros hæreticos? 14.

℟. Excommunicatio in hæreticos etiam extenditur ad eos, qui sine authoritate Apostolicâ eorum libros hæresin continentes vel de Religione tractantes scienter legunt, ersi legant ex intentione refutandi & sine periculo perversionis, qui eos retinent, quomodolibet defendunt, imprimunt, hoc est, proximè concurrunt ad impressionem, ponendo typum, humectando chartam, subministrando sumptus &c. Ad hanc autem excom-

communicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones. 1. Debet
15. liber esse scriptus ab hæretico, etsi non sit impressus, quare non incurritur excommunicatio, si legatur liber scriptus à Catholico, vel ab eo, qui publicè habetur pro Catholico, quamvis textus scriptoris hæretici ad verbum habeat insertos, aut ipse liber etiam hæresin contineat, vel legatur animo discendi hæresin, etsi tunc peccet mortaliter. *Nav. Sanch. c. 10. n. 23. Spor. t. 2. c. 3. num. 3.* Ubi id extendunt ad legentem Epistolam in causa Religionis scriptam ab hæretico, vel Concionem separatim editam, quia hæc propriè & usitatè non veniunt nomine libri, verba autem legis pœnalis strictè interpretanda sunt; sed probabilius est, quòd legens ejusmodi Concionem vel Epistolam etiam separatim editam excommunicationem incurrat. Ratio est, quòd hæc videatur esse intentio legis prohibentis, nam si ejusmodi Epistola aut Concio esset inserta libro hæretico, tunc unam vel alteram paginam legens juxta omnes excommunicationem incurrit, & Ecclesia prohibens librum hæreticum videtur prohibere omne scriptum aptum constituere librum, & hìc ponitur liber velut species principalis pro genere, & ejusmodi scriptum separatum verè ad libros reducitur; accedit, quòd sic libri hæretici dissolvi & per §phos separatos ex toto legi & lex tam salutaris facilè eludi posset.
16. *Pign. cons.* 197. 2. *Requiritur, ut liber vel hæresin contineat, vel ex professo de Religione tractet*, videlicet explicando Scripturam vel Casus Conscientiæ de Sacramentis, Statu Clericorum & Monachorum, de Dei & Sanctorum cultu & similibus disputando. Unde deducitur 1. Hac prohibitione non comprehendi libros infidelium, videlicet: Turcarum, Judæorum & quorumlibet non baptizatorum, quia non sunt libri hæretici. 2. Non comprehendi libros hæreticorum historicos, poëticos, medicos & similes de Religione ex professo non tractantes, nec hæresin continentes; si tamen vel unam hæresin etiam obiter contineant, totus liber est prohibitus, usquè dum per inquisitores fuerit purgatus, quia tenor Bullæ prohibet omnes libros hæreticorum disjunctivè, si vel de Religione tractent, vel hæresin contineant, ergo ad incurrendam excommunicationem sufficit unam partem verificari. *Laym. l. 2. t. 1. c. 15. n. 4. Pirrh. l. 5. t. 7. n. 20. Eng. ibidem n. 9.* dicunt in partibus nostris Septentrionalibus, ubi non habentur inquisitores Fidei, Bullam non esse in tanto rigore receptam, sed libros hæreticorum Historicos, Mathematicos & similes de Religione ex professo non tractantes, etsi hìc & nunc hæresin aut calumnias in Clerum vel Ecclesiam insertas habeant, ùt Geographia Mûnsteri, opera Erasmi Roterodami, exceptis quibusdam ejus colloquiis, sinè expurgatione legi posse, nisi sub schemate historico vel simili, præcipuum eorum institutum esset, Ecclesiam convellere, Statum

Ecclesiasticum calumniari, veluti Sleidanus, Aventinus, aliqua opera Mûnsteri &c. hi utique sub excommunicatione manent prohibiti. In
17. multis Germaniæ Provinciis ipsam Bullam Cœnæ non esse usu receptam, ideóque nec obligare testatur *Becanus 2. 2. c. 15. q. 2. n. 6. March. in tribun. tom. 2. tr. 4. q. 8.* Ratio esse potest primò, quòd Bulla Cœnæ in multis locis Germaniæ non sit publicata, debere autem Bullas, præsertim circa Censuras, ut obligent, per Ordinarios publicari in partibus, patet ex *c. cum infirmitas 13. de pœnit. & remiss.* 2. Legi Pontificiæ obediendum quidem est, tamen contra eam etiam admitti causas vel consuetudines rationabiles, constat ex toto titulo de consuetudine, & quamvis sit irrationabile, ut crimina in Bulla Cœnæ damnata licitè & impunè committantur, tamen non est irrationabile, ut in locis longè Româ dissitis ista crimina ob difficilem accessum ad Papam non sint reservata, ideóque quoad hoc in his partibus, potest esse consuetudo rationabilis, quamdiu Papa non contradicit. *V. Eng. l. 1. decret. de consuet. & l. 5. tit. 39. à*
18. *n. 122.* 3. Requiritur, ut ejusmodi libri legantur, retineantur, imprimantur & defendantur *scienter*, nam ignorans librum esse hæreticum etiam crassâ aut quodammodo affectatâ ignorantiâ, modò non sit cum ingenti temeritate conjuncta, ut si esset fama publica de prohibitione libri, & tamen quis credere aut inquirere nollet, excommunicationem non incurrit. *Tamb. Pirrh. Krimer l. 5. n. 728.*

4. Legi debet materia notabilis & 19.
sufficiens ad mortale, & quamvis *Sanch. Rodriq.* aliique dicant non sufficere integram paginam majoris voluminis, attendendam tamen puto materiam, nam si liber frequentes contineat hæreses, etiam aliquot lineas legere erit mortale, ut habet communior cum *March. & Spor. n. 28.* quia tunc est majus periculum perversionis; si tamen non ita frequentes habeat hæreses, aut legatur materia indifferens, locum habet sententia *Sanch.* De cætero non tantùm prohibetur ipse liber, sed & procœmium aut Epistola ad Lectorem, si in sufficiente quantitate legantur, idque tenet, sive per te legas, sive per aliũ tibi prælegi facias, quia tunc lectio fit nomine tuo. Aliud est, si te non inducente alius legat, & tu nudè auscultes. *La Croix cum multis hìc n.*
342. Deinde sicut in legente requi- 20.
ritur materia notabilis, sic & in retinente tempus notabile, non enim statim peccat mortaliter, qui per unum alterúmve diem detinet cum animo tradendi inquisitoribus, sed si tamdiu, ut moraliter censeatur non habere animum tradendi: nec refert, sive per se, sive per alium detineat. Dixi animo tradendi inquisitoribus, uti præcepit Julius III. & Pius IV. ubi tamen non viget inquisitio, satis est, si comburatur, imò si quis habeat libros hæreticos ex hæreditate, *Florent. de Cocq. in princip. Theol. l. 4. c. 4. S. 3.* dicit eos posse vendi Bibliopolæ hæretico vel mutare erga libros

Ca-

Catholicos ad evitandum grave damnum; idem dicit *Less. in auct. cas.* 21.

21. QUÆR. V. Quid circa indicem librorum prohibitorum?

R. Ut Fideles scirent, quos libros vitare debeant, Ecclesia confici jussit indicem librorum prohibitorum eúmque divisit in duas partes, in prima ponuntur omnes libri hæreticorum, qui vel hæresin continent, vel tractant de Religione, hi omnes prohibentur sub excommunicatione in Bulla Cœnæ reservata, huc reducuntur omnes libri hæresiarcharum, quamvis nec de Religione agant, nec hæresin contineant, non tamen prohibentur sub excommunicatione reservata. Ad secundam classem reducuntur & prohibentur sub excommunicatione, non reservata omnes libri Astrologiæ judiciariæ, seu divinationes de futuris contingentibus, libri tractantes ex professo obscœna, magica &c. Item regulâ 4. indicis etiam prohibentur legi S. Biblia vulgari idiomate sinè Episcopi vel inquisitoris licentiâ; sed prohibitionem secundæ classis in Germania non esse receptam testatur *Laym. suprà n.* 8. quia à majori parte non observatur, & non est, qui observantiam urgeat.

22. QUÆRES VI. Quis possit absolvere ab hæresi & dare licentiam legendi libros hæreticos?

R. I. In his partibus ab hæresi aliisque casibus sive in, sive extra Bullam Cœnæ S. Pontifici reservatis absolvere, & licentiam libros hæreticos legendi, retinendi & prohibitos corrigendi &c. dare possunt Episcopi & Nuntii Apostolici, & quamvis hæc potestas Episcopis à Trid. concessa loquatur tantùm de delictis occultis, ad forum contentiosum non deductis, & insuper hæc facultas probabiliùs videatur revocata per Bullam Cœnæ, utì nunc docet communis cum *Suar. Garc. Barb. Leur. l.* 5. *q.* 200. testantúrque sic declarâsse Gregorium XIII. & Clem. VIII., tamen in Germania, ubi est multitudo hæreticorum, & difficilis ad Papam accessus, casus Papales probabiliter fiunt Episcopales, ità ut Episcopi ab hæresi occulta & publica pro foro in- & externo quà delegati Sedis Apostolicæ, abjuratâ priùs hæresi & injunctâ pœnitentiâ, per se & delegatos suos absolvere possint. *Nav. Sylv. Covarr. Felin. Laym. Pirrh. l.* 5. *tit.* 7. *n.* 42. *Schmaltzgrub. ibidem n.* 372. quòd si præsens sit Legatus Apostolicus, probabiliùs hic adeundus erit, quamvis & tunc adiri posse Episcopum probabiliter censet *Laym. l.* 1. *t.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 6. Hoc certum est, Episcopos non posse absolvere hæresiarchas, seu novæ hæresis authores, neque relapsos in hæresin, nequidem in foro conscientiæ. *Pirrh. l. c.* 2. Si 23.
Papa vel ejus Legatus adiri non possit personaliter, possit autem scribi Romam pro absolutione saltem per Confessarium vel alium, non posse tunc absolvere Episcopum, docet *Bonac. & La Croix l.* 7. *n.* 149. ubi testatur sic habere praxin, sed oppositum probabilius docent *Sanch. Palao, Dicast. Schmaltzgrub. Reiffenst. n.* 393. Ratio est, quòd jura solùm

exi-

exigant, ut reus personaliter adeat Papam, ergo si hoc non possit, ad aliud à jure non impositum minimè tenetur, & cùm ferè semper sit occasio scribendi Romam, saltem per Confessarium vel Parochum, casus Papales vix unquam fierent Episcopales, quod est contra communem. 3. Certum est, Prælatos regulares non posse absolvere sæculares ab hæresi etiam occulta, quia Alex. VII. damnavit hanc 4. propositionem : *Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta & ab excommunicatione propter eam incursa.* An verò possint absolvere suos vel iis facultatem dare libros hæreticos legendi, est difficile definire, eò quòd privilegia, si quæ hac in parte habuerint, per Gregorium XV. sint renovata, quam revocationem innovavit Urban. VIII. 2. Aprilis 1631. *La Croix à n.* 389. adducit multa pro & contra, & nihil audet definire, quamvis testetur multos viros doctos & sapientes à suis Provincialibus & Generalibus 24. variorum Ordinum ejusmodi licentiam sinè scrupulo petere & impetrare; dicendum igitur videtur cum *Schmalzgr.* & multis, quos ipse citat & sequitur *n.* 208. quòd Superiores Regularium, vi privilegiorum antiquorum, suos non possint ab hæresi absolvere, aut suis dare licentiam legendi aut retinendi libros hæreticos, sed solent Ordines Religiosi post supradictas revocationes Romæ petere & impetrare, saltem ad tempus, nova privilegia absolvendi suos, & dandi suis licentiam legendi libros prohibitos, ùt testatur *Engel supra n.* 12. 4. Expurgatio librorum prohibitorum secundæ classis (nam libri hæretici seu primæ classis expurgari non permittuntur) in Germania, ubi index quoad secundam classem in tali rigore non est receptus, fieri potest per quemlibet hominem doctum, quamvis utique meliùs foret, si fieret authoritate Episcopi vel Superioris. 25.

*Lay. l. c.*

## CASUS CXVI.

### De Suspensione, Interdicto & Absolutione à Censuris.

*Darius Clericus interrogatur* 1. *Quid sit suspensio, depositio, degradatio.* 2. *Quotuplex.* 3. *Quid si suspensus ministret in officio, vel beneficii fructus percipiat.* 4. *An suspensus in una Diœcesi sit suspensus in alia.* 5. *Ex quibus causis incurratur suspensio; an Religiosi ab ea absolvere possint.* 6. *Quid sit interdictum.* 7. *Locale, personale, mixtum.* 8. 9. 10. 11. *Quæ officia divina tempore interdicti pro-*

*prohibita.* 12. *Quæ Sacramenta.* 13. *Qualiter sepultura Ecclesiastica.* 14. *Quæ pœnæ violantium interdictum.* 15. *Quis à censuris absolvere possit; an ligati ab inferiore Prælato possint extra visitationem vel appellationem solvi à Superiore.* 16. *Quid de articulo mortis, & an tunc absoluti adhuc teneantur se sistere Superiori.* 17. *Quis absolvat à censuris non reservatis.* 18. *Quid circa reservatas possint Regulares.* 19. *Quid tempore Jubilei.* 20. *Quid circa casus Bullæ Cœnæ possint Episcopi & Regulares.* 21. *Quis ritus absolvendi à censuris?* Pro Resolutione

1. QUÆRES 1. Quid, & quotuplex sit suspensio, & ejus effectus?

R. Suspensio est Censura prohibens Clerico functiones Ecclesiasticas: ut tamen propriè sit Censura, debet esse medicinalis, hoc est, debet tantùm ferri ad tempus per modum monitionis, ut desistat à contumacia. Item debet regulariter, sicut & aliæ Censuræ, ferri in scripto; si fiat verbaliter, aut feratur purè ad puniendum delictum præteritum, vel feratur in perpetuum, non est propriè Censura, seu pœna medicinalis, sed vindicativa, ideóque in ea exercens functiones Ordinis non incurrit irregularitatem, & ejusmodi privatio officii vel beneficii in perpetuum, si fiat verbaliter, est depositio; si fiat realiter, est propriè degradatio, privátque privilegio fori & Canonis, & subdit Clericum judici sæculari, non tamè absolvit à votis aut lectione Horarum Canonicarum, etsi inde nihil percipiat, id enim suâ culpâ contingit. 2. Suspensio alia est totalis, quâ quis suspenditur ab officio & beneficio, hoc est, ab omni exercitio Ordinis, jurisdictionis, officii &c. & perceptione fructuum; alia est partialis, quâ quis suspenditur à solo officio vel solo beneficio aut ab uno vel altero actu à perceptione aliquorum fructuum &c. Suspensus ab officio non est suspensus à beneficio; item suspensus ab una functione, v. g. ab auditione Confessionum, non est suspensus ab alia, v. g. à Celebratione Missæ. Similiter suspensus ab Ordine non est suspensus à jurisdictione, & econtrà suspensus à jurisdictione potest ea facere, quæ merè sunt Ordinis, ùt celebrare, absolvere, in Altari ministrare, quia suspensio ùt pœna est strictæ interpretationis. *c. odia de Reg. Juris in 6.* Suspensus tamen simpliciter ab officio censetur suspensus tam ab Ordine quàm jurisdictione, quia officium complectitur utrumque. *Suar. de cens. d. 26. sect. 3. n. 4.* Denique simpliciter & indefinitè suspensus intelligitur suspensus ab officio & beneficio, nisi aliunde colligatur aliqua limitatio, quia propositio indefinita æquivalet universali. *Laym. hic n. 2.* 3. Suspensus ab officio, si se eidem ingesserit, irregularitatem incurrit, dico: *si se ingesserit*, nam sicut dixi *cas.* 2. quòd excommunicatus toleratus licitè possit administrare Sacramenta, si Fideles ex rationabili causa ab eo petant, sic & suspensus ad rationabilem aliorum instantiam licitè potest exercere actus Ordinis & jurisdictionis; per consequens, nec irregularitatem incurret,

2.

3.

at verò suspensus à beneficio, si eidem se ingerat & fructus percipiat, non quidem efficitur irregularis, perdit tamen beneficium ipso jure. *c. cupientes 16. de elect. in 6.* Solet proinde suspenso dari œconomus, qui reditus colligat, & eosdem jussu Episcopi in pias causas expendat; debentur tamen suspenso alimenta necessaria, utì & illa quæ acquirit non ex beneficio, sed ex privato labore, v. g. concionando, Missas legendo. 4. Si quis habeat beneficia in diversis Diœcesibus, si suspendatur à beneficiis ab uno Episcopo, non censetur suspensus à beneficio, quod habet in alia Diœcesi, quia sententia pœnalis non est extendenda, quamvis Episcopus etiam possit suspendere à beneficiis extra Diœcesin obtentis. *arg. cap. postulasti 14. de foro compet.* Econtrà suspensus ab Ordine vel officio ubicunque existens prohibetur actus officii exercere, usquè dum absolvatur, quia hæc suspensio directè afficit personam: an autem & quando suspensi prohibeantur eligi & eligere, conferre beneficia & acceptare, dixi *de benef. cas. 3. & 4.* 5. Ut incurratur suspensio saltem totalis, requiritur peccatum mortale; incurritur autem suspensio 1. Si quis S. Ordines suscipiat sinè legitimâ ætate, sinè titulo, extra tempora, non servatis interstitiis, aut ordinetur ab alieno Episcopo sinè demissorialibus, aut à proprio in aliena Diœcesi, aut saltem in actuali censura post matrimonium ratum &c. nisi id fiat ex ignorantia. 2. Qui ordinant aut ordinantur simoniacè, 3. Eligentes Episcopum indignum suspenduntur à beneficio ad triennium. 4. Parochi copulantes sinè licentia sponsos alterius parochiæ. 5. Visitatores accipientes pecuniam vel munera, & plures alii, de quibus dixi suis locis. 6. Religiosi communiter habent privilegium pro foro conscientiæ absolvendi ab omni suspensione juris, etiam Papæ reservatâ, proveniente ex delicto occulto. *Krim. l. 5. n. 203.*

4.

5.

QUÆR. II. Quid circa Interdictum? 6.

R. Interdictum est censura in locum vel personas lata, prohibens divina officia, quædam Sacramenta & sepulturam in loco sacro: differt ab excommunicatione & suspensione, quòd excommunicatio privet bonis spiritualibus, quatenus sunt communicatio cum Fidelibus; suspensio iis privat, quatenus proveniunt ex potestate aliquâ Ecclesiasticâ, ideóque in solis Clericis locum habet, at verò interdictum privat illis bonis, quatenus sunt spiritualia independenter à communicatione cum Fidelibus. Deinde interdictum ferri potest in locum & communitatem, ità ut comprehendat etiam innocentes; excommunicatio tantùm in certas & determinatas personas nocentes. Dicitur 1. *Censura in locum vel personas lata*, nam interdictum dividitur 1. in locale & personale; locale est, quo immediatè ipse locus interdicitur, ne divina ibidem celebrentur, vel aliæ functiones prohibitæ fiant sive ab indigenis, sive ab alienigenis; personale interdictum est, quo immediatè interdicitur persona, non locus, ideóque illæ per- 7.

personæ nec hìc nec alibi functiones interdicto prohibitas exercere possunt. Addunt alii interdictum mixtum, quo scilicet locus & personæ immediatè interdicuntur, v. g. civitas & ejus incolæ. 2. Interdictum tam locale quàm personale subdividitur in generale & 8. particulare. Interdictum generale locale est, quo interdicitur locus generalis, id est, unus plura loca complectens, ùt regnum, civitas, villa vel castrum, juxta *c. cum in partibus 17. de Ven. Sac.* & quidem castro vel oppido generaliter interdicto etiam interdicuntur suburbia & continentia ædificia, quamvis propriis muris sint determinata & distincta, ne facilè eludatur interdictum, si prohibitis divinis Officiis in civitate populus excurrat ad ea in suburbiis audienda. *c. si civitas 17. de sent. excom. in 6. Interdictum locale particulare est*, cùm interdicitur locus particularis, v. g. una vel plures partes Ecclesiæ; interdictâ Ecclesiâ interdicitur cœmiterium & sacellum contiguum seu muris Ecclesiæ cohærens, non autem separatum. 3. *Interdictum generale personale est*, quo directè 9. interdicuntur homines in communi, prout constituunt unum corpus politicum, v. g. populus unius provinciæ, civitatis vel oppidi. Item Collegium, Capitulum, Universitas; ejusmodi interdictum obligat omnia & singula membra, quamdiu manent membra communitatis, & si non sit mixtum, sed purè personale, afficit solos homines, ideóque locus ipse vel Ecclesiæ in tali loco existentes non erunt interdictæ, quin in iis à non interdictis divina celebrari & ad ea viatores peregrini aliique, qui non sunt membra communitatis interdictæ, vel per mutationem domicilii desierunt esse membra, admitti possint, dummodo clausis ostiis vel aliter arceantur interdicti, & quidem, qui affecti sunt interdicto personali tam generali, nullibi possunt divinis interesse, neque in loco proprio neque alieno, etiamsi sint innocentes; econtrà in interdicto locali generali innocentes, qui per consilium, auxilium, favorem aut aliter interdicto causam non dederunt, possunt extra loca interdicta divinis interesse: aliud est de nocentibus, nam respectu horum interdictum locale continet personale, ità ut nec in- nec extra locum interdictum divinis interesse possint. hoc tamen notandum est, quòd interdicto populo non intelligatur interdictus Clerus vel econtrà, nec interdicto Clero intelligantur interdicti Religiosi, quia hi in odiosis non veniunt nomine Cleri. Item interdictis Clericis vel Religiosis non sint intedictæ eorum Ecclesiæ, ideóque alii in ea poterunt celebrare, & divinis interesse. *Covar. in c. Alma Mater p. 2. §. 1. n. 7.* Interdictum personale particulare 10. est, quando non tota aliqua communitas, sed singulares personæ, una vel plures interdicuntur, quamvis eorum nomina non exprimantur, hæc comprehendit solos nocentes, causa autem interdicti debet esse crimen enorme, præsertim Principis vel Magistratûs, ut si civitas det auxilium vel consilium, ut Cardinalis vel Episcopus occidatur, aut invitus detineatur, aut læ-

datur immunitas Ecclesiastica gravan-
11. do Clericos &c. Dicitur 2. *Prohibens divina Officia*, hoc est, Sacrificium Missæ, Horas Canonicas choraliter recitandas, benedictionem Episcopi vel Abbatis &c. hoc tamen ità mitigavit Bonifacius VIII. in *c. Alma Mater* 24. *de sent. excom. in 6.* ut in Ecclesiis, quæ specialiter interdictæ non sunt, quamvis existant in loco generaliter interdicto, sive sint Regulares, sive sint Sæculares, singulis diebus Missæ & Officia (intellige à Clericis vel Religiosis personaliter non interdictis) celebrentur sicut priùs, *submissâ tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis expulsis, & non pulsatis campanis, ità ut Canonici & alii Clerici, qui Horis non interfunt, amittant quotidianas distributiones, sicut illas perderent, quando non est interdictum, si divinis Officiis non interessent.* Porro in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes (quod probabiliter ad totum triduum horum festorum extenditur) Assumptionis B. M. Virginis, quibus Martinus V. addidit Festum Corporis Christi cum Octava, campanæ pulsentur, & januis apertis altâ voce *solemniter celebrentur divina Officia, exclusis excommunicatis, sed admissis interdictis, quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum memoratis diebus permittitur participatio divinorum, ita tamen, ut illi, propter quorum delictum interdictum hujusmodi est latum, altari nullatenus appropinquent.*
12. Dicitur 3. *Prohibens quædam Sacramenta*, intellige, conferre & suscipere. Baptismus tamen & Confirmatio tempore interdicti permittuntur, *c. respon-so 43. c. quoniam 19. de sent. excom. in 6.* Item Sacramentum Pœnitentiæ conferri potest non tantùm ægris sed & sanis, dummodo excommunicati non sint, nec causam dederint interdicto, excommunicatus enim ad Pœnitentiam non admittitur, nisi absolutus à censura, qui verò culpam habent in interdicto, non admittuntur, nisi satisfecerint pro culpis suis, vel idoneam cautionem de satisfaciendo præstiterint, etsi ab interdicto nondum sint absoluti. *d. c. Alma Mater.* Eucharistia quoque conceditur, saltem in periculo mortis, & Festis suprà nominatis, nec prohibetur. Matrimonium juxta veriorem DD. sententiam, quia prohibentur tantùm Sacramenta, quæ ab ipsa Ecclesia dispensantur, & non consistunt in contractu politico. Matrimonium autem ab Ecclesia non confertur, sed per contrahentes; nec est purum Sacramentum, sed simul contractus. *Cov. l. c. §. 2. n. 7.* Benedictio tamen nuptiarum tempore interdicto sponsis dari non potest, nisi submissâ voce, januis clausis, exclusis interdictis & excommunicatis. *Sanch. de Matrim. l. 7. d. 8. n. 11.* Dicitur 4. *Prohibens sepulturam Ecclesiasticam*, ità 13.
ut etiam infantes in loco interdicto sepeliri non possint, attamen omnes tam Laici quàm Clerici, si non sint personaliter interdicti & ùt tales publicè denuntiati, nec interdicto locali suâ culpâ causam dederint, possunt deferri ad alium locum sacrum & ibidem sepeliri, sicut enim vivi ibidem poterant divinis interesse, sic & ibidem com-

communicare in Ecclesiasticâ sepulturâ ; imò Clerici & Religiosi si servarunt interdictum nec ipsi sint personaliter interdicti, ex privilegio sepeliri possunt etiam in loco sacro interdicto, sed in silentio sine pulsu campanarum. *Cap. quod in te 11. de pœnit. & remiss.* Quod si contingat corpus contra prohibitionem in loco interdicto sepeliri, propterea non est exhumandum, quia ejusmodi pœna nullibi in jure est statuta : aliud est de excommunicatis, qui exhumari, & è loco sacro ejici debent per expressum textum *in Cap. sacris 12. de sepult.* Violantes interdictum incurrunt sequentes pœnas : 1. Clerici personaliter interdicti, aut si non sint personaliter interdicti, si scienter celebrent, vel actus Ordinis exerceant in loco interdicto, incurrunt irregularitatem Papæ reservatam. *Cap. is, qui 18. de sent. excom. in 6.* 2. Religiosi etiam exempti, si violent interdictum Papæ vel Episcopi, admittendo v.g. interdictos ad divina officia, excommunicantur. *Clem. 1. de sent. excom.* Hæc tamen excommunicatio non legitur esse reservata. 3. Laici & Domini sæculares, qui in locis interdictis alios faciunt vel compellunt celebrare, qui pulsu campanarum, vel aliter personas publicè excommunicatas, vel interdictas, aut etiam alias convocant, ut intersint divinis in locis interdictis. Item qui prohibent, quo minùs excommunicatus vel interdictus denuntiatus ex officio Missæ exeant, posteaquam nominatim fuerint moniti, aut denique, qui moniti exire noluerint, hi omnes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. *Clem. 11. h. t. Pirrh l. 5. t. 39. à nu. 243.* 4. Excommunicationem non tamen reservatam incurrunt, qui interdictos in loco sacro, vel alios in loco interdicto scienter sepelire præsumpserint. *Clem. 1. de sepult.* 14.

QUÆR. III. Quis à censuris absolvere possit? 15.

R. 1. Qualiter à censuris reservatis ob hæresin, vel percussionem Clerici absolvere possint Episcopus & Superiores Ordinum, dixi cas. præc. 2. A censurâ ab homine latâ non solvit alius, quàm ille, qui eam tulit, aut ejus successor, vel superior, si causa per appellationem ad eum fuerit revoluta ; imò Prælatos Ordinis, omnes regulares ab inferioribus Prælatis ligatos absolvere posse, v.g. Provinciales, quos superior loci excommunicavit, docet *Laym. hic c. 7. n. 2.* Ratio est, quod religiosi pleno jure suis subjecti sint, non ità Episcopus Archi-Episcopo : neque possunt religiosi Episcopo subjecti, & à Prælato inferiore censurati, per Episcopum extra visitationem vel appellationem absolvi, quia prima instantia competit Abbati. *Schmaltzgr. l. 5. tit. 39. nu. 90.* 16. 3. In articulo mortis quilibet sacerdos à qualibet censura quomodocunque reservata absolvere potest. *Trid. sess. 14. de pœnit. cap. 7.* Excipe percussionem Clerici, pro quâ etiam in articulo mortis, si commodè fieri potest, Episcopus adiri debet. *Laym. cap. 6. n. 5.* & qui in articulo mortis, vel alia necessitate urgente,

v. g. præcepto celebrandi pro populo à non habente facultatem in reservata absolvitur, ab illo prævie debet exigi cautio per pignus vel per fidejussionem de satisfaciendo parti læsæ, & de comparendo coram superiore, & si ex post coram superiore comparere negligat, reincidit in eandem censuram. *C. eos, qui 22. de sent. Excom. in 6.* Ab hac tamen reincidentia absolvere posse Episcopum, & per consequens etiam posse regulares privilegiatos, docet *Spor. supr. c. 6. n. 616.* ubi etiam consequenter addit absolutum in tali articulo à Mendicante non teneri se sistere superiori, imò & *Marchant.* dicit esse probabilissimum, quod in articulo mortis absolutus, nunquam teneatur se sistere superiori, nisi censura esset deducta ad forum externum, quia *Trid.* expresse dicit: *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla esset reservatio in articulo mortis.* Ubi autem non est reservatio, non est obligatio se sistendi superiori,

17. ergo. 4. A censuris non reservatis absolvere potest omnis, qui potest à mortalibus, hinc in forma absolutionis præmittitur, & sub peccato præmitti debet absolutio à censuris, & hoc etiam tenet de interdicto personali particulari non reservato, non verò de locali, vel personali Generali, quia hæc ligant totam communitatem, vel ipsa loca, quæ foro

18. pœnitentiæ non subsunt. 5. Regulares communicantes cum Mendicantibus extra Italiam vi horum privilegiorum possunt in foro pœnitentiæ absolvere ab omnibus casibus Papæ extra Bullam Cœnæ reservatis. *Laym. suprà n. 5. Reginald. l. 21. num. 83. Schmaltzgr. n. 97.* Nec tenentur absolutum remittere ad Papam, vel ejus delegatum aut Episcopum, possuntque à dictis censuris absolvere, etiam extra confessionem. *Suar. Henriq. Coning. Rodriq. apud Laym. de pœnit. c. 10. n. 21.* Ratio est, quia privilegium seu gratia interpretanda est, secundùm naturam rei, quæ conceditur, atqui absolutio à censuris potest fieri extra confessionem, & independenter à peccatis, ergo. Estque benè notandum confessariis, quod omnes casus Papales, maximè ii, qui continentur in Bulla Cœnæ, reserventur propter censuram, ideóque, si ob ignorantiam, vel oblivionem etiam culpabilem non incurratur censura, etiam non incurratur reservatio, & tunc à quolibet approbato absolutio dari possit, ut dixi casu 98.

6. Si in Jubilæo detur facultas ab- 19.
solvendi ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis, ex usu Ecclesiæ etiam intelligitur à reservatis ab Episcopo. *Dicast. d. 1. n. 36.* Non tamen à reservatis in Bulla Cœnæ, nisi à Papa exprimantur. *Rodriq. Palao Chapeav. p. 1. c. 4. Leur. q. 204.* Quia hæc specialiter reservantur, ideóque per generalem facultatem non intelliguntur concessa, & sic habet stylus Curiæ Romanæ, qui est loco Legis, *Azor, Suar. Barb. p. 1. alleg. 40. n. 31.* Si detur facultas ad omnia peccata & censuras, per censuras non intelligitur suspensio, nequè irregularitas, sed tantùm illæ censuræ, quæ impediunt

abso-

absolutionem à peccato velut excom-
20. municatio. *Averſ. q. 17. ſect. 7. 7. Trid. ſeſſ. 24. c. 6 de reform.* concedit Epiſcopis poteſtatem abſolvendi ab omnibus cenſuris & irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, provenientibus, etiam ab hæreſi, & per conſequens ab aliis caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis ad forum externum non deductis. *Rodriq. Bonagrat. hic pag. 162.* id etiam extendunt ad ſuperiores ordinum. 1. Quia quidquid jure communi poſſunt Epiſcopi, etiam poſſunt Prælati regulares circa ſuos, ut docet *Suar. de relig. t. 2. l. 2. c. 39. t. 4. l. 2. c. 15. Eng. de privil. regular. privil. 48. & alii A. A. graviſſimi.* Ergo. Si Epiſcopi jure Trid. queant abſolvere à Caſibus Bullæ Cœnæ occultis, idem reſpectu ſuorum poterunt ſuperiores regulares. 2. Certum eſt Regulares à variis Pontificibus habuiſſe privilegia à dictis caſibus abſolvendi pro foro conſcientiæ, non autem ſatis conſtat hæc privilegia eſſe revocata, aut ſaltem decreta revocantia in his partibus non ſunt promulgata. Sed his non obſtantibus *Mendo diſſ. 1. q. 4.* meritò dicit ſententiam *Bonagr.* non amplius eſſe probabilem, & ratio eſt 1. quia Bulla Cœnæ, quæ omni anno renovatur, revocat omnia privilegia, Epiſcopis, Mendicantibus, aliisque regularibus, pro his caſibus, quomodolibet etiam per Concilium conceſſa, & ità præſertim quoad regulares declarâſſe *Greg. XIII. & Clem. VIII.* teſtatur *Barboſ. de officio Ep. alleg. 40. à n. 23.* Ideóque probabilius nec ipſi Epiſcopi in vim Trid. à dictis caſibus abſolvere poſſunt, etſi poſſint quà delegati Apoſtolici, ut dixi *Caſ. præced. n. 22.* *Nec dicas* Bullam tantùm loqui de caſibus ad forum externum deductis. *Contrà eſt*, Bulla revocat facultatem Epiſcopis, etiam per concilium conceſſam, ſed Concilium tantùm conceſſit facultatem ad Caſus occultos pro foro conſcientiæ, ergo. Vide etiam propoſitionem 3. ab Alex. VII. damnatam. 2. Quamvis Leges Pontificiæ præſertim pœnales etiam in partibus debeant publicari, attamen, ut deſinat privilegium, ſufficit, quod ejus revocatio facta ſit Romæ, & de eâ conſtet in partibus, privilegia enim non ſunt leges, & faciliùs amittuntur. *Leſſ. in auct. caſ. 3.* 8. 21.
Ritus abſolvendi judicialiter præſcribitur *c. à nobis 28. de ſent. excom.* & habetur in Pontificali Romano, omiſſio tamen illius abſolutionem non reddit invalidam, neque graviter illicitam, etſi regulariter expediat præſcriptas cæremonias ſervare. *Schmaltz. num. 98.* Pro foro conſcientiæ ſolet fieri hoc, vel ſimili modo: Ego te abſolvo à vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis &c. quam incurriſti propter N. N. (& ſi ſit excommunicatus) reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni Fidelium. Aut ſi ſit ſuſpenſus: Reſtituo te executioni tuorum Ordinum, officiorum, & beneficiorum in nomine Patris &c. & qui plures incurrit excommunicationes, poteſt abſolvi ab unâ manente alterâ. *Laym. c. 5. Leur. q. 558.*

CASUS

# CASUS CXVII.

## De Irregularitate.

EMericus ordinandus examinatur. 1. *Quid sit Irregularitas, & an incurratur ab ignorante.* 2. *An irritet, vel prohibeat actus ordinis, vel jurisdictionis per collationem, vel acceptationem beneficii.* 3. *Quid de Irregularitate ex delicto, an prærequirat peccatum mortale.* 4. *Ex homicidio.* 5. *Quid in dubio, an occideris vel mutilaveris.* 6. *Quid de mutilante, vulnerante se vel alium.* 7. *Quid de Irregularitate ex defectu animi.* 8. *Ex defectu corporis.* 9. *Libertatis, natalium.* 10. *Quid de expositiis, & in dubio, an quis sit legitimus.* 11. *Quid de Bigamia vera & similitudinaria.* 12. *Quid de irregularitate ex defectu famæ.* 13. 14. 15. *Ex defectu lenitatis.* 16. *Qui hic excusentur.* 17. 18. 19. 20. *Qualiter tollatur irregularitas.* Pro resolut.

21 QUÆR. I. Quid sit Irregularitas?

R. Irregularitas est impedimentum Ecclesiasticum, impediens susceptionem ordinum, & susceptorum usum. Dicitur 1. Impedimentum, non censura, quia censura non solùm à jure, sed ab homine fertur, prærequiritq; ex parte judicis monitionem Canonicam, ex parte censurati contumaciam, ideóque est pœna medicinalis; econtra irregularitas fertur à solo jure, nec propriè est pœna medicinalis, sive proveniat ex delicto, sive ex macula corporali: hinc quamvis censura non incurratur ab ignorante, ut dixi *cas. 113. nu. 9.* Irregularitatem tamen probabiliùs incurrit etiam is, qui ignorat illam suo actui v. g. homicidio injusto esse annexam. Est communis cum *Card. dis. 75. n. 37. Ari. p. 5. tr. 2. cent. 5. Schmaltzg. tit. 37. n. 107. La Croix l. 7. num. 482.* Ratio est, quod censura tanquam pœna medicinalis non incurratur, nisi ab eo, qui est contumax contra legem pœnalem, qui ut talem eam non cognoscit; econtra irregularitas non est pœna medicinalis, sed impedimentum aliquod Canonicum ad S. Ordines, sicut ergo alia impedimenta, v. g. Matrimonii incurruntur ab ignorantibus, sic & irregularitas. Oppositа sententia tamen, quod irregularitas ex delicto non incurratur ab ignorante, quam tuetur *Sanch. Krim. l. 5. num. 2177.* & alii, est probabilis, teste *Schmaltzgr. & multis aliis.* Ratio est, quod irregularitas ex delicto sit pœna contemptûs, imò juxta *Abb. & Nav.* requirit dolum, & pœna extraordinaria non incurritur, nisi sit consensus in culpam, prout est causa talis pœnæ, quod fieri non potest absque

absque notitia talis pœnæ, irregularitas autem est pœna extraordinaria, quia obligat delinquentem, ut eam in
2. se exequatur. Dicitur 2. *Impediens* non simpliciter inhabilitans, seu invalidans susceptionem Ordinum, hinc valent Ordines in irregularitate dati, vel suscepti. Item valet absolutio data ab irregulari, quamvis in his peccetur mortaliter. Ratio est, quod irregularitas non privet potestate Ordinis, sed tantùm prohibeat Ordinum susceptionem & usum, non verò usum jurisdictionis, ideóque irregularis potest excommunicare, absolvere per se & alium eligere, beneficia conferre; eligi tamen, aut beneficium validè acceptare probabiliùs non potest, quia beneficium datur propter officium: est autem irregularis incapax ad officium, ergo & ad beneficium. Si irregularitas tantùm impediat exercitium unius Ordinis, ùt privatio manûs impedit functiones sacerdotii, adhuc acceptari poterit aliud beneficium, cujus functiones potest exercere: qui post beneficium acceptum irregularitatem incurrit, potest retinere beneficium, ejúsque fructus, si per se, vel per alium ei deserviat, quia jura possessa regulariter non amittuntur, nisi post judicis sententiam. Item irregularis potest servire Missæ, sicut laicus, & baptizare non solemniter, cantare in choro, & similia, quæ non sunt actus Ordinis, sed etiam à laicis fieri possunt.

3. QUÆR. II. Quid circa irregularitatem ex delicto.

℟. Irregularitas alia est ex delicto, alia ex defectu; quæ est ex delicto, prærequirit peccatum mortale, quia est gravis pœna vindicativa delicti præteriti, delicta autem inducentia irregularitatem sunt varia, ut 1. *Reiteratio Baptismi*, quæ saltem, si sit publica, facit baptizantem, baptizatum & ministrum assistentem irregularem, *cap. 2. de reiterando Bapt.* intellige, si id faciant scienter & absolutè, nam ignorans, vel sub conditione baptizans jam baptizatum, reipsa non censetur velle rebaptizare. *Pirrh l. 5. tit. 9. à nu. 12.* Hæc pœna autem non extenditur ad eos, qui malitiosè iterant Confirmationem, Ordinem &c. quia de his non loquuntur jura.

2. Violatio censuræ, si quis scilicet in excommunicatione, suspensione, vel interdicto exerceat actus Ordinis, aut excommunicatus, vel suspensus scienter Ordines suscipiat.

3. Fit irregularis Clericus exercens Ordinem, quem non habet. Dico Clericus, nam si laicus extra necessitatem solemniter baptizet, vel tentet absolvere, etsi gravissimè peccet, non tamen contrahit irregularitatem, quia id jura non statuunt.

4. Oritur irregularitas ex mutilatione & homicidio injusto & voluntario, item ex cooperatione, quæ fit mandando, consulendo, animando, arma præbendo, vel aliter in homicidium voluntariè influendo, juxta seqq. explicationes. 1. Hæc pœna non extenditur ad homicidium casuale,

ſuale, aut illud, quod fit pro neceſſaria ſui, vel innocentis, aut etiam pro rerum magni momenti defenſione, niſi excedatur moderamen inculpatæ tutelæ, quia ubi non eſt culpa, non debetur pœna: aliud eſt de homicidio, quod propriâ manu committitur in bello juſto, vel ex ſententia judicis, pro his enim jura ſtatuunt irregularitatem, non in pœnam, ſed in defectum lenitatis, ut infra dicetur. 2. In bello injuſto, ſi vel unus occidatur, totus exercitus redditur irregularis, ut habet communis, quia cenſentur ſe mutuâ præſentiâ ad occidendum animare, ſed cum non ſit hominis particularis de juſtitia belli judicare, id in praxi rarò locum habet. 3. Quamvis in dubio, ſive juris, ſive facti nemo cenſeatur irregularis, ut habet communis, eò quòd odia ſint reſtringenda, aliud tamen eſt in dubio facti de injuſto homicidio, ut clarum eſt ex *cap. ſignificâſti*, ex *cap. audientiam 2. de homicid.* Ideóque ſi concurrens ad abortum dubites, an fœtus fuerit animatus, an conſilium tuum in homicidium ab alio patratum influxerit, an percuſſus à te, & ab alio ex tua, vel alterius percuſſione obierit &c. in his omnibus cenſeris irregularis; econtra in dubio facti, de mutilatione non es irregularis, quia Canones tantùm loquuntur de dubio circa homicidium, & quidem juſtum. *Dicaſt. hìc n. 52. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. n. 35.* Ideóque ſi dubites, an propriâ manu in bello juſto aliquem occideris, non cenſeris irregularis. 4. Mutilatio hic utpote in materia pœnali, ex communi Doctorum ſtrictè accipienda eſt, pro abſciſſione alicujus membri principalis, quod peculiarem in corpore functionem obtinet, ut oculus, pes, manus &c. ideòque excuſatur ab irregularitate, qui tantùm digitum, naſum, cartilaginem auriculæ alteri abſcidit, vel vulnus, etſi grave inflixit, aut membrum inutile reddidit; qui tamen ex iracundia, vel impatientia ſe ipſum mutilat, vel ſine juſtâ causâ mutilari facit, etiam in uno articulo digiti, vel exſciſſione teſticulorum, eſt irregularis, ut ex jure probat *Eng. l. 1. tit. 20. n. 7.* Quia turpius eſt ſe ipſum quàm alium mutilare.

QUÆR. III. Quid circa irregularitatem ex defectu? 7.

R. Irregularitas ex defectu etiam variis modis contingit. 1. Ex defectu animæ, Epileptici, Energumeni, ſeu obſeſſi à Dæmone irregulares ſunt quoad Ordines ſuſcipiendos; à ſuſceptis verò tam diu ſuſpenſi ſunt, uſque dum unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur à malo ſuo liberati. *Cap. communiter 3. diſt. 33. c. 1. can. 7. q. 2.* Idem dicendum eſt de Phreneticis, leproſis, arreptitiis, amentibus, qui delirant ex cauſa permanente, ſecus, ſi ex morbo, vel ira, tunc enim irregulares non ſunt: de Epilepticis, ſeu laborantibus morbo caduco, ſi rarò cadant ſinè ſpuma & clamore, privatim celebrare poſſe, adjuncto eis ſocio, qui in caſu defectûs Miſſam proſequi poſſit, docet *Laym. hìc c. 7. n. 3.*

2. Omnis defectus corporis, qui 8.

vel

vel congruum Ordinis exercitium impedit, vel notabilem deformitatem, horrorem, vel scandalum adfert, irregularitatem inducit, ut constat ex *tit. toto de corpore vitiato.* Ex hac regula generali irregulares reputantur seqq. 1. Omnes, qui etiam sine sua culpa pede, brachio, manu, digito ad frangendam hostiam necessario scilicet indice, vel pollice carent; cæci, surdi, non tamen surdastri, claudi, si sinè baculo, aut alia deformitate ad altare accedere non possint, qui carent oculo sinistro, aut etiam dextro cum notabili deformitate: si absit deformitas, & solus oculus dexter Canonem sinè nota legere possit, etiam defectus oculi sinistri non causabit irregularitatem. 2. Quibus nares, vel aures abscissæ sunt, nisi deformitas aurium, capillaturâ tegi possit. 3. Qui maculam turpem in facie, vel gibbum valdè deformem habent. 4. Hermaphroditi, etiamsi sexus masculinus prævaleat. 5. Qui carent membro occulto, v. g. testiculis, non sunt irregulares, nisi id factum sit eorum culpa. 6. In dubio, an aliquis defectus, vel deformitas irregularitatem inducat, standum est arbitrio Episcopi, qui Prælatorum etiam exemptorum arbitrium rejicere potest. *Laym. l. c. n. 7.*

3. Defectu libertatis irregulares sunt servi propriè tales, seu mancipia, quam diu hæc conditio durat. *Can. 81. Apost.*

9. 4. Defectu natalium irregulares sunt omnes illegitimi, sive naturales, sive spurii. *Cap. 1. & 2. de filiis Presb.* Idque probabilius, etiamsi illegitimitas sit occulta, ut habet communis cum *Nav. c. 27. num. 201.* Attamen occultè illegitimus, si habeat gravem causam Ordines suscipiendi, v. g. ut natuminori hoc modo relinquat hæreditatem, non tenetur se ipsum diffamare petendo dispensationem, sed sinè eâ ordines & beneficium suscipere potest, & mater conscia illegitimitatis ei susceptionem ordinum ex tali causâ suadere potest. *Laym. supra.* E contra si gravis causa non adsit, vel dispensationem petere, vel ab Ordinibus abstinere debet. Expositicii etsi 10.
ad aliquos effectus habeantur pro legitimis, quia tamen hoc ipso, quod sint expositi, habent aliquam maculam, sine dispensatione (quam in hoc casu dubio dare potest Episcopus, teste *Pirrh. l. 1. t. 17. n. 12.*) ad Ordines admitti non debent. *Cov. Garc. l. 7. de benef. à n. 8.* Oppositum tamen etiam est probabile, quia in dubio illegitimitas & delicta non præsumuntur, & benignior interpretatio facienda est, ideòque expositi in Ordinibus susceptis non prohibentur ministrare, quia habent jus quæsitum, & in dubio est melior conditio possidentis. Natus ex conjugata, quamvis mater circa tempus conceptionis rem habuerit cum adultero, aut etiam affirmet se ex eo concepisse, filius non est irregularis, sed in omnibus se potest habere pro legitimo, nec tenetur matri etiam juranti credere, modò maritus etiam habuerit aditum ad eam, tum quia ipsa mater id scire non potest, tum quia alleganti propriam turpitudinem non est habenda fides, tum denique,

quia possessio & præsumptio est pro matrimonio & legitimitate. *Sperel. decis. 173.*

11. 5. Irregulares sunt bigami, *c. debitum 5. de Bigam.* Bigamus hic vocatur, vel propriè talis, qui plures duxit, vel cognovit uxores, vel interpretativè, qui duxit vel cognovit viduam, aut ab alio corruptam, vel cognovit uxorem propriam, postquam adulterata fuit cum alio: Nec refert, sivè mulier volens, sivè per vim cognita sit, sivè vir adulterium uxoris cognoverit, sivè ignoraverit. *Avil. Nav. c. 27. n. 195.* Ratio est, quod hæc irregularitas non incurratur in pœnam delicti, sed propterà, quod matrimonium Bigami non significet perfectam unionem Christi cum unica & immaculata Sponsa Ecclesiæ, eò, quod sponsa Bigami diviserit carnem in plures. Addunt DD. communiter aliud genus Bigamiæ, ex hoc, quod quis post uxorem carnaliter cognitam, illâ vivente seriò etsi nulliter ducat & cognoscat aliam. *Cap. nuper, & cap. ult. de Bigam.* Similiter Religiosus post professionem contrahens & consummans matrimonium, etiam cum virgine, fit irregularis, saltem ex perpetuâ Ecclesiæ praxi & consuetudine, quæ indubiè legem inducere potest. Idem à potiori dicendum de Clerico post S. Ordines ducente & cognoscente virginem, ut clarè colligitur ex *cap. qui Clerici vel voventes.* Hæc Bigamia vocatur similitudinaria. Denique, qui ante baptismum duas uxores, vel viduam duxit, etiam post baptismum manet bigamus, & indiget dispensatione, ut ad S. Ordines evehi possit: in dubio, aut in casu, quo inter DD. utrimque probabiliter disputatur, an irregularitas incurratur, vel non incurratur, standum est pro libertate.

6. Defectu bonæ famæ tanquam irregulares ab Ordinibus & beneficiis arcentur infames infamiâ, sive juris, sivè facti. Infamia juris oritur ex triplici fonte. 1. Ex proprio, vel parentum delicto v. g. ex crimine publici usurarii vel lenocinii, hæresis, Apostasiæ, Raptus, Sodomiæ, læsæ majestatis, & omnibus iis, quibus ex constitutione legum infamia annexa est, saltem si sint publica. 2. Ex vili statu seu conditione, & taliter infames sunt histriones, & in Germania carnifices, eorumque filii. 3. Denique ex condemnatione in judicio, & magis ex punitione publicâ, ut dum quis ob crimen furti vel adulterii condemnatur, aut virgis cæditur. Infamia facti est publica notitia, vel opinio commissi criminis ignominiosi cujuscunque, sivè in jure infamiam annexam habeat, sivè non, dummodo apud prudentes viros, graviter indè fama lædatur. Irregularitas ex infamia ipso jure per judicis sententiam inducta non tollitur per pœnitentiam, nec per ingressum in religionem, aut per dispensationem Principis, qui legem aut sententiam tulit, aut per Papam saltem indirectè hoc ipso, quod eos ex causâ ad Ordines admittat. Irregularitas verò, quæ non per jus, vel per judicem, sed ex infamia facti inducitur, per constantem vitæ emendationem tollitur, ità ut publicus adulter, vel concubinarius post publicam emendationem, interposito saltem aliquo 12.

tem-

tempore sinè dispensatione iterum celebrare possit, & quamvis concubinarii publici olim ipso jure suspensi fuerint, hanc tamen suspensionem consuetudine sublatam esse testatur *Laym. c. 4. n. 11.* E contra hæresis, Apostasia, & similia crimina, quæ ipso jure infamiam annexam habent, si sint notoria, etiam post pœnitentiam impediunt susceptionem, vel novum Ordinem, secus si sint occulta, quia videntur irregularitatem inducere, non ratione sui, sed propter annexam infamiam publicam, quæ non habet locum in delictis occultis.

13. 7. Ex defectu lenitatis irregularitatem incurrunt, qui aliquem justè occidunt, vel mutilant juxta sequentes explicationes. 1. Frustrà timent irregularitatem, qui ex officio charitatis tractant, levant, portant, versant vulneratum, vel infirmum, etsi fortè præter intentionem acceleretur mors, cum enim irregularitas oriatur ex defectu lenitatis, certè ibi locum non habebit, cum quis operatur ex lenitate actus misericordiæ & charitatis. 2. Qui
14. voluntariè militant in bello justo, si propriâ manu aliquem occidant, fiunt irregulares, secus, si coacti contra invasores reipublicæ pugnent *Clem. un. de homic.* Idem est de eo, qui mero casu, vel ob justam defensionem aliquem occidit. *Krim. l. 5. à nu. 849.* Neque irregulares fiunt Clerici, qui in justo bello hortantur milites, ut fortiter pugnent. *Barb. in cap. petitio 24. de homic. n. 8.*

15. 8. Irregularitatem defectu lenitatis incurrunt, qui in causa sanguinis judicio assistunt secuto effectu, velut judex, assessor, accusator, si agat ad vindictam publicam, non verò, si tantùm agat ad recuperandam rem suam cum protestatione, etiamsi sit Clericus. *Cap. 2. de homicid in 6.* Denuntiator, Tabellio, testis, item qui dictat, scribit, signat, aut exequitur sententiam, qui torquet reum, aut aliter notabiliter, & proximè operatur ad mortem, vel mutilationem. *Dico*, qui 16.
notabiliter cooperatur, nam excusantur Clerici nudè executionem rei spectantes, quia non cooperantur, nisi tantùm remotè, & non notabiliter. 2. Conficientes furcam, funem, scalam, ensem, aut similia vendentes, quia & hi concurrunt valdè remotè. 3. Clerici principes, qui per suos delegatos reos judicant & condemnant. *C. 3. ne Clerici vel Monachi in 6.* Aut etiam personaliter pœnam à delegatis statutam mitigant. 4. Excusatur Confessarius vel Clericus, qui privatim interrogatus respondet talem juxta Leges esse condemnandum, quia judex non movetur ad reum condemnandum ex ejus dicto, sed ex legibus. *Krimer n. 2232.* 5. Prælati Ecclesiastici, qui reum tradunt brachio sæculari occidendum, ut irregularitatem evadant, pro eo intercedere debent, ne moriatur. *C. novimus de verb. signif. Laym. c. 7. n. 3.* 6. Excusantur Chirurgi, Medici, qui juxta artem secant, vel mutilant, etiamsi præter intentionem sequatur mors, quia hic non est defectus lenitatis, eùm fiat ex officio charitatis ad impediendam mortem; si verò per imperitiam, vel negligentiam sequatur mors, fiunt irregulares. *Suar. disp. 47. sect. 7.* Si autem Clericus

etiam juxta regulas artis exerceat Chirurgiam, sectionem, vel adustionem, & sequatur mors, sit irregularis, nisi id faciat in necessitate, ex defectu alterius Chirurgi periti, quia id specialiter Clerico prohibetur per *c. sententiam de etat. & qualit. Ordin.* Non verò incurrit Clericus irregularitatem, si aliter medicando sine culpa Clerici, mors sequatur, quia non prohibetur specialiter mederi, nisi per sectionem & adustionem, *Sylv.* Plerique recentiores, quorum 30. refert *Dian. p. 11. tr. 2. resolut. 63.* pro regulâ generali dicunt illos omnes, & solos ratione justitiæ publicæ irregularitatem incurrere, qui ex officio, ut ministri justitiæ ad mortem rei notabiliter concurrunt. Vide *Lug. disp. 22. de pœnit.*

QUÆRES IV. Qualiter tollatur irregularitas.

17. R. 1. Non tollitur per absolutionem, sicut censuræ, sed per dispensationem. Dispensare autem in irregularitatibus jure ordinario spectat ad solum Papam, qui tamen in aliquibus, velut Bigamia propriè dicta, homicidio voluntario & notorio, in defectu corporis valdè deformi, rarò dispensare

18. solet. 2. Ex privilegio *Trid. ff. 24. c. 6.* dispensant Episcopi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis aliis delictis, etsi occultis, deductis tamen ad forum contentiosum, hoc est, quæ delata sunt judici factâ rei citatione, occultum tamen hic dicitur, quod non est notorium, seu famosum, etsi 3tio vel 4to notum sit, & in judicio probari possit. Dixi excepto homicidio voluntario, intellige directè voluntario, nam si sit tantùm indirectè voluntarium, v. g. aliquem subitâ irâ occidis, ex incautâ percussione mulieris prægnantis causas abortum, tegulâ temerè è tecto projectâ hominem occidis, aut occidis defensionis causâ, sed non servato moderamine inculpatæ tutelæ, in his casibus, si occulti sint, posse dispensare Episcopum, quoad irregularitatem, docet *Pirrh. l. 5. t. 12. n. 127.* 3. Regulares habent privilegium dispensandi 19.
cum suis in omnibus irregularitatibus, etiam ex homicidio voluntario, dummodo notum non sit, item in defectibus corporalibus, ut si desit pes, oculus sinister &c. *La Croix n. 460. citans, Rodriq. Castrop. Steph.* Si tamen tanta sit deformitas, vel alius defectus, in quo ipse Papa dispensare non solet, velut bigamia vera &c. etiam Prælati regulares dispensare non possunt, ex stylo enim Curiæ Romanæ hi casus censentur excepti. 4. Per professionem in religione approbata tollitur irregularitas ex defectu natalium, quoad S. Ordines, non autem quo ad Prælaturas & Dignitates, nisi per Ordinis Superiores, vel potestatem habentem, desuper specialiter fuerit dispensatum. 5. 20.
Per baptismum tollitur infamia facti orta, v. g. ex injustis homicidiis, adulteriis. Non autem infamia juris, hinc judæus virgis ob furtum, vel aliud crimen cæsus, vel stigmate notatus, etiam post Baptismum manet irregularis, neque per Baptismum tollitur irregularitas ex bigamia, vel natalium defectu. *Lay. c. 6. n. 9.*

INDEX

# INDEX SUMMARIUS RERUM ET VERBORUM,

IN QUO

Numerus prior Casum, posterior numerum marginalem designat.

## A.


*Abbas electus*, quid possit vi Confirmationis? quid si non benedicatur? *Cas.* 83. *n.* 13. Ejus benedictio, in quo differat à consecratione Episcopi? Mitratus, an possit Ordines conferre? quibus? an sæcularibus? Novitiis? Professis alterius Abbatiæ. *Ibid. & c.* 103. *n.* 11. An pro Ecclesiis extraneis campanas benedicere. *cas.* 94. *n.* 34. Paramenta, & calices consecrare. *Ib. n.* 26.

*Abbatissa*, quid possit circà Moniales? an vota irritare? *cas.* 70. *n.* 7. Dispensare. *cas.* 71. *n.* 5. 6. Quomodo & qualis eligi debeat. *cas.* 80. *n.* 22.

*Abortum* procurare, an liceat. *cas.* 33. *n.* 14. 15. 16.

*Absolvens* in statu disgratiæ plures, quoties peccet? *cas.* 8. *n.* 6. *Vid. Confessarius, Pœnitentia, Confessio, &c.*

*Absolutio*, an dari possit non præmissâ absolutione à censuris. *cas.* 98. *n.* 6. An etiam complici. *n.* 7. *& c.* 99. *n.* 17. Absenti. *c.* 98. *nu.* 8. Quis censeatur talis. *n.* 9. An etiam excommunicato. *c.* 99. *nu.* 44. *Vide Excommunicatio.*

*Absolutio* moribundi. *Vid. Confessio.*

*Abstinentia* à carnibus, quando præcepta. *c.* 74. *n.* 5. Ad eam, an obligentur pueri, perpetuò amentes. *n.* 9.


Quid

Quid circà eam notandum in casibus particularibus Diœcesis Colonienſis. *n. 6. Vide Jejunium.*

*Abuſus* sæcularis poteſtatis. *V. Electio.*

*Acceſſio* quid? naturalis, induſtrialis, ſi fiat per alluvionem latentem, vel patentem? *caſ. 22. n. 19.* Quomodo per eam acquiratur Dominium. *nu. 19. 20.*

*Accedia* quid? quando peccatum grave. *c. 12. n. 15.*

*Actus* merè interni, an cadant ſub præceptum. *caſ. 5. n. 6. Adjuratio* Vide *Exorciſmus.*

*Advocati* obligationes. *c. 62. n. 4.* Qualiter patrocinari teneatur clienti aliàs injuſtè condemnando. *c. 17. num. 7.* An ſemper ſequi, quod eſt probabiliùs. *c. 3. n. 9.*

*Adulter* ad quid teneatur. *c. 43. n. 18. 19.* Quando à reſtitutione excuſetur. *n. 20. & ſeqq.* An adulteræ matri filius teneatur credere, ſe ex adulterio natum? *n. 21.* Quid ſi mater ſit proſtitutæ famæ. *n. 22.* Quid in dubio, an ex adulterio fœtus conceptus? an ex copulâ legitimâ. *nu. 24.* Quid ſi maritus, & filii reſtitutionem cenſeantur remittere? *n. 23. & 24.*

*Adulterium* quid? mentale? *c. 11. n. 6.* An dirimat matrimonium. *c. 108. n. 4.* Qualiter peti poſſit divortium. *c. 43. n. 18. 19.* In eo deprehenſus, an occidi poſſit. *c. 34. n. 3.* vid. *Matrimonium.*

*Affectus*, quis efficax? quis inefficax. *c. 9. n. 2.* Efficax, qualem habeat malitiam. *n. 4.*

*Affinitas* quid? quouſque ſe extendat? *c. 107. n. 19. vid. Matrimonium.*

*Aggreſſor* injuſtus, an occidi poſſit. *c. 34. n. 4.* An ſi ſit amens, vel moriturus in mortali. *n. 5.* Quid ſi honorem, vel pudicitiam invadat. *num. 9.* Quid ſi bona temporalia? *num. 10. & 11.*

*Altaris* forma. *c. 94. n. 23.* Ejus conſecratio à quo fieri poſſit? an ab Abbate, vel ſimplici Sacerdote. *n. 24.* Ejus execratio, quando contingat. *n. 25.* Ejus utenſilium materia, conſecratio, attactus, execratio. *nu. 26. & 27.* Privilegiati Indulgentiæ. *c. 102. n. 12.*

*Amplexus* turpes, an ſemper ſint peccatum. *c. 11. n. 18.*

*Animalia* manſueta cuſtodiam egreſſa cui, & quomodo acquirantur. *c. 22. n. 2.* Sylveſtria. *n. 3.* Apes, columbæ. *n. 4.* piſces. *n. 5.*

*Annectæ* quid ſint. *c. 84. n. 19.*

*Approbatio*, quid? *c. 99. n. 20.* A quo dari poſſit? quando expiret. *nu. 21.* An, ſi quis deſinat eſſe Parochus. *n. 27.* Qualiter eâ indigeant Regulares. *n. 22.* An valeat conceſſa Regulari contrà voluntatem Superiorum? *num. 23.* Qualis requiratur pro audiendis Monialibus. *n. 24.* Pro unâ Diœc. data, an valeat pro omni? *n. 25.*

*Aſpicere*, audire, legere turpia, quando peccatum. *caſ. 11. numero 16. 17.*

*Aſſecuratio*, quid? *caſ. 60. num. 6.* Ut ſit licita, quas requirat conditiones. *n. 7. 8.*

*Attentio*, quid? *caſ. 73. nu. 2.* Qualis neceſſaria ad lectionem Horarum, auditionem Miſſæ? *n. 3.*

*Attritio* quid? an sufficiat cognita, vel falsò existimata. *c. 96. n. 9.* Ex solo metu gehennæ, an sit honesta? *n. 10.* Supernaturalis. *n. 11.* Efficax. *n. 12.* Ex metu pœnarum temporalium. *n. 13.*

# B.

*Baptismus* quid. *cas. 89. n. 1.* Quotuplex. *n. 5.* Qualiter necessarius. *n. 6.* An etiam ad valorem aliorum Sacramentorum. *n. 28.* Ejus materia remota. *n. 2.* Proxima quæ, ubi de variis dubiis. *num. 3.* Quæ forma? quando mutetur. *n. 4.* Ejus minister, quis. *n. 7.* Quibus dandus, an vagis, peregrinis, amentibus, infantibus. *n. 11.* In utero Matris cum scissione faciendâ. *n. 12.* Quid de abortivis, monstris *num. 13. 14.* Quid de pueris hæreticorum. *num. 15.* Infidelium. *num. 16.* Quid si unus infidelium consentiat, aut petat pro liberatione infantis ab obsessione dæmonis; quid de infantibus mancipiorum. *num. 17.* Quid si infans à Parentibus sit abstractus, vel hi sint mortui, ipse autem in periculo vitæ. *num. 18. 19.* Quando reiterandus, quæ debeat esse dispositio in adulto rebaptizando. *n. 20.* An reiterandus ab eo, qui multùm angitur de valore sui baptismi. *num. 23.* Quid in tali dubio agendum Religioso, Sacerdoti. *num. 24.* Vel Parocho ex confessione scienti, se & alios invalidè baptizatos. *n. 25.* An à ministro hæretico licitè suscipi, *n. 10.* An extrà Ecclesiam conferri, *n. 28.* An sub Missâ, *n. 32.* Ejus ritus, *n. 32.* Quid circà librum baptismalem, ubi, an pater prolis semper debeat sciri, *n. 26* Quid notandum circà patrinos; quid si plures sese ingerant, aut non sint designati, *n. 33.* Quinam contrahant cognationem spiritualem, & quale nomen proli imponendum, *n. 35.* Vid. *Cognatio.*

*Bellum* quid, offensivum, defensivum, an liceat, *c. 35. nu. 1.* Quid in dubio, an causa belli sit justa, vel tantùm sit probabilis, cum odio, vel vanâ gloriâ, *n. 2.* In injusto, an liceat militare, an sub Principe Acatholico, *n. 4.* Quid in dubio, an sit justum, *n 5.*

*Beneficium* quid, *cas. 76. n. 1.* Qualiter debeat esse institutum, *nu. 2.* Cui conferri, *n. 3.* Quæ ætas, & Ordo requiratur, *c. 78. n. 1. 2. & 3.* Quodnam dicatur majus, minus, dignitas, personatus, officium, *c. 76. n. 4.* Sæculare, regulare, *n. 5.* Collativum, electivum, patronatum, manuale, titulare, *n. 8.* Sociabile, insociabile, *n. 9.* Præstimonium, *n. 14.* Capellania Laica, vel Ecclesiastica, *nu. 10.* Commenda, *n. 11.* Coadjutoria, *n. 12.* Vicaria, *nu. 13.* Præbendæ Canonessarum, an sint beneficia, *nu. 15.* Quando vacet beneficium, *c. 80. nu. 1.* Primò vacaturum, an alicui promitti possit, *num. 2.* Conferentes indigno, an obligentur ad restitutionem, *c. 39. n. 4.* Emere ab hæretico, an liceat, *cas. 66. num. 29.* Quot modis acquiratur, *cas. 77. n. 1.* Cui competat præsentatio, *n. 4.* An pluribus simul competere possit, *n. 6.*

*n.* 6. Parochiale, an per concursum concedi, *n.* 6. Patronatûs Laici, an à Papâ conferri, *n.* 8. Quid circà possessionem juris conferendi, præsentandi, instituendi &c. *c.* 78. *nu.* 24. Quid de eo, qui plura possidet, *nu.* 22. & 23.

*Beneficia*, an vendi possint, *c.* 66. *n.* 17. & *c.* 28. *n.* 4. An omnia à Papâ conferri possint, *c.* 84. *n.* 1. Reservata, & affecta, an validè ab Ordinario? quid si intuitu beneficii affecti aliud sit dimissum, *num* 2. Quid si vacet apud Sedem Rom. vel in Curiâ, *n.* 3. Per obitum Nuntiorum, aut Officialium Curiæ, *n.* 4. Per promotionem à Papâ obtentam, *n.* 5. Vel ab Ordinario, aut per dispensationem priora retineantur, *n.* 5. 6. Quid de resignatis apud Ordin. in mense Papali, *n.* 7. Vacantibus per depositionem, vel resignationem Romæ factam, *num.* 8. Quænam sint ob delictum reservata, n. 10. A reservatione, *n.* 11. Urbis Colon. quid habeant speciale, *n.* 23. In quibus locum habeant preces, *nu.* 27. & 28.

*Beneficii* collatio, cui fieri debeat, cui competat, *cas.* 78. *n.* 14. An Capitulo, vel Vicario Generali Sede vacante, *n.* 15. quid de Canonicatibus Cathedralibus, *n.* 16. Collegiatis, *n.* 17. Parochiis, *n.* 18. Intrà quod tempus fieri debeat, *nu.* 19. Semel facta, an revocabilis, *n.* 20. quid si sit invalida, *n.* 21. In beneficium surrogari quid, *c.* 83. *n.* 1. quid si sit patronatûs Laici, *n.* 2. quid si affectum & surrogatio petita ab Ordinario, *num.* 3. Alter litigans sit in annali possessione, sed inhabilis sinè titulo, & bonâ fide, *n.* 4. Aut aliunde impeditus, *n.* 6. Vel malâ fide, & ignorantiâ juris clari, *n.* 7. Vel sinè possessione pacificâ, *nu.* 8. Simoniaca fuit ingressio, vel intrusio, *num* 9. Beneficium est reservatum, vel regulare, *n.* 5.

*Beneficii possessio* triennalis, an petitorium excludat, aut in conscientiâ tutum reddat, *cas.* 85. *num.* 10. quid sibi velit revalidatio tituli, & quomodo petenda, *n.* 11. & *c.* 78. *n.* 21.

*Beneficii resignatio* quid, *c.* 86. *n.* 1. Tacita, expressa, *n.* 2. Pura, conditionalis, coràm quo facienda, *num.* 3. Semel facta, an revocari possit, *n.* 22. quid si procuratori non intimetur revocatio, vel principalis moriatur, *ibid. n. eod.* Cui post resignationem debeantur fructus, *nu.* 23. Beneficia resignata, an dari possint consanguineis, aut alteri, quam cui sunt resignata, *num.* 4. 5. Quid si sint resignata sub conditione intrinsecâ, simoniaca, *nu.* 6. Reservatione pensionis, *n.* 7. Sub conditione regressus, accessus, *nu.* 8. Ex causâ permutationis, *n.* 9. Resignationis, *n.* 10. quid de consensu superiorum, vel Patroni, *n.* 11. De resignationis publicatione, *n.* 11. quid si facta in plures, *n.* 14. An omnia beneficia resignari possint, *n.* 15. An reservata, *nu.* 16. Expectativa, *n.* 17. Litigiosa, *n.* 18. Concessa in titulum ordinationis, *n.* 19. Ob crimen vacantia, *n.* 20. Beneficia Novitii, *num.* 21. Resignata quando conferri debeant, & quid, si resignatarius moriatur, *num.* 24. Vid. *Concor-*

*Concordata Germaniæ, Clerici, Collatio, Jus patronatus, Institutio, Preces Imperatoriæ, Residentia, &c.*

*Beneficiati* qualiter obligentur ad Horas. Vid. *Horæ Canon.* Qualiter interesse Choro. V. *Clerici, Residentia.*

*Bestialitas* quam grave peccatum, *cas. 11. nu. 15.*

*Blasphemia* quid, *c. 65. n. 5.* An sit, si maledicatur hominibus, jumentis, &c. *n. 17.*

*Breviarium.* V. *Horæ Canonicæ.*

# C.

*CAmbium* quid, *c. 57. n. 1.* Manuale an licitum, *n. 2.* Per litteras, *n. 3.* Reale, *n. 4.* Siccum, Placentinum, Vesùntinum, *n. 5.* Francofurtense, *n. 6.* Cambii pretium quale, *n. 8.*

*Campanæ* an debeant benedici, à quo, *c. 94. n. 34.* Vid. *Abbas.*

*Canonicus.* V. *Beneficium, Clericus, Horæ Canonicæ, Residentia.*

*Canonici Regulares*, an capaces sint beneficiorum sæcularium, *cas. 74. nu. 6.* V. *Præmonstratenses.*

*Capitulum*, quid possit sede vacante, *c. 80. n. 3.* An statuta facere, excommunicare, *num. 4.* Vicarium Generalem constituere, moniales visitare. *nu. 5.* Alienare reditus, debita solvere, *nu. 6.* Quid de Capitulis Regularium, n. 7. An hi eligendo præscribere possint certas conditiones, *n. 8.*

*Carnes sæpiùs* comedens eodem die prohibito, quoties peccet, *c. 7. n. 5.* V. *Abstinentia, jejunium.*

*Casus reservati Papæ, cas. 99. num. 12.* An etiam occulti, *num. 17.* Quid de Bullâ Cœnæ, *num 13.* An iis casibus annexa excommunicatio, *nu. 14.* Quis absolvere possit in articulo mortis, *num. 15.* Quando fiant Episcopales, *num. 16. Reservati Episcopo*, qui, an occulti, *nu. 17.* quid in Diœcesi. Colonienſi circà peccatum complicis, *ibid.* Ab iis, quis absolvere possit, *num. 18.* Reservati apud Religiosos, qui, *num. 19.* Vid. *Reservatio.*

*Caupo.* Vid. *Peccato cooperari.*

*Censura*, quid, *cas. 113. nu. 1.* Ejus effectus, *nu. 12.* Ejus nomine, quid veniat, *n. 13.* A jure, ab homine lata, *n. 14.* Latæ, vel ferendæ sententiæ, *n. 15.* In quos ferri possit, *n. 2.* An in peregrinos, *n. 3.* Subditos extrà Diœc. existentes, *n. 4.* Religiosos, *nu. 6.* An ferre possit Episcopus extrà Diœc. existens, *n. 5.* An Laicus, Parochus, Abbatissa, *n. 11.* Excommunicatus, suspensus, *n. 16.* Ob quale delictum ferri possit, *n. 7.* An eam incurrat ignorans, *n. 9.* Peccans ex metu, *n. 10.* An reus citari debeat; quid hìc de religiosis, *n. 8.* quid si sit lata in non citatum, non convictum, *nu. 17.* Innocentem, appellantem, *n. 18.* An citatione opus, si delictum notorium, *n. 19.* A censurâ quis absolvere possit, an qui ligatus ab inferiore absolvi possit à Superiore altiore, *c. 116. n. 16.* quid in articulo mortis, & an tunc sit obligatio resistendi Superiori, *c. 16. n. 16.* A reservatis, quis absolvet, *n. 17.* An regulares, *n. 18.* Tempore Jubilæi, *n. 19.* quid circà censuras Bullæ Cœnæ, *nu. 20.* A censurâ absolvendi ritus, *n. 21.*

*Census* quid, realis, personalis, resignativus, consignativus, pecuniarius, fructuarius, redimibilis, irredimibilis, *c.* 56. *n.* 1. Realis irredimibilis, an licitus, *n.* 2. Quid de reali redimibili, *n.* 3. Ut sit justus, quid requiratur, *n.* 4. 5. 6. 7. An antecedenter constitutus expost minori pretio emi possit. *nu.* 8. An emi ex frumentis debitis, *n.* 9. An licitè apponantur alia pacta, *nu.* 10. Vitalitius quid. *n.* 12. & 13.

*Cessio fori.* Vid. *Restitutio.*

*Charitas Theologica* quid, quale ejus objectum, *c.* 16. *n.* 1. Ejus lex affirmativa, vel negativa erga Deum, *n.* 2. An obliget per se, quoties in vitâ, *n.* 4. Articulo mortis, *nu.* 5. Ejus lex erga proximum, *n.* 6. Quis ordo, *n.* 12. Qualiter obliget ad eleëmosynam. V. *Eleëmosyna.* Qualiter ad correctionem fraternam. V. *Correctio.* Ad evitandum scandalum. V. *Scandalum.*

*Chorus* quot personas requirat, *c.* 72. *n.* 3.

*Chyrographum* continens 1000. an redimere liceat pro 500. *c.* 55. *n.* 7.

*Circumstantia* in genere quid, aggravans, notabiliter mutans, an in confessione exprimenda, *cas.* 97. *num.* 18. Quid in specie de aggravante, *n.* 19. & 20.

*Clandestinitas.* V. *Matrimonium.*

*Clausuram*, an Monialibus exemptis præcipere possit Episcopus, *cas.* 64. *n.* 6. Quibus liceat ingredi, *nu.* 8. Ob quam causam, *n.* 9. An pro confessione excipiendâ, aut Sacro celebrando in infirmariâ, *ibid.* Quis licentiam dare possit, *num.* 11. An contrà eam prævalere possit consuetudo, *n.* 10. Qualiter obliget, *n.* 4. An etiam ità clausura virorum religiosorum, *n.* 13.

*Clerici* habent varia bona, *cas.* 24. *n.* 1. Quasi patrimonialia, Ecclesiastica, *n.* 2. 3. Superflua: an horum veri Domini, *n.* 4. An expendenda ad usus pios, *n.* 5. An ex iis possint ali proles, *n.* 7. An solvi debita, etsi culpabilia, *n.* 8. 9. An consanguinei ditari, ali in studiis, *n.* 10. Ex eis data an validè donata, vel an accipientes teneantur ad eorum restitutionem, *n.* 13. Quæ hîc materia gravis, *num.* 14. Nobiliores, an sibi plus indulgere possint, *num.* 15. An absentum portio accrescat præsentibus, *cas.* 87. *num.* 12. Quid si choro intersint non canentes *ib.* vel sint in religione adhuc Novitii, *n.* 13. V. *Beneficium, Lex &c.*

*Clerici percussor.* V. *Excommunicatio.*

*Cogitationes* varias admittere, quale peccatum, *c.* 1. *n.* 11.

*Cognatio* quid, quotuplex, *c.* 107. *num.* 12. Spiritualis an incurratur ab ignorante, *ibid.* Quomodo à patrinis, & quid circà eos notandum, *ibid.* & *n.* 13. An à baptizante propriam prolem, *n.* 14. Legalis quid, inter quos, *n.* 15. Carnalis quid, quomodo in eâ gradus distinguendi, *num.* 16. 17. Vid. *Matrimonium.*

*Collatio.* V. *Beneficium.*

*Commodatum* quid, differt à pignore & depositio, *cas.* 53 *num.* 1. 2. Obligationes ex eo ortæ, *nu.* 6. Quid si res commodata pereat, *cas.* 45. *nu.* 17.

*Communio.* V. *Eucharistia.*

*Commu-*

*Communio Paschalis* quando, qualiter servanda? an etiam in templis Regularium. *c.* 92. *n.* 25. Quid de peregrinis, vagis, euntibus extra Parochiam. *n.* 26. Quid de Religiosis, eorúmque servis, studiosis, Sacerdotibus, puerperis. *n.* 27. Impeditis. *n.* 28. & 30. Communicantibus sacrilegè. *n.* 29.

*Compensatio occulta.* V. *Furtum.*

*Compromissum* quid? an fieri possit in extraneum, vel Laicum? *c.* 82. *num.* 16. Absolutum, limitatum quid? *nu.* 17. Utriusque conditiones. *ibid.* Quando expiret. *n.* 18.

*Concordata Germaniæ* quid sint? & quæ beneficia vi illorum vacent? *c.* 84. *n.* 12. Quid de alternativis: Sede vacante. *num.* 13. Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus. *n.* 18. An Concordatis derogari possit. *n.* 23.

*Conditio* V. *Contractus*, *Matrimonium.*

*Conductum* quid? ad quid obligetur vi illius conductor. *c.* 57. *n.* 13.

*Confessarius* quid observare debeat. *c.* 98. *n.* 13. Circà scrupulosos. *ibid.* Pueros. *n.* 14. Adolescentes, juvenes, rudes. *n.* 15. Homicidas. *c.* 42. *n.* 17. Ebriosos. *c.* 98. *n.* 16. Constitutos in periculo peccandi. *n.* 18. Consuetudinarium. *n.* 19. Præsertim in peccato mollitiei. *n.* 20. 21. Quando negare debeat absolutionem. *n.* 17. In Officio errans quid aget. *n.* 22. Suadens restituere, ubi non esset restituendum, vel econtrà. *c* 37. *n.* 16. Qualem habeat jurisdictionem. *c.* 99. *n.* 1. Circà venialia. *ibid.* In articulo vel periculo mortis. *n.* 2. An sufficiat jurisdictio metu, vel dolo extorta, præsumpta, ratihabita *num.* 3. Qualem det error communis cum, vel sinè titulo. *nu.* 5. Quid de jurisdictione probabili. *n* 6. Qualiter debeat esse approbatus. *num.* 20. V. *Approbatio.* Qualiter absolvere à reservatis. *n.* 70. V. *Reservatio*, vel V. *Casus reservati.* Qualiter obligetur sigillo, *c.* 100. *n* 15. V. *Sigillum Sacramentale.* Qualiter imponere debeat pœnitentiam. V. *Satisfactio.* An rectè quæratur propriæ opinioni favens, *c.* 97. *n.* 17.

*Confessio* quando præcepta, *c.* 97. *n.* 48. Quoties, *n.* 49. An etiam semel in anno ad confitenda venialia, *n.* 50. An satisfiat huic præcepto per Confessionem invalidam, *n.* 51. Quale tempus præscriptum, *num.* 52. & 53. Quid si differatur, *n.* 54. Præveniatur, *nu.* 55. Quid si hoc anno neglecta, *n.* 56. An multis annis neglecta, hodie peracta sufficiat pro annis neglectis, *num.* 57. Negligentium pœnæ, *n.* 58. Invalida quando repetenda, *n.* 43. Quid si peccata non ritè intellecta, *num.* 44. Vel Confessiones aliquæ sunt invalidæ, nesciatur quæ, *nu.* 45. Quid in praxi hoc casu, *n.* 46. & 47. Probabiliter invalida an repetenda, *c.* 96. *n.* 22. Qualiter debeat esse integra, *c.* 97. *nu.* 3. Materialiter, vel formaliter, *num.* 4. Quale requiratur examen, *n.* 5. Quæ peccata exprimenda, an etiam indirectè remissa, *num.* 6. An species infima, *n.* 7. Numerus, *n.* 8. Qualiter numerus explicandus à consuetudinario, vel non recordante peccatorum distinctè, *n.* 9. An etiam actus externus, *n.* 13. Medium ad finem malum, *n.* 14. Periculum peccati, *nu.* 15. Peccata dubia,

bia, *nu. 21.* Quid in dubio, an sis confessus peccatum certò admissum, *num. 22.* Quid in negativo, an mortale admissum, *n. 23.* Quid hoc casu de scrupulosis, *num. 24.* Vel qui non solent deliberatè consentire, *nu. 25.* Quid de eo, qui confessus est mortale dubium ùt certum vel econtrà : aut majorem numerum pro minori, vel econtrà, *n. 26. & 27.* Aut confessus integrè, dubitat; an veniale, an mortale, *num. 28.* A Confessionis integritate quid excuset? an impotentia physica, *nu. 29.* Quid hìc de moribundo specialiter notandum, *n. 30.* An impotentia moralis, *n. 31.* Manifestatio complicis. *num. 32.* Infamia, confusio, *num. 33.* Confessio qualiter debeat esse fidelis, *num. 36.* An exprimendum : utrùm peccata aliàs sim confessus, vel præscindi possit, *n. 37.* An liceat confiteri Confessario ignoto mortalia, noto venialia, *num. 38.*

*Confirmatio electi.* V. *Electio.*

*Confirmatio Sacramentalis* quid? ejus materia, forma, *c. 90. nu. 1.* Minister, *nu. 2.* Effectus, *n. 6.* Quoties conferenda, *n. 3.* Quibus. *num. 5.* A quibus suscipienda, *n. 4.* An suscipiendi obligatio. *n. 3.* Quid circà patrinos, *n. 7.* V. *Cognatio.*

*Conjuges* habent varia bona, paraphernalia &c. *c. 30. n. 2.* Qualiter peccent bona alterutrius dilapidantes, *n. 3. 4.* Exponentes, reservantes, *nu. 6.* An excusentur largam dotem afferentes, *nu. 7.* An eis liceat occulta compensatio, *num. 8.*

*Consanguinitas.* V. *Cognatio. Matrimonium.*

*Conscientia* quid, *c. 1. nu. 1.* Speculativa, practica, vera, falsa, recta, erronea &c. *n. 2.* Vincibilis, invincibilis, ethicè, vel physicè recta, *n. 3.* Practica, qualiter debeat esse certa, *n. 4.* Invincibiliter erronea qualiter obliget, *num. 5.* Vincibiliter erronea, *n. 8.* Invincibiliter erronea an dari possit circà principia juris naturæ. *num. 7.* Erroneè judicans omnes distractiones esse mortales, an, & qualiter peccet, *n. 10.* Perplexa quid? quæ remedia, *c. 4. nu. 1.*

*Consecratio* quando ab Episcopo petenda? an fieri possit ab uno tantùm Episcopo. *c. 83. n. 11.* Ejus effectus, *n. 12.*

*Consuetudo* quid? quid requiratur, ut habeat vim Legis, *c. 5. nu. 13.* An abrogare, vel præscribere possit contrà legem humanam, *n. 14.* Peccaminosa qualiter confitenda, *c. 97. n. 10.*

*Consulens* pugnam, in quâ alius occiditur, ad quid obligetur, *c. 42. n. 15.* V. *Restitutio.*

*Contemptus* formalis quid? quando, *c. 10. num. 5.*

*Contractus* quid. *c. 48. nu. 1.* Ejus materia quæ. *c. 50. num. 11.* Lucrativus, onerosus, nominatus, innominatus, *c. 48. n. 4.* Conditionatus, *nu. 5.* Modificatus, *nu. 6.* Antichristeos, *cas. 54. n. 21.* Mohathra, *nu. 22.* *Promissionis, Donationis, Societatis* &c. Vide suis locis in Alphabeto.

*Contractus* sub conditione necessariâ, *cas. 48. n. 7.* Impossibili, *n. 8.* Turpi: sub pœnâ, *nu. 11.* Cum demonstratione, *n. 12.* Sine voluntate implendi, *num. 10.* Sine voluntate se obligandi, *nu. 2.* Ex errore initus, *c. 49. num. 1.* Invincibili, *nu. 17.* Circà substantiam, *n. 2.*

Vel

vel est' dubium, an talis sit, *n.* 19. Circa accidens, *num.* 3. Circa qualitatem primariam, *nu.* 4 Vel non cognitam, *n.* 18. Quid si initus cum dolo, *nu.* 5. Cum metu, *n.* 8. Levi, *n.* 9.

*Contractus* quando firmetur juramento, *c.* 50. *n.* 12. & 13. An etiam impuberum, *n.* 14. Si non firmetur, an nihilominus servandus, *n.* 15. Firmatus qualem habeat effectum, *n.* 16. A quo relaxari possit, *n.* 17. An à Judice sæculari, *n.* 18.

*Contrahere* quinam possint, *c.* 50 *num.* 1. Qui prohibeantur, *n.* 2. An infans, vel infantiæ proximus, *n* 4. Pupillus cum, vel sine authoritate Tutoris, *nu.* 5. 6. Filius-familias, impubes, *n.* 7. Prodigus, *n.* 10.

*Contritio* perfecta quid ? appretiativè summa, *c.* 96. *n.* 7. An statim justificet? qualem requirat intensionem vel durationem, *n.* 8. V. *Attritio. Pœnitentia.*

*Contumelia* quid, *c.* 36 *n.* 1.

*Convitium* quid, *ibid.*

*Correctio* fraterna quid, *cas.* 18. *num.* 1. Quando obliget, *n* 2. Quomodo: sub quibus conditionibus, *nu.* 3. 4. Quo ordine, *nu.* 5. Quid si solus efficaciter corrigere non possis, *num.* 6. A correctione quid excuset, *n.* 8. An quia corrigendus tuus est Superior, *ibid.* An quia tu ipse improbus, *num.* 9. An sit conforme præcepto correctionis fraternæ, si occulta læsio denuntietur Judici, *n.* 7.

*Crimen* quotupliciter possit esse notorium, *c.* 36. *num.* 15. Dirimens Matrimonium quid: quotuplex, *c.* 108. *n.* 1. V. *Matrimonium,*

*Cultûs* disparitas quid, *c.* 108. *num.* 11. V. *Matrimonium.*

# D.

*Damno* quot modis quis cooperari possit, *c.* 38. *num.* 10. Indirectè causatum qualiter ad restitutionem obliget. V. *Restitutio.*

*Damnum spirituale* qualiter reparandum, *c.* 42. *n.* 2. Quid de eo, qui alium privat per philtrum usu rationis, *ibid.* Quid si damnum causetur per data falsa principia, *n.* 3. V. *Confessarius. Peccatum. Religio.*

*Debitum* personale an præscribi possit, *c.* 23. *n.* 16.

*Deflorator* ad quid teneatur, *c.* 43. *nu.* 1. Quid si defforata non sit passa damnum, *n.* 2. Vel defloratorem ducere nolit, *num.* 3. Quid si deflorator damnum compensare non possit, *nu.* 4. 5. Quid si defforata obligationem remittat, & an remittere possit, *n.* 5. Quid si in copulam consensit, *num.* 8. Si addita promissio, vel spes Matrimonii, *n.* 10. Et an tunc ingredi possit Religionem, *num.* 11. An teneatur alere prolem, *num.* 9.

*Degradatio*, depositio, quid, *c.* 116. *n.* 1.

*Delectatio* voluntatis est triplex, *c.* 9. *n.* 3. Venerea an semper mortaliter mala, *n.* 8. Si exurgat, quid agendum, *nu.* 9. Turpis quandonam specie distinguatur, *n.* 10. & 11.

*Delicta* an præscribi possint, *cas.* 23. *nu.* 29.

*Depositum* quid, *c.* 53. *n.* 9. Quando reddendum, *n.* 10. Quas inducat obligationes, *n.* 11. Quid si res deposita periit, *n.* 12. An ex eo debitum compensari possit, *n.* 13.

*Desideria* conditionata rei illicitæ quomodo mala, *c.* 9. *n.* 6. Turpia qualiter specie distinguantur, *n.* 10. & 11.

*Desperatio* in quo consistat, *c.* 15. *nu.* 6. Quando ei adjuncta hæresis, *nu.* 7. An sit, si quis propriis viribus diffidat, confidens in solâ Dei misericordiâ, *num.* 8.

*Detractio* quid, *c.* 36. *n.* 5. An, si verum crimen reveletur, *ibid.* Quot modis fieri possit, *nu.* 8. Quale sit peccatum, *n.* 9. An si narretur crimen non nominatâ personâ, *n.* 10. Quid si unico viro taciturno dicatur, *num.* 12. Quid si crimen sit notorium, *nu.* 15. 16. 17. Oblivione sepultum, *n.* 18. Quid circa detractionis cœptæ, vel continuatæ cooperatores, *n.* 14.

*Detrahens* multis in materiâ levi quomodo peccet, *cas.* 36. *n.* 13. Pluribus detrahens quoties peccet, *c.* 8. *n.* 5.

*Deus* quomodo diligendus, *c.* 16. *nu.* 3. An magis intensè, quàm creaturæ, *nu.* 18. Ejus odium vel contra eum indignatio quale peccatum, *n.* 18.

*Discordia* quid, *c.* 16. *n.* 16.

*Dispensatio voti.* V. *Votum.*

*Distractiones* sub Horis Canonicis admittere quale peccatum? quæ contra eas remedia, *c.* 73. *n.* 6. V. *Horæ Canonicæ. Missa.*

*Divinatio.* quid, *c.* 63. *n.* 3.

*Dolor* quid? qualis ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur, *c.* 96. *n.* 6. An debeat esse universalis, *n.* 14. Etiam respectu venialium, *n.* 15. Sensibilis, *n.* 16. Elicitus ex intentione confitendi, *num.* 17. An præcedere absolutionem, *num.* 18. Qualiter perseverare, *num.* 19. Quando revocetur, *n.* 20. An idem sufficiat pro pluribus Confessionibus, *num.* 21. Quid si sit ex metu pœnarum temporalium, *n.* 13.

*Dominium* aliud est perfectum, aliud imperfectum: hujus species sunt usus, usus-fructus &c. *c.* 21. *num.* 3. Quot modis acquiratur, *c.* 22. *n* 1.

*Donatio* quid, *c.* 52. *n.* 1. Realis, verbalis, absoluta, conditionata, inter vivos, mortis causâ, *n.* 2. A jure quænam prohibeatur, *n.* 3. 4. 5. Qualiter revocari possit ex capite ingratitudinis, *n.* 6. 7. Prolis susceptæ, *n.* 8. Inofficiosa, *n.* 9.

*Dubium* quid, *c.* 2. *num.* 1. Juris, facti, *n.* 2. Cum practico operans quomodo peccet, *n* 3. An semper sequenda pars tutior, *n.* 4. Quomodo melior conditio possidentis, *n.* 5. Quomodo in dubio factum demonstrari, *num.* 9. 10. Quid in dubio: an ille, quem percussisti, sit Clericus, *n.* 11. Quid in dubio de sufficienti ætate ad SS. Ordines requisita, *ibid.* Quid in dubio, an admiseris mortale, & tenearis confiteri, *n.* 12. An expleveris annum 21mum in ordine ad jejunium, *n.* 13. An dies transierit, ut licitè comedantur carnes, *nu.* 14. An mediam noctem cœnando excesseris, ut possis celebrare, *nu.* 15. An per votum te obligaveris sub mortali vel veniali, *num.* 16. V. *Votum.* Quid in dubio, an sit lex, an sit promulgata, an recepta, an lex vel consuetudo obliget graviter, an verba contineant mandatum, vel monitum, aut lex est certa, causa excusans dubia, dubitatur, an lex sit justa, *c.* 5. *num.* 17. Quid in dubio, an satisfeceris legi certæ, *n.* 18. Quid in dubio, an damnum cau-

causaveris, *c. 38. nu.* 18. An res iniquè consumpta apud dominum fuisset melioranda, *n.* 19. Quid si debito certo probabiliter satisfeciſti, *n.* 20.

*Duellum* quid? an liceat ad propulsandam notam infamiæ, *c.* 35. *num.* 7. An ad terminandam litem, finiendum bellum, *n.* 9. An comparere liceat in loco condicto ex metu gravi, vel quando scitur pugnam fore impediendam, *nu.* 10. Duella permittentium, duellantium, cooperantium, præsertim Clericorum, pœnæ, *num.* 11. Qualiter sepulturâ priventur, *nu.* 12. An hæ pœnæ incurrantur ipso facto? & ab iis absolvere possint Regulares, *num.* 13. Quandonam non incurrantur, *n.* 14.

# E.

*Ebrietas* quid? quale peccatum, *c.* 12. *n.* 3. Quando mortale, *nu.* 6. An liceat ex causâ gravissimâ, *num.* 9. Urbanitatis, vel amicitiæ causâ, *n.* 11. Ex causâ alium inebriare, *num.* 12. Ex ebrietate multa mala, *n.* 13.

*Ecclesia* quando polluatur, execretur, *cas.* 94. *nu.* 11. Quibus casibus? an etiam occultis? an propter hoc simul polluantur Oratoria, *nu.* 12. An pollutâ Ecclesiâ etiam polluatur Altare, cœmeterium? an reconcilietur per celebrationem Missæ, *num.* 13. Lapides & ligna quibus usibus applicanda, *num.* 14. Consecrare, vel benedicere quis possit, *n.* 15. Fundare, construere, dotare quis dicatur, *c.* 77. *nu.* 13. 14. 15. An id fieri debeat authoritate Episcopi pro acquirendo jure patronatus, *n.* 16.

*Electio* quid, *c.* 79. *n.* 1. Per abusum sæcularis potestatis facta, *nu.* 9 An fieri possit ante sepulturam defuncti; à quo dies, & locus electionis nominandus, *c.* 82. *n.* 1. Quæ forma, *nu.* 2. Per inspirationem divinam, *n.* 3. An hæc etiam apud Regulares locum habeat, *n.* 4. Quid si electione inceptâ aliqui exeant, *n.* 7. Quid est electio per scrutinium, *n.* 5. Electio scrutatorum, qui an debeant esse de gremio, *n.* 8 An juramentum præstare, *num.* 9. Qualiter vota exquirere, *n.* 10. Publicare, *num.* 11. Quot vota in hac electione requirantur, *nn.* 12. quid de collatione zeli ad zelum, meriti ad meritum? & an hæc teneant apud Regulares, *num.* 13. quid de accessu, *n.* 14. Electione communi, *n.* 15. quinam vocandi, *c.* 79. *n.* 11. An etiam inhabiles, *n.* 12. Habiles an obligentur comparere, *n* 13. quid si vel unus negligatur, *c.* 82 *n.* 6. quid si absentes exspectari non possint, *c.* 79. *n.* 14. quid de constitutione Procuratoris, *nu.* 15. An in electione præscribi possint eligendo certæ conditiones, *c.* 80 *n.* 8 Electio qualiter electo intimanda, *c.* 83. *nu.* 1. An & quo tempore acceptanda, *num* 2. quid si Religiosus eligatur in Episcopum, qualiter licentia petenda, & expectanda, *n.* 3 quomodo hoc tempns computandum, *nn.* 4. An electio acceptari possit ab habente impedimentum occultum, *n.* 5. V. *Compromissum.*

*Electus* qualiter installandus, *c.* 83. *nu.* 6. A quo, intra quod tempus petenda confirmatio, *num.* 7. Eâ non obtentâ an se immiscere possit regimini, *num.* 8. quid hoc casu de Monialibus

bus circa confirmationem, *n.* 9. Quid si electores dicant, se in electum non consensisse, *nu.* 11. Quid de electo per abusum secularis potestatis, *c.* 80. *n.* 16.

*Eligere* quinam possint? an etiam extranei jus illud acquirere possint præscriptione, cum uno actu absque titulo, sed fundatione, *c.* 97. *nu.* 1. Consensu Capituli, *n.* 3. An Laici eligere possint, *n.* 4. Impuberes, necdum Subdiaconi, *n.* 5. Censurati, *num.* 6. Religiosi proprietarii, *n.* 8. Electionis tempus negligentes, quale illud, *ibid.* Quid de eligentibus indignum, *n.* 10.

*Eligi* quinam possint? an illegitimi, vel legitimati, *c.* 80. *n.* 9 Descendentes ex genere maculato, *num.* 10. Necdum Sacerdotes, *n.* 11. Novitii, *nu.* 12. Qui non sunt de gremio, *num.* 13. Rudes, neophyti, *n.* 14. Eligentes semetipsos, *n.* 15. Ambitiosi, plura habentes beneficia, *ibid.* Infames, *nu.* 17. Simoniaci, *n.* 18. Censurati, *nu.* 19. Minùs digni, *n.* 20. Sponsus alterius Ecclesiæ, *n.* 21. Quid de intruso, *n.* 16.

*Eleemosyna* quando præcepta, *c.* 17. *n.* 1. Sub quâ obligatione, *n.* 2. An etiam obligatio inquirendi in necessitates proximi, *n.* 4. Vel per media extraordinaria subveniendi, *num.* 5. Qualiter subveniendum constituto in extremâ necessitate, & an gratis, si adhuc aliquid habeat in spe, *num.* 6. Quid in communi necessitate? an ex superfluis? an omnibus pauperibus, *n.* 8.

*Emphyteusis* quid, *c.* 58. *n.* 1. Temporalis, vitalitia, hæreditaria, Laica, Ecclesiastica, quæ ad hanc requirantur solemnitates, *n.* 2. In quibus conveniat cum feudo, *n.* 6. Emphyteutæ obligationes, *n.* 3 An & qualiter possit vendere rem Emphyteuticam, *n* 4.

*Emptio* quid, *c.* 55. *n.* 1. Rerum sponte oblatarum; fundi in quo scitur latere thesaurus, *n* 9. Rei furtivæ, *num.* 12. Gemmæ vel horologii, cujus pretium à vendente ignoratur, *n* 13 Bonorum à piratis captorum, *n* 14 Ecclesiasticorũ immobilium ab Hæreticis occupatorum, *n.* 15. Rei hypothecatæ censui obligatæ, *n.* 19. Rei immobilis, & an tunc expectari debeat retractus, *n.* 20 Emptoris obligationes, *n.* 2 Quid si res nondum tradita, *n.* 3. V. *Venditio.*

*Episcopatus* quam ætatem requirat, *c.* 78. *num* 4.

*Error communis* circa jurisdictionem Confessarii. V. *Confessarius Pœnitentia.*

*Error* irritans Matrimonium. V. *Matrimonium.*

*Error* in contractu. V. *Contractus.*

*Eucharistia* quid, *c* 91. *n.* 1. In eâ qualiter Christus præsens, *num.* 2. An sit unum vel plura Sacramenta, *num.* 3. Ejus materia remota, proxima, *num.* 4. An panis bis coctus, sale mixtus, fermentatus, in partibus Græcorum, in necessitate, *num.* 6. Ex hordeo, avenâ &c. an saltem pro dando Viatico adhibendus, *num* 7. Pro Calice quæ materia, *num* 8 An vinum congelatum, *num.* 9 Vapidum, acescens. Hispanicum, *num* 11. Mustum, *num* 10. An aqua vino miscenda, *num* 12. Quid si una species invalidè, vel dubiè consecrata, *num* 13. Animal venenatum incidat in Calicem, *num.* 14 Consecrâsti duas Hostias putans esse unicam,

eam, *nu.* 16. Te inscio appositæ sunt aliæ Hostiæ, *n.* 17. Vel post Oblationem tempore Consecrationis de eis non cogites, *nu.* 18. Qualiter materia debeat esse præsens, *n.* 19. Et determinata, *num* 20. Qualis forma, quando mutatio substantialis, qualiter proferenda, *nu.* 21. De Ministri intentione, & scrupulis, *c.* 91. *n.* 15. Dispensator an possit esse Diaconus *c.* 92. *num.* 1. Distribuens in statu disgratiæ qualiter peccet, *c.* 88. *nu.* 20. An liceat sibiipsi Communionem dare, ubi de tempore pestis, *c.* 92. *n.* 2. An dari Parocho invito, aut inscio à Religiosis, *n.* 3. An & quoties danda à Parocho, excommunicato &c. præsertim tempore pestis, *n.* 4. An dari, vel deferri sinè sacris vestibus, lumine &c. *n.* 5. Quibus digitis dari, quibus paramentis, quo die, *n.* 6. Reliquiæ ex Eucharistiâ quomodo sumendæ, ubi de Ciborio renovando, *n.* 8. Quid si ceciderit hostia, vel Calix effundatur, *num.* 7. Quid si communicans S. Hostiam abscondat, *n.* 9. Eucharistia qualiter necessaria, *n.* 10. 11. Quibus danda, *num.* 12. *& seqq* An sæpiùs eodem die, *n.* 16. In signum innocentiæ, *n.* 17. An infirmo dari possint species vini, si Hostiam deglutire non possit ? An saltem prima ablutio, *n.* 18 Quid de Viatico, *num.* 19. *& seqq.* An dandum reo mox occidendo, ebrio, *n.* 22. An pro eo dando consecrare liceat sine sacris vestibus, *num* 23. An dari vel accipi possit ab excommunicato, consuetudinario, *num.* 24. Ad susceptionem quæ dispositio animæ requiratur ? an semper præmittenda Confessio, *num.* 31. 32. Quid si quis sub Sacrificio vel Communione recordaretur mortalis, *n.* 33. Aut oblitus fuit, vel certum confessus ùt dubium, *num.* 34. Quando confiteri teneatur sub Missâ recordans peccati mortalis, *n.* 35. Quid si ex malitiâ non est confessus, *num.* 36 Quid si peccet sub Missâ, *n.* 37. Quid si communicans passus pollutionem, vel posuit actum conjugalem, *n.* 38. Quid si violatum jejunium naturale, ubi de variis casibus particularibus, *num.* 39. 40 41. Ab eo quæ causæ excusent, *nu.* 42. *Ulteriùs* V. *Communio. Missa.*

*Excommunicatio* quid, *cas.* 114. *num.* 1. Tolerati, non tolerati, *num.* 2. Major, vel minor, *num.* 1. Minor quando incurratur, *num.* 5. Qui ejus effectus, *num.* 6. An in minori liceat Sacramenta conferre, *num.* 7 Suscipere, *num.* 8. Major quibus suffragiis privet, *num.* 9. An liceat in eâ interesse divinis ? quibus, *num.* 10. An in eâ liceat, vel possit alium excommunicare, præsentare, eligere, Matrimonio assistere &c. *num.* 11. An exercere officium Judicis, Advocati, Actoris &c. *num.* 12. Quibus prohibitum cum eo communicare, *num.* 13. Qualiter privet excommunicatio sepulturâ, *n.* 14. Quando incurratur ob hæresin, *cas.* 115 *n.* 13. *Ob lectionem librorum hæreticorum, nu.* 14. Ad hanc excommunicationem incurrendam quæ requirantur conditiones, *nu.* 15. Quid tractare debeat, ut sit prohibitus, *n.* 16. Quid hìc de locis Germaniæ, *n.* 17. De ignorante librum esse hæreticum, *n.* 18. Qualis materia sit notabilis in legente, vel retinente, *num.* 19. *&* 20. V. *Hæresis.*

*resis. Libri Hæretici. Propter percussionem Clerici* quando incurratur? an ab impubere, *caſ.* 115. *num.* 1. Quid ſi percuſſus non portet habitum Clericalem, ſit excommunicatus, degradatus, conjugatus, Eremita, Novitius, Converſus, *n.* 2. Fiat ex levitate, odio, causâ defenſionis, *num.* 3. Eſt Clericus ejusdem Eccleſiæ, cujus etiam Clericus eſt alter, *nu.* 4. Invenitur turpiter agens cum ſorore ſuâ, *nu.* 5. Quæ actiones hìc cenſeantur injurioſæ, *n.* 6. An etiam ſi percuſſus conſentiat, *n.* 7. A quo percuſſor abſolvi poſſit, *n.* 8. 9. 10. quid poſſint hoc caſu Superiores Regulares circa ſuos, vel ſæculares, *num.* 11. Religioſum alteri Prælato ſubditum, Clericum ſæcularem, vel econtrà, *n.* 12.

*Exorcismus* quid *c.* 65. *n.* 18. quid circa eum notandum? ubi an Laicus exorcizare poſſit, *ibid.*

# F.

*Fama* quid, *c.* 36. *n.* 1. Pro eâ læsâ quid reſtituendum, *c.* 44 *num* 1. An hæc obligatio tranſeat ad hæredes, *n.* 2. quid ſi abſque culpâ graviter læſiva famæ dicta de Petro intelligantur quaſi dicta de Paulo, *n.* 4. An ſufficiat in alio genere laudare, *n.* 5. An teneatur revocare apud auditores mediatos, *n.* 7. An etiam reparare damna temporalia indè ſecuta, *n.* 9. Ab hac obligatione quæ cauſæ excuſantes, *n.* 10. *& ſeqq.* quid hìc ſpecialiter de impotentiâ, & reciprocâ infamatione, *n.* 12. *&* 14. quid ſi hæc fiat per modum juſtæ defenſionis, *num.* 15. An ſit contra famam alteri crimen falſum affingere pro evitandâ propriâ morte, *num.* 16.

*Famulus* non manifeſtans furem ad quid teneatur, *c.* 38. *n.* 17. quid ſi conſervi, vel extranei rem ipſi commiſſam furentur, &c. *ibid.* V. *Furta famulorum.*

*Feſta* qualiter ſervanda? quæ opera in eis prohibeantur, *c.* 59. *n.* 22. Qui actus forenſes, *n.* 23. Mercatus, *n.* 24. quid ſi uxor vel famuli jubeantur laborare, *n.* 25. quæ hìc materia gravis, *n.* 26. An labor ſervilis die feſto imponi poſſit hæretico, amenti, infideli, *num.* 27. quid ſi herus ſex famulis mandet laborem per horam, *num.* 28. A Feſtorum obſervatione qualiter excuſet diſpenſatio, *num.* 29. Neceſſitas, *num.* 30. Charitas, *num* 31. Conſuetudo, *num.* 32.

*Feudum* quid, *c.* 58. *nu.* 5. Regale, Eccleſiaſticum, Laicum, hæreditarium, gentilitium &c. *ibid.* In quibus conveniat cum emphyteuſi, *n.* 6. 7.

*Fides* actualis quid, *c.* 13. *nu.* 1. Divina, humana, *ibid.* Supernaturalis, naturalis, implicita, explicita, formalis, virtualis, habitualis, *n.* 2. Quod ejus objectum, *n.* 3. Ad eam prævìè requiſita, *n.* 4. Qualiter neceſſaria neceſſitate medii, *num.* 6. 7. 8. Pro Fide Catholico-Romanâ motiva, *n* 5. In fide qualiter Fideles inſtruendi à parentibus, *nu.* 9. A Confeſſariis, *n.* 13. Quodnam Fidei præceptum internum affirmativum vel negativum, *caſ.* 14. *num.* 1. Affirmativo ad quid obligemur, *num.* 3. Negativo quid prohibeamur, *nu.* 1. Externè profiteri quando obligatio, *nu.* 5. An ſi interrogeris à privato. *n.* 6.

*n. 6. & 7.* Interpretativè negare quid sit, quando fiat, *n. 9. & 10.* Fidei quæ vitia opponantur. V. *Hæresis. Infidelitas.* Ad fidem, an cogi possint hæretici, & infideles, *num. 15.* De fidei variis articulis dubitans, quid exprimere debeat in confessione, *cas. 7. num. 8.*

*Fidejussio* quid, *cas. 60. nu. 3.* Ad quid obliget, *num. 7.* An antè sententiam judicis ad solvendum in defectu Principalis, *num. 5.* An etiam mulier fidejussione obligetur, *ibid.*

*Filius familias* quis, *cas. 31. nu. 1.* Ejus bona quotupliçia : quorum sit Dominus, *ibid.* Ex bonis paternis furripiens, an obligetur ad restitutionem, *n. 2.* Quæ in hoc furto materia gravis, *n. 3.* Pro patre laborans, an salarium petere, vel compensare possit, *n. 4.*

*Fructus* rei quotuplices, *cas. 41. nu. 10.* Quid circà restitutionem fructuum. V. *Possessor.*

*Furans* è loco sacro rem sacram, vel profanam quoties peccet, *c. 7. nu. 7.*

*Furta domesticorum*, quæ, *cas. 30. n. 1.* Quando materia gravis, *ibid.*

*Furta conjugum.* V. *Conjugum bona.*

*Furta famulorum*, *cas. 31. num. 5.* An se extendant etiam ad alimenta, *ibid.* Quid si labori se subtrahant, *num. 6.* An peccent, reliquias laboris sibi retinendo, v. g. sartores &c. *n. 7.* An sibi retinere possint, quia rigidiùs mercati sunt, vel expensas fecerunt, *nu. 8. 9.* An licitè compensatione uti, si judicent mercedem suam esse iniquam, *cas. 32. n. 10.*

*Furtum* quid, *cas. 29. num. 1.* Simplex, qualificatum, manifestum, non manifestum, *num. 2.* Quale sit peccatum, *num. 3.* Quando materia gravis, *num. 4.* In materia levi quando fiat per accidens grave, per multiplicationem? *num. 10.* Malam intentionem, *num. 9.* Quid leve furando illato gravi damno, *num. 11.* Quid si plures quid leve furentur communi consilio, consensu, exemplo, *num. 12. 13. 15.* Vel res levis auferatur, ex quo tamen Dominus graviter contristetur, *num. 16.* Quid si quis inadvertenter complevit materiam, *ibid.* Quomodo modiça coalescant, *num. 17.* A furto qualiter, & an excuset necessitas, *cas. 32. num. 1.* An si possessor sit in simili necessitate, *num. 2.* An possit auferri res valdè pretiosa, *num. 3.* An si absque ablatione habere posses labore, aliove modo, *num. 4.* Vel habeas adhuc aliquid in spe, *num. 5.* An consumere possis rem tibi commodatam, apud te depositam &c. *num. 6. 8.* Quid circà multos casus particulares, *num. 8. & seq.* Qualiter excuset compensatio, & quando, *cas. 32. n. 7.*

# G.

*Gabellæ.* V. *Tributum.*

*Gemmæ*, lapilli &c. reperta ad quem spectent, *cas. 22. nu. 11.*

*Gula* quid, quale peccatum, *cas. 12. nu. 2.*

# H.

*Hæres* ex testamento probabiliter nullo an teneatur legata solvere, *cas.* 61. *num.* 6. Hæres ex testamento, ab intestato, necessarius, *num.* 14. Qualiter succedat in onera, & jura defuncti, *num.* 17.

*Hæresis* quid, *cas.* 14. *num.* 11. Quæ pœnæ, *num.* 12. Quid requiratur, ut inquirantur, *ibid.* Quid circà rudes in hac materiâ, *num.* 14. Ab hæresi quis possit absolvere, *cas.* 115. *num.* 22. Cum hæreticis communicare, an & quomodo liceat, *cas.* 14. *num.* 21 Quid circà matrimonium cum hæretico. V *Matrimonium. Ulterius* V. *Libri hæretici.*

*Homicida.* V. *Occisor*, *Confessarius homicida.*

*Honestas publica* quid, *cas.* 109. *num.* 13. V. *Matrimonium.*

*Honor* quid, quæ vitia ei opponantur, *cas.* 36. *num.* 1. Læsus qualiter restituendus, *cas.* 44. *num.* 8. Quando læditur per contumeliam, quid si hæc non contineat detractionem, *num.* 10.

*Horæ Canonicæ* quid sint: ad eas, qui & quando obligentur, *cas.* 72. *nu.* 1. Quinam ratione Professionis Religiosæ, an etiam Præmonstratenses, *nu.* 2. Quinam ratione beneficii, *nu.* 3. An habentes Capellaniam laicam, Coadjutores, Vicarii temporales, meri pensionarii, *nu.* 5. Necdum habens quietam possessionem, *nu.* 6. Novus Canonicus non percipiens fructus, *nu.* 7. Non habens competentiam, *nu.* 8. Suâ culpâ fructus non percipiens, *num.* 9. Omittens, an teneatur ad restitutionem, *n.* 10. Cui facienda restitutio, *n.* 15 Quid si fiat inculpabiliter, *num.* 11. Vel per sex menses post acceptam possessionem, *nu.* 12. Aut ex unâ Horâ non omittat notabilem partem, *n.* 13. Privatim orans, & non frequentans chorum, item frequentans, sed non cantans an præsentias faciat suas, *n.* 14. Ab Horarum recitatione quomodo excuset impotentia physica, *n.* 16. Moralis ob metum, subitam turbationem, *num.* 17. Infirmitatem, *num.* 18. Febrim, *n.* 20. Charitatem, vel occupationem, *nu.* 19. An qui non potest orare Matutinas, *n.* 21. Non habens proprium Breviarium, *n.* 22. Excommunicatus, suspensus, irregularis, *n.* 23. Quâ devotione recitandæ, quali intentione, *c.* 73. *n.* 1. Attentione, *n.* 2. An sufficiat sola externa, *n.* 3. An satisfaciat distractus, *n.* 4. Cum socio orans, *n.* 5. Omnes omittens, vel notabilem partem ex singulis, *n* 7. Quid de Litaniis omnium Ss Officio Defunctorum &c. *n.* 8. Quid in dubio, an Hora omissa, *n.* 9. Quid de thurificantibus, luminaria portantibus &c. *n.* 10. Qualiter Horæ distinctè recitandæ, *n.* 11 An ità legendæ, ut seipsum audire possit, *n.* 12. Ex quo Breviario, *n.* 13. Quale officium, *n.* 14. An illud licitè mutari possit, *n.* 15. An licitè inverti possit, *n.* 16. Interrumpi, *n.* 17. Indebito tem-

tempore recitari, *numero* 18.
*Hypotheca* quid, quotuplex, *c.* 46. *n.* 4. Ejus effectus, *c.* 60. *n.* 10. & 11. Fructus ad quem spectent, *n.* 12. Hypothecare, an possint Prælati sine consensu Capituli, *ibid.* Inter creditores hypothecarios, quis ordo servandus, V. *Restitutionis ordo.*

# I.

*Idololatria* quid, *c.* 65. *n.* 3.
*Jejunium* Ecclesiasticum, naturale, quid, *c.* 74. *n.* 1. Ad Ecclesiasticum, an requiratur abstinentia à carnibus, lardo, pinguedine &c. *n.* 2. Lacticiniis, *n.* 7. Duplici refectione, *n.* 3. An etiam certum tempus observandum, *n.* 4. Quid de collatione vespertinâ, *n.* 8. Divisione prandii, *nu.* 10. Ejusdem protractione, *ibid.* An obstet jejunio potus herbæ The, Caffé, Chocolata, *n.* 15. An excuset dispensatio, & quis dispensare possit, *c.* 75. *n.* 1. Ex quâ causâ, *n.* 2. Quid de casibus particularibus, *n.* 3. De dispensato ad certum genus carnium, *n.* 5. Ob infirmitatem, *n.* 6. Existentes in partibus hæreticis, *c.* 74. *n.* 11. Peregrini, viatores, *n.* 12. & 13. Religiosi exempti, *n.* 14. Impotentes Physicè, *c.* 75. *nu.* 7. Quinam tales, *n.* 8. An adolescentes ante 21mũ annum ætatis, *n.* 9. Senes, *n.* 10. Laborantes, *n.* 11. Quando hi, *n.* 12. & 13. Venatores, an etiam si recreationis causâ, *n.* 13. Faciens opus inutile, sed laboriosum *n.* 14. Laborans solo ingenio, *n.* 15. Non potens dormire, nisi plenè refectus, *nu.* 16. Ex præcepto heri, vel mariti carnes comedens, *n.* 17. Ex causâ urbanitatis, *n.* 18.
*Jejunium naturale.* V. *Eucharistia.*
*Impediens* alium à consecutione boni ad quid obligetur, *c.* 39. *n.* 1. Quid si absque fraude facias, ut alius scribatur hæres, *n.* 2. Quid si zelo bono collationem injustam, *n.* 3. Servum, vel procuratorem ne beneficium petat, *n.* 5. Amicos causam gratis promoventes, *ibid.* Litteris injustè apertis, *n.* 6.
*Impedimenta Matrimonii.* V. *Matrimonium.*
*Impotentia.* V. *Matrimonium.*
*Imprecans* mala diversa quoties peccet, *c.* 8. *n.* 7.
*Incestus* an ejusdem speciei, *c.* 11. *num.* 7. Spiritualis quid, *ibid.*
*Indulgentia* quid, partialis, plena, plenissima, *c.* 102. *n.* 1. Ad lucrandam quid requiratur, *num.* 2. An plures lucrari possit eodem die, *n.* 12. Quid de revocatis, vel noviter concessis, religiosis, *nu.* 13. Quid hìc de Præmonstratensibus, *n.* 14. Quid de altari privilegiato, *n.* 12.
*Infamare* seipsum, an sit detrahere, *c.* 36. *n.* 7. Infamare an liceat alium ad evitandam mortem propriam, *c.* 44. *n.* 16.
*Infideles*, an cogi possint ad fidem, *c.* 14. *n.* 15. An vocari in belli socios, *c.* 35. *n.* 3. Si matrimonium contraxerint cum impedimento Ecclesiastico, an post baptismum separandi, *c.* 107. *n.* 21. An pacta cum eis servanda, vel an Pontifex in hoc dispensare possit, *cas.* 35. *nu.* 6.
*Infidelitas* fidei opposita quid, positiva, negativa, *c.* 14. *num.* 11.

*Ingres-*

*Ingressus* in Religionem an excuset à restitutione. V. *Restitutio.*

*Inimico* veniam petenti, qualiter ignoscendum, *cas.* 16. *nu.* 8. An liceat signa communia dilectionis negare, *nu.* 7.

*Injustitia* quid, quotuplex, *cas.* 27. *nu.* 1.

*Innocentem* occidere, an liceat. V. *Occidens* vel *abortum procurare.*

*Institutio* in beneficium quid, quotuplex, *cas.* 78. *nu.* 10. Ejus modus, *nu.* 11. Ad quem spectet, *nu.* 12. Si competat Prælato inferiori, an nihilominus præsentatio facienda Episcopo, *nu.* 13. Authoritabilis, an præscribi possit, *ibid.* Intrà quod tempus fieri debeat, *num.* 19. In quibus differat vel conveniat cum collatione, *n.* 14. *& seqq.*

*Intentio* quid, quotuplex, qualis requiratur pro Horis Canonicis, *cas.* 73. *num.* 1.

*Interdictum* quid, *cas.* 116. *num.* 6. Personale, locale, mixtum, *nu.* 7. Ejus tempore quæ officia divina prohibita? *n.* 8. *& seqq.* quæ Sacramenta, *nu.* 12. Sepultura Ecclesiastica, *nu.* 13. Violantium pœnæ, *nu.* 14.

*Intrusus.* V. *In beneficium surrogari.* Et V. *Eligi quinam possint.*

*Invidia* quid, *cas.* 12. *nu.* 1.

*Ira* quid, quando mortalis, *cas.* 12. *nu.* 14.

*Irregularitas* quid, an incurratur ab ignorante, *cas.* 117. *nu.* 1. qualiter prohibeat actus ordinis, jurisdictionem, collationem, vel acceptationem beneficii, *nu.* 2. Ex delicto, an peccatum mortale prærequirat, *nu.* 3. Ex homicidio, *nu.* 4. quid hoc casu in dubio facti, *nu.* 5. An etiam incurratur ob mutilationem, *num.* 6. Quando defectu animæ, *nu.* 7. Corporis, *nu.* 8. Libertatis, natalium, *nu.* 9. Quid hìc de exposititiis, *nu.* 10. Ex bigamia verâ, vel similitudinariâ, *nu.* 11. Defectu famæ, *num.* 12. Lenitatis, *num.* 13. 14. Quomodo tollatur, *nu.* 17. Per Episcopos, *nu.* 18. Regulares, *nu.* 19. Baptismum, *n.* 20.

*Jubilæum* quid, *cas.* 102. *num.* 1. quæ opera ejus tempore persolvenda, quo modo, *nu.* 2. An etiam absolutio à censuris danda, *nu.* 3. 4. Quid de eo, qui semel absolutus reincidit in reservata, *nu.* 5. Ab his quis absolvere possit, an etiam dispensari in irregularitatibus, *n.* 6. Quid hoc tempore circà commutationem votorum, *nu.* 8. Electionem Confessarii, ubi specialiter de monialibus, *num.* 9. Jubilæo peracto quid fieri possit, *n.* 11.

*Cum Judæis*, an & qualiter communicare liceat, *cas.* 14. *num.* 23.

*Judex* quam sententiam sequi debeat in causâ civili, *c.* 3. *n.* 8. Criminali, *nu.* 9 An relaxare juramentum contractui adjectum, *c.* 50. *n.* 18. Qualis in eo requiratur scientia, *c.* 62. *num.* 1. Quos possit judicare, *n.* 3. An munera acceptare, &c. *ibid.* An ei denuntiari possit læsio occulta, *cas.* 18. *n.* 7.

*Judicium* quot personas requirat, *c.* 62. *n.* 1. Quot testes, *n.* 8.

Ju-

*Judicium temerarium* quid, *caſ.* 36. *num.* 2. Quale peccatum, *num.* 4. An aliquando mortale, *ibid.*

*Juramentum* quid, *caſ.* 67. *num.* 1. promiſſorium, aſſertorium, *num.* 2. An in aſſertorio detur parvitas materiæ, *ibid.* An ſit licitum, *num.* 3. Ut validum ſit, quæ conditiones, *num.* 4. An adeſſe debeat animus jurandi, *num.* 5. Voluntas ſe obligandi, *num.* 6. Qualis materia, ſeu objectum ejus, *num.* 7. Quid ſi ſit de re venialiter, vel mortaliter mala, *num.* 8. Quæ verba ſignificent juramentum, *num.* 9. Quid ſi per Deos falſos juretur, per creaturas, Sanctos, membra Chriſti, B. V. &c. *num.* 10. Fidem Catholicam, conſecrationem Sacerdotalem, *num.* 12. Talia verba profecens, an ſemper juret, *num.* 13. Juramentum exigere an liceat, *n.* 14. Jurare ex conſuetudine, *nu.* 15. Æquivocatione uti, *num.* 16. Reale vel perſonale quis ſolvere teneatur, *num.* 20. Quando ceſſet obligare, *nu.* 21. Irritare quis poſſit, *num.* 22. Quid de juramento de nunquam jurando, *caſ.* 68. *nu.* 17. De non petendâ relaxatione, *caſ.* 67. *nu.* 22.

*Juramenti diſpenſatio.* Vid. *Voti diſpenſatio.*

*Juramenti commutatio.* Vid. *Voti commutatio.*

*Juriſdictio* ordinaria, delegata quid, *caſ.* 99. *nu.* 1.

*Jus* quotuplex, *caſ.* 21. *nu.* 1. In re, ad rem, *num.* 2. Juriſdictionis, proprietatis, *nu.* 3.

*Jus Patronatûs* quid, *caſ.* 77. *num.* 2. Quomodo honorificum ſit, utile, oneroſum, *num.* 3. Eccleſiaſticum, Laicum, mixtum, *num.* 5. Hæreditarium, Gentilitium, *num.* 11. Perſonale, reale, *num.* 12. Quot modis conſtituatur, *num.* 13. In alios transferatur, *num.* 17. An etiam per contractum feudalem, *nu.* 18. Quibus modis amittatur, *nu.* 19. An etiam per non uſum, *num.* 20. An vendi poſſit. V. *Simonia.*

*Juſtitia* quid, *caſ.* 21. *num.* 4. Legalis, diſtributiva, commutativa, *num.* 5. Contra legalem an peccet ſe ſubtrahens communibus oneribus, *num.* 7. Diſtributivæ quid opponatur, *caſ.* 28. *num.* 1. An promotio indigni, vel minus digni præ digniori, *num.* 2. An etiam hoc teneat in officiis ſæcularibus, *nu.* 3.

# L.

*Legatum* quid, *caſ.* 61. *num.* 1. Sæpè ei adjicitur conditio, *nu.* 7. Quandoque fit in genere ad cauſas pias, *num.* 10. Quid ſi duobus ejuſdem nominis, *num.* 11. Vel legetur res aliena, *num.* 12. Ejus dominium, an acquiratur ab ignorante pro ſe factum, *num.* 13. quid ſi legatarius ante factam traditionem moriatur, *n.* 16.

*Lex* quid, *caſ.* 5. *num.* 1. Divina, humana,

mana, novi, veteris Testamenti : hæc iterum triplex, *num.* 2. Affirmativa, negativa, præceptiva, pœnalis, *num.* 3. Favorabilis, odiosa, *nu.* 4. Ut sub mortali obliget, quid requiratur, *num.* 5. Qualiter promulganda, *nu.* 7. Qualiter lex Imperatoria, Pontificia, *nu.* 8. Principum, vel Episcoporum, *nu.* 9. Pontificia, vel Imperatoria qualiter ab inferioribus promulganda, & urgenda, *cas.* 5. *num.* 11. Qualiter acceptanda, si sit justa, *n.* 10. Quid si acceptatio non urgeatur, *nu.* 11. Legis vim nùm habeant declarationes Cardinalium, *nu.* 16. Quid de lege legislatoris invalidè electi &c. *nu.* 15. Legibus Ecclesiæ & Principum, an obligentur catechumeni, Judæi, & infideles, *cas.* 6. *nu.* 4. Ebrii, habentes lucida intervalla, pueri, *n.* 5. Perpetuò amentes, *nu.* 6. Peregrini, & viatores, *nu.* 7. *& seqq.* Clerici legibus Principis sæcularis, *num.* 3. 4. An lege obligetur faciens se impotentem ad eandem implendam, *num.* 15. *& seqq.* Ut legi satisfiat, an requiratur animus satisfaciendi, *num.* 19. Contrà legem quid possit consuetudo, *cas.* 5. *nu.* 14. V. *Consuetudo.*

*Libri hæretici* quinam prohibiti *cas.* 115. *nu.* 21. Quis eos legendi licentiam dare possit, *nu.* 22. An suis eam dare possint Prælati regulares, & ab excommunicatione propterea latâ absolvere, *nu.* 24. Ad quem spectet expurgatio, *num.* 25.

*Ligamen* quid, *cas.* 109. *num.* 10. Vid. *Matrimonium.*

*Locatum* quid, *cas.* 57. *num.* 10. Ad quid obliget locatorem, an ad aperienda vitia, ad quas expensas, ad quod rei periculum, *nu.* 11. Quid de incursu hostium, sterilitate, ejectione locatarii, *nu.* 12. Quid de eo, qui pluribus operam elocavit, *nu.* 14. Quid si locator operæ suæ antè tempus discedat, vel dimittatur, *num.* 15. Quid si infirmus fiat, vel aliter impediatur, *n.* 16. Locato qualiter teneatur successor, *n.* 17. Particularis, *n.* 18. An pensiones possint augeri, si res fiat fructuosior, *n.* 19. V. *Conductum.*

*Ludus* quid, *cas.* 59. *n.* 1. Ut sit licitus, quæ conditiones, *n.* 2. 6. 7. 8. Licentiam ludendi habens, an plus successivè possit apponere, *n.* 3. Quid de marito, vel uxore ludente, *n.* 4. Apponente monetam adulterinam, de eo, qui à fure lucrantur pretium furtivum, *nu.* 5. Qualiter abesse debeat fraus, dolus, *n.* 7. Adesse æquale periculum, *n.* 8 Ludus qualis prohibeatur, *n.* 10. Eo aliquid lucrans, an ad restitutionem obligetur, *n.* 12 13. In Ecclesiâ factus, vel pro re spirituali, *n.* 15. Quid de ministrantibus chartifolia, cùm tamen prævideantur blasphemiæ, *n.* 14. A ludo abstinere vovens. Vid. *Votum.*

*Luxuria* quid, *c.* 11. *n.* 3. Ejus species, fornicatio, *nu.* 4. Stuprum, *n.* 5. Adulterium, *n.* 6. Incestus, *n.* 7. Pollutio, *ibid.* Sodomia, *n.* 14. Bestialitas, *n.* 15. Coitus cum dæmone, *ibid.* Luxuriæ actus imperfecti, *n.* 16. *&* 17. V. *Singula suis locis.*

# M.

*Magia* quid, *cas.* 65. *num.* 3. De eâ suspectus, an consuli possit, *n.* 13.

*Male-*

*Maledictum* quid, *c.* 16. *n.* 16. V. *Blasphemia.*

*Malefactores*, an licitè occidi possint, *cas.* 34. *n.* 1. An etiam proscribi, quæ ad hoc requirantur conditiones, *n.* 2. An se defendere possint contrà satellites, & ministros Justitiæ, vel alios, *num.* 6. 7.

*Maleficium* quid, ubi de pacto implicito, *cas.* 65. *num.* 4. Quomodo tolli possit, *num.* 14. V. *Superstitio*

*Matrimonium* quid, quæ ejus materia, forma, minister, *cas.* 105. *num.* 1. Quomodo, & qualis requiratur consensus, an sufficiat fictus, *num.* 2. An revocetur, vel exprimatur per verba dubia; quid si sit indeliberatus, *num.* 3. Vel adsit impedimentum dirimens falsò existimatum, *num.* 5. An consensus ferri debeat etiam in copulam, *num.* 4. An requiri consensus parentum, vel hoc non præstito subtrahi possit dos; quid si parentes contrahant nomine prolis, *num.* 6. An contrahere liceat cum constitutâ in mortali, vel habente votum castitatis, *cas.* 20. *num.* 12. Quid si fit conditionatum, modificatum, *cas.* 105. *num.* 7. Sub conditione licitâ, vel de præsenti suspendente valorem; secutâ copulâ, *num.* 9. Conditione necessariò eventurâ, *num.* 10. Post conditionis eventum an novo consensu opus coràm Parocho, *num.* 11. An pendente conditione liceat Matrimonium cum aliâ, *num.* 12. Quid de conditionibus particularibus, *nu.* 13. *& seqq.* Turpibus, impossibilibus, *nu.* 16. Quid de dubio, quâ intentione sint adjectæ, *n.* 17. Quid de hac: si castitatem voveas, *nu.* 19. Ut liceat religionem ingredi, *nu.* 20. Repudium ex causâ fornicationis, *num.* 21. An contrahere liceat per procuratorem, aut litteras, *nu.* 22. Quid si consensus revocetur, vel principalis fiat amens, *num.* 23. An procurator conficiat Sacramentum, & mandatum dari, vel exequi debeat coràm Parocho, & testibus, *num.* 24 An solvatur per professionem, vel dispensationem Papæ, si sit ratum, *num.* 25. An etiam consummatum, *num.* 26. Matrimonium infidelium, *num.* 27. An ex causâ pietatis, *num.* 28. Ex causâ delicti, quomodo, quando, *num.* 29. qualiter præmittendæ proclamationes, *cas.* 106. *nu.* 1. An festis discontinuis, *nu.* 2. In quâ parochiâ, *num.* 3. quis in iis dispensare possit, *num.* 4. quid si spectent ad diversas Diœceses, *n.* 5. *Quid si impedimentum sciatur ab ipsis sponsis*, n. 6. Quid si detegatur impediens tantùm, vel Parochus sciat, sed sit occultum, *n.* 6. Vel acceptum scientiâ confessionis, *n.* 8. Dispensatum pro foro conscientiæ, *n.* 9. *Quis impedimenta statuere possit*, n. 12. Quot sint prohibentia, *n.* 13. An votum castitatis, *n.* 14. An eo ligatus teneatur religionem ingredi ante consummationem, *nu.* 15. Quid de voto religionis, *n.* 16. Vel de voto conditionato, *nu.* 17. *Quot impedimenta dirimentia*, n. 18. An hæc induci vel abrogari possint per consuetudinem, *num.* 19. Quid de scienter contrahente cum tali impedimento, *num.* 20. Quid si sit ratio probabilis pro existentiâ impedimenti, non vero pro carentiâ? *num.* 21. Vel sit probabilitas juris pro, &

contra existentiam, sit tamen dispensabile pro Ecclesiâ, *num. 22.* Quid practicè agendum Parocho, *num. 23. & seqq.* Confessatio, *num. 26.* quid circa matrimonia hæreticorum cum impedimento contracta, *nn. 27. & 28.* An tale matrimonium suaderi possit, vel ei cooperari liceat, *n. 29.* quomodo, & quando dirimat *error* circà personam, antecedens, vel concomitans, *c. 107. n. 1.* Circà qualitatem redundantem in personam, vel substantiam, *nu. 2.* quid circà casus particulares in hac materiâ, *num. 3. & seqq.* quomodo dirimat *conditio:* quæ illa, *n. 7.* quid si servus erat futurus liber, *n. 8.* quomodo per *votum solemne* castitatis, *n. 9.* An etiam respectu ordinati antè usum rationis, vel ignorantis illud annexum Ss. Ordinibus, *n. 10.* quo jure Ss. Ordines, vel professio religiosa dirimant matrimonium, *n. 11.* quomodo per *cognationem. n. 12.* An si sit in gradu quarto, & quinto, *nu. 17.* V. *Cognatio.* quomodo per affinitatem, *n. 18.* quousque hæc se extendat, *nu. 19.* Quid si superveniat matrimonio, *n. 20.* Quomodo dirimatur per *crimen* conjugicidium, *cas. 108. nu. 1.* Quando, *num. 2. & 3.* Quomodo per adulterium, *num. 4.* Quando, *num. 5. & 6.* An ex promissione fictâ, *ibid.* Non acceptatâ, *num. 7.* Conditionatâ, *num. 8.* Copulâ habitâ cum eâ cujus matrimonium est probabiliter invalidum, *num. 9.* An etiam incurratur ab ignorante actui suo hoc impedimentum annexum, *n. 10.* Quid circà *cultûs disparitatem*, *c. 108. n. 11.* Quid de matrimonio Catholici cum Acatholicâ, *n. 12.* Quid circà *vim* seu metum, *c. 109. n. 1.* An dirimat jure naturæ, *n. 9.* An etiam levis, *n. 2.* Justus, *n. 3.* Incussus à causâ non liberâ, *n. 4.* Nec in ordine ad matrimonium, *n. 5.* Qualiter probari debeat, *n. 7.* An taliter vim passus copulam admittere possit, *n. 6.* An ipse cogens possit resilire, *n. 8.* Quid circà *ligamen*, *n. 10.* Quid si adsit certitudo de morte prioris conjugis, *n. 11.* Quid circà *honestatem publicam*, *n. 13.* Unde illa, an etiam ex matrimonio rato, *nu. 14.* Quam ducere obligetur contrahens sponsalia cum duabus sororibus, *n. 15.* Vel sub conditione, *n. 16.* An resiliente sponso sponsa ducere possit sponsi fratrem; sed quid si fornicata fuit cum sponso priori, *n. 17.* Quid si sponsalia contraxit ex metu, *n. 18.* Imò ipsum Matrimonium, *n. 19.* An Matrimonium, vel sponsalia impuberum, item clandestinum, vel sponsalia ficta non mutua, sub veniali obligantia hoc impedimentum inducant, *nu. 20.* Quid circà *ætatem*, *n. 21.* Qualiter hæc debeat esse completa, & an circà eam dispensare possit Episcopus, & antè eam contrahentes peccent, *n. 22.* Matrimonium *clandestinum* quid, *c. 110. n. 1.* Quid ergo requiratur circà testes, *n. 2.* Parochum, *n. 3.* Quis ille, *n. 4.* An etiam hoc nomine veniat Episcopus, &c. *n. 5.* Quis de Parochi licentiâ validè assistit, *n. 6.* Qualis & hæc licentia esse debeat *n. 7.* An sufficiat dolo obtenta, *nn. 9.* Quid hic de vagis, *num. 9.* De locis

cis non promulgati Tridentini, *num.* 11. *& sequentibus.* Quid de locis hæreticis, *num.* 14. Quid de hæreticorum Matrimonio sinè proprio Parocho, vel cum alio impedimento in locis Tridentini non promulgati contracto, *n.* 15. Vel Principi Catholico subjectis, *nn.* 16. An tali Matrimonio Parochus Catholicus licitè assistat, *n.* 17. Quid hoc casu de urbibus quibusdam particularibus, *num.* 18. Vel partibus Hollandiæ, *n.* 19. Quid de transeunte per tales patrias, *n.* 20. Quid circa *impotentiam* physicam in Eunuchis, spadonibus &c. *n.* 21. Quid de senibus, *n.* 22 Sterilibus, *n.* 23. Quid si sit probabilis tantùm potentia, *n.* 24. Qualis debeat esse impotentia, *n.* 25. Quid in dubio, an sit perpetua, *n* 26. Quid si post separationem ideò factam cesset, *n.* 27. Vel Matrimonio superveniat, *n.* 28. Quid circa *raptum*, *num.* 29. An etiam, si vir abducatur, *n.* 30. Quomodo *invalidum invalidandum*, præsertim tale defectu consensûs, *c.* 111. *n.* 1. Quid si metus se tantùm teneat ex unâ parte, *num.* 2. Quid si sit invalidum ex alia causa, & qualiter tunc notificandum alteri parti, *n.* 3. Coram quo revalidandum, *n.* 4. Qualiter hoc casu dispensare possit Papa, *n.* 5. Nuntius Apostolicus, *num.* 6. Episcopus in casibus Papalibus, *n.* 7. Quid si Catholicus invalidè contraxit cum acatholica, *n.* 8. Quid si spectent ad diversas Diœceses, vel dubium sit, an sit impedimentum, *n.* 9. Quid in votis impedientibus possint Episcopi, vel Regulares, *n.* 10. Quid hi circa petitionem debiti, *n.* 11. Qualiter Romæ petenda dispensatio, *nn* 12. Quid si detur sinè causa, *n.* 13. Ad falsa narrata, *nn.* 14. Quæ causæ cum fructu allegandæ? an angustia loci, *n.* 15. Paupertas, ubi: quinam hoc casu dicantur pauperes? pax & compositio, *num.* 16. Quando causa debeat verificari, *n.* 17. Quomodo impedimenta exponenda, *num.* 18. Quid hìc in praxi, *n.* 19. *Matrimonii usus* an licitus, & quid in dubio de ejusdem valore, *c.* 112. *n.* 1. Quid si adsit votum continentiæ, *n.* 2. Adulterium, incestus, *n.* 3. An liceat ex sola voluptate, vel si nulla sit spes prolis? aut propter sanitatem, *n.* 4. In eo qualiter servandus situs, *n.* 5. Locus, tempus, *n.* 6. An liceant oscula, aspectus, tactus, *n.* 7. Delectationes morosæ, *n.* 8. Aspectus imaginis pulchræ in ipso actu conjugii, *n.* 9. An usus sit obligatorius, *num.* 11. Quid si sit suspicio de adulterio, *ibid.* Vel in ebrietate, morbo &c. petatur, *n.* 12. Ob paupertatem proles ali nequeat, *n.* 13. Vel petatur cum peccato, *n.* 14.

*Medicus*, vel chyrurgus an adhibere debeat semper media probabiliora, *c.* 3. *n.* 10. Quomodo teneatur subvenire pauperi ægroto, *c.* 17. *n.* 7.

*Mendicantes* quid possint circa dispensationem in votis & juramentis, *c.* 71. *n.* 5. *&* 6. Quid circa petitionem debiti, ejúsque redditionem, V. *Matrimonium revalidandum*, alia vide suis locis.

*Mercator* jurans merces sibi pluris constare, an verè juret, *c.* 67. *n.* 17.

*Metallorum fodinæ* ad quem spectent, *c.* 22. *n.* 12.

*Metus* quid, *c.* 49. *n.* 7. Ab intrinseco, vel ab extrinseco, *ibid.* Gravis, levis, reverentialis, *c.* 199. *n.* 1. Quando vitiet contractum, sponsalia, Matrimonium, Professionem religiosam. V. *suis locis.*

*Missa* quid? an verum Sacrificium, *cas.* 93. *n.* 1. Ejus fructus, *n.* 2. Pro quibus offerri possit, *n.* 3. An, & quando applicari, *n.* 3. Quæ intentio requiratur, & sufficiat, *num.* 5. Quid si hæc mutetur, vel sit primæ contraria, *num.* 7. Fructus an dividi possit, *num.* 8. Si applicetur incapaci, vel de eo dubitetur, *num.* 6. Vel tanquam mortuo, qui adhuc vivit, vel econtrà, *num.* 9. Quid de applicatione probabili, *num.* 10. Cui Missa applicanda in die Animarum: vel Neo-Presbyteris impositæ, *num.* 11. Quoties applicanda suis à Parochis, *num.* 12. Quid circa Missarum onera, *num.* 13. Quâ horâ Missa legi debeat, *cas.* 94. *num.* 1. An etiam post meridiem, & quid circa hoc possint Superiores Regularium, *num.* 3. An omnes tres legi possint in nocte Nativitatis Domini, *num.* 2. Quid circa tres ultimos dies hebdomadæ sanctæ, *num.* 5. An sæpiùs celebrare liceat eodem die, *num.* 6. An ab- vel interrumpi possit, *num.* 7. An etiam celebrari possit extra Ecclesiam, *num.* 8. In cubiculo infirmi, *num.* 9. 10. Ecclesiâ execratâ, vel pollutâ, *num.* 11. Oratoriis privatis, *num.* 16. Regularium, *num.* 17. Sæcularium, *num.* 18. *& seqq.* Sinè sacris paramentis, *nu.* 29 Nudis pedibus, tecto capite, barrucià, *num.* 33. Sinè mappa, Cruce, lumine &c. *num.* 31. Sinè debito vestium colore, *num.* 30. Sinè Ministro, qualis ille, *num.* 32. Qualis Missa legi debeat? de quo Sancto, *num.* 35. Quid de Missis votivis, & Requiem, *num.* 36. Quando peccatum sit, aliquid omittere, mutare, *num.* 37. Accelerare, nimis submissè, vel altè recitare, *num.* 38. *Missæ stipendium* an ab Ecclesia, Collatore &c. ex parte retineri possit, *cas.* 93. *num.* 14. Quid si à diversis acceptata stipendia, cui facienda applicatio, *num.* 17. Stipendium quantum esse debeat, *num.* 18. Duplex an exigi possit ratione fructûs specialissimi, *num.* 19. Quid si sit nimis tenue, vel pecunia adulterina, *num.* 20. Missam stipendiatam, vel gratis promissam omittere quale peccatum, *num.* 21. Qualis Missa legi debeat, *num.* 22. An servandus locus, tempus, *num.* 23. An indies obligatus possit aliquoties omittere, *num.* 24. Quid hîc de hebdomada sancta, *num.* 25. Obligationes an possint præveniri, *num.* 26. Quoties celebrare teneatur obligatus celebrare toties, quoties potest, *num.* 27. Obligatus ex fundatione dubitat quoties, *num.* 28. Quid si Missæ in loco assignato legi non possint, *num.* 29. Quid circa Missas neglectas, *num.* 30. An Missam per seipsum legere teneatur beneficiatus? item quoties per annum à simplici Sacerdote legenda aliàs non obligato, *num.* 31. *Missarum reductio* ad quem spectet, *num.* 15. *Missam audiendi* obligatio, an sit in Festo in-

indicto à Rege, Episcopo, die Cinerum, Animarum &c. quid in dubio, *caſ. 95. num.* 1. Quinam obligentur, *num.* 2. Cum quali intentione, attentione, *num.* 3. An cum memoria præcepti, vel cum voluntate satisfaciendi, *num.* 4. An satisfaciat ex mala intentione audiens, *num.* 5. Ebrius, dormiens, distractus, non advertens Missam jam esse inceptam, *num.* 6. Sub Missa colloquens, libros profanos legens, confitens, pingens, musicus, organista &c. *num.* 7. Partem Missæ negligens quomodo peccet, *num.* 8. Veniens antè, vel post Consecrationem, *num.* 10. Per partes audiens, *num.* 11. Lectam à Sacerdote Græco, vel excommunicato, *num.* 12. In alio loco audiens, quàm Ecclesiâ, *num.* 13. Privatis Oratoriis, *nu.* 13. & 14. In castris, mari, *nu.* 15. Aut aliis locis, *nu.* 16. Quid de infirmis, vel inclusis, *nu.* 17. Impotentibus, *num.* 18. An excuset spes lucri, excommunicatio, *num.* 19. Charitas, consuetudo, *num.* 20. Impeditus an ad alium cultum Dei obligetur? ubi de eo, qui exit è loco ubi est Festum, vel ponit impedimentum, *num.* 21.

*Mixtio* quid? quomodo per eam acquiratur dominium, *c.* 22. *n.* 22.

*Moderamen* inculpatæ tutelæ excedens ad quid obligetur, *c.* 42. *n.* 14.

*Mollities.* V. *Pollutio.*

*Moniales* qualiter ad clausuram obligentur, *caſ.* 64. *num.* 5. Licentiam egrediendi quis dare possit, *num* 5. Ob quam causam exire possint? Quid hìc de exemptis, *c.* 64. *n.* 7. V. *Abbatissa. Clausura.*

*Monopolium*, quid, *c.* 55. *n.* 16.

*Montes pietatis* an liciti, *c.* 54. *n.* 20.

*Mutus.* V. *Restitutio. Damnificans negativè.*

*Mutuum* quid sit, *caſ.* 54. *num.* 1. In eo quis valor vel bonitas attendenda, *nu.* 2. An moneta antiqua præ alia, *nu.* 3. Quid si nullum tempus præfixum, *nu.* 5. Ex mutuo quinam obligentur, an Ecclesiæ, filii-familias, *nu.* 6. V. *Contractus. Usura.*

# N.

*Necessitas* proximi quotuplex, *caſ.* 17. *num.* 3. & *caſ.* 32. *num.* 1. In pari quis præferendus, *caſ.* 16. *num.* 14. An semper nocenti innocens, *num.* 15. V. *Eleëmosyna. Furtum.*

*Novitiatus* quantum tempus requirat, *c.* 63. *num.* 3. An debeat esse continuus, *num.* 4. Dimissus, & reassumptus an novo Novitiatu indigeat, *n.* 6. Quid si cum licentia moretur extrà, *num.* 5. Ad aliam Religionem transeat, *nu.* 7. Professus validè sed injustè ejectus, *num.* 8.

*Novitius* quando licitè regredi possit ad sæculum, *c.* 63. *n.* 9. Ei votum injustè negans ad quid teneatur, *c.* 42. *num.* 7. Injustè negantes vel ejicientes ad quid obligentur, *c.* 63. *n.* 10.

*Nuptiæ* qualiter benedicendæ, *c.* 106. *n.* 10. An etiam infidelium conversorum, vel hæreticorum, *n.* 15.

O.

# O.


*Occidens* hominem volens occidere feram ad quid obligetur, *caſ.* 37. *num.* 12. Occidens injuſtè, vulnerans, mutilans &c. ad quid teneatur, *caſ.* 42. *num.* 7. *& 8.* An etiam reſarcire damna ſubſequentia? quibus, *num.* 9. Quid ſi occiſus ante mortem omnia remiſerit, *num.* 10. Vel uxor occiſi non fuerit damnificata, *num.* 11. Vel occiſus liberè in pugnam conſenſit, *num.* 13. Se defendit, ſed moderamen exceſſit, *num.* 14. Afficitur publico ſupplicio, an per hoc omnia remittantur, *num.* 12. Quid ſi aliquis occidat alium paulò pòſt moriturum, *num.* 16. *Occidens ſeipſum* qualiter peccet, *caſ.* 33. *num.* 1. *& 2.* Se exponens probabili vitæ periculo, *num.* 3. Renuens media neceſſaria, *num.* 4. Amore Martyrii ſe Tyranno offerens, *num.* 5. Peſte infectis ſerviens, *num.* 6. Tempore incendii ſe præcipitans, *num.* 7. Turrim hoſtilem incendens cum morte propria, *num.* 8. Se ipſum Judici ſiſtens, *num.* 9. Laqueum ſibi injiciens, & ut citiùs ſuffocetur, jejunans, *num.* 10. Quid de occiſione innocentis, ubi an liceat expellere fœtum pro conſervatione matris, *num.* 11. *& ſeqq.*

*Odium* erga Deum quid? abominationis, inimicitiæ, quale peccatum, *c.* 16. *n.* 2. Erga proximum, *num.* 9.

*Officia* ſæcularia an vendi poſſint, vel aliquid accipi, ut unus præferatur, *caſ.* 28. *num.* 5. An dari poſſint cognatis, *num.* 6.

*Opinio* quid ſit, *caſ.* 3. *num.* 1. Probabilis in-& extrinſecè, quoad ſe, quoad nos, certò, probabiliter, dubiè, tenuiter talis, improbabilis, *nu.* 2. An ideò probabilis, quia ab uno Authore docetur, *num.* 3 Quænam dicatur æquè probabilis, quæ probabilior, *num.* 4. Quæ tutior, *num.* 5. An ſequi liceat tenuiter, dubiè, vel probabiliter probabilem, *num.* 6. Quid, quando agitur de valore Sacramenti, vel circa conditionem ab Eccleſia ſupplebilem, *nu.* 7. Probabilem an ſequi liceat in quæſtione de honeſtate actionis, *num.* 11. An cenſuratam à Summo Pontifice, *nu.* 18. An alienam, quam judico tantùm eſſe probabilem, *num.* 19. An & juxta illam ſuadere, *num.* 21. An hanc, & illam oppoſitam ſequi, *nu.* 22. An minùs probabili ſe accommodare liceat, ſi Superior contrarium præcipiat. *num.* 20.

*Ordinationis titulus.* V. *Simonia.*

*Ordo* prout eſt Sacramentum quid ſit, *caſ.* 103. *num.* 7. Quotuplex, *num.* 8. Quæ ejus materia, *num.* 9. Quis Miniſter, *num.* 10. Ordinarius, *num.* 11. Subjectum, *num.* 12. Quæ ætas requiratur, *num.* 13. Qualiter ſervanda interſtitia, *num.* 14. Actum Ordinis exercens in ſtatu disgratiæ qualiter peccet, *c.* 88. *n.* 20.

*Oſcula*, amplexus turpes, an ſemper ſint peccata gravia, *c.* 11, *n.* 18.

# P.

*Pactum* implicitum cum Diabolo quando intercurrat, *c. 65. n. 4.*
*Palpo* quis dicatur, *c. 38. n. 12.*
*Parochus* qualem scientiam habere debeat, *cas. 1. nu. 10.* Excommunicatus an administrare possit Sacramenta, *cas. 20. num. 13.* Promulgans jejunium, quando non est, an peccet, *c. 1. num. 10.* An suos in aliena Diœcesi possit absolvere, vel alienos in sua Parochia, *cas. 99. num. 26 Alia vide suis locis.*
*Participans* ex injusta damnificatione ad quid teneatur, *c. 38. n. 14.*
*Patrini.* V. *Baptismus. Confirmatio. Cognatio.*
*Patronus* beneficii quot menses habeat pro præsentatione, *cas. 77. num. 7.* Quid si præsentet indignum, *nu. 6.* V. *Beneficium. Ecclesia. Jus Patronatus.*
*Pauper.* V. *Charitas. Eleemosyna. Medicus.*
*Paupertas Religiosa.* V. *Religiosus.*
*Peccata* quænam directè, quænam indirectè dicantur remitti, *cas. 97. num. 6.* Dubia an sint confitenda, *num. 21.* Omissa, an æqualiter repetenda, *num. 35.* Capitalia quænam, *c. 11. n. 1.*
*Peccatum* quid, *cas. 7. num. 1.* Originale, personale, commissionis, omissionis, actuale, habituale, mortale, veniale &c. *num. 2.* Specifica ejus distinctio unde, *num. 3.* Numerica, *cas. 8. num. 1.* Unum sæpè plures habet malitias, *num. 9.* Ad peccatum internum processus practicus, *cas. 9 num. 1.* Mortale ex genere suo, & per accidens tale, *cas. 10. num. 1.* Tale ex genere suo quando fiat veniale, *num. 2.* Veniale an per se fieri possit mortale, *num. 3.* Quomodo per accidens, *num. 4. Peccati periculum*, vel occasio quid, *cas. 98. num. 18.* Quæ proxima, quæ remota, qualiter utraque fugienda, *ibid.* V. *Confessarius. Peccato cooperari* an & quomodo liceat, *cas. 20. num. 2.* An remotè, *num. 9.* Quid circa propositionem in hac materia damnatam, *Famulus* &c. *num. 3.* Quid de scribente, vel deferente literas amatorias, aut ad duellum sollicitantes, *num. 7.* Quid circa munera ad eundem finem, *num. 8.* Quid de famula ornante, vel comitante dominam fornicaturam, *nu. 11.* Quid de caupone recipiente fures, meretrices, Hæreticis die prohibito carnes apponente, *num. 14.* De eo, qui arma ministrat apud Turcas &c. *num. 15.* Mutante pecunias usurario, vel gerenti bellum injustum, *num. 17.* An sit cooperari peccato, illud permittere, ut deprehensus corrigatur, *cas. 19. num. 9.* Ad veniale inducens quomodo peccet, *num. 10* Ad peccatum inducens ad quid obligetur, *c. 42. n. 4.*
*Peculium* an concedi possit Religioso, *c. 25. n. 16.*
*Perplexus.* V. *Conscientia perplexa.*
*Personarum acceptio.* V. *Justitia distributiva.*
*Pignus* quid, *c. 60. n. 9.* Ejus effectus, *n. 10 11.* Ad quem spectet ejus periculum, expensæ, fructus, *n. 12.*
*Pœnitentia* prout est virtus: quid? quale ejus objectum, *c. 96. nu. 1.* Qualiter necessaria necessitate medii, *n. 3.* Præcepti, quando, *nu. 4.* Prout est Sacra-

mentum, quid, *n.* 2. Quando necessaria, *n.* 5. Qualis requiratur dolor, *n.* 6. Quænam materia proxima? quæ remota, *c.* 97. *n.* 1. An etiam peccata ante Baptismum commissa? mortalia semel confessa, *n.* 2. Quæ Sacramenti Pœnitentiæ forma, *c.* 98. *nu.* 1. Essentialis, *n.* 2. Quid de precibus adjunctis, *n.* 1. Quis formæ sensus, *n.* 3 An debeat esse absoluta, *n.* 4. An repeti in eadem Confessione, *n.* 5. Quis Minister Pœnitentiæ, *n.* 10. Quæ in eo requirantur, *n.* 11. Quæ ejus officia, *ibid.* Quæ scientia requiratur, *num.* 12. V. *Absolutio. Contritio. Confessarius. Confessio. Dolor. Satisfactio.*

*Pollutio* an aliquando licita, *c.* 11. *nu.* 9. Quid si per accidens sequatur, *nu.* 10. 11. Quid de exorta in somno, *n.* 12. An de ea sic secuta delectari liceat, *ibid.* Quando adjunctas habeat alias specie malitias, *n.* 13. Quid circa consuetudinem in hac materia, *c.* 98. *num.* 20. & 21.

*Possessio* quid, *c.* 23. *n.* 23. V. *Præscriptio.*

*Possessor* dubiæ fidei ad quid teneatur, *cas.* 40. *n.* 2. Quid si bonæ fidei dubium superveniat, *nu.* 4. Quid si sit in mala fide respectu unius, non tamen veri domini, *n.* 5. Malæ fidei ad quid obligetur, *n.* 6. Quid si tuus antecessor talis sit, *n.* 8. Ad quid teneatur in casu fortuito, *n.* 16. In quo valore ab eo restituenda, *n.* 10. *& seqq.* Quid si dubitet, quo valore dominus rem suam erat distracturus, *n.* 14. Ad quos fructus, *c.* 41. *n.* 14. An etiam ad industriales, *n.* 13. Quas expensas, *n.* 15. Quid si res intrinsecè meliorata, *n.* 20. Quid si non percepit fructus, & dubitat, an dominus erat percepturus, *n.* 23. *Bonæ fidei* ad quid teneatur, *c.* 41. *num.* 1. quid si suâ culpâ rem neglexit, consumpsit, non consumpturus si sciret esse alienam, *n.* 2. quid si miscuit rei suæ, *n.* 3. In proprio, & alieno agro frumenta seminavit, *n.* 4. Pecunias à fure suis mixtas dono accepit, *n.* 5. Titulo gratuito rem accepit, eámque vendit, *n.* 6. quid si titulus non sit lucrativus, *n.* 7. Pretium sit furtivum, *n.* 8. Atterat vestem alienam, *n.* 9. Ad quos fructus obligetur, *n.* 11. An ad mixtos, *n.* 12. Consumptos à tempore motæ litis, *ibid.* Expensas, *n.* 14. *& n.* 22. Fructus neglectos, *n.* 19. Rem malâ fide, fructus bonâ fide retinuit, *n* 21. V. *Emptor. Venditor. Restitutio.*

*Postulatio* quid? an Superior eam teneatur admittere, *c.* 81. *n.* 1. In eam an postulatus possit consentire, *n.* 2. An revocari à Capitulo, *nu.* 3. Postulari quinam possint, *n.* 5. quot vota requirantur, *n.* 6. quid de postulatione non solemni, *n.* 4. Indigni, *n.* 7. Postulationis literæ, *n.* 8. Eam quis possit admittere, *num.* 9. Postulationis modus, *num.* 20.

*Prælatus* quid possit sinè consensu Capituli, *c.* 26. *n.* 6. 7. V. *Abbas. Libri prohibiti. Regularium Superiores* &c.

*Præmonstratenses* necdum Subdiaconi an obligentur ad Horas, *c.* 72. *n.* 2. An capaces sint beneficiorum sæcularium, *c.* 76. *n.* 6. An ex eis revocari possint sinè consensu Episcopi, *ibid.* An participent cum Mendicantibus in privilegiis, *c.* 71. *n.* 5.

*Præscriptio* quid? an valeat pro foro interno, *c.* 23. *n.* 1. An sub eam cadant res

res sacræ, *n.* 4. Communes, & publicæ, *num.* 5. Furtivæ, vel immobiles vi possessæ, *n.* 6. Res vel actus meræ facultatis, *n.* 7. & 8 An valeat contra visitationem, vel obedientiam, *n.* 9. Qualiter requirat bonam fidem, *num.* 10. Quid de eo, qui incipit dubitare, *num.* 11. Quid in dubio, *n.* 12. Quid si prior possessor bonâ fide possedit, tu incipias dubitare, *n.* 13. An bonæ fidei obstet ignorantia juris, *n.* 16. Bona fides antecessoris qualiter prosit, *n.* 17. Qualiter noceat mala, *n.* 18. An etiam possessori mediato, *num.* 19. Prælato, vel successori in beneficio, *n.* 20. Præscriptionis titulus quid, *n.* 21. Qualis requiratur, *n.* 22. Qualis possessio, *num.* 23. Quamdiu continuata, *n.* 24. Quid hìc circa res immobiles, *n.* 25. Vel jura Ecclesiarum, *n.* 26. Ubi specialiter de Mendicantibus, & Cistercienfibus, *ibid.* Quando requiratur possessio immemorialis, *n.* 27. An etiam circa bona Fisco incorporata, *n.* 28. Quando dormiat, *n.* 30. Quando interrumpatur? naturaliter vel civiliter, *n.* 31. inter hanc interruptionē differētia, *n.* 32.

*Præsentatio* intrà quod tempus fieri debeat, *c.* 78. *n.* 5. Quid si præsentetur extraneus pro beneficio familiæ, *n.* 6. Quid si spectet ad plures, *n.* 7. 8. In præsentando quid requiratur, *nu.* 9.

*Præsumptio* spei oppositā quid? quale peccatum, *c.* 15. *n.* 9. An sit, si quis ideò peccet, quia confidit, æquè plura peccata remittenda, quàm unum, *n.* 11.

*Precarium* quid? in quo distinguatur à commodato, *c.* 53. *n.* 4.

*Preces* Imperatoriæ quid, *c.* 84. *n.* 24. Earū effectus, *n.* 26. Quid si Ordinarius eis deferre nolit, *num.* 25. Quando locum habeant, quando non, *n.* 27.

*Proclamationes.* V. *Matrimonium.*

*Professio* religiosa quid? & quæ requirantur ad ejus valorem, *c.* 63. *num.* 11. & 12. Ejus effectus, *nu.* 13. Invalida an debeat revalidari, *n.* 14. An reclamari possit evoluto quinquennio, *num* 15. Quid si sit invalida, sed in foro externo probari non possit, *nu.* 16. Quid si sit nulla defectu consensûs, *n.* 17.

*Professus.* V. *Religiosus.*

*Promissio* quid, *c.* 51. *n.* 1. Qualiter obliget, *n.* 2. Ejus materia, *n.* 3. Quid si non acceptata, *n.* 4. Absenti facta an revocari possit, *n.* 5. & 6. Acceptatæ obligatio quando cesset, *n.* 7. Quid si res promissa in individuo perierit, *n.* 8. Aut promissa pluribus, *n.* 9. Jurata sub conditione turpi, *c.* 67. *n.* 18.

*Promissio Matrimonii.* V. *Sponsalia.*

*Proximum* odisse quale peccatum, *c.* 16. *n.* 9. Ei malum inefficaciter velle, *nu.* 10. Mortem optare ad evitandum damnum grave in re jam possessâ, *nu* 11. Qualiter succurrendum in necessitate spirituali, *n.* 12. V. *Charitas. Correctio fraterna. Eleemosyna.*

*Puella* dubitans, an ab adolescente turpiter ametur, an eundem ad alloquium admittere possit, *cas.* 20 *n.* 4 Quid si adhibeat ornatum de se scandalosum, *num.* 6.

*Pupillus* vel minorennis per contractum læsus quid faciet, *c.* 50. *num.* 8. & 9. *Alia* V. *suis locis.*

## Q.

*Quæstor* Regis non potens solvere omnibus, an possit aliquid accipere, ut huic potiùs solvat quàm alteri, vel sibi vendat vili pretio, *c.* 55. *nu.* 18.

18. Quid si ludat, si ambiat pecuniis domini sui, an fiat dominus lucri, *cas.* 57. *n.* 9.

# R.

*Raptus.* V. *Furtum. Matrimonium.*
*Regulares* an sint capaces beneficiorum sæcularium, *c.* 76. *n.* 6. An sinè consensu Episcopi revocari possint, *n.* 7. Eorum Superiores quid possint circa vota. V. *Votum.* Quando simoniam admittant in suorum susceptione? Item an eorum Officia sint materia simoniæ, V. *Simonia.*

*Regulæ* Cancellariæ quid? quid circa eas notandum, *c.* 84. *n.* 9. quid circa regulam de viginti, *c.* 86. *n.* 12. V. *Beneficii Resignatio.*

*Religio* prout est virtus quid, *c.* 65. *nu.* 1. quæ vitia ei opponantur, *n.* 3. *Superstitio* &c. V. *Singula suis locis.* Prout est status, quid, *c.* 63. *n.* 1. Ad eam quinam possint recipi, qui prohibeantur, *n.* 2. Ab ea aliquem abducens ad quid teneatur, *c.* 42. *n.* 5.

*Religiosus* ad quid obligetur voto paupertatis? an etiam Prælati? invalidè professi, *c.* 25. *n.* 1. An sit dominus famæ, honoris, rerum spiritualium, *num.* 2. An peccet habens licentiam pro expendendis superfluis, & illicitis, *n.* 3. Qualis licentia requiratur, *n.* 4. An sufficiat præsumpta, *n.* 5 Dolo vel metu obtenta, *n* 8. Data à Superiore inferiori contra legem Superioris, *n.* 9. Quæ hìc materia gravis, *n.* 6 An peccet, si sibi complaceat in divitiis, *n.* 7. Manufacta, vel scripta donet, *n.* 10. Res aliquas occultet, *n.* 11. Multa modica accipiat, *n.* 12. Ad alium usum convertat, aut alteri concedat, *nu* 13. Quid si aliquid acceptet cum animo dandi pauperibus, vel lectâ Missâ donetur amico stipendium, *n.* 14. Pecuniam deponat apud tertium, *n* 15. Habeat peculium, *n.* 16. Cui acquirat, *c.* 26. *n.* 1. An etiam licitè beneficium sinè licentia Superiorum, *n.* 2. Quid si ei obveniat hæreditas, vel legatum, *nu.* 3. An ipso inscio aditi possit à monasterio, *n* 4. Ex Religiosi contractu qualiter obligetur monasterium, *n.* 5. Ad quid obligetur vi Professionis, *c.* 64. *n.* 1. Professus an ad alium Ordinem transire possit, *c.* 63. *n.* 18. Qualiter teneatur obedire Superiori Reformationem introducere volenti, *c.* 64. *nn.* 2. Qualiter obligetur ad servandas regulas, & statuta, item perfectionem, *n* 3. Sinè causa deserens monasterium quando dicatur fugitivus, vel apostata? quid in Ordine Præmonstratensi, *n.* 15. Quid si habitum celet, *nu.* 16. Professus an expelli possit, *nu* 14. Comedens carnes in Natali Domini incidente in Feriam sextam, vel Quadragesimâ Episcopo dispensante, attamen contra statuta Ordinis non obligantia sub peccato, an peccet, *c.* 69. *n.* 5.

*Res aptæ præscribi.* V. *Præscriptio.*

*Res derelictæ* quæ? ad quem spectent, *c.* 22. *n.* 14.

*Reservatio* quid sit, *c.* 99. *nu.* 7. An extendatur ad peccata merè interna, *nn.* 8. Quid in dubio: an aliquid sit reservatum, *n.* 9. Vel ignoratur reservatio annexa: an se extendat ad peccatum, quod oblitus es confiteri habenti potestatem, *nu.* 11. An etiam liget extra Diœcesin reservantis, *nu.* 18. V. *Casus reservati.*

*Residentia* quid, vera, ficta, *c. 87. n. 1.* Ad eam qualiter obligentur Episcopi, *n. 2.* Abbates, *nu. 3.* Parochi, aliique curati, *n. 4.* Quid hìc possit consuetudo, *n 5.* Licentia præsumpta, *nu. 6.* Causa studiorum, *n. 7.* Quo loco servanda, *n. 8.* Quid si Parochus curam gerat per alios, *n. 9.* An ad eam obligetur habens beneficium simplex, *nu. 10.* Ab eâ quæ causæ excusent, *n. 11.*

*Resignatio.* Vid. *Beneficium.*

*Restitutio* quid, *cas. 37. nu. 1.* Ejus radices, *n. 2.* Ad eam quando obligetur damnificator injustus, *n. 3.* Ex qua culpâ? quid si damnum non est secutum, *n. 4.* Vel est leve, grave, *nu. 5.* Aut saltem plenè voluntariè illatum, *n. 6.* Quæ culpa in contractu, vel officio admissa, *n. 8.* Quid si adsit sola culpa juridica, *n. 9.* Qualiter obligetur damnificans indirectè, *n. 10.* Quomodo damnum debeat esse voluntarium, vel prævisum, *n. 11.* Quid si causa es, quod alteri imputetur, *n. 13.* Quid de re tuæ custodiæ commissâ, quæ pretiosior sit quàm tua, *nu. 14.* Quid si res commodata pereat sinè tuâ culpâ Theologicâ? Quid si sit mutuo accepta, *n. 16.* Qualiter obligetur damno cooperans, *c. 38. n. 1.* Mandans, *n. 2.* Quando hìc excusetur, *n. 3.* Ratihabens damnum jam factum, *n. 4.* Quid si ipse mandatarius damnum patiatur, *n. 5.* Ad quid obligetur consulens, *nu. 6.* Quid si consilium ipsi utenti sit nocivum, vel tertio, *n. 7.* Quid si volenti auferre 100. à Petro suadeas, ut tantùm auferat 50. vel volenti furari Petro majus suadeas, ut Paulo auferat minus, *n. 8.* Quid si metu mortis ostendas alienum thesaurum, *nu. 9.* Quid si exemplo tuo alium induxisti ad inferendum damnum, *n. 10.* Quid restituere debeat consentiens in damnum? Quid si plures mutuo consilio, suffragio, consensu, cooperatione damnum inferant, *n. 11.* Quid de damnificante negativè, *n. 15.* Quis *restitutionis ordo* inter damnificatores, *cas. 38. nu. 21.* Quid si causæ minus principales consumpserint vel participaverint ex re alienâ, vel unus solus totum restituat, mandans vel causa principalis sit dolo circumventa, aut debitum remittatur principali, *n. 22.* Quis restituere teneatur ex re acceptâ, *cas. 40. n. 1.* Qualiter restituendæ res metu incendii ejectæ, *nu. 15.* Quid de re acceptâ pro opere turpi, *n. 18.* Quid de re acceptâ pro re ex justitiâ debitâ, *n. 19.* *Cui res restituenda, cas. 45. n. 1.* Quid si dominus re est abusurus, *ibid.* Quid si dominus defunctus, *n. 2.* Quid si alteri debeatur rei alienæ possessio, *n. 3.* An furi restitui possit, *n. 4.* Quid de bonis incertis, *n. 6.* Quid si ipsemet sis verè pauper an tibi ipsi possis applicare, *n. 7.* Quid de bonis incertis ex contractu, inventione, *n. 8.* Quid si res data pauperibus, *n. 10.* Quid de rebus vacantibus, vel derelictis, *n. 11.* *Quo tempore* restituendum, *n. 12. & seqq.* Quo loco, *ibid.* Quid de debitore ex re acceptâ, *n. 16.* Quid de re per bajulum missâ in viâ pereunte, *n. 17.* Quid de debitore ex contractu, *n. 18.* Quis *ordo restitutionis inter creditores, cas. 46. n. 1.* Quid de funeralibus, *nu. 2.*

Bonis hypothecatis, *n.* 2. Quis ordo inter hypothecarios, *n.* 5. Merè personales, *n.* 7. Æquales, *nu.* 9. Quid circà res oppignoratas, *n.* 10. An debita ex delicto præferenda debitis ex contractu, *nu.* 6. *A restitutione quid excuset.* An probabile periculum animæ, vitæ, jactura libertatis, vel famæ, *cas.* 47. *n.* 1. Statûs, *n.* 2. Damnum majus ex parte debitoris, *n.* 3. Quid hoc casu de lucro cessante, si justè dilata restitutio, *n.* 4. An excuset remissio debitoris, *n.* 5. Quid si immemor debiti aliquid donâsti creditori, *n.* 6. Quid de solutione factâ creditoris creditori, *n.* 7. Quid de compositione Papali, *n.* 8. Cessione fori, *n.* 9. Ingressu in religionem, *n.* 12. *& seqq.* Quid si religionem ingrediens bona sua cedat creditoribus, cùm in sæculo manens habeat spem integrè solvendi, *n.* 18. Quid si jam sit professus, *n.* 20. Monasterium debitorem malâ fide suscepit, *n.* 21.

*Restitutio fructuum.* V. *Possessor.* V. *Ulteriùs Adulterium. Impediens. Occidens. Stuprum.*

*Reus* interrogatus, an negare possit crimen, *cas.* 62. *n.* 10. Citatus, an teneatur comparere, *ibid.* Quid si confiteatur, sed spe impunitatis, *nu.* 11. Vel ad evitanda tormenta fateatur crimen non commissum, *n.* 13. An prodere possit complices occultos, *n.* 12.

## S.

*Sacerdos.* V. *Eucharistia. Missa.*

*Sacramentum* quid, *cas.* 88. *n.* 1. Quotuplex, quot sint, *nu.* 3. Ejus materia & forma, *n.* 4. Eam an Ecclesia mutare possit, *n.* 13. An materia & forma ab eodem ministro applicanda, *n.* 5. Quomodo coexistere debeant *n.* 6. Quid de materiâ, aut formâ dubiâ, vel probabili, *nu.* 7. Quid de earum mutatione, *n.* 8. 9, Transpositione, subtractione, additione, *n.* 10. Mutatione linguæ in linguam, interruptione, *n.* 11. Quid si sit voluntariè facta, quale peccatum, *n.* 12.

*Sacramenti minister*, quis, *n.* 14. Quæ requiratur intentio, & quid in dubio, an hæc adfuerit, *nu.* 15. Quid si vel habeat intentiones oppositas, *nu.* 16. Conditionatas, *n.* 17. Quid si sit distractus, *n.* 18. In statu disgratiæ, *n.* 19. Quid faciet tempore pestis, *n.* 21. *& seqq.* Quid sub incursu hostium, *nuu.* 24. Sacramentum ab excommunicato, an petere liceat, *nn.* 25. A peccatore, *n.* 26. Peccatori ministrare, an liceat, *n.* 31. Quid si sit peccator publicus, *n.* 34. Et in articulo mortis petat, *n.* 37. Aut crimen non sit omnibus notum, *n.* 35. Vel est emendatus, aut saltem dubium de emendatione, *n.* 36. Quid si publicè petat, *n.* 39. Aut solùm sciatur ex confessione, & occultè petat, *n.* 38. In suscipiente quæ requiratur dispositio, *n.* 27. Intentio, *n.* 28. An dare liceat Sacramentum inhabili, vel simulari, *n.* 29. Quid hoc casu de Matrimonio, *nu.* 30. Sacramentorum, & Sacramentalium effectus, *n.* 40.

*Sacramentum Baptismi.* V. *Baptismus.* Idem cum proportione de aliis Sacramentis. V. *Suis locis.*

*Sacri-*

*Sacrificium* Missæ. Vid. *Eucharistia. Missa. Sacerdos.*

*Sacrilegium* quid sit, *cas.* 65. *num.* 4. In materiâ luxuriæ, quandonam committatur, *cas.* 11. *num.* 8. Sacrilegè personam opprimens, quoties peccet, *cas.* 7. *nu.* 6. V. *Furtum. Luxuria.*

*Sancti*, eorumque Reliquiæ, imagines &c. an honorari possint, *cas.* 65. *nu.* 2. Quinam publicè colendi, *n.* 6.

*Satisfactio* sacramentalis quid, *cas.* 101. *num.* 1. An semper imponenda, *num.* 2. An imponi possint opera aliàs debita, *num.* 1. An publica, perpetua, improportionata *num.* 3. An eam debeat pœnitens acceptare; quid si omittat, *n.* 4. Per alium persolvat; vel per se absque reflexione tamen ad Sacramentum, *n.* 5. Diu differat, non impleat die statuto, *num.* 6. Obliviscatur, *num.* 7. Mutet, vel mutari faciat ab alio Confessario, *num.* 8.

*Scandalum* quid sit, activum, passivum, datum, acceptum, *cas.* 19. *nu.* 1. Directum, indirectum, *n.* 2. Quale peccatum committat scandalizans directè, *num.* 3. Quale si indirectè tantùm, an omnem malitiam contrahat, cujus occasionem dedit, *n.* 4. Scandalizans plures quoties peccet, *cas.* 8. *n.* 4. Quid de histrionibus, aut aliis coràm multitudine turpia loquentibus, pingentibus imagines obscœnas, *n.* 5. Componentibus, vel exhibentibus comœdias turpes, *n.* 6. An exprimendum in confessione, si alium tuo exemplo induxisti ad peccatum, *nu.* 6. An liceat parato ad majus malum suadere minus, *num.* 7. Quid in materiâ justitiæ, *n.* 8. An permitti possit peccatum, ut sic deprehensus corrigatur, *n.* 9. An etiam liceat subornare qui tentet, *num.* 10. Ad scandalum evitandum, quæ actiones omittendæ, *cas.* 20. *nu.* 1. An etiam præceptæ, *ibid.* Vid. *Peccato cooperari.*

*Scrupulus* quid sit: & quæ ejus radices, *cas.* 4. *num.* 2. Scrupulorum signa, contrà eos remedia, *ibid.*

*Scrutinium.* V. *Electio.*

*Secretum* aliud est naturale, aliud sacramentale, commissum, promissum, *cas.* 36 *nu.* 19. Ad naturale quinam per se obligentur, *ibid.* Quid si grave malum communitati immineret, *n.* 20. Quid de apertione litterarum, *n.* 21. Secretum per fraudem acceptum, an revelari possit, *nu.* 22. V. *Sigillum.*

*Sententia probabilis.* V. *Opinio.*

*Sententiam ferre.* V. *Judex.*

*Sepultura* V. *Simonia.*

*Servitutes.* Quid, qualiter præscribantur, *cas.* 23. *num.* 14.

*Servorum vota.* V. *Irritatio.*

*Sigillum* sacramentale quid, *cas.* 100. *n.* 1. Qualiter obliget, *ibid.* Quem, an etiam confessarium fictum, *num.* 2. Ejus obligatio: unde, *nu.* 3. Qualem habeat malitiam ejus violatio, *num.* 4. An aliquando licitè infringi possit, *nu.* 5. quid si in genere dicat: se in confessione hæc, vel illa crimina audivisse, *num.* 6. Titium proditorem publicum sibi proditionem confessum, *n.* 7. Quid si aliunde habeat notitiam peccati, *ibid.* Quid si dicat: pœnitentem esse spurium &c. *nu.* 8. Se ei gravem pœnitentiam injunxisse, *n.* 9. Quid si unus complex fateatur, alter neget crimen, *n.* 10. An scientiâ illâ uti liceat

liceat circà personam pœnitentis, *n.* 12. An circà personam propriam, vel res suas, *n.* 11. & 13. Quid si Confessarius sollicitatur ad turpia, *num.* 14.

*Simonia* quid, *cas.* 66. *n.* 1. Quid si res spiritualis datur pro spirituali, *nu.* 2. Temporalis pro spirituali materialiter spectatâ, *num.* 3. Quando intercurrat pactum in - vel explicitum, *num.* 4. Quænam Juris divini, vel humani, *n.* 5. Mentalis, conventionalis, *nu.* 6. Realis, confidentialis, *n.* 7. An sit, si pro ingressu vel receptione in religionem aliquid accipiatur, vel exigatur, an sit juris Ecclesiastici, vel Divini, quid si aliquis alatur in studiis, ab Abbate, ut monasterium ingrediatur, vel victum solvat, quid circa apparatus conviviorum, sumptus &c. in admissione regularium, *n.* 8. Pro doctione vel magisterio aliquid exigere, *n.* 9. Pro Sacramentorum administratione, *n.* 10. Actu virtutis, *n.* 11. Potestate absolvendi, excommunicandi, dispensationibus, *ibid.* Quid si indignus absolvatur propter lucrum temporale, *nu.* 12. Quid de consecratione templi, campanarum, collatione Ss. Ordinum &c. intuitu examinis ad Parochiam; sententiæ ferendæ in causâ Ecclesiasticâ, *num.* 13. Visitationis Ecclesiasticæ, *n.* 14. Sepulturam in loco sacro vendere, *n.* 15. Quid de jure patronatûs, *n.* 16. An materia simoniæ sint officia regularium, *n.* 17. Permutatio beneficii facta authoritate propriâ, *n.* 18. An si detur pecunia alteri, ut impetret beneficium scribendo, recommendando &c. *n.* 19. Dare beneficium alteri, ut se honestè sustentare possit, *n.* 20. A collatore suscipere mutuum, ut tibi cogatur dare beneficium, *nu.* 21. Quid de aliis casibus particularibus, *n.* 22. & *seqq.* Quid si detur, ut moveatur ad dandum beneficium, vel votum in electione. *n.* 25. Quid circà emptionem tituli ordinationis, *n.* 30. Beneficii à patrono, *n.* 29. An à simonia excusare possit consuetudo, *nu.* 31. Quid de redemptione vexæ regula prima, *n.* 32. Secunda, *n.* 33. Tertia, *n.* 34. Simoniacorum pœnæ, *nu.* 35. Ab iis quis possit absolvere, *n.* 37. Quid si à tertio sit commissa, *num.* 36. Res simoniacè accepta, an & qualiter restituenda, *nu.* 38.

*Societas* quid? ut sit justa, quæ conditiones, *c.* 60. *n.* 1.

*Sodomia* perfecta, imperfecta, quid, *cas.* 11. *n.* 14.

*Specificatio* quid, quomodo per eam acquiratur dominium, *cas.* 22. *nn.* 21.

*Spes* quid sit, *c.* 15. *n.* 1. Ejus objectum, *n.* 2. Qualiter sit necessaria, *n.* 4. Contra spem, an peccet optans perpetuò frui terrenis, *n.* 11. V. *Desperatio. Præsumptio.*

*Sponsalia* quid, *cas.* 104. An debeant esse necessariò mutua, *n.* 2. Deliberata, *nu.* 3. Libera, *n.* 4. Absoluta, *n.* 5. Personarum certarum, *n.* 6. Habilium, *n.* 7. An exteriùs manifestata, *n.* 8 Quid si contrahantur ex errore, & metu levi, & an hoc casu inducant honestatem publicam, *n.* 4. Quid de verbis dubiis *n.* 8. An ad valorem requiratur consensus parentum, *n.* 9. Sponsalia qualiter obligent, *n.* 10. An dissolvantur mutuo consensu, *n.* 11. An etiam impube-

puberum, *num.* 12. Quid si unus recedat, & quando quis dicatur recedere, *n.* 13. Quid si matrimonium injustè differat, *num.* 14. Profiteatur religionem, *n.* 15. Vel ingrediatur tantum, *n.* 16. Suscipiat majores Ordines, *nu.* 17. Vel Minores, *n.* 18 Post sponsalia emittat votum castitatis, *n.* 19. Vel init cum aliâ sponsalia, eámq; imprægnat, *num.* 20. An dissolvantur per matrimonium illicitum, *num.* 21. Propter fornicationem, tactus turpes &c. *nu.* 22. An, & quomodo si superveniat mutatio, *n.* 23. Quando hæc sit notabilis: ex parte animi, *n.* 24. Corporis, *n.* 25. In bonis fortunæ, *n.* 26. Quid si parentes contradicant, *n.* 27. Vel post sponsalia supervenit insperata fortuna, *n.* 28. An propter ignorata signa nobilitatis, vel defloration em pariter ignoratam, *num.* 29. An per superveniens vel detectum impedimentum dirimens matrim. *nu.* 30. Quid si sint jurata, *n.* 31. Quæ causa sufficiens recedendi, *nu.* 32. Quid si absque tali causâ recedatur, *n.* 33. An licitè ab eo contrahi possint, qui laborat defectu occulto, *n.* 34. Vel non est virgo, aut ab adultero defl orata, *nu.* 35. Sub conditione impossibili facta an sint valida, *caſ.* 105. *num.* 18. Qualiter inducant impedimentum publicæ honestatis. Vid. *Matrimonium.* Sponsalia ex metu v. g. nè domo ejiciatur, inita an sint valida, *caſ.* 49. *num.* 16. Jurata hodie facta Titiæ, cras Gajæ, quæ obligent, *caſ.* 67. *num.* 19.

*Sponsio* quid, *caſ.* 59. *num.* 1. Ut sit licita, quæ conditiones, *num.* 9.

*Status patria.* V. *Tributum.*

*Stuprum* quid sit, *caſ.* 11. *num.* 5. Stuprum patiens qualiter teneatur resistere, *caſ.* 11. *num.* 5. Pro stupro vel defloratione, quid restituendum, *c.* 43. *num.* 1. V. *Deflorator.*

*Suadere malum.* Vid. *Scandalum, Restitutio.*

*Subditi.* Vid. *Lex.*

*Subsidium* charitativum quid sit? *caſ.* 27. *num.* 8.

*Superbia* quid? quæ ejus filiæ? *caſ.* 11. *num.* 1.

*Superior* an votum proprium irritare possit, *caſ.* 70. *num.* 10. *Alia vide suis locis.*

*Superstitio* quid? *caſ.* 65 *n.* 3. De pacto implicito intervenire solito regula generalis, *n.* 4. An sit, si futura prædicantur ex signis, *n.* 8. Vel exerceantur cæremoniæ veteris Testamenti, *nu.* 7. Quæ signa dicantur improportionata ad aliquem effectum, *nu.* 9. Quid de eo, qui non vult assidere mensæ ob numerum tredecim commensalium, *nu.* 10. Quid de formandis crucibus, orationibus, &c. regula generalis, *n.* 11. Quid in dubio an hæc, vel illa res habeat hanc vim naturalem, *num.* 12. Quid in necessitate, *n.* 13.

*Surrogatio* in beneficium. V. *Beneficium.*

*Suspensio* quid? *c.* 116. *n.* 1. Totalis, partialis, à beneficio, officio &c. *n.* 2. An suspenso competant fructus beneficii, vel ministrare possit in officio, *n.* 3. Suspensus in unâ Diœcesi an sit similiter suspensus in aliâ, *n.* 4. Quæ causæ, ob quam incurratur, *nu.* 5. Ab eâ an absolvere possint Regulares, *n.* 5.

*Suspicio* quid sit? temeraria, *c.* 36. *n.* 2. Quale peccatum, *n.* 3.

*Susurratio* quid? quale peccatum? *cas.* 16. *nu.* 17.
*Sylvæ* pascua &c. ad quem spectent, *c.* 22. *nu.* 13.

# T.

*Tactus* impudici an semper peccata gravia, *c.* 11. *n.* 17.
*Tentatio* Dei, quid sit? formalis, explicita &c. *c.* 65. *n.* 16.
*Testamentum* quid? *c.* 61. *n.* 1. Aliquando vocatur legatum, fidei-commissum, codicillus, solemne, non solemne, *nu.* 2. Privilegiatum, non privilegiatum, *n.* 3. Patris inter filios, *n.* 4. Parentum, quo uni filio plus relinquunt quam aliis, an sit licitum, *n.* 15. An testamentum ex naturâ suâ sit revocabile, *n.* 5. Ad causas profanas an validum sit sine solemnitatibus, *num.* 6. Quid de testamento conditionato, *n.* 7. 8. 9. Quid circa testamenta Novitiorum, *nu.* 18.
*Testari* falsum aut alium ad hoc inducere an liceat, *c.* 62. *n.* 9.
*Testium* obligationes, *c.* 62. *n.* 8.
*Thesaurus* quid sit, *c.* 22. *n.* 15. Repertus in fundo proprio ad quem spectet, *n.* 16. Quid si casu inventus, *n.* 18. Quid si dominium fundi directum est penes unum, indirectum penes alium, *n.* 17.
*Titulus.* V. *Præscriptio. Usura.*
*Titulus* coloratus circà jurisdictionem confessarii quid possit, *c.* 99. *n.* 5.
*Tituli revalidatio.* V. *Beneficii possessio.*
*Tributum* quid sit, *c.* 27. *num.* 1. Ut sit justum, quæ conditiones, *n.* 2. 3. & *seq.* An etiam Clericis possit imponi, *n.* 5. Non solventes an teneantur ad restitutionem, *num.* 6. & 7. An excusentur pauperes, *num.* 11. Ut licitè exscribatur, debet probabilius esse, quod sit justum, *num.* 9. An tributum injustum licitè approbari possit à statibus patriæ, vel an hi se absentare possint, nè cogantur subscribere, *ibid.* Tributorum executores quid præsumere possint, *num.* 10.
*Tutius* quid dicatur, *cas.* 1. *num.* 4.

# U.

*Ultima voluntas* quid? *cas.* 61. *nu.* 1.
*Unctio extrema* quid? *cas.* 103. *nu.* 1. Ejus materia remota, *nu.* 2. Proxima, *num.* 3. Minister, *nu.* 4. Subjectum, *num.* 5. An sit reiterabilis, *num.* 6.
*Usura* quid? *cas.* 54. *num.* 7. Realis, mentalis, *nu.* 8. Ex solâ gratitudine aliquid sperare, vel accipere, *nu.* 10. An excusetur justus titulus, *num.* 11. Periculum amittendæ sortis, *num.* 10. Lucrum cessans, *nu.* 12. Pœna conventionalis, *nu.* 13. An quia pecunia præsens pretiosior est futurâ, *num.* 15. An quia mutuans se obligat ad non repetendam sortem, *num.* 16. Quid si velit implicitè inire contractum sponsionis, *num.* 18. Censûs, *num.* 19. An sit usura, emere rem infrà condignum ob anticipatam solutionem, *num.* 23. Vel cariùs vendere ob dilatam, *num.* 8. Fundum ad creditum, reservatâ pensione, *num.* 24. Chyrographum continens mille, redimere pro quingentis, *n.* 25. Debitum liquidū, 100 pro 90. *n.* 26. Aliquid exigere pro usu suæ pecuniæ, *n.* 27. Mutuo onus adji-

adjicere, *num.* 28. Usurarium contractum alteri cedere, *n.* 29. Usuræ an restituendæ? quis earum dominus, *n.* 30. An permitti possint, *n.* 31. Usurariorum pœnæ, *n.* 32. V. *Contractus. Montes pietatis. Mutuum* &c.

*Uxoris vota.* V. *Voti irritatio.*

*Uxoris bona.* V. *Conjugum bona.*

# V.

*Vagus* quis dicatur? *c.* 110. *n.* 10. V. *Matrimonium. Reliqua de vagis require suis locis.*

*Valor* rei crescere vel decrescere potest, *c.* 40. *n.* 9. Alius est intrinsecus, alius extrinsecus, *c.* 54. *num.* 2. V. *Mutuum. Possessor.*

*Venatio* an prohibita Clericis? *c.* 22. *n.* 6. An omnibus prohiberi possit à Principe, *n.* 7. Et casu quo prohibeatur, an Principi standum pro damno, *num.* 8. Quid de venantibus contra prohibitionem, *n.* 9. Quid si unus feram vulneravit, alter cepit, *n.* 10.

*Vendens* frumenta contra leges patriæ an teneatur satisfacere iis, qui propterea carius debent emere, *c.* 39. *n.* 7. Vendens nomine alieno, an titulo industriæ sibi aliquid retinere possit, *c.* 41. *n.* 24. Vendens rem alienam an fiat dominus pretii, *n.* 16. Quid de vendente rem alienam in via pereuntem, *n.* 17. Quid si juret, se non posse minoris vendere, *c.* 55. *n.* 17. V. *Usura. Venditio.*

*Venditio* quid? *c.* 55. *n.* 1. Venditoris obligationes, *n.* 5. Quo pretio res vendi debeat? quid de rebus raris, singularibus, *num.* 8. Quid si res duobus vendita, *num.* 11. Vel sit vitiosa, *num.* 10. Venditio debiti. V. *Quæstor.*

*Verbis* sacris abuti an sit peccatum? *c.* 65. *n.* 17.

*Viaticum.* V. *Eucharistia.*

*Votum* quid? *c.* 68. *n.* 1. Metu extortum, vel cum ignorantia, aut errore emissum, *n.* 2. B. V. vel alicui Sancto nuncupatum, *n.* 3. Circa materiam indifferentem; mortaliter, vel venialiter malam, *n.* 4. An, & qualiter debeat esse de bono meliori, *n.* 5. Ejus obligatio quando cesset, *c.* 67. *n.* 21. Vota realia, vel personalia quis solvere teneatur, *n.* 20. Votum simplex, solemne, reale, personale, mixtum, an, & quando transeat ad hæredes; pœnale quid? *c.* 68. *n.* 6. Quid in dubio: an voveris, *nu.* 7. An cum animo te obligandi, sufficienti advertentiâ, debitâ ætate, *n.* 8. An decem vel quinque imperiales dare voveris, an votum expleveris, vel explere possis, *nu.* 9. Quid si prævideas à te in ebrietate votum emittendum, *n.* 10. *Voti materia* quomodo debeat esse possibilis voventi, *n.* 11. Quid si una pars possibilis, alia impossibilis, *n.* 13. Vel vota sint secum invicem incompossibilia, *n.* 14. Quid si sit circa factum alienum, *nu.* 12. Ex fine malo, *n.* 15. In ordine ad consequendam rem illicitam, *n.* 16. De nunquam vovendo, *n.* 17. Non orando nisi flexis genibus, & similibus casibus, *n.* 18. Voti materia, quæ gravis, quæ levis, *c.* 69. *n.* 2. Circa votorum obligationem quinque regulæ generales, *c.* 69. *n.* 1. 2. & 6. Quando sit annexa diei, regula generalis, *c.* 69. *n.* 13. Si nullum tempus præfixum, quomodo per dilationem peccari possit, regula generalis,

lis, *c.* 69. *n.* 15. Quomodo extinguatur mutatione materiæ propter difficultatem, *c.* 70. *n.* 1. Periculum, impedimentum non prævisum, *n.* 2. Vel materia voti fiat pro aliquo tempore inepta, *n.* 3.

*Votum pœnale* qualiter obliget? *c.* 69. *n.* 19. An dispensari vel commutari possit, *c.* 71. *n.* 22.

*Voti irritatio* quid? *c.* 70. *n.* 4. Quinam possint irritare, *n.* 5. An etiam Superior Regularis, *n.* 6. Quinam? an etiam Abbatissæ, *n.* 7. Quid si sine causa fiat, *n.* 9. An Superior minor irritare possit votum cum licentia majoris emissum, *n.* 8. An Superior proprium irritare possit, *num.* 10. Quid de *votis prolium*, *n.* 11. Impuberum? post pubertatem complenda, *n.* 12. Minorennium, *n.* 13. Post pubertatem emissa, *num.* 14. Vel post eam commutata in opera personalia, *n.* 15. Implenda post subjectionem, *n.* 16. Quid circa *vota uxoris* possit maritus, *n.* 18. De voto non petendi debitum, *n.* 20. Vel aliquo ante Matrimonium emisso, *n.* 19. Quid si mutuo consensu castitatem voverint, *n.* 20. Quid de *votis servorum*, *ibid.* *Irritandi potestas* quo ordine veniat, *c.* 70. *n.* 17. quid in dubio, an votum sit irritabile, an sit confirmatum, an executio destinata in- vel extra subjectionem, *ibid.*

*Voti dispensatio* quid? *c.* 71. *num.* 1. quæ causæ ut fiat, *n.* 2. quid in dubio, an sit causa sufficiens, *n.* 3. Potestas dispensandi penes quem, *n.* 4. Quid possint Mendicantes & alii, *n.* 5. In quo quoad hoc cum Episcopis conveniant vel differant, *n.* 6.

*Voti commutatio* quid sit? *c.* 71. *n.* 16. Quis commutare possit, *n.* 17. An etiam extra Confessionem, *nu.* 18. An personalia, *n.* 20. An etiam ejus, qui vovit non petere dispensationem, vel irritationem, *n.* 23.

*Quæ vota sint reservata?* *c.* 71. *n.* 7. An etiam ea, de quibus dubium est, an sint valida, vel reservata, *num.* 8. Vel sunt conditionata, metu extorta, pœnalia, disjunctiva, non directa ad Deum, *nu.* 8. Quid de voto castitatis perfectæ emisso ab uxore post Matrimonii consummationem, *n.* 10. An quoad substantiam reservatum, quoad accidentia dispensari possit, *n.* 9. Quid si reservatum commutatum sit in non reservatum, *n.* 11. An reservata irritari possint, *n.* 12.

*Vovens* jejunium omni die an obligetur diebus Dominicis? *c.* 69. *nu.* 3. An etiam si sexagesimum annum attigit, *n.* 4. An in Natali Domini in Feriam sextam incidente, *n.* 5. Vovens Religionem vel susceptionem SS. Ordinum, an iis non susceptis teneatur ad castitatem, *n.* 7. Vovens peregrinari, præscindendo, an eques, vel pedes, *nu.* 8. Indies audire Missam an die Festo obligetur ad duas, *n.* 10. Vovens multa parva, *n.* 11. Calicem, nesciens qualem, *n.* 12. Non bibere vinum, *n.* 17. Vovens sub conditione dependente à suo arbitrio, *nu.* 18. Ingredi Religionem, si intrà annum non fuerit fornicatus, ideo autem fornicetur, ut eximatur voto, *n.* 18.

*Vulnerator*, mutilator &c. ad quid teneatur, *cas.* 42. *num.* 7. & 8. V. *Occisor.*

FINIS.

O. A. M. D. G.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
2123
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN